EX quo divinæ bonitati placuit humilitatem Nostram, nullo licet meritorum Nostrorum suffragio, in excelsa Sedis Apostolicæ specula collocare, omne quidem studium, operamque in id contulimus, ut spiritualibus Dominici gregis curæ Nostræ commissi commodis pro viribus Nobis à Domino concessis consuleremus. Dum autem salutare hoc propositum assiduè urgemus, paternam sollicitudinem Nostram ad temporales quoque Nostrorum, & dictæ Sedis subditorum necessitates libenter convertimus, ut reductis ad æquitatis, & justitiæ normam illis, quæ publicam inopiam prægravant, Rempublicam, quantùm Nobis ex alto conceditur, salvam præstare, illiusque utilitatibus providere satagamus.

Exemptiones ejusmodi ordinariis oneribus obsunt.

§. 1. Cum itaque (sicut Nobis innotuit) per quasdam immunitates, & exemptiones à vectigalium, aliorumque onerum publicorum solutione, & supportatione, quæ à nonnullis Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris, & Sede prædicta, illiusque forsitan de Latere Legatis, ac aliis ejusdem Sedis, & Cameræ Nostræ Apostolicæ Officialibus, & Ministris, ad importunas supplicantium preces, seu aliàs quomodolibet concessæ reperiuntur, Camera prædicta, ac Communitates, Universitates Civitatum, Oppidorum, Terrarum, & locorum temporalis S. R. E. ditionis eam redituum, & proventuum suorum diminutionem patiantur, ut non solùm ordinariis oneribus, quibus de præsenti ob tot sumptus in causam communem laudabili pietate factos supra vires gravatæ existunt, satisfacere nequeant, sed etiam novis oneribus universos, & præsertim pauperiores, ad supplenda ea, quæ aliquibus, illisque plerumque locupletioribus remittuntur, affligi, nisi res ad æqualitatem redigantur, necesse sit futurum.

Et non exemptos prægravant.

Quare Prædecessorum exemplo revocantur.

§. 2. Hinc est quod Nos Cameræ, ac Communitatum, & Universitatum, subditorumque Nostrorum prædictorum indemnitati, & levamento, quantum cum Domino possumus, æquè principaliter consulere cupientes, ac fel. rec. Sixti V. Pauli etiàm V. Urbani VIII. Innocentii X. Alexandri VII. Clementis IX. & Clementis X. aliorumque Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum, qui Constitutiones similium exemptionum, & immunitatum revocatorias ediderunt, vestigiis inhærentes, nec non quarumcunque concessionum, immunitatum, & exemptionum hujusmodi, Litterarumque Apostolicarum sub plumbo, ac in simili forma Brevis, cedularum motus proprii, & chirographorum, cujusvis Romani Pontificis Prædecessoris Nostri manu subscriptorum, ac aliarum Litterarum, & scripturarum desuper quomodolibet emanatarum, pluriesque etiam confirmatarum tenores, etiam veriores & datas, ac occasiones & alia, etiam speciali ac individuâ expressione digna, præsentibus pro plenè & sufficienter expressis, & verbatim insertis respectivè habentes; Motu proprio, non ad cujusquam nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ, & maturâ deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine hâc nostrâ perpetuò valiturâ Constitutione, omnes & quascumque exemptiones, & immunitates, à solutione subsidii triennalis, nec non quarti illius adjuncti, quatrinorum

carnis,

Exemptionum ſpecies.

carnis, taxarum equorum, tallearum, cenſuum, archivi, fogliettæ, triremium, utenſilium, dohanarum, gabellarum quarumcumque, taxæ portus Anconæ, quatrinorum, tractarum, pedagiorum, vectigalium, collectarum, & quorumlibet aliorum onerum, & munerum perſonalium, realium & mixtorum, ordinariorum & extraordinariorum, ſolitorum & inſolitorum Cameralium quorumcumque, ac etiam eorum, quæ per Communitates & Univerſitates directè, vel indirectè pro eorumdem onerum Cameralium ſolutione publicorumque munerum ſupportatione, ac pro viis, & pontibus conſtruendis, inſtaurandis, muniendis & manutenendis, aliiſque indigentiis, & uſibus quibuſcumque, tàm Cameræ, quàm Communitatum, & Univerſitatum prædictarum, ſeu aliàs indicta & impoſita, ac exigi ſolita ſunt, nec non ab obligatione recipiendi & hoſpitandi milites, & Sedis prædictæ Officiales, Barigellos, Executores, alioſque Juſtitiæ Miniſtros, eiſque utenſilia, & alia neceſſaria ſubminiſtrandi, per Romanos Pontifices Prædeceſſores Noſtros, ac eandem Sedem Apoſtolicam, & quoſvis Sedis & Cameræ prædictarum Officiales, & Miniſtros quâcumque auctoritate, & poteſtate fungentes, etiam S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, etiam Camerarios, cæteroſque etiàm ſpeciali notâ, & expreſſione dignos ac ſpecialem ad id facultatem habentes, quibuſvis Communitatibus, Univerſitatibus, Civitatibus, Terris, oppidis, & locis ditionis temporalis S. R. E. prædictæ, ac etiam quibuſcumque Feudatariis, Cenſuariis, Dominis locorum, familiis nobilibus, Baronibus, Comitibus, Marchionibus, Ducibus, Principibus, & aliis cujuſvis ſtatus, gradus, conditionis & præeminentiæ exiſtentibus, ac quâvis dignitate, etiam Eccleſiaſticâ, & auctoritate prædictis, etiam Cardinalatus honore fulgentibus, qui caſtra & jurisdictiones intrà limites dictæ ditionis temporalis S. R. E. poſſident, etiam qui nihil ratione caſtrorum & juriſdictionum hujuſmodi Sedi prædictæ annuatim, ſeu aliàs perſolvunt, & tàm incolis, quàm extraneis, & forenſibus bona ſtabilia, ſeu mobilia, vel ſe moventia habentibus & tenentibus ſeu poſſidentibus, omniumque ſupradictorum colonis & laboratoribus, etiam in recompenſam laborum, damnorum paſſorum, expenſarum, vel meritorum, ſeu illorum intuitu, & contemplatione ac ex aliâ quâcumque, quantumvis favorabili, ac urgentiſſimâ, & de neceſſitate ſpecialiter exprimenda causâ, ſub quibuscumque verborum formis, & expreſſionibus, etiamſi in appaltuum. & locationum Cameralium inſtrumentis, quantumvis auctoritate Apoſtolicâ confirmatis promiſſum, & cautum ſit eas obſervari debere, ac cum quibusvis clauſulis & decretis, etiam motu, ſcientiâ, deliberatione, & poteſtatis plenitudine paribus, etiam conſiſtorialiter, & alias quomodocumque & qualitercumque, in genere, vel in ſpecie, ad vitam, vel ad tempus, ſivè in perpetuum conceſſas & datas, ac pluries & iteratis vicibus confirmatas, approbatas, revalidatas & innovatas, & inde etiam Judicis auctoritate ſequutâ quæcumque, nec non quaſvis litteras etiam Apoſtolicas ſub plumbo, vel in ſimili formâ Brevis, Motus proprii cedulas, chirographa, & ſcripturas hujuſmodi ex nunc perpetuò revocamus, caſſamus, tollimus, abrogamus, irritamus, abolemus, viribusque & effectu penitùs & omninò evacuamus, & revocata, caſſata, ſublata, & abrogata, irrita, abolita & annullata viribusque & effectu penitùs ac omninò vacua eſſe, nec ulli prorsùs in petitorio, aut poſſeſſorio, etiam ſummariiſſimo contrà præſentium litterarum tenorem, & diſpoſitionem ſuffragari poſſe, ſed prædictos omnes, & ſingulos exemptos ad omnium & ſingulorum onerum prædictorum ſolutionem & ſupportationem, pro ratâ eos tangente, in poſterum realiter, & cum effectu teneri in omnibus & per omnia, perindè ac ſi dictæ exemptiones & immunitates eis nullatenùs conceſſæ fuiſſent, nec litteræ ac cedulæ motus proprii, chirographa & ſcripturæ hujuſmodi unquam emanaſſent, motu, ſcientiâ, deliberatione, & poteſtatis plenitudine prædictis decernimus, ſtatuimus, & declaramus.

Quæ pro futuro tempore intelligenda.

§. 3. Prætereà omnia & quæcumque privilegia, & indulta perſonis Eccleſiaſticis, tam Secularibus, quàm cujuſvis Ordinis, Congregationis & Inſtituti ac Societatis, etiam Jeſu, Regularibus ſuper ſimilibus immunitatibus & exemptionibus, per quoſcumque Romanos Pontifices Prædeceſſores Noſtros conceſſa, ad Limites Juris communis, motu, ſcientiâ, deliberatione & poteſtatis plenitudine & tenore prædictis reducimus.

Eccleſiaſticis conceſſa ad juris terminos reducuntur.

§. 4. Illa verò quæ nonnullis Collegiis in alma Urbe noſtrâ exiſtentibus per dilectos Filios Clericos Regulares dictæ Societatis Jeſu, ſivè alios quoſcumque adminiſtrari conſuetis, ſimiliter à Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus Noſtris conceſſa fuerunt, quoad victum & veſtitum dumtaxat, non autem ut vulgò dicitur, à fundato & magazzeno, prout ante hac obſervatum fuit, ſuffragari volumus & decernimus.

Collegiis Urbis victus & veſtitus permittitur.

§. 5. Ac demùm ſimilia privilegia & indulta, Nepotibus, & aliis conſanguineis, vel affinibus quorumcumque Romanorum Pontificum Prædeceſſorum Noſtrorum, pro tempore viventium, ab illis reſpectivè conceſſa, itidem revocamus & abolemus, ac revocata, & abolita eſſe ac cenſeri debere volumus & ſtatuimus. Declarantes illa nemini eorundem Nepotum, ſivè conſanguineorum, vel affinium à die Noſtræ ad ſummi Apoſtolatus apicem aſſumptionis ſuffragari poſſe & debere, ſeu potuiſſe ac debuiſſe.

Nepotibus & conjunctis Pontificum conceſſa à die ſuæ aſſumptionis abolentur.

Quibuſnam exemptiones auferantur.

§. 6. Per præmiſſa autem non intendimus revocare exemptiones & immunitates, quibuſcumque perſonis Eccleſiaſticis, tam Secularibus, quàm Regularibus de jure competentes, neque Theſaurariis, Appaltatoribus, & conductoribus bonorum, introituum & jurium dictæ Cameræ noſtræ ab ipsâ Camera, vel aliis illius nomine in appaltuum & locationum inſtrumentis, & illorum ratione, ex contractu tituloque verè oneroſo conceſſas.

Excipiuntur immunitates certis perſonis de jure vel ex oneroſo cùm Camerâ contractu competentes.

Etiam Cameralium appaltuum ratione exemptis.

§. 7. Ac inſuper à revocationibus, & aliis ſupradictis excipimus, & exceptas eſſe volumus & declaramus, immunitates & exemptiones quibusvis Univerſitatibus & perſonis datas & conceſſas, in vim contractus ex causâ verè onerosâ, videlicet congruæ, & effectualis pecuniarum ſolutionis, & non aliàs, eidem Cameræ Apoſtolicæ, vel ipſis Communitatibus legitimè factæ, vel aliis rationabilibus cauſis per Nos cognoſcendis, & approbandis, ut infrà, ac etiam declarandis: quas omnes cauſas oneroſas non niſi legitimas, ac licitas & honeſtas prout de jure approbare intendimus. Et propterea quicumque illas obtinent, eas in dicta Camerâ citato dilecto filio ipſius Cameræ Commiſſario Generali verificare, & in ipsa Camera examinari, & admitti facere teneantur, etiamſi conceſſiones earundem immunitatum, & exemptionum ac litteræ, cedulæ motus proprii, chirographa, & aliæ ſcripturæ deſuper emanatæ, & emanata aliàs in Camerâ prædictâ admiſſæ, & admiſſa, ac in illâ ejuſque libris regiſtratæ, & regiſtrata fuerint & ſint, quatenùs tamen cauſæ oneroſæ hujuſmodi pro verè oneroſis, & legitimis, ut ſuprà aliàs in eâdem Camerâ verificatæ, & approbatæ, ac prævia judiciali diſcuſſione ſint legitimæ habitæ: quo caſu ad indicationem tantùm, non autem ad aliam verificationem eoſdem obtinentes teneri volumus, interim verò quamdiù non fuerint verificatæ, minimè ſuffragari, & præſentis revocationis effectum retardare non poſſe declaramus.

Nec non exemptiones Univerſitatibus conceſſæ ex cauſis declarandis.

Et à Cameræ Commiſſario examinandis & verificandis.

Verba revocatoria.

§. 8. Præterea noſtræ intentionis non eſt, ſub revocationibus, & aliis ſupradictis comprehendere im-

Præſervantur Cardinalium, Cameræ Clericorum aliorumque privilegia.

munitates, & exemptiones ejusdem S. R. E. Cardinalibus ratione dignitatis Cardinalatus, nec non Cameræ prædictæ Clericis Præsidentibus, aliisque Cameralibus, qui in eâdem Camerâ sederunt, & sedent, concedi, seu admitti solitas, nec illas quibus Prælati, & Officiales Romanæ Curiæ, ac Prælati domestici, Cubicularii secreti, ac Secretarii, & alii familiares, & continui Commensales nostri, & Romani Pontificis pro tempore viventis in rotulo descripti gaudent, & gaudere consueverunt, neque illas ob numerum duodecim filiorum à Prædecessoribus nostris, & aliis supra expressis concessas, quas tamen ad terminos Constitutionis rec. mem. Pii P. P. IV. Prædecessoris pariter nostri, quæ incipit, Licet fel. rec. Paulus &c. cujus tenorem præsentibus pro plenè, & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi, illamque exactè, & ad amussim juxtà illius seriem, tenorem, & dispositionem in omnibus, & per omnia servari debere volumus, & illarum Constitutionum Apostolicarum super similium exemptionum declaratione editarum. & ad illas tantum, & pro tempore & personis, ac eo modo, & formâ, quibus de Jure Communi illis competunt, & aliàs juxtà ipsius Juris Communis, ac supradictarum & aliarum Constitutionum Apostolicarum dispositionem reducimus, neque aliter quam ut præfertur, sivè in possessorio, sivè in petitorio suffragari volumus & decernimus.

Quæ revocantur ad terminos Constitutionis Pii IV. aliorumque.

§. 9. Cæterum Appaltatoribus, Thesaurariis, Depositariis, Commissariis, Executoribus, & cæteris agentibus, & Ministris dictæ Cameræ, ac Communitatum, & Universitatum prædictarum earundem serie præsentium districtiùs inhibemus, ne contra ipsarum præsentium dispositionem immunitates, & exemptiones, nisi ut suprà exceptas, ac eas quas ex causâ vere onerosâ concessas in Camerâ prædictâ, ut præfertur admitti contigerit, ullatenùs admittant: & si secùs fecerint, id nemini eorum in suis computis, seu rationibus per eandem Cameram admitti volumus, sed eorum damno cessurum esse declaramus.

Injungitur Ministris observantia.

§. 10. Postremò lites quaslibet occasione privilegiorum, ac indultorum, nec non immunitatum & exemptionum hujusmodi, quomodòlibet suscitatas, & in quibusvis Tribunalibus pendentes (illarum omnium & singularum statum, & merita, nominaque & cognomina Judicum, & collitigantium quorumvis, etiam speciali mentione dignorum, & alia etiam de necessitate specialiter exprimenda, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes) à quibuscumque Tribunalibus hujusmodi ad nos earundem serie præsentium avocamus, illasque penitùs, & omninò perpetuò supprimimis, & extinguimus, & pro suppressis, & extinctis haberi volumus, & declaramus, ac partibus perpetuum desuper silentium imponimus.

Litigantibus super præmissis silentium imponitur.

§. 11. Decernentes præsentes Litteras, ac omnia, & singula in illis contenta, etiam ex eo quod quicumque in præmissis, sive eorum aliquo interesse habentes, seu habere quomodòlibet prætendentes, illis non consenserint, ac ad ea vocati, & auditi, seu causæ propter quas ipsæ præsentes emanarunt adductæ, verificatæ, seu aliàs sufficienter, aut etiam ullatenùs justificatæ non fuerint, aut ex aliâ quâvis quantùmlibet legitimâ, piâ, juridicâ, & privilegiatâ causâ, colore, prætextu, occasione, & capite, etiam in Corpore Juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, nullitatis, aut invalditatis vitio, seu intentionis nostræ, vel quorumvis interesse habentium consensûs, aut alio quovis quantumnis magno & substantiali, ac inexcogitato defectu notari, impugnari, invalidari, restringi, retractari, in Jus, vel controversiam revocari, suspendi, limitari, aut ad terminos Juris reduci, seu adversùs illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aut aliud quodcumque Juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, aut impetrato, seu etiam motu simili concesso quempiam in judicio, vel extrà illud uti, seu se juvare posse, neque easdem præsentes sub quibusvis similium, vel dissimilium Constitutionum, ac revocationum, & Ordinationum suspensionibus, limitationibus, & aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet factis comprehendi, aut comprehensas censeri, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, repositas, & plenariè reintegratas, ac etiam sub posteriori datâ, quatenus opus sit, de novo concessas, perpetuóque validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat, & quandócumque spectabit inviolabiliter observari.

Decretum super obstativis.

§. 11. Sicque in præmissis per quoscumque Judices, & Commissarios, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & quosvis Sedis, & Cameræ prædictarum Officiales, & Ministros, & alios quoscumque, quâvis auctoritate, & potestate fungentes nunc & pro tempore existentes, sublatâ eis, & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquam quâvis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula sublata & decretum irritans.

§. 12. Quocircà dilectis filiis nostris, ac S. R. E. prædictæ Camerario, seu Procamerario, nec non Vicecamerario, Thesaurario, ac Clericis Præsidentibus, Commissario, & aliis Cameræ prædictæ Officialibus, ad quos spectat, præcipimus, & mandamus, ut præsentem nostram Constitutionem, & in eâ contenta quæcumque in omnibus, & singulis firmiter, & inviolabiliter observent, & faciant ab aliis observari.

Executores designantur.

§. 13. Non obstan. supradictarum litium pendentiâ, aliisque omnibus, & singulis præmissis; nec non nostrâ & Cancellariæ Apostolicæ Regulâ de Jure quæsito non tollendo, ac quatenùs opus sit, prædicti Pii Prædecessoris de gratiis qualecumque interesse dictæ Cameræ concernen. in eâdem Camerâ præsentandis, & registran. ita ut præsentes in eâ præsentari, aut registrari nunquam necesse sit, aliisque Apostolicis, ac in universalibus provincialibusque Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & ordinationibus, nec non quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, concessionibus, immunitatibus, exemptionibus, chirographis, cedulis motuum propriorum, & aliis scripturis, & litteris, etiam Apostolicis prædictis, & quibusvis aliis, etiam ut præfertur qualificatis, ac speciali notâ, & mentione dignis, etiamsi nominatim essent exprimendi, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus & aliis decretis, & etiam inexcogitabilibus, & necessariò exprimendis, etiam contractus jurati cum Camerâ nostrâ Apostolicâ initi, & Camerali obligatione vallati, & quovis alio robore, & cautelâ firmatis, editis, seu factis, ac aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & pluries innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi in eis caveatur, expresè; quòd nullo unquam tempore sub similium, vel dissimilium exemptionum, & immunitatum revocationibus, abrogationibus, annullationibus, aut aliis quibuslibet contrariis dispositionibus & Constitutionibus pro tempore edendis comprehendantur, sed semper ab illis excepta, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, eumque validissimum statum restituta, reposita, & reintegrata, ac etiam sub posteriori

Derogatio contrariis.

steriori datâ per quascumque personas eligendas de novo concessa sint, & esse censeantur, nec non pro sufficienti eorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio facienda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, formas, & occasiones præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, insertis, ac servatis respectivè habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expressè derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Præsentes publicandæ.

§. 15. Ut autem eædem præsentes Litteræ ad omnium notitiam faciliùs deveniant, volumus, & auctoritate nostrâ decernimus, illas ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum & Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ de Urbe per aliquem ex Cursoribus nostris publicari, ac illarum exempla ibidem affixa relinqui, quæ sic publicatæ omnes, & singulos, quos concernunt, perinde afficiant, & arctent, ac si illorum unicuique personaliter notificatæ, & intimatæ fuissent.

Et transumptis fides adhibenda.

§. 16. Utque earundem præsentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & Sigillo alicujus personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem fides in judicio, & extrà illud adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 15. Januarii 1677. Pontificatus Nostri anno primo.

D. 15. Januarii 1677. Pont. Anno primo.

J. G. SLUSIUS.

III. Facultates transferendi Pensiones annuas, sublatâ Urbani VIII. Constitutione revocatoriâ, pro dimidiâ parte conceduntur.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium à fidelium commodo.

CIrcumspecta Sedis Apostolicæ providentia Christi fidelium commodis jugiter invigilans, ea quæ aliàs pro Ecclesiarum, & Beneficiorum Ecclesiasticorum exoneratione optimo quidem constituta fuere consilio, si optatus inde effectus minimè proveniat, sed gravia potiùs exoriantur incommoda, in melius commutare, atque reformare studet, sicuti magistra rerum experientia faciendum suadet, ac æqui bonique ratio, nec non Ecclesiarum, & Beneficiorum ipsorum utilitas, & Christi fidelium pax, & tranquillitas noscuntur postulare.

Urbani VIII. Constitutio recenſetur.

§. 1. Cum itaque dudum fel. rec. Urbanus P. P. VIII. Prædecessor Noster, omnes, & singulas facultates, indulta, & privilegia transferendi quascumque pensiones annuas super Patriarchalium, Metropolitanarum, Cathedralium, & Abbatialium mensarum, & quorumvis Ecclesiasticorum, tam secularium, quam regularium beneficiorum quomodocunque qualificatorum fructibus, tam certis, quam incertis, ac etiam distributionibus quotidianis reservatas, quæ tamen per exactionem integrarum pensionum hujusmodi ab ipsis translatariis factam, realem, & actualem effectum sortita non essent, pro summâ, quæ medietatem veri annui valoris fructuum mensæ, seu beneficii, super quibus pensio transferenda, seu translata reservata reperiretur, excederet, quibusvis personis, etiam Abbatiali, Episcopali, Archiepiscopali, Patriarchali, vel aliâ quâvis dignitate, etiam Cardinalatûs honore fulgentibus, sivè etiam ad favorem quorumcumque locorum, piorum, & Collegiorum, quovis intuitu, & consideratione, etiam motu proprio, ac ex certâ scientiâ, & de Apostolicæ Potestatis plenitudine, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, tam per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores suos, quàm ipsum Urbanum Prædecessorem concessa eatenus, revocaverit, cassaverit, & annullaverit, ac viribus, & effectu evacuaverit, ita tamen, ut facultates transferendi pensiones hujusmodi pro eâ parte, quæ medietatem fructuum, etiam incertorum, vel distributionum, quatenùs super illis essent impositæ, non excederet, firmæ, & illæsæ remanerent. Et insuper voluerit, & ordinaverit, eos qui prætextu excessus medietatis fructuum, seu distributionum hujusmodi partem pensionum translatarum solvere recusarent, ad excessum ipsum probandum teneri, nec interim istius dispositionis prætextu processum executivum, aut solutionem integræ pensionis, quatenùs aliàs illis locus esset, impediri, aut retardari debere, & aliàs prout in ejusdem Urbani Prædecessoris Constitutione desuper editâ in Cancellariâ Apostolicâ Anno Incarnationis Dominicæ MDCXXIV. die XXIV. Januarii publicatâ, cujus tenorem præsentibus pro plenè, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, uberiùs continetur.

Exponuntur incommoda inde provenientia.

§. 2. Verùm cum quotidiano experimento compertum sit, prænarratam Constitutionis hujusmodi dispositionem Ecclesiis, & Beneficiis pensionum hujusmodi onere gravatis, illasque obtinentibus, qui excessum medietatis fructuum iisdem pensionibus gravatorum probare, & interea donec rei judicatæ effectum desuper obtinuerint, pensiones ipsas solvere tenentur, parum esse proficuam, & è converso tàm transferentibus, quàm translatariis pensionum hujusmodi non modicum adferre incommodum; illis quidem, quod propter ignorantiam, tàm veri valoris annui fructuum, & distributionum, tum quantitatis aliarum pensionum desuper reservatarum frequentissimè, ac ferè semper dubii sint, & incerti, quas pensiones transferre possint; his verò quòd lites super pensionibus in eos translatis, quas Ecclesiarum, & Beneficiorum hujusmodi possessores, sub prætextu excessus prædicti impugnant, sustinere, & prosequi cogantur: ita ut ejusmodi litibus discutiendis, & decidendis Tribunalia assiduè fatigentur, partes vere ærumnosis dispendiis prægraventur.

Quare ejusmodi facultates.

§. 3. Hinc est, quod nos litibus, & dispendiis hujusmodi ansam præcidere, ac tam Ecclesiarum, & Beneficiorum prædictorum exonerationi, quàm illas, & illa obtinentium, nec non eorum, quibus ejusmodi facultates transferendi pensiones ab hac S. Sede concessæ sunt, & in posterum concedentur, ac illorum, in quos pensiones ipsæ transferentur, commoditati, securitati, & indemnitati, quantum Nobis ex alto conceditur, providere cupientes, ac quorumcunque privilegiorum, indultorum, & facultatum transferendi pensiones hujusmodi, seu illarum loco fructus, reditus, & proventus Ecclesiasticos reservatos, & reservandos quibusvis personis, cujuscumque status, gradus, ordinis præeminentiæ, & dignitatis existentibus, etiam Cardinalatus honore fulgentibus, seu aliàs specificâ, & individuâ mentione & expressione dignis, etiam motu proprio, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, ac cum quibusvis clausulis, derogationibus, & decretis, per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac etiam per nos, & Sedem prædictam hactenus quomodolibet concessorum litterarumque Apostolicarum, tam sub plumbo, quam in simili forma Brevis, Cedularum motus proprii desuper expeditarum, & Chirographorum cujusvis Romani Pontificis motu subscriptorum tenores, etiam veriores, & datas, aliaque omnia & singula, etiam specialem, & individuam

Quibusvis Personis quomodolibet concessæ

mentionem, & expreſſionem requirentia, præſentibus pariter pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis, ac exactiſſimè ſpecificatis habentes; Motu proprio, non ad cujuſquam nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certâ ſcientiâ & maturâ deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ut de cætero, omnes & ſinguli, etiam S. R. E. Cardinales, ſeu quâvis aliâ præeminentiâ, & dignitate præditi, & aliàs quomodolibet qualificati, ſeu ſpecificam, & individuam mentionem requirentes, quibus ejuſmodi indulta, privilegia, & facultates, transferendi penſiones annuas ſuper fructibus, reditibus & proventibus, juribus, obventionibus, & emolumentis undecumque provenientibus, & in quibuſcumque rebus conſiſtentibus, ac diſtributionibus, etiam quotidianis, & manualibus, Patriarchalium, Metropolitanarum, Cathedralium, Abbatialium aliarumque menſarum, ac dignitatum, etiam majorum, & principalium, Perſonatuum, Officiorum, Præpoſiturarum, Canonicatuum, & Præbendarum, aliorumve quorumlibet cum cura, & ſine cura, ſecularium, & cujusvis Ordinis, Congregationis, & inſtituti regularium beneficiorum reſervatas, ſeu illarum loco fructus, reditus, & proventus hujuſmodi reſervatos, ſivè per viam caſſationis, & novæ reſervationis, ſive ſimplicis translationis, ſeu aliàs quomodolibet hactenus à Sede Apoſtolica conceſſa ſunt, & in futurum tam per Nos, quàm per Romanos Pontifices Succeſſores noſtros, & Sedem prædictam concedentur, eorundem privilegiorum, indultorum, & facultatum vigore dimidiam dumtaxat, ſeu dimidiâ minorem partem ipſarum penſionum, ſeu fructuum, redituum, & proventuum illarum loco reſervatorum hujuſmodi, quas, & quos vigore primæ reſervationis ſeu in eos factæ translationis de præſenti percipiunt; & pro tempore percipient, ſeu legitimè percipere poſſunt, & poterunt, reſpectivè transferre valeant.

Et hic ſpeciatim enumeratæ

Ad dimidiam partem reſtringuntur.

Illæſis translationibus debito ordine factis.

§. 4. Ita tamen ut ejuſmodi translationes, ſi ſervatâ ceteroqui dictorum privilegiorum, indultorum, & facultatum, ac præſertim quoad quantitatem penſionum, & fructuum transferendorum in eis expreſſam formâ & diſpoſitione, factæ fuerint, tametſi fructus, reditus, & proventus, jura, obventiones, & emolumenta, ac diſtributiones, etiam quotidianæ, & manuales menſarum, aliorumque beneficiorum hujuſmodi, penſionum, & fructuum reſervatorum oneribus ultra eorum medietatem adhuc gravata remanerent, nihilominùs validæ, firmæ, & efficaces exiſtant, nec ex capite exceſſus medietatis fructuum aliorumque prædictorum, in vim prædictæ Conſtitutionis Urbani Prædeceſſoris, quam hac in parte quoad futuras translationes nullius roboris, & momenti fore decernimus, ullo modo impugnari poſſint, tenore præſentium perpetuò ſtatuimus, & ordinamus.

Decretum ſuper obſtativis.

§. 5. Decernentes eaſdem præſentes Litteras, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod præfati, & alii quilibet, etiam ſpecificâ & individuâ mentione digni, ac Cardinalatus honore fulgentes, in præmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet prætendentes illis non conſenſerint, nec ad ea vocati, & auditi, ſeu cauſæ propter quas ipſæ præſentes emanarint, adductæ, ſpecificatæ, & juſtificatæ non fuerint, aut ex aliâ quâlibet, etiam quantumvis juridicâ, piâ, & privilegiatâ causâ, colore, prætextu, & capite, etiam in Corpore Juris clauſo, etiam enormiſſimæ, & totalis læſionis, nullo unquam tempore de ſubreptionis vel obreptionis vitio aut intentionis noſtræ, ſeu intereſſe habentium conſenſus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & ſubſtantiali, ac incogitato, & inexcogitabili, individuamque expreſſionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controverſiam vocari, ſeu ad terminos juris reduci, aut adverſus illas apertionis oris, reſtitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, ſeu etiam motu, ſcientiâ, & poteſtatis plenitudine paribus conceſſo, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, ſeu ſe juvare ullo modo poſſe, ſed eaſdem præſentes Litteras ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere & fore, ſuosque plenarios, & integros effectus ſortiri & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari, & ab eis reſpectivè inviolabiliter, & inconcuſsè obſervari.

§. 6. Sicque, & non aliter in præmiſſis cenſeri, atque ita per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apoſtolicæ Sedis prædictæ Nuncios alioſve quoslibet quàcumque præeminentiâ, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublatâ eis, & eorum cuilibet, quâvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quâvis auctoritate ſcienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

Clauſula ſublata & decretum irritans.

§. 7. Non obſtantibus, facultatibus, privilegiis, indultis, aliiſque præmiſſis, ac de jure quæſito non tollendo, & quod Cardinales prædicti ſub regulis, & Conſtitutionibus faciendis non comprehendantur, cæteriſque noſtris & Cancellariæ Apoſtolicæ regulis, nec non prædictâ Urbani Prædeceſſoris, aliiſque Apoſtolicis, ac in Univerſalibus, Provincialibuſque Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & ordinationibus, ac quibuſvis etiam juramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis ſtatutis, ſtylis, uſibus, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apoſtolicis præfatis, aliiſve perſonis, & Collegiis quibuslibet ſub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis, etiam motu, ſcientiâ, & poteſtatis plenitudine paribus, ac etiam conſiſtorialiter, & aliàs quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, ac pluries, & quantiſcumque vicibus iteratis, confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis eorumque tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & formâ in illis traditâ obſervatâ exprimerentur, & inſererentur, præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum, hâc vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ac pleniſſimè, & ampliſſimè derogatum eſſe volumus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Derogatio contrariis.

§. 8. Ut autem præſentes litteræ omnibus faciliùs innoteſcant, volumus illas, ſeu earum exempla ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, ac Cancellariæ Apoſtolicæ, ac in acie Campi Floræ de Urbe publicari, & affigi, ſicque publicata omnes & ſingulos, quos concernunt, perinde afficere, ac ſi unicuique illorum perſonaliter intimatæ fuiſſent.

Præſentes publicandæ.

§. 9. Ipſarum verò præſentium Litterarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicu-

Tranſumptorum fides.

jus

jus personæ in Ecclesiasticâ dignitate constitutæ munitis, eandem prorsus fidem tam in judicio, quam extra illud ubicumque locorum haberi, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

D. 7. Februarii 1678. P. A. secundo.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris die 7. Februarii 1678. Pontificatus nostri Anno secundo.

J. G. SLUSIUS.

IV.

Obedientia Superioribus præstanda Quitensis aliarumque in India Provinciarum Religiosis injungitur.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Bullæ præsentis occasio.

§. 1. EXponi nobis nuper fecit Dilectus filius Dominicus Valvasorius Mediolanensis Vicarius Generalis Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini, quod in Provinciis Indiarum, & præsertim Quitensi dicti Ordinis non rarò evenit, ut post solemnem celebrationem Capitulorum Provincialium habitam in Loco specialiter ad id designato post legitimam electionem Prioris Provincialis per scrutinium factam à majori parte Electorum unanimi consensu in unum intendentium post electi Prioris Provincialis confirmationem à Præsidente Capituli publicè promulgatam & post cæteras electiones tum Definitorum, & Visitatorum, tum Priorum Localium, ac Doctrinariorum ritè similiter expeditas, vix hujusmodi electionibus factis, aut imminente ejusdem Capituli dissolutione, vel immediatè post absolutionem, ac etiam post aliquot menses, imò, & annos quibus tàm Prior Provincialis, quàm cæteri Superiores legitimè, ut præfertur electi, respectivè munere suo pacificè functi fuerint, nihilominus nonnulli malo spiritu adducti, eo quod fortassis in prædictis Capitulis non obtinuerint ea, quæ sibi anteà consequenda proposuerant, & altè cordi hærebant obtinenda, contra jam electum, confirmatum, & actualiter exercentem officium Provincialatus potissimè insurgant, ac etiam contra Definitores, Visitatores, reliquosque Priores Locales, & Doctrinarios eisdem debitam denegantes obedientiam, honorem, & prælationem, vanasque causas tantæ contumaciæ adducentes, quinimò ad aliam electionem potissimè Prioris Provincialis tumultuosè, & clandestinè irrumpant, & ad Tribunalia secularia causam sæpè per viam (ut vocant) auxiliatricem deferunt, contendentes super validitate, aut nullitate electionis prædicti Prioris Provincialis cæterarumque electionum; unde Provincia illa miserrimè turbatur.

Indiarum Religiosi Provinciali ritè electo subjiciuntur.

Idque sub pœna inhabilitatis & excommunicationis.

Quæ est denegata à quibusdam Quitensis Provinciæ Religiosis Prioribus Provincialibus reliquisque Superioribus ritè electis debita obedientia.

Prætextus.

§. 2. Tunc enim in dubium vocantur receptiones Novitiorum ad regularem habitum, solemnes eorundem professiones, facultates ad excipiendas confessiones, institutiones Doctrinariorum, seu Parochorum pro administratione Sacramentorum, sententiæ translatæ in auctoritatem rei judicatæ tum absolutoriæ, tum condemnatoriæ à prædicto Priori Provinciali vel Definitorio aut à Prioribus Localibus prolatæ, cæterique actus judiciales & extrajudiciales utilitatem publicam, vel privatam respicientes pro nullis, & invalidis habentur, utque pertinaciùs in sua persistant obstinatione, non obtentâ à Superioribus facultate veniendi Romam, longa suscipiunt itinera, & ad longum tempus contra præscriptum constitutionum Ordinis prædicti, ac decretorum hujus Sanctæ Sedis, vagantur.

Incommoda inde fluentia.

§. 3. Cùm autem sicut eadem expositio subjungebat, ob immanem terræ, marisque ab hac alma Urbe Indiarum distantiam, non facilè succrescentibus hujusmodi malis opportuna possit à Superiore Generali dicti Ordinis aptari medela, Nobis propterea dictus Dominicus Vicarius Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunè providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Causa rei Vicario delatæ.

§. 4. Nos igitur effrænem illam Licentiam insurgendi contra Superiores eisque debitam obedientiam denegandi compescere, ac Provinciarum prædictarum quieti, quantum nobis ex alto conceditur, consulere cupientes, dictumque Dominicum Vicarium Generalem à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quâvis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium tantum consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui dilectum filium Procuratorem Generalem Ordinis prædicti audiverunt, consilio, auctoritate Apostolicâ tenore præsentium perpetuò statuimus, & ordinamus, ut si in Quitensi, vel aliis Indiarum Provinciis prædictis electio Prioris Provincialis facta fuerit per scrutinium secretum à majori parte Electorum, eaque à Præsidente Capituli successivè confirmata, omnes, & singuli Provinciarum hujusmodi respectivè Religiosi, cujuscumque gradus, dignitatis, & conditionis existant, sub privationis vocis activæ, & passivæ, ac graduum, & dignitatum seu officiorum per eos obtentorum, perpetuæque inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda, ac etiam majoris excommunicationis pœnis ipso facto incurrendis teneantur, non solum ab aliâ electione Prioris Provincialis abstinere, sed etiam ipsi Priori Provinciali, seu Rectori Provinciali, aliisque, ut suprà respectivè electis, & institutis, secutâ confirmatione prædictâ à Præsidente factâ, debitam exhibere obedientiam tam in temporalibus, quam in spiritualibus, non obstante quâcumque protestatione, aut appellatione, etiam post confirmationem hujusmodi factâ, vel interpositâ de Jure.

Absolutio ad effectum.

§. 5. Nos enim ad hunc effectum ex certâ scientiâ, & de Apostolicæ potestatis plenitudine suppletos intelligi, ac pro suppletis haberi volumus omnes, & singulos alios defectus, etiam substantiales juris, & facti, si fortè intervenerint in supradictis electionibus, & confirmationibus, illasque per quoscumque Judices, etiam Palatii Apostolici Auditores quoad omnes, & singulos juris effectus haberi, & judicari tamquam legitimè, & Canonicè factas, interim, & quousque ad Quitensem, seu alias Indiarum Provincias prædictas respectivè Prioris Generalis, vel Vicarii Generalis ejusdem Ordinis determinatio pervenerit, legitimèque de eâ constiterit, & intimata fuerit, quibus de Jure constare, & intimari debet.

Non obstantibus etiam Electionis defectibus.

§. 6. Quod si lite pendente super validitate, seu nullitate Capituli Provincialis, vel cujuscumque electionis instet dies præfixus celebrationi novi Capituli Provincialis, possint nihilominus, & teneantur omnes Electores ad Locum destinatum convenire, & juxtà Sacros Canones, Concilii Tridentini decreta, ac Apostolicas, & dicti Ordinis constitutiones novum Capitulum Provinciale hujusmodi celebrare, nec ratione talis litis pendentiæ, seu nullitatis prætensæ quisquam contra ipsius Capituli validitatem coram quocumque Tribunali ullomodo quicquam opponere possit.

Nec lite pendente super validitate aut nullitate Capituli.

§. 7. Idemque sit, & intelligatur, etiamsi post dictum Capitulum Provinciale congregatum, supervenerit ad Provinciam, vel ei intimetur sen-

Nec superveniente sententiâ annullatoriâ.

tentia annullatoria Prioris Generalis, vel Vicarii Generalis, aut nova creatio Prioris Provincialis, seu Rectoris Provincialis, aliorumque Officialium, quæ omnia ad effectum annullandi Capitulum Provinciale congregatum, seu etiam peractum, prout supra dictum est, tamquam inutilia, ac si nullatenus emanassent omnino habeantur, & judicentur, proindeque Capitulum prædictum Provinciale ita, & prout supra celebratum ab eodem Priore, seu Vicario Generali confirmari debeat, dummodo aliàs canonicè & legitimè celebratum sit.

Cujus tamen publicatio propterea non differenda.

§. 8. Ne tamen ex hoc aliquis ullo modo occasionem sumere possit, malitiosè occultandi, alterandi, seu differendi exhibitionem, & publicationem quarumcumque Litterarum, in quibus contineatur annullatio, vel nova creatio Electorum, in capite, tum in membris, si fortè à Priore, vel Vicario Generali ita provisum sit, teneatur sub eisdem pœnis, & censuris ille, etiamsi sit Prior Provincialis actualis, ad cujus manus litteras hujusmodi pervenire contigerit, ipsas manifestare vel intimare illi, vel illis, quibus de Jure manifestari, seu intimari debent.

Præsentes quoque debitis in locis promulgandæ.

§. 9. Cæterum, ut nemo præsentium Litterarum ignorantiam prætendere possit, volumus, ut illæ statim atque ad Quitensem aliasve Indiarum Provincias prædictas respectivè pervenerint, publicentur, perpetuisque futuris temporibus in singulis earundem Provinciarum Capitulis Provincialibus, post recognitionem Præsidentis, ipse, antequam ad aliquam electionem deveniatur, teneatur mandare, ut omnibus capitulariter congregatis, ipsæ præsentes Litteræ unà cum reliquis Constitutionibus de more legendis, legantur, salvâ tamen semper in præmissis authoritate Congregationis memoratorum Cardinalium.

Decretum roborans & irritans.

§. 10. Decernentes easdem præsentes Litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quâvis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariis.

§. 11. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non Provinciarum, & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris. ad præmissorum effectum hâc vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transsumptorum fides.

§. 12. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiasticâ dignitate constitutæ munitis, eadem ubique fides in Judicio, & extrà adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris Die 24. Martii 1678. Pontificatus nostri anno secundo.

Dat. 24. Martii 1678. Pontif. Anno secundo.

J. G. SLUSIUS.

Privilegia nonnullis Sanctitatis suæ Familiaribus concessa.

INNOCENTIUS PAPA XI.

V.

VEnerabilibus Fratribus Antonio Pignatello, Archiepiscopo olim Larissen. Episcopo Licien. cubiculi nostri Præfecto, Stephano de Augustinis Archiepiscopo Heracleæ, Datario, & Horatio Matthæo, Archiepiscopo Damascено, Palatii nostri Apostolici, ac Josepho Eusanio Episcopo Sorphyrien. Sacrarii nostri respectivè Præfectis, nec non dilectis filiis Magistris Joanni Gualtero Slusio Leodien. Secretario Brevium nostrorum Secretorum, Joanni Baptistæ de Luca Venusien. Auditori nostro, & Mario Spinulæ Januen. in utrâque Signaturâ nostrâ Referendariis, Litterarum nostrarum in formâ Brevis quæ ad Principes scribuntur, Secretario, Prælatis domesticis nostris, ac Camillo Mugiasco Comen. Pincernæ, Petro Joanni Bernardi Vencien. Architriclino, Thomæ Odescalco Vestiario, & Elemosynario secreto, Joanni Francisco Ripæ, & Hieronymo Peregrino Comen. Francisco Antonio Cavedono Venusin. Hugoni Humberto de Servient. Gratianopolitan. Antonio Albertino Neapolitan. Matthæo Santini Lucan. Augustino Favorito Lunen-Sarzanen. notarum arcanarum Secretario, & Francisco Santuccio Romano, Medico Secreto, Cubicularii intimis, seu Secretis, & Francisco Liberato Sutrin. Subdatario, ac Joanni Puccio Politianen. & Michaeli Angelo Boldrino Cortonen. Capellanis Secretis, nec non Josepho Sancti Fiamma Comen. Carolo Antonio Prosperi Hortan. Josepho Tiberio Quadri Romano, & Deodato Bovio Mantuan. respectivè Civitatum, vel Diœcesium Clericis, seu Presbyteris, vel Laicis, cubiculi nostri Adjutoribus familiaribus, continuis commensalibus nostris salutem, & Apostolicam benedictionem.

Familiarium nomina.

Exorditurà Familiaribus favendi consuetudine.

Circumspecta Romani Pontificis gratiarum dispensatoris providentia, devotos & fideles suos, illos præsertim, qui grata familiaritatis obsequia jugiter ei impendunt, ac quos ad id aliàs propria virtutum merita commendant, honoris & famæ amplioribus præconiis, ac præclaris dignitatum titulis decorare & ornare, nec non specialis benevolentiæ favoribus amplecti solet, prout personarum qualitatibus conspicit convenire.

Motu proprio creat Sedis Apostolicæ Notarios, Palatii Comites, Equites, Nobiles Romanos, & Urbis, aliarumque Civitatum Cives.

§. 1. Hinc est, quòd nos ad grata familiaritatis obsequia, quæ vos, qui etiam continui commensales nostri existitis, & quilibet vestrum Nobis hactenùs impendistis, & adhuc sollicitis studiis impendere non desistitis, nec non ad vitæ, ac morum honestatem, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, quibus personas vestras, etiàm familiari experientiâ juvari percepimus, condignam rationem habentes, ac propterea easdem personas vestras peculiaris favore gratiæ, ac specialis honoris, & excellentiæ dignitatis titulo sublimare volentes, vosque, & quemlibet vestrum à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis à Jure vel ab homine quâvis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodòlibet innodati existitis, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes; motu proprio, non ad vestram, vel alterius pro vobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de merâ liberalitate, & certâ scientiâ nostris, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine vos, & quemlibet vestrum respectivè

in

in Noſtros, & Sedis Apoſtolicæ Notarios (ſinè tamen præjudicio dilectorum filiorum Notariorum de numero participantium) Apoſtolicâ auctoritate tenore præſentium recipimus, ac Sacri Palatii, & Aulæ Lateranen. Comites, nec non auratæ Militiæ Equites, ac Nobiles Romanos, & Urbis Romæ, ac Civitatum Avenionen. Bononien. Ferrarien. & Beneventan. omniumque, & ſingularum aliarum Civitatum, Terrarum, & Locorum Romanæ Eccleſiæ, mediatè, vel immediatè ſubjectorum Cives cùm omnibus juribus, juriſdictionibus, prærogativis, & inſignibus debitis, & conſuetis creamus, ac conſtituimus, ac in numerum, & conſortium aliorum noſtrorum, & ejuſdem Sedis Notariorum, nec non Palatii, & Aulæ hujuſmodi Comitum, Equitum & Nobilium Romanorum, aliorumque Civium Civitatum, & Terrarum prædictarum referimus, & conſcribimus; Vobiſque, etiamſi habitum, & rocchettum Notariorum dictæ Sedis juxtà decreta Lateranen. Concilii noviſſimè celebrati non deferatis, aut Civitates hujuſmodi non incolueritis, nec unquam in eiſdem Civitatibus domicilium habueritis, ut omnibus, & quibuſcumque privilegiis, & facultatibus, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, favoribus, gratiis, & indultis, quibus cæteri omnes Notarii noſtri, etiam de numero participantium, ac Comites, Equites, & Nobiles (citrà tamen exemptiones à Sacro Concilio Tridentino ſublatas, ita ut nedùm quoad criminalia, ſed etiàm quod civilia ſubjaceatis Ordinariis, ac citrà facultates legitimandi, ad gradus promovendi, Notarios, ſeu Tabelliones creandi, aliaque hujuſmodi privilegia à Notariis, & Comitibus præfatis prætenſa; ita ut illis nullibi uti valeatis, ac irritum, & inanè exiſtat quicquid ſecùs per vos aut quemlibet veſtrum reſpectivè attentari contigerit) nec non Cives originarii, etiam in dignitatum, beneficiorum, & officiorum Eccleſiaſticorum, ac Secularium, etiam ex perſonis Romanorum Civium originariorum vacantium, aſſecutione, & exercitione, tàm in Urbe, quàm in omnibus, & ſingulis Civitatibus prædictis, & aliàs ubique locorum, & gentium, nec non ſeſſionum, & conventuum, utuntur, potiuntur & gaudent, ac uti, potiri & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, non ſolùm ad eorum inſtar, ſed pariformiter, & æquè principaliter, ac ſi privilegia, facultates exemptiones, gratiæ, & indulta hujuſmodi pro vobis emanaſſent, uti, potiri, & gaudere, ac in omnibus, & ſingulis Apoſtolicis, aliiſque Litteris, inſtrumentis, & ſcipturis publicis, & privatis deinceps nomine veſtro conficiendis Notarios, Comites, Equites, & Nobiles, ac de Nobili genere ex utroque parente procreatos, nec non Romanæ, & aliarum Civitatum, & Terrarum Cives prout libuerit, vos inſcribere, & illis ſubſcribere valeatis, ac pro veris, & non factis Notariis, Comitibus, Equitibus, & Nobilibus, ac Civibus habeamini, nihilque, qualecumque illud fuerit cum iis ſubſciptionibus ſubreptitium, aut invalidum, ſed illud idem efficax in omnibus cenſeatur.

Præſervatur Concilii Tridentini reformatio, & in quibuſdam Privilegium reſtringitur.

§. 2. Nec non honoris causâ inſignia gentis noſtræ ſivè integrè, ſivè cum veſtris reſpectivè compoſita geſtare poſſitis, prout vobis placuerit, concedimus.

Permittuntur gentilitia Suæ Sanctitatis inſignia.

§. 3. Et inſuper vos veſtraque beneficia, & officia Eccleſiaſtica quæcumque, quotcumque, & qualiacumque, illorum fructus, res, & jura ubicumque Locorum, Regnorum, & Provinciarum, nec non in Urbe, Civitatibus, Terris, & Locis eidem Romanæ Eccleſiæ mediatè, vel immediatè ſubjectis conſiſtentia, prædia, domos, poſſeſſiones, & bona patrimonialia, aliaque temporalia mobilia, & immobilia, ac ſe moventia, nec non actiones, & jura præſentia, & futura cujuſcumque qualitatis, & quantitatis, naturæ ac cujusvis etiam annui valoris fructus, reditus, & proventus hujuſmodi ſint, vel fuerint, ac etiam quæcumque à vobis vendenda, ac pro veſtris, ac familiarum veſtrarum uſibus emenda ab omnibus, & quibuſcumque decimis, quartis, & dimidiis partibus, ſubſidiis, etiam charitativis, nec non vectigalibus, portoriis, tributis, datiis, pedagiis, collectis, & quocumque alio nomine nuncupatis angariis, parangariis, cæteriſque oneribus, & contributionibus tàm urbanis, quàm ruſticis, ordinariis, & extraordinariis realibus, perſonalibus, & mixtis, etiam ratione munitionum, & pontium, portarum & moliturarum & mercium, cujuſcumque generis tranſitus, ſeu paſſus, & vecturæ etiam in aliud territorum, ſeu Provinciam, terrâ, mari, & flumine, nec non equorum mortuorum, ſtabulationum militum, inſtitutionis Seminarii Eccleſiaſtici, aut quâcumque aliâ quantumvis gravi, & graviſſimâ causâ (pro ſubventione contrà infideles dumtaxat exceptâ nunc & pro tempore impoſitis, ita quod vos, & quilibet veſtrum nihil omninò horum, aut aliorum ſimilium ſubire teneamini, nec per Cameræ Apoſtolicæ, aut alios Commiſſarios, ſeu vectigalium, & tributorum hujuſmodi redemptores, conductores & exactores quocumque privilegio, exemptione & facultate ſuffultos aliàs, quam ut præfertur valeatis coarctari (quamdiu ſervitiis noſtris inſtiteritis dumtaxat) eximimus & liberamus.

Eximuntur durante ſervitio à decimis, impoſitionibus, taxis, vectigalibus ac tributis.

§. 4. Ad hæc vobiſcum, & cum quolibet veſtrum reſpectivè, ut quæcumquæ duo diſſimilia, vel ſimplicia ſimilia ſub ſingulis tribus tectis quarumcumque trium Cathedralium, etiam Metropolitanarum, aut aliarum etiam Collegiatarum Eccleſiarum conſiſtentia, etiamſi unum ex illis omnibus cum curâ, aut dignitas etiam major & principalis, Canonicatus & præbenda, perſonatus, adminiſtratio, vel officium fuerit, & ad dignitatem, perſonatum, adminiſtrationem, vel officium hujuſmodi conſueverit quis per electionem aſſumi, eique cura etiam juriſdictionalis immineat animarum, ſi alicui veſtrum, aliàs Canonicè conferantur, aut quiſque veſtrum eligatur, præſentetur, aut aliàs aſſumatur ad illa, & inſtituatur in eis, recipere, dummodò alia omnia (uno excepto) perſonalem reſidentiam non requirant, inſimul quoad vixeritis retinere:

Indultum retinendi duo beneficia ſub eodem tecto, in tribus Eccleſiis.

§. 5. Nec non etiam quamdiu nobis inſervieritis tantùm in beneficiis Eccleſiaſticis etiam curatis (non tamen Parochialibus, nec curatis curâ animarum Parochianarum) per vos pro tempore reſpectivè obtenti etiam de jure, ſtatuto, fundatione, vel privilegio, perſonalem reſidentiam requirentibus, etiamſi dignitates in Eccleſiis Cathedralibus, etiam Metropolitanis poſt Pontificalem majores, ac Collegiatis Eccleſiis hujuſmodi principales fuerint, perſonaliter reſidere non teneamini, nec per Locorum Ordinarios, aut Eccleſiarum earumdem Capitula, ſeu quoſvis alios ad reſidendum interim in illis inviti compelli poſſitis, omneſque & ſingulos nihilominus veſtrorum beneficiorum obtentorum fructus, reditus & proventus durante ſervitio prædicto cùm eâ integritate (diſtributionibus quotidianis dumtaxat exceptis) cùm quâ illos percipere tis, ſi in eiſdem Eccleſiis, ſivè locis perſonaliter reſideretis, percipere, exigere & levare:

Indultum non reſidendi durante ſervitio, & in abſentiâ percipiendi fructus.

§. 6. Ac interim vel poſtmodùm, ſi volueritis, in Romanâ Curiâ, vel extrà eam à quocumque quem malueritis, Catholico Antiſtite, gratiam & communionem ejuſdem Sedis habente, quem duxeritis eligendum, ad

Suſcipiendi Ordines terminato ſervitio etiam extra tempora & ſine Ordinarii licentiâ.

omnes

omnes, & Sacros Presbyteratus Ordines aliquibus tribus Dominicis, vel aliis festivis diebus, etiam extrà tempora à Jure statuta, proprii Ordinarii, aut cujusvis alterius licentiâ desuper minimè requisitâ, si aliàs ad id idonei reperti fueritis, super quo Antistitis conscientiam oneramus, promoveri, & promoti in illis, etiam in altaris ministerio ministrare:

Audiendi Jus Civile, legendi & causas Ecclesiasticas & civiles patrocinandi.

§. 7. Nec non etiamsi Presbyteri fueritis, ac dignitates & officia obtinueritis, Leges, & Jura civilia, etiam publicè in scholis, & Universitatibus studiorum generalium ad quinquennium dumtaxat, dummodò trigesimum ætatis annum non excesseritis, audire, & si habiles & sufficientes reperti fueritis, etiam ad Doctoratus gradum in hujusmodi facultate vos promoveri facere, Jura etiàm publicè docere, atque Judicis, Advocati & Procuratoris officium in causis Ecclesiasticis, & civilibus tantùm exercere liberè & licitè possitis & valeatis, auctoritate & tenore prædictis de specialis dono gratiæ dispensamus.

Eligendi Confessarium, qui à censuris & reservatis absolvere & vota commutare valeat

§. 8. Liceat quoque vobis, & cuilibet vestrum aliquem idoneum, & approbatum ab Ordinario Presbyterum Secularem, vel cujusvis Ordinis Regularem in vestrum eligere Confessorem, qui vitâ cujuslibet vestrum comite vos, & quemlibet vestrum à quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis à Jure, vel ab homine quâvis occasione, vel causâ latis, & per vos incursis, & quibus vos etiam Apostolicâ auctoritate illaqueari contigerit, etiamsi absolutio Nobis, & Successoribus Nostris Romanis Pontificibus pro tempore existentibus specialiter, vel generaliter reservata existat, & quorumcumque votorum, & Ecclesiæ præceptorum transgressionibus, homicidio casuali, manuum violentarum in quasvis personas, etiam Ecclesiasticas (non tamen Episcopos, vel alios Superiores, Prælatos) de præterito injectionibus, seu consilii, vel favoris ad id præstationibus, jejuniorum omissionibus (non tamen recitationis horarum Canonicarum, aliorumque Divinorum officiorum) & denique ab omnibus, & quibuscumque aliis vestris peccatis, criminibus & excessibus, ac delictis quantumcumque gravibus & enormibus, etiam talibus, propter quæ Sedes prædicta merito consulenda foret, videlicet à contentis in litteris die Cœnæ Domini publicari consuetis, semel tantùm, in vitâ, & mortis articulo; in reliquis verò dictæ Sedi quomodocumque reservatis, aliisque quibusvis casibus semel in anno, confessionibus vestris diligenter auditis (sinè tamen alicujus præjudicio) auctoritate Apostolicâ absolvere, & vobis pro commissis pœnitentiam injungere salutarem, nec non vota quæcumque (ultramarino visitationis liminum Beatorum Petri & Pauli Apostolorum, castitatisque, & Religionis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare valeat.

Conceditur Facultas pensiones etiam aliàs translatas ad summam usque 300. ducatorum transferendi.

§. 9. Vobisque ulteriùs, & cuicumque vestrum respectivè, ut quicumque Loci Ordinarii, vel Canonici Metropolitanarum, seu aliarum Cathedralium Ecclesiarum, aut personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ tam in dictâ Curiâ quàm extrà eam, ad id per vos respectivè coram Notario, & testibus fide dignis eligendi seu eligendæ, quascumque pensiones annuas vobis super mensarum Abbatialium, seu Capitularium ac Episcopalium & Archiepiscopalium, ac quorumcumque Beneficiorum Ecclesiasticorum cùm curâ, & sine curâ secularium, & quorumvis Ordinum & Militiarum Regularium, etiam Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, quomodocumque & qualitercumque qualificatorum fructibus, reditibus, proventibus, juribus, obventionibus, & distributionibus etiam quotidianis, seu illarum loco fructus, reditus, proventus, jura, obventiones, distributiones, & emolumenta vobis nunc & pro tempore assignata, & reservata, ac reservanda pro summâ videlicet trecentorum ducatorum Auri de Camerâ, quoad singulos vestrum, quandocumque alicui vestrum respectivè placuerit, simul vel successivè in toto, vel in parte, etiam in cujuslibet vestrum mortis articulo, cassare & extinguere, ac postquam cassatæ & extinctæ fuerint, alias similes pensiones annuas super eisdem fructibus, reditibus, proventibus, juribus, obventionibus, & distributionibus, & emolumentis, seu illarum loco fructus, reditus, proventus, jura, obventiones, distributiones & emolumenta hujusmodi usque ad summam & quantitatem prædictam uni, vel pluribus aliis personis, etiam per vos nominandis, etiam quæcumque, quotcumque & qualiacumque beneficia Ecclesiastica obtinentibus, & expectantibus Clericis, seu Clericali charactere insigniri volentibus, etiam eis quoad vixerint, seu eorum Procuratoribus, ad id speciale ab eis mandatum habentibus, iisdem modo & formâ, quibus vobis assignatæ, & reservatæ, seu assignata, & concessa fuerint respectivè, etiam absque consensu easdem pensiones solvere debentium, etiamsi illas, vel illa aliàs cassari, & reservari de novo faciendi facultatem non habueritis, ac pensiones & fructus, reditus, proventus, jura, obventiones, distributiones, & emolumenta hujusmodi, etiam pluries cassata & de novo assignata fuerint, usque ad summam, & quantitatem prædictam, etiam Literis Apostolicis super reservationibus, & assignationibus hujusmodi non confectis, ac aliàs cum omnibus, & quibuscumque exemptionibus, privilegiis, Decretis, clausulis, cautionibus, vinculis, obligationibus, & cautelis, ac etiam censuris, & pœnis in prioribus reservationibus hujusmodi concessis, & contentis, nec non subrogatione in quibusvis vestris juribus, etiam quoad quasi possessionem exigendi, in quâ tunc eritis, integrè persolvendas, servatâ tamen formâ Constitutionis Nostræ super translationibus pensionum editæ, reservare, constituere, & assignare valeant, auctoritate, & tenore prædictis de speciali gratiâ indulgemus.

Facultas testandi & de possessionibus ad summam usque sex mille ducatorum quomodolibet etiam sine solemnitatibus disponendi.

§. 10. Nec non etiam vobis, ut de omnibus, & singulis domibus, prædiis, possessionibus, terris, & locis ac jurisdictionibus, cæterisque bonis mobilibus, & immobilibus, quæ tamen non sint Altaris, seu Altarium Ecclesiarum vobis commissarum ministerio, seu alicui speciali earundem Ecclesiarum Divino cultui, seu usui deputata, seque moventibus, cujuscumque qualitatis, quantitatis, valoris, speciei, pretii, & conditionis existentibus, ac juribus, & actionibus, ad vos ratione Ecclesiarum, etiam Cathedralium, & Metropolitanarum, quibus vos forsan præesse contigerit, nec non Monasteriorum, Prioratuum, Præpositurarum, Dignitatum, & aliorum quorumcumque Beneficiorum Ecclesiasticorum, cum curâ, & sine curâ secularium, & quorumvis Ordinum regularium, quæ etiam ex quibusvis concessionibus, & dispensationibus Apostolicis in titulum, commendam, administrationem, ac aliàs quomodolibet obtinueritis, obtinetis, & obtinebitis, ac fructuum, redituum, & proventuum Ecclesiasticorum loco pensionum, ipsarumque pensionum annuarum super similibus fructibus, reditibus, & proventibus, vobis reservatorum, & assignatarum, ac reservandorum, & assignandarum, quos & quas perceperitis, percipitis, & percipietis in futurum, nec non emolumentorum quorumcumque Romanæ Curiæ Officiorum, & aliàs quomodolibet spectantibus, & pertinentibus, ac etiam de dictis proventibus, fructibus, reditibus, & pensionibus annuis, nec non vestrâ, & cujuslibet vestrum industriâ, &

labo-

labore quomodolibet, & undecumque, licitè tamen acquisitis, & acquirendis, ac aliàs etiam de muneribus, & officiis quæ exercueritis, & vos exercere contigerit, & aliàs quâvis occasione, vel causâ, seu contemplatione ad vos perventis, & perventuris, etiamsi in pecuniâ numeratâ, & jocalibus, gemmis, aliisque pretiosioribus rebus consistant, tàm in dictâ Curiâ quàm extrà eam ubique locorum, etiam penes Beneficia ipsa existentibus (quorum omnium qualitates, & veros etiam annuos valores, etiamsi talia forent, quæ generali appellatione bonorum & suppellectilium non venirent, sed specialibus indigerent vocabulis, præsentibus, ac si specifice, & sigillatim exprimerentur, & denominarentur, pro sufficienter expressis, ac declaratis haberi volumus) usque ad summam sex millium ducatorum auri de Camerâ, pro unoquoque vestrum, ac etiam de ipsis fructibus, reditibus, & proventibus, & pensionibus debitis, & debendis (servatâ tamen formâ Constitutionum Apostolicarum jam editarum, & si quas deinceps edi contigerit super fructibus inexactis) etiam cumulativè cum quibusvis aliis similibus, vel dissimilibus facultatibus habitis, & habendis, tàm pro decentibus, & honestis impensis funebribus, quàm etiam pro remuneratione illorum, qui vobis viventibus servierint, etiam ultrà servitii meritum, ac in vestrorum consanguineorum, & affinium, ac quorumcumque locorum piorum favorem, & usum, ac aliàs pro arbitrio, & voluntate vestris, & cujuslibet vestrûm absolutis testari, & testamento, codicillis, fideicommissis, legatis, donationibus, tàm inter vivos, quàm causâ mortis, & aliis quibuscumque modis, & titulis, scripturâ etiam minùs solemni coram duobus, vel tribus testibus, aut etiam cedulâ solâ manu vestra scriptâ, vel scripturâ, & aliàs in omnibus, & per omnia, prout & quomodolibet vobis videbitur, etiam in ipsâ Curiâ, & in mortis articulo, etiam nullâ factâ mentione præsentis, vel aliarum vobis pro tempore concessarum similium facultatum, aut quod in vim illarum testari, seu disponere velitis, & intendatis, semel, atque iterum, aut pluries disponere, statuere & ordinare, ita ut quicquid testatum, gestum, aut ordinatum, seu aliàs dispositum à vobis fuerit, etiàm in vim simplicis distributionis, ac aliàs omni alio modo valeat & servari debeat, ipsaque testamenta, codicillos, & dispositiones, ordinationes, legata, & statuta pluries, ac toties quoties vobis videbitur, moderari, limitare, ac etiam in totum revocare, & alia de novo condere liberè, & licitè valeatis, auctoritate Apostolicâ earumdem tenore præsentium plenam, & liberam concedimus facultatem.

Liberantur à spolio, & conceditur bonorum ad hæredes seu familiares delatio.

§. 11. Et insuper statuimus, & ordinamus, vobisque indulgemus, quòd si vos ab intestato, & sine ullâ, vel cum minùs valida bonorum, & rerum, ac fructuum, reddituum & proventuum, prædictorum dispositione in dictâ Curiâ, vel extrà eam tàm continuâ, quàm interpolatâ inibi cujuslibet vestrûm respectivè mansione, ac etiam extrà Beneficia vestra, vel alia loca debitæ à vobis residentiæ personalis, etiam nullâ subsistente causâ, ab humanis decedatis, omnia & singula bona, res & jura, etiam, ut præfertur, qualificata, nec non spolia cujuscumque quantitatis, & valoris existentia, etiam ex prædictis, & aliàs undecumque provenientia, ad Cameram Apostolicam, seu in dictis Beneficiis Successores non pertineant, sed ad hæredes vestri sanguinis integrè deveniant, & illis deficientibus inter familiares vestros arbitrio personæ seu personarum, quas ad id scripto nominaveritis, distribuantur, nisi de aliâ dispositione, vel intentione vestrâ scriptura, etiam minùs solemnis, secùs appareat, quam tunc velut efficacem ipsæ personæ, vel alii Judices, seu Executores omninò exequi, & adimplere, illisque se conformare in omnibus, & per omnia debeant.

Dispositiones confirmantur & defectus supplentur.

§. 12. Et nihilominùs quæcunque hujusmodi testamenta, legata, donationes, dispositiones, & alia forsan à vobis, etiam nullâ, vel minùs sufficienti facultate suffultis, de hujusmodi bonis, juribus suprà dictis, etiam in favorem consanguineorum, & prædictorum, & aliàs quomodolibet facta, cum omnibus indè secutis, ac etiam ea, quæ per vos in futurum sient ex nunc, prout ex tunc, contra pro dicta summa sex millium ducatorum approbamus, & confirmamus, omnesque, & singulos juris, & facti, ac solemnitatum omissarum, & omittendarum, nec non substantiales, alioſque defectus quoscunque, si qui intervenerint, aut intervenerunt in eisdem, etiamsi tales sint, vel fuerint, quòd specialis, specifica, & expressa de illis mentio præsentibus habenda esset, supplemus.

Super Prædictis non molestandi.

§. 13. Districtiùs inhibentes quibusvis Archiepiscopis, Episcopis, aut aliis Ecclesiarum Prælatis, nec non Cameræ prædictæ Præsidentibus, & Clericis, ac eorum, nec non Fabricæ Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, ac Cruciatæ Sanctæ, & aliis Collectoribus, & Subcollectoribus, cæterisque, cujusque dignitatis, status, gradus, & conditionis existentibus, etiam quâvis auctoritate, & potestate fungentibus, sub excommunicationis majoris, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, ne Universitates, Collegia, ac loca, & legatarios, hæredes, & personas, nec non testamentorum, voluntatum, & ordinationum hujusmodi Executores prædictos directè, vel indirectè, quovis quæsito colore, vel ingenio molestare audeant quoquomodo, vel perturbare.

Clausulæ præservativæ.

§. 14. Ac decernentes prædicta omnia, & singula, præsentesque Litteras, & testamenta, donationes, dispositiones, & alia quæcunque, nec non quæ in præmissis facta sunt, aut fieri contigerit, tàm vigore præsentis, quàm etiam aliarum concessionum vobis factarum, & deinceps in genere, ac in specie faciendarum cum inde secutis, & secuturis, etiamsi vos intrà Curiam, aut in quacunque alia mundi parte extra Ecclesias, & Beneficia personalem residentiam requirentia qualitercunque qualificata per vos nunc, & pro tempore obtenta, etiam pro vestra sola voluntate, & nullâ subsistente causâ non residendi, ab humanis decedere contigerit, sub Litteris rec. mem. Pii Papæ IV. Prædecessoris Nostri contra quoscunque Episcopos, Archiepiscopos, & alios Prælatos, nec non Parochialium Ecclesiarum Rectores, cæterosque residentiæ personali prædictæ adstrictos, extrà illam quomodocunque decedentes, septimo Kalend. Decembris Pontificatus sui anno quinto, aut alio veriori tempore emanatis, & sub quibuscunque aliis Constitutionibus, aut revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, Decretis, declarationibus Apostolicis, Cancellariæ Apostolicæ Regulis, ex quibuscunque causis, quantumcunque maximis urgentibus, & inexcogitabilibus, etiam in favorem fidei, divini cultus augmentum, ac consistorialiter, etiam à Nobis, & Sede prædictâ hactenùs, vel nunc, & pro tempore factis, & editis minimè comprehendi, sed semper ab illis excepta, & quoties emanata fuerint, toties in pristinum, & validissimum statum, & etiàm sub posteriori data, etiàm cum derogationibus, & clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis: irritantibusque, & aliis Decretis, per vos eligenda apponendis, & latissimè specificandis, reposita, restituta, & plenariè reintegrata, ac de novo concessa, validaque, & efficacia fore, nec non perpetuâ firmitate subsistere, suosque plenarios, & omnes effectus, quos de jure, stylo, consuetudine, aut aliàs quomodocunque sortiri potuerunt ac vim veri, legitimi, jurati, stipulati, validi, & efficacis contractus inter vos ex una, ac Nos, & Ca-

meram

meram prædictam ex altera partibus habere, nec etiam per promotionem ad Ecclesiam Cathedralem, etiam Metropolitanam, aut translationem, vel aliam status, & personæ vestræ mutationem cessare, nec per similes, vel dissimiles gratias vobis concessas, & concedendas, confundi, sed ipsis cumulativè in omnibus, & per omnia uti, & si quid in una ex facultatibus hujusmodi defecerit, per aliam suppleri debere, nec hæredes, legatarios, ac loca, ad quos, seù quæ bona, jura, & actiones hujusmodi devenerint, vel quibus relinquentur, aut Executores prædictos ad tertiam, seù aliam eorum partem, quam etiam ex nunc vobis, ac locis, hæredibus, legatariis, ac donatariis prædictis liberaliter concedimus, & donamus, Cameræ, vel Fabricæ, aut Beneficiis prædictis, etiam pro expeditione contra Infideles, & quibusvis aliis quantùmlibet piis usibus solvendum, ac cum iis desuper componendum, vel vos ad aliam particularem licentiam, sivè indultum, aut confirmationem præsentium à Nobis, vel Successoribus Nostris Romanis Pontificibus petendum, aut impetrandum, vel etiàm in alia simili gratia, seù confirmatione illius vobis quomodòcunque concedenda, de præsenti mentionem aliquam faciendam ullatenùs teneri, nec ad id ullâ unquam necessitate cogi posse.

Clausula sublata & Decretum irritans.

§. 15. Et sic in præmissis omnibus, & singulis per quoscunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & ejusdem S. R. E. Cardinales, nec non pro tempore existentes dictæ Cameræ Camerarium, Præsidentes, & Clericos in quavis causa, & instantia, sublatâ eis, & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quâvis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Designantur Executores.

§. 16. Quocircà Venerabilibus Fratribus Nostris Ostien. & Portuen. Cardinalibus Episcopis, & Dilecto Filio Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ Generali Auditori, per Apostolica scripta mandamus motu simili, quatenùs ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios præsentes Litteras, & in eis contenta quæcunque, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte vestra desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, vobisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate Nostrâ easdem præsentes Litteras, & in eis contenta hujusmodi firmiter observari, ac vos illis omnibus pacificè frui, & gaudere, non permittentes vos per quoscunque quâvis auctoritate fungentes contra earundem præsentium tenorem quomodòlibet indebitè molestari, inquietari, vel perturbari; Contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, ac legitimis super his habendis servatis processibus, censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando; invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogatur contrariis.

§. 17. Non obstantibus præmissis, ac piæ mem. Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris pariter Nostri de una, & in Concilio Generali edita de duabus dietis, dummodò ultrà tres dietas aliquis auctoritate præsentium in judicium non trahatur, nec non Lateranensis Concilii novissimè celebrati de certo Notariorum numero, etiamsi ad illum nondum deventum fuerit, cui per hoc aliàs derogare non intendimus, ac de consensu præstando in pensionibus, & quibusvis aliis etiam ad Nos, & Sedem prædictam editis, & in posterùm edendis Cancellariæ Apostolicæ Regulis, ac stylo in similibus hactenùs observato, ac rec. mem. Alexandri Papæ VI. etiam Prædecessoris Nostri, tertiam partem bonorum Ecclesiasticorum Cameræ prædictæ deberi inter alia disponentis, nec non ejusdem Bonifacii Papæ VIII. per quam concessiones fructus in absentiâ percipiendi sine præfinitione temporis fieri prohibentur, ac Pii Papæ IV. Prædecessoris pariter Nostri de gratiis qualecunque interesse Cameræ Apostolicæ concernentibus in dictâ Camerâ intrà certum tunc expressum tempus præsentandis, & registrandis, ita quod præsentes in eadem Camera nullo unquam tempore registrari facere teneamini, ac similis rec. mem. Urbani Papæ VIII. etiam Prædecessoris nostri de pensionibus aliàs translatis iterùm non transferendis, ac quorumvis aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum, quibusvis aliis Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus & Ordinationibus, nec non Legibus, etiam Imperialibus & municipalibus, tam Urbis, quàm aliarum Civitatum & locorum, in quibus Cives originarii creati existitis, & quarumvis Ecclesiarum, Monasteriorum, Ordinum & Hospitalis prædictorum, nec non quorumvis Collegiorum & officiorum dictæ Curiæ & Regnorum, Provinciarum & Urbis ac aliarum Civitatum & locorum, ac Cameræ prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis Statutis & Consuetudinibus, stabilimentis, usibus & naturis, etiamsi de illis servandis, & non impetrandis Litteris Apostolicis contrà ea, nec etiam ab alio vel aliis impetratis, aut aliàs quomodolibet concessis utendo vos per vos, vel procuratores vestros præstiteritis forsan hactenùs, vel vos in posterum præstare contigerit juramentum; privilegiis quoque, indultis & Litteris Apostolicis dictis Ecclesiis, Monasteriis, Ordinibus & Hospitalibus, illorumque Præsulibus, seu Administratoribus & Superioribus, ac Magistris, Præceptoribus, Prioribus, Militibus etiam Antianis, Capitulis, Conventibus, Civitatibus & locis aliisque prædictis, ac illorum Communitatibus, Civitatibus & locis aliisque personis, etiam particularibus, nec non Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ordinariis, etiam eisdem Cardinalibus, ac dictæ Curiæ Officialibus, illorumque collegio, ac etiam decimarum, pedagiorum, gabellarum & onerum Exactoribus & Appaltatoribus, & aliorum onerum Redemptoribus sub quibuscunque tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis Decretis per quoscunque Romanos Pontifices Prædecessores Nostros, ac etiam Nos & Sedem prædictam, etiam consistorialiter, ac de eorumdem Cardinalium consilio, etiam per modum Statuti, & Constitutionis perpetuorum, ac motu, & scientiâ similibus, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, vel ad Imperatoris, Regum, Reginarum, Ducum, Marchionum, & aliorum Principum instantiam, seu illorum contemplatione in genere, vel in specie, ac aliàs quomodòlibet etiam iteratis vicibus concessis, etiamsi in eis, ac Statutis, & stabilimentis prædictis caveatur expressè, vel tacitè quod Urbis nisi originariis Civibus Romanis, ac Civium eorundem filiis conferantur, quodque nonnullarum Ecclesiarum beneficia, nisi per personas illustres, vel nobiles, ac etiam originarios Cives, aut aliàs certo modo in illis expresso qualificatos obtineri non possint, & nulli in Cives Urbis, ac Civitatum, Oppidorum, Terrarum, & locorum hujusmodi admitti, seu illorum privilegiis uti possint, nisi priùs in dictis Civitatibus, Oppidis, Terris & locis per certum tempus habitaverint, seu etiam in illis bona etiam stabilia forsan ad certum valorem ascendentia possederint, quodque Præceptoriæ, & alia beneficia quæcunque dicti Hospitalis tàm ex ejus institutione, quàm ex stabilimentorum prædictorum dispositione, pensionibus Clericis secularibus, & aliis personis, etiam Apostolicâ

licâ auctoritate reservandis gravari non possint, quodque stabilimentis, & privilegiis prædictis, etiam vigore implicatæ derogationis latissimè extendendæ, etiam per quascunque Litteras Apostolicas, & quasvis etiam derogatoriarum derogatorias, efficaciores, & insolitas clausulas derogari non possit, nec derogatum censeatur, nisi derogatio hujusmodi de Consilio Cardinalium eorundem fiat, & tùm demùm Magistri, & Conventus prædictorum ad id accedat assensus, sintque Litteræ derogationum hujusmodi etiam per dictum Magistrum subscriptæ, ac illi, & præfato Conventui per diversas in formâ Brevis, aut aliàs Litteras diversis temporibus cum certis intervallis præsentatas intimatæ, & non aliàs, nec alio modo, & semper in omnibus quæ sic fient, etiam de simili consilio, derogationibus sit apposita clausula, quòd illarum effectum sortiantur de consensu Magistri & Conventus prædictorum, & non aliàs, nec alio modo; quodque ipsi Exactores, & Appaltatores decimas, pedagia, & onera hujusmodi, etiam ab exemptis exigere, & illos ad solutionem, seu contributionem cogere, & compellere possint, seu debeant. Quibus omnibus, illorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hâc vice dumtaxat in genere, & in specie, ad effectum præsentium sufficienter, & expresè derogamus, ac derogatum esse decernimus; Quodque vos primam non feceritis in Ecclesiis hujusmodi personalem residentiam consuetam, cæterisque contrariis quibuscunque.

Ante usum Notariatus fidei confessio & fidelitatis juramentum præstandum.

§. 18. Volumus autem, quòd antequàm gratiâ creationis in Nostros, & Sedis Apostolicæ Notarios vobis, & suprà factâ perfrui valeatis, in manibus alicujus personæ in Dignitate Ecclesiasticâ constitutæ professionem fidei juxtà articulos pridem à Sede prædictâ propositos expresè emittere, & solitum fidelitatis juramentum præstare omninò teneamini.

Transumptorum fides.

§. 19. Quodque præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Dignitate Ecclesiasticâ constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur in judicio & extrà, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Indulta testandi & pensiones transferendi non suffragantur iis qui ea aliàs obtinuerunt.

§. 20. Volumus pariter, atque decernimus, ut illis ex vobis, quibus similes testandi de bonis; ac pensiones transferendi facultates à Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris, quorum respectivè etiam familiares & continui commensales erant, concessæ fuerunt, præsentes Litteræ quoad facultates testandi de bonis, & transferendi pensiones hujusmodi minimè suffragentur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 5. Novembris 1678. Pontificatus Nostri anno tertio.

Die 5. Novembris anno 1678. P. A. tertio.

J. G. SLUSIUS.

VI.

Constitutio Confirmatoria Litterarum patentium à Provinciæ Quitensis Vicario Generali super Cellæ emptione datarum.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Procuratoris de emptione facta expositio.

§. 1. EXponi nobis nuper fecit Dilectus Filius Franciscus Montanno Frater expresè Professus, & Procurator Provinciæ Quitensis in Indiis Occidentalibus Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini in S. Theologia Magister, quòd cùm dicta Provincia quandam Cellam intrà Clausuram Conventus S. Philippi Oppidi Madriti ejusdem Ordinis Toletan. Diœcesis existentem, pro usu & habitatione Procuratoris ejusdem Provinciæ, pro tempore existentis sub certis conditionibus, tunc expressis emisset, Dilectus etiam Filius Dominicus Valvasorius Vicarius Generalis dicti Ordinis vigore facultatis sibi super hoc à Congregatione Ven. Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis & consultationibus Episcoporum & Regularium præpositâ attributæ, emptionem Cellæ hujusmodi, cum omnibus & singulis conditionibus, aliisque in publico desuper confecto Instrumento contentis, confirmavit & approbavit, & aliàs prout plenius continetur in ejus patentibus litteris desuper emanatis tenoris qui sequitur, videlicet.

Vicarii Literæ Patentes.

Magister Fr. Dominicus Valvasorius Mediolanensis, totius Ordinis Eremitarum S. P. Augustini Vicarius Generalis Apostolicus. Cùm nihil necessarium magis Religiosis sit, quàm Cellæ provisio, quæ proprius eorum locus est, in quo à cæteris semoti degunt, & privatis orationibus post communes preces Deo famulantur; Idcircò Provincia Nostra Quitensis in Conventu Nostro Sancti Philippi Matriti prudenti judicio Cellam emit, in quâ sui pro tempore Procuratores suique Alumni, qui ad publica Provinciæ ejusdem peragenda negotia sunt destinati, commodiùs ibi, ac religiosiùs degere possint; utque prædicta emptio firmiùs subsistat, & si quis defectus in eâ irrepserit, opportunè sanetur, benè, ac sapienter Sacræ Congregationi Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium supplicem libellum porrigendum curavit tenoris sequentis videlicet.

Libellus S. R. E. Cardinalibus porrectus.

Eminentissimi, & Reverendissimi D. D. Fr. Franciscus Montano Procurator Provinciæ Quitensis in Indiis Occidentalibus, atque in S. Theologia Magister humiliter exponit EE. VV. quòd aliàs prædicta Provincia per Scripturam publicam emit à Conventu Sancti Philippi Matritensis quamdam Cellam intrà clausuram existentem pro usu, & habitatione sui pro tempore Procuratoris, pro pretio mille & sexcentorum ducatorum monetæ de Vellon, ut vocant, cum effectu exhibitorum sub sequentibus conditionibus, videlicet.

Emtionis Conditiones.

Prima, quòd prædicta Cella perpetuis futuris temporibus sit Provinciæ Quitensis, maneatque sub ejus, & sui pro tempore Procuratoris dispositione, absque eo quod Provincia Castellæ, ejus Provincialis, nec prædictus Conventus Matritensis de prædicta Cella disponere, aliquid in ea innovare, alterare, vel diminuere in toto, vel in parte possint.

Secunda, quòd Provincia Quitensis, ejusque pro tempore Procuratores eidem Cellæ, utpote sui juris, de rebus & supellectilibus Religiosis convenientibus, & necessariis providere possit. Et quòd si aliquandò contigerit, prædictum Conventum Matritensem ædificium pro parte ad portam currum ut vocant, respiciente, extendere, seu continuare; Tunc illa pars prædictæ Cellæ correspondens assignanda sit eidem Provinciæ Quitensi, quatenùs ipsa propriis expensis prædictam partem ædificet pro commodiori habitatione eorumdem Procuratorum.

Tertia, quòd si ejusdem Provinciæ Quitensis aliquis ex Patribus pro tempore Procuratoribus, in eâdem Cellâ è vivis decedere contigerit; tunc nec prædicta Provincia Castellæ, neque Conventus Matritensis quicquam ex mobilibus, vel suppellectilibus in prædictâ Cellâ manentibus, seu ad eam pertinentibus ullomodo prætendere possint; Sed eâ omnia usui Patrum Procuratorum prædictæ Provinciæ Quitensis omninò reserventur & relinquantur.

Quarta, quòd ut omnibus innotescat, & etiam ex notorietate constet, prædictam Cellam ad Provinciam Quitensem jure optimo pertinere, ipsius nomine prædicti Procuratores titulo, & inscriptione prædictum jus declarante, illam insignire possint.

Quinta, quod si dictus pro tempore Procurator extrà Conventum, & Villam Matritensem absentiam fecerit, tunc alicui Religioso sibi benevisо de familia ejusdem Conventus cum notitia R. P. Prioris Localis pro tempore existentis, clavem ipsius Cellæ relinquere debeat, cõsimilem clavem apud se retinendo. Quæ omnia, & alia perpetuitati, securitati, & omnimodæ indemnitati prædictæ Provinciæ Quitensis favorabilia, latiùs & expressè constant ex Instrumento rogato per Acta Vincentii Suares Notarii Regii de numero ejusdem Villæ Matritensis sub die 12. Decembris 1675. Cujus datur collationata copia ad quod &c.

Confirmatio à Congregatione expetita.

Cùm autem prædicta Provincia Quitensis ex illo tunc tempore emptionis in quietâ, & pacifica possessione prædictæ Cellæ maneat, eamque titulo & inscriptione ad effectum in quartâ conditione relatum insigniverit, & in partibus tàm remotis constituta summoperè desideret jus suum omninò roboratum, & munitum habere; supplicat humilis Orator nomine prædictæ Provinciæ EE. VV., ut prædictam emptionem unà cum omnibus, & singulis conditionibus, obligationibus & clausulis, in prædicto Instrumento contentis, & expressis, auctoritate Apostolicâ in formâ specificâ approbare & confirmare dignentur, supplendo omnes & singulos defectus juris & facti, si qui irrepserint. Tantique memor beneficii &c. Cui supplici Libello benignissimè rescriptum fuit in hac forma. Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium, negotiis & consultationibus Episcoporum & Regularium præposita, audito P. Procuratore Generali Ordinis, benignè commisit P. Vicario Generali ejusdem Ordinis, ut veris existentibus narratis, & quatenùs prædicta Cella sit intrà Conventum Matriti ejusdem Ordinis sita, petitam confirmationem pro suo arbitrio & conscientiâ, Oratori impertiatur. Romæ 22. Aprilis 1678. Cardinalis Caspar Carpineus. J. B. Archiepiscopus Januen. Secretarius.

Et impetrata.

Cùm igitur ex prærecensito Instrumento nobis præsentato, & ex aliis fide dignis testimoniis liquidò constet de ennarratorum veritate, & quòd prædicta Cella intrà Conventum Nostrum S. Philippi Matritensis sit sita: Nos propterea justis Provinciæ Nostræ Quitensis petitionibus inclinati, tenore præsentium, & auctoritate Nobis concessâ à S. Congregatione in præinserto Decreto, omnes & singulos, tàm juris, quàm facti defectus, si qui irrepserint in prædictæ Cellæ emptione sanamus, & sanatos esse censentes, eamdem emptionem cum omnibus & singulis suis conditionibus, obligationibus, & clausulis contentis, & expressis in prærecensito Instrumento rogato per Acta Vincentii Suares, ad quod &c. approbamus, & confirmamus, & approbatam & confirmatam esse volumus, & declaramus.

Cujus vigore à Vicario Emtio tenore præsentium approbatur.

Præcipimus autem R. P. Provinciali Provinciæ Castellæ, & R. P. Priori Locali Conventus Nostri Sancti Philippi Matriti nunc, & pro tempore existentibus, in meritum salutaris obedientiæ, sub privationis graduum & Officiorum, vocisque activæ & passivæ, & in subsidium, sub excommunicationis majoris latæ sententiæ, quam hâc una pro trinâ Canonicâ monitione præmissâ in his scriptis, licèt inviti, ferimus, aliisque Nostro, & Successorum Nostrorum arbitrio ipso facto incurrendis pœnis, ne sub quovis prætextu, aut quæsito colore per se, vel per alios, directè, vel indirectè contrà prædictam emptionem, seu contrà prædictam Provinciam Quitensem, vel contrà ejus pro tempore Procuratorem, quoad liberam dispositionem, usum, vel possessionem prædictæ Cellæ attentare, vel innovare respectivè audeant, sed potiùs in casu necessario tam Provinciam Quitensem, quàm ejus pro tempore Procuratorem, sub iisdem pœnis in suo jure, usu & possessione dictæ Cellæ respectivè ponant, conservent, restituant & manuteneant.

Præsentes exactè observari.

Volumus autem, quod Superior Localis Conventus Nostri Sancti Philippi Matritii Authenticam harum nostrarum Litterarum copiam in communi regiſtro ejusdem Conventus apponi, ac regiſtrari curet, ut de juribus Provinciæ Quitensis perpetuò constare possit. Datum Romæ in Conventu Nostro Sancti Augustini die 22. Julii 1678. Fr. Dominicus Valvasorius V. G. Apostolicus licèt indignus Ordinis Eremitarum Sancti Patris nostri Augustini &c. nostri Muneris affixo Sigillo. Locus † Sigilli.

Regiſtrari præcipiuntur.

§. 2. Cùm autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictus Franciscus Procurator præmissa, quo firmiùs subsistant, Apostolicæ quoque confirmationis nostræ patrocinio communiri summoperè desideret; Nos ipsius Franciſci Procuratoris votis hac in re, quantùm cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque à quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, à jure, vel ab homine, quâvis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium tantum consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de memoratorum Cardinalium Consilio emptionem prædictam à dicto Dominico Vicario Generali confirmatam & approbatam, ut præfertur, expeditasque desuper illius patentes Litteras præinsertas, cum omnibus, & singulis in eis contentis auctoritate Apostolicâ tenore præsentium confirmamus & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & singulos juris & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; Salvâ tamen semper in præmissis auctoritate prædictæ Congregationis Cardinalium.

Et Apostolicâ confirmatione munitur.

Decretum roborans.

§. 3. Decernentes easdem præsentes Litteras semper firmas, validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari. Sicque in præmissis per quoscunque Judices ordinarios & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari & definiri debere, ac irritum & inane, si secùs super his à quoquam, quâvis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula sublata & Decretum irritans.

Derogatio contrariis.

§. 4. Non obstantibus, quatenus opus sit, *fel. record.* Pauli II. & aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum de rebus Ecclesiæ non alienandis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non Ordinis, ejusque Provinciarum Quitensis & Castellæ, ac Conventus prædictorum, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis & Consuetudinibus, Privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 20. Decembris 1678. Pontificatus nostri Anno tertio.

D. 20. Decembris 1678. P. A. tertio.

J. G. SLUSIUS.

Genè-

VII. Generalis & Vicarii Generalis Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini in Provinciâ Quitensi Constitutiones & Decreta pro pace ejusdem Provinciæ conservanda, confirmantur.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium

IN Supremo militantis Ecclesiæ solio per ineffabilem Divinæ Bonitatis abundantiam nullo licèt meritorum nostrorum suffragio constituti, ea quæ à Religiosorum Ordinum Superioribus pro salubri eorum, qui Altissimi obsequiis sub suavi Religionis jugo mancipati sunt, directo ac felici gubernio, paceque religiosâ, ac fraternâ animorum concordiâ inter eos stabiliendâ & solidandâ, providè prudenterque constituta sunt, ut firma semper, atque inviolata persistant, Apostolici nostri muniminis præsidio, cum id à nobis petitur, libenter roboramus.

Indicantur Decretorum autores.

§. 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit Dilectus Filius Franciscus Montano Frater expresse Professus, ac Procurator Provinciæ Quitensis in Indiis Occidentalibus, Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini in Sacra Thologia Magister, quòd cum Ven. Fr. Nicolaus Olina Episcopus Cortonen. aliàs dùm in minoribus constitutus, Generalatus dicti Ordinis munere fungebatur, litibus & dissidiis, quibus Provincia prædicta vexabatur, finem imponere, illisque ansam in futurum præcidere cupiens, causis & instrumentis, quæ eadem Provincia ad ipsum remiserat, sedulo examinatis, nec non dicto Francisco Provinciæ prædictæ Procuratore, ac dilectis pariter filiis Augustino de Montesdoca, & Josepho della Concha ejusdem Ordinis Professoribus, in Sacra Theologia etiam Magistris in judicium contradictorium non semel vocatis, sæpiusque etiam privatim auditis, de prudenti consilio Assistentium Ordinis prædicti, pro antedictæ Provinciæ Quitensis reformatione, & bono regimine nonnulla Decreta, Statuta, Ordinationes & Declarationes die 20. Octobris 1677. condidisset, illaque sub interminatione Divini judicii, & sub quibusdam pœnis per trangressores incurrendis inviolabiliter observari præcepisset; Dilectus etiam Filius Dominicus Valvasorius Vicarius Generalis dicti Ordinis, ut lites, & contentiones, quæ non infrequenter, tùm in celebratione Capitulorum Provincialium, tùm aliis in occasionibus Religiosorum dictæ Provinciæ pacem turbare poterant longiùs eliminarentur, die 30. Julii 1678. de consilio suæ Congregationis alias nonnullas super præmissis provisiones fecit, ac Decreta, Statuta, Ordinationes, Declarationes, & Provisiones hujusmodi in unum corpus redigi, & in capitula, seu articulos distingui mandavit tenoris qui sequitur, videlicet.

Recensentur Decreta ipsa, quæ præcipiunt.

De Constitutionibus Apostolicis observandis, conventiculis removendis, cum restrictione quoad Electores.

I. Et primò cùm experientiâ didicerimus, ex Capitulorum Provincialium celebratione, lites ac discordias precipuè oriri: Volumus quod Pater Præsidens Capituli Provincialis, durante officio sibi commisso, Apostolicas & Religionis Constitutiones, tùm in spiritualibus, tùm in temporalibus diligenter ab omnibus, & singulis observari faciat: Omnia Conventicula (& præsertim de nocte tempore silentii) penitus removeat, transgredientes & inobedientes, juxtà earumdem Constitutionum præscriptum corrigendo, & ad obedientiam cogendo; non tamen possit aliquem ex Electoribus per modum carceris, vel custodiæ in cellis claudere, nisi facto priùs processu ob formalem inobedientiam, vel alium gravem excessum, qui similem pœnam mereatur, salva tamen semper Electorum libertate, etiam circà tractatus licitos de electione facienda, nec non de meritis eligendorum.

De iis quæ circà electionem Judicum causarum sunt observanda.

II. Decernimus, quòd Pater Præsidens, antequàm Judices causarum eligantur, neque per se solus, neque cum aliis sub quolibet motivo, vel prætextu etiam qualificandi, aut legitimandi Patres, qui in imminente Judicum causarum electione activam, vel passivam vocem habere debent, ex iis aliquem una, vel altera voce privare, vel à prædictâ electione excludere, aut privatum, vel excluſum declarare possit: Inhærentesque præterea Constitutioni Apostolicæ Pauli V. de die 14. Julii 1614. incip. Nuper à Nobis &c. & Decreto Sacræ Visitationis Apostolicæ de die primâ Aprilis 1601. sub Clemente Octavo, etiam decernimus & mandamus, ut prædictorum Judicum causarum electio Canonicè, ac per schedulas secretas, nullaque facta per P. Præsidentem propositione in posterum fiat; Et quòd in hujusmodi electione Pater Provincialis, seu Rector Provinciæ, primus & secundus Definitor cum interventu P. Præsidentis Capituli munere Scrutatorum fungantur: Item quòd prædicti Judices Causarum de cætero nullo modo eligantur, nisi ex iis Patribus, qui sunt de corpore Capituli, quos omnes & singulos habiles, & idoneos ad ejusmodi officium indifferenter haberi volumus & declaramus; In eorum verò electione suffragium ferant omnes & singuli, qui vigore Constitutionum, Statutorum, Declarationum, vel Privilegii, seu aliàs vocem activam ad Provincialis electionem proximè futuram pro illo tunc habuerint, seu in quasi possessione eligendi fuerint; irritum ac inane ipso facto & absque alia declaratione decernentes, si secùs super his quovis modo fieri vel attentari contigerit.

De modo eligendi Definitores.

III. Statuimus præterea, ac juxtà prædicta Decreta Pauli Quinti, & Sacræ Visitationis Apostolicæ volumus & ordinamus, ut electio quatuor Definitorum actualium, non solùm per schedulas secretas, sed etiam Canonicè in posterum fiat; Ac insuper ut tres Definitores additi, seu in supplementum ab omnibus Electoribus, eadem unicâ suffragatione ac iisdemmet schedulis secretis, quibus prædicti quatuor Definitores actuales eliguntur, de cætero eligantur: Si autem evenerit, quòd tàm prædicta electio quatuor Definitorum Actualium quàm Judicum Causarum, Patris Provincialis, Visitatorum Provinciæ, vel aliorum quorumcumque Officialium, qui Canonicè, ac per schedulas secretas sunt eligendi, prima vice non deprehendatur legitimè facta, & subsequuta; Tunc declaramus, & præcipimus, ut inviolabiliter observetur prædicta Constitutio Pauli Quinti, Nuper à Nobis. Ita ut solùm per scrutinium secretum schedularum, toties iterandum intrà tempus concessum Electoribus ad eligendum, quoties opus fuerit, hujusmodi electio, vel electiones de cætero fiant: Irritum, ac inane ipso facto, & absque alia declaratione decernentes, si secùs super his quovis modo fieri, vel attentari contigerit.

De Patris Præsidentis Judicumque Causarum jure circà privationem vocis activæ vel passivæ.

IV. Ut lites, & discordiæ, quæ circà auctoritatem, & jurisdictionem P. Præsidentis, & Judicum Causarum frequenter oriri solent, penitùs removeantur; Declaramus prædictos Patres nullam habere auctoritatem, seu jurisdictionem voce activa, vel passiva aliquem privandi, aut ab electione excludendi, neque novos processus ad hos effectus, vel ad aliquem eorum conficiendi, nisi solùm propter casus notorios, intrà duos menses ante electionem Patris Provincialis emergentes, & quatenùs Reo

nulla defensio etiam probabilis de jure competat, ac hujusmodi pœna, vel pœnæ ipso facto incurrantur, vel incursæ fuerint: Priores autem suspensos, & alios quoscumque Reos, qui à Patre Provinciali, & Definitoribus ante prædictos duos menses judicari definitivè non potuerunt, servatis servandis privare poterunt, dummodo tamen casus privationis sint in Constitutionibus expressi, & causa, vel causæ contrà eos judicialiter, & legitimè ad præscriptum Decreti sub numero 24. infrà positi, per Patrem Provincialem, vel per alium legitimam auctoritatem habentem actitatæ & conclusæ, ad Sententiam sint: Aliàs si adversùs aliquem ex Patribus vocem activam, vel passivam habentibus, quæcunque aliæ causæ, informationes, denunciationes, accusationes, vel protestationes deduci contigerit, cùm tempore electionis dolosæ, ac malitiosæ præsumantur, & intrà brevissimum horarum terminum novi processus prout de Jure, & præcipuè circà hujusmodi causas, utpotè altiorem requirentes indaginem, judicialiter substantiari, assertique Rei sinè eorum, ac etiam electionis præjudicio privari, vel ab electione excludi, aut privati, vel excluſi declarari non possint; Eas omnes, & singulas ad præscriptum Nostrarum Constitutionum. *3. p. c. 7. numer. 2. §. 1.* Definitorio scilicet noviter eligendo referant. Et nihilominùs ad electionem, & electiones sub protestatione admittantur; Irritum, ac inane ipso facto, & absque aliâ declaratione decernentes quidquid secùs super his quovis modo fieri vel attentari contigerit: Undè verba illa prædictarum Constitutionum ibidem, Ac de habentibus vocem tàm activam, quàm passivam, omnem controversiam dirimant; Et illa §. 4. ejusdem capitis, Si quis noverit causam, propter quam vocem quis activam, vel passivam habere non debeat in præsenti Capitulo, eam referat Judicibus causarum; Conformiter ad hanc declarationem intelligenda esse declaramus, consequenterque omnes, & singulas electiones, quæ sub hujusmodi declaratione in posterum celebratæ fuerint, juxta verba ejusdem Textus sinè vitio, & nullitate quoad hanc partem pertransire, etiam declaramus.

De Vocalium numero & reelectionum motivis exprimendis & adnotandis.

V. Ne Canonica Patris Provincialis electio ob incertitudinem facti possit aliquando in dubium revocari, volumus & præcipimus Patribus Definitorii, ut numerum Vocalium, qui ad electionem activè concurrerunt, & quot favorabilia suffragia quisque passivè ad eam concurrens pro se habuerit, clarè & fideliter exprimant in actis Capituli, quæ ad Nos, & Successores Nostros pro confirmatione obtinendâ mittuntur; in quibus etiam diligenter & expressè adnotari mandamus causas, & motiva reelectionum Priorum, si aliquando eorum aliquem in casibus per Constitutiones permissis *3. p. 2. §. 9.* in Priorem ejusdem Conventus reeligi contigerit; secùs reelectionem ex nunc prout ex tunc irritamus & annullamus, irritamque & annullatam esse volumus & declaramus.

De tempore durationis Definitorii Capituli Provincialis.

VI. Ut communia & particularia Provinciæ causæ & negotia, maturâ, quâ par est expediantur consideratione, & Definitorii Patres ad præscriptum nostrarum Constitutionum *3. p. c. 7. num. 15. §. 3.* nihil indefinitum relinquant, quatenùs omnibus ritè ordinatis, Provincia tota usque ad sequens Capitulum Provinciale quiescere valeat in sanctâ pace: quindecim eisdem dies pro termino præfixo assignamus, quibus causæ & negotia ad eos delata examinare, determinare & expedire possint & debeant; non tamen ultrà prædictos quindecim dies Definitorium Capituli Provinciali extendi volumus, non obstante quocumque Decreto, vel consuetudine in contrarium, sed eo elapso tempore idem conclusum & absolutum, ac Patris Præsidentis jurisdictionem ipso facto extinctam esse decernimus & declaramus: Quod si Pater Præsidens ultrà præfinitum quindecim dierum terminum Definitorium protrahere præsumpserit, pœnam privationis utriusque vocis per decennium ipso facto incurrat, nullumque ac irritum sit, quidquid gestum vel attentatum fuerit: Porrò si aliqua causa sese offerat, quæ ob gravia motiva tàm citò nequeat expediri, Definitorio privato deferatur, cui Definitorio præsentium statutorum, atque Declarationum vigore, omnis facultas desuper necessaria & opportuna, perpetuò datur, & data declaratur, quatenus eam prout de jure examinet & determinet, examinareque & determinare teneatur.

De quatuor Definitoribus à Capitulo privato non excludendis, à Conventu Quitensi non exiliandis nec ad alia officia promovendis.

VII. Statuimus item, ac decernimus, quod Pater Provincialis causas graves, vel gravia negotia communia, vel particularia, quæ extrà tempus Capituli, vel Congregationis Provincialis fuerint determinanda, vel expedienda, nisi cùm quatuor Definitoribus actualibus dumtaxat, ac sub formâ Capituli privati congregatis nullatenus determinare, vel expedire possit; nec aliquo, vel aliquibus ex prædictis quatuor Definitoribus Actualibus exclusis, vel non admissis Capitulum privatum per se, vel per alium celebrare valeat, sed ad illius celebrationem, omnes & singulos prædictos quatuor Definitores, sub pœnâ nullitatis agendorum ipso facto, & absque aliâ declaratione incurrenda convocare, & admittere teneatur; quod ut faciliùs exequi possit, non obstante supplicatione per Provinciam Nobis exhibitâ, confirmamus & innovamus, ac omninò observari jubemus Reverendissimi Valvasorii Prædecessoris Nostri Decretum, quo statuitur, ut in Conventu Quitensi omnes Definitores de Familiâ degant, à quo prædicto Conventu decernimus ut nullum ex prædictis quatuor Definitoribus Pater Provincialis, etiam ad breve tempus, sub pœnâ privationis vocis activæ, & passivæ per quinquennium ipso facto incurrendâ, ullo modo removere, vel exiliare possit. Si tamen quis eorum, convalescentiæ, aut honestæ recreationis causâ ad aliquem viciniorem locum ire postulaverit, eidem ad necessarium, vel ad breve tempus respectivè, hujusmodi licentiam concedere poterit; & ut prædicti Patres Definitores suam auctoritatem, & potestatem etiam in judicando liberiùs exercere possint & valeant, prohibemus P. Præsidenti Capituli, Patri Provinciali, & aliis Patribus cujuscunque Definitorii etiam Capituli Provincialis, nec Superioribus etiam Localibus sub prædicta pœna privationis vocis activæ, & passivæ, ne ad aliquod officium, vel ministerium etiam non electivum, tùm cùm curâ Animarum etiam Indorum, tùm sinè illâ, etiam sub titulo Vicarii Visitatoris, vel Administratoris, vel sub alio quocunque titulo, vel nomine aliquem, vel aliquos ex prædictis quatuor Definitoribus respectivè promoveant, vel provideant, nec ipsi Definitores, vel aliquis eorum sub eâdem pœnâ privationis, promotionem, vel provisionem aliquam ullo modo acceptent, vel exerceant: Irritum insuper ac inane ipso facto, & absque aliâ declaratione decernentes quicquid in contrarium quovis modo fieri, vel attentari contigerit.

De Patre Provinciali, Definitoribus aliisque Patribus nominatis non nisi in Definitorio Capituli

VIII. Provincialem processari, officio privari aut ab eodem suspendi, vel aliâ puniri pœnâ etiam per sententiam declaratoriam non posse declaramus, nisi in Definitorio Capituli Provincialis, vel Congregationis intermediæ; De iis enim dumtaxat, non verò de Definitorio Capituli privati intelligendum esse declaramus

Defi-

Provincialis, aut Congregationis intermediæ proceſſandis & ſuſpendendis.

Definitorium Provinciæ, à quo noſtræ Sacræ Conſtitutiones 3. *p. c.* 11. §. 9. Provincialem puniendum decernunt. Hinc revocandum cenſemus, prout cùm effectu revocamus Decretum Reverendiſſimi Valvaſorii Prædeceſſoris noſtri, quo pro punitione P. Provincialis Definitorium Capituli privati octo Patrum ſtabilivit; inſuper privationis, ſuſpenſionis, vel aliam reſpectivè pœnam, ut ſuprà, Provincialis non ſubeat, niſi juris ordine ſervato ob exceſſus, vel caſus pro ipſius privatione, vel ſuſpenſione in Conſtitutionibus expreſſos; propter quosmet-ipſos dumtaxat exceſſus, vel caſus reſpectivè, ac in Definitorio Capituli Provincialis, vel Congregationis intermediæ tantum (ut de Patre Provinciali dictum eſt) Patres Definitores, Exprovincialem immediatum, Expræſidentem immediatum, & Viſitatores Provinciæ proceſſari, voceque, officiis, aut gradibus, juris tamen ordine ſervato, ſuſpendi, vel privari, aut ſuſpenſos, vel privatos declarari poſſe, etiam declaramus: irritum, ac inane ipſo facto, & abſque aliâ declaratione decernentes, quidquid propter alios exceſſus, vel caſus, aut alio tempore, ſeu juris ordine non ſervato, contrà Patrem Provincialem, cæteroſque, & ſingulos nominatos Patres fieri, vel attentari contigerit; Verba namque Conſtitutionum 3. *p. c.* 12. §. 20. ibi: Prior Provincialis poterit eos (ſcilicet Viſitatores) corrigere & punire, de correctione, & punitione regulari ad pœnitentiam, extrajudicialiterque imponendis, & non aliter, neque alio modo intelligenda eſſe declaramus. Verùm cùm prædictis Patribus in Definitorio novi, ac immediati Capituli Provincialis, utpotè ſuorum officiorum tempore jam completo, prædictæ pœnæ privationis, ſuſpenſionis, vel depoſitionis ab officiis nullatenus imponi poſſint, prædictum Definitorium Capituli Provincialis recenſitas pœnas, juxta exceſſûs tamen qualitatem, commutare debebit in privationem privilegiorum, vocis, vel in alias reſpectivè pœnas indiſpenſabiliter ſubeundas.

De Definitoribus ſubrogandis & ſubrogatorum jure.

IX. Si quis Definitorum ex hâc vitâ migraverit, vel inevitabili aliquo præpeditus impedimento, munus ſuum exercere non potuerit, aut illi juſtis ex cauſis renunciaverit; tunc ſinè morâ primus Definitor ex tribus additis, ille ſcilicet, qui cæteris plura ſuffragia in eorum electione habuit, etiamſi omnes tres majorem partem omnium ſuffragiorum habuerint, & in paritate, ſeu æqualitate ſuffragiorum, antiquior gradu, & ſi graduati non fuerint, Profeſſione antiquior; conformiter ad noſtras ſacras Conſtitutiones 3. *p. c.* 7. *n.* 5. §. 1. & eadem 3. *p. c.* 8. §. 3. ejus loco ſubrogetur, illoque deficiente, ſecundus, & poſteà tertius eodem ordine ſervato, quod etiam in ſimilibus, & in aliis quibuſcumque caſibus ſubrogandi, ſeu ſupplendi emergentibus omninò obſervetur ac fiat: Quod ſi nullus eorum inveniatur, recurſus habeatur ad antiquiorem ex quatuor Definitoribus quadriennii immediatè præteriti, illoque deficiente, ad illi immediatum &c. & omnibus prædictis quatuor deficientibus, ad unum ex Definitoribus additis ejusdem quadriennii, ſupradicto ordine omninò ſervato, ſicque retrocedatur ad alia Capitula præterita, donec integretur numerus quatuor Definitorum, non obſtante ſupplicatione Provinciæ in contrarium nobis factâ; qui verò non ad cauſam, vel cauſas particulares, ut in caſu diſcordiæ, vel recuſationis contingere poteſt, ſed ad Univerſitatem cauſarum pro hujuſmodi ſubrogatione Definitorium ingreditur, numerumque quatuor Definitorum actu exercentium conſtituit; confirmantes, & quatenus opus ſit, innovantes Declarationes Reverendiſſimorum Patrum, voce, loco, cæteriſque, ſubrogatione durante, gaudeat exemptionibus, & privilegiis abique ullâ prorsùs differentiâ, quibus Definitores actuales in Capitulo Provinciali electi gaudent, & ſi omnibus iſtis antiquior ſit, & caſus emerſerit, quòd nullus in Præſidentem Capituli Provincialis, per litteras Patris Generalis deputetur, ipſe tanquàm primus Definitor (licèt ſubrogatus) Præſidentiâ potiri debebit conformiter ad noſtras ſacras Conſtitutiones 3. *p. c.* 7. *n.* 1. §. 4. Et ſi ſecùs ſuper his quovis modo fieri, vel attentari contigerit, totum ſit irritum, & inane ipſo facto, & absque aliâ declaratione.

De Suffragatione Definitorum tum ſecretâ tum publicâ.

X. Omnes & ſingulos Patres Definitorii in omnibus & ſingulis cauſis, vel negotiis in Definitorio etiam privato ſententiandis, ſeu quomodocunque pertractandis, vel determinandis, ſemper habere vota deciſiva declarantes, decernimus, quod ſi aliquis eorum pro ſuffragatione ſecretâ inſtantiam fecerit, per ballotulas ſecretas omninò fiat ſub pœnâ nullitatis agendorum ipſo facto, & abſque aliâ declaratione: Inhibentes præterea Patribus, Præſidenti Capituli, Provinciali, & alteri cuicunque ſub pœnâ privationis utriuſque vocis per quinquennium ipſo facto incurrendâ, ne in Definitoriis etiam privatis, quorum Præſidentia in eos reſpectivè pertineat, per ſe, vel per alium liberam, & independentem Patrum Definitorii ſuffragationem publicam, vel ſecretam, quovis modo impediant, neque ad ſuum ſenſum eorumdem vota extorquere attentent; Et ſi in puncto Juris prædicti Patres, vel aliquis eorum difficultatem aliquam habuerint, conſultum cum Advocatis, ſeu Juriſperitis etiam ſecularibus habere poſſint & valeant.

De majori parte in ſententiis faciendis ſequenda & de obſervandis in caſu diſcordiæ.

XI. Ut quodcunque Definitorium, vel Tribunal etiam Capituli Provincialis, vel privati, in ſuis judiciis, vel congreſſibus ſententiam, vel determinationem faciat, facereque intelligatur, majorem partem omnium votorum reſpectivè conſentire, & concurrere debere; nec non prædictæ majori parti minorem cedere, ac ſententiæ, vel determinationi factæ ſubſcribere teneri, etiamſi Præſidens Capituli, vel Pater Provincialis pro dictâ minori parte ſteterit, volumus, decernimus & declaramus; in caſu verò diſcordiæ, ut vocant, ſi in quocunque Definitorio oriri contigerit, pro eâ tollendâ vocetur & admittatur ille Definitor additus, qui in caſu ſupplementi pro integrando Definitorio primo vocari, & admitti deberet; & ſi hujuſmodi vocatio quâcunque ex causâ effectum non ſortiatur, vel diſcordia adhuc ablata non fuerit, recurſus tunc habeatur ad alium, & alium Definitorem additum &c. conformiter ad Decretum ſub *numer.* 9. ſuprà poſitum, donec prædicta diſcordia ceſſet, ſententiaque, vel determinatio à majori parte fiat: Si autem in Tribunali Præſidentis Capituli, & Judicum cauſarum prædicta diſcordia oriatur, pro eâ tollendâ vocetur, & admittatur Pater Provincialis, ſeu Rector Provinciæ; & ſi hujuſmodi vocatio quâcunque ex causâ effectum ſimiliter non ſortiatur, vel diſcordia adhuc ablata non fuerit, recurſus tunc habeatur, primò ad Definitores actuales ſuo ordine, poſteà ad additos, donec prædicta diſcordia ceſſet, ſententiaque, vel determinatio à majori parte, ut ſuprà fiat: Et ſi ſecùs ſuper his quovis modo fieri vel attentari contigerit, totum ſit irritum, ac inane ipſo facto, & abſque aliâ Declaratione.

De Patribus vocem acti-

XII. Cùm per noſtras Sacras Conſtitutiones 3. *pag.* 10. §. 3. cautum ſit, ne Ca-

vam vel passivam habentibus eâ voce intrà tempus nominatû non privandis.

pitulum privatum Priorem aliquem intrà duos menses ante Capitulum Provinciale, & intrà duos alios antè Congregationem intermediam Prioratus officio privare possit, prohibitionem hujusmodi, etiàm respectu omnium, & singulorum Patrum vocem activam, vel passivam habentium, & non solùm per sententiam condemnatoriam, sed etiam declaratoriam intelligendam esse declaramus; ita ut prædictum Definitorium privatum nullum Patrem, cui ratione gradus, officii, vel aliàs vox activa, vel passiva competat, prædictâ voce activâ, vel passivâ, gradu, vel officio intrà duos menses ante Capitulum Provinciale, & intrà duos alios ante Congregationem intermediam privare, nec privatum declarare ullo modo possit: Neque cum aliquis semel electus, & confirmatus à Patribus cujuscunque Definitorii respectivè fuerit, electionem confirmatam tanquàm nullam declarare intrà prædictos duos menses valeat. Et si secùs super his fieri, vel attentari contigerit, totum sit irritum, & inane ipso facto, & absque aliâ declaratione, & tàm Pater Provincialis quàm Definitores pœnam privationis utriusque vocis per quinquennium ipso facto incurrant.

De Priorum Localium gubernio, prædiis, fructibus & reditibus Conventuum per Patrem Provincialem non administrandis, & de Administratorum subrogatione.

XIII. Volumus insuper, & decernimus, quòd Pater Provincialis in attinentibus ad primam instantiam, & gubernium immediatum, & ordinarium Superiorum Localium nullo modo se intromittere possit, præterquàm in casibus à jure permissis, cui insuper præcipimus sub pœnâ privationis vocis activæ, & passivæ per quinquennium ipso facto incurrendâ, ne administrationem prædiorum, fructuum & redituum Conventuum undequaque provenientium per se, vel per alios, directè, vel indirectè, sub nullo prætextu, motivo vel titulo sibi arrogare, seu adjudicare audeat; quod si inter visitandum Regularem, vel secularem Administratorem prædii, vel prædiorum removendum justis ex causis invenerit, & cum effectu removeat; tunc sub eâdem pœnâ privationis vocis eidem Patri Provinciali inhibemus, ne in provisione novi Administratoris ullo modo se ingerat, sed certiorem faciat Superiorem Localem conventus, ad quem tale Prædium, seu Prædia spectant, ut ipse Superior Localis de consensu Patrum Consilii de alio, seu de aliis Administratoribus provideat: In casu præterea quo à gravamine Prioris Localis ad P. Provincialem appellatio interponatur, volumus, & declaramus hujusmodi causam à P. Provinciali, & Definitoribus saltem in Capitulo privato etiam intrà bimestre, non tamen post recognitionem P. Præsidentis, prout de jure cognoscendam, & determinandam esse; Et si secùs super his fieri, vel attentari contigerit, totum sit irritum, & inane ipso facto, & absque aliâ declaratione.

De Visitationibus præter duas Generales ordinarias à P. Provinciali non faciendis, de juribus quæ ipsis competant & non competant.

XIV. Generalem aliquam vel particularem visitationem P. Provincialis sub quovis prætextu, vel motivo facere non possit, præter duas visitationes generales totius Provinciæ, quas intrà quadriennium, unam scilicet singulo biennio sui Provincialatus facere debet; Ita verò in Conventu Quitensi intrà quindecim dierum, & in singulis aliis Conventibus, doctrinis, ac prædiis intrà decem dierum terminum concludere omninò teneatur, intrà quem terminum si aliquem Superiorem Localem propter casus in Constitutionibus expressos dignum suspensione invenerit, eumdem etiam extrajudicialiter procedens, & ad præscriptum prædictarum Constitutionum 3. p. c. 12. & 15. f. 13. §. 17. ab officio suspendere poterit: Quod si in prædictis visitationibus summariè, vel aliàs inveniat aliquem Superiorem vel inferiorem in quâcumque causâ civili, vel criminali judicialiter, & compilato processu audiendum esse; Tunc tanquàm Judex, & extrà formalitatem visitationis causam, vel causas, tùm intrà, tum extrà prædictum terminum visitationis prout de jure cognoscet ad præscriptum Decreti sub numero 24. infrà positi: De causis verò, judiciis, vel negotiis, tùm civilibus, tùm criminalibus aliàs judicatis, conclusis, vel determinatis, nec non de quibuscumque sententiis in judicatum translatis, præcipuè absolutoriis inquirere, eave movere, suscitare, vel recognoscere, etiam ad instantiam partis nullatenus possit: Item per se solus tàm intrà, quàm extrà terminum prædictæ visitationis Patrem aliquem, cui ex gradu, vel officio, seu aliàs vox activa in Capitulis Provincialibus, seu in aliis quibuscunque electionibus competat, prædictâ voce, gradu, vel officio etiam per sententiam declaratoriam privare, aut titulo suspensionis, vel sub quocunque motivo, vel prætextu, etiam quod Reus, vel processatus existat, ab eâdem voce, gradu, officio, vel electione, directè, vel indirectè, mediatè, vel immediatè excludere nullo modo possit; Sed si prædictâ voce, gradu, vel officio propter quodcunque motivum, vel causam carere debeat; Tunc servatis servandis per sententiam condemnatoriam, vel declaratoriam à Definitorio saltem Capituli privati, prout de jure ferendam, respectivè privetur, vel privatus declaretur, aut ab electione excludatur, & non aliter, neque alio modo; Quod si Pater Provincialis contrarium super his quovis modo facere, vel attentare præsumpserit, totum sit irritum, ac inane ipso facto, & absque aliâ declaratione, privationemque utriusque vocis per quinquennium ipso facto incurrat.

De ratione Religiosos exiliandi & removendi, & de jure exiliatis reservato.

XV. Quoties Provincialis, vel quicumque alius Superior sententialiter, vel provisionaliter Religiosum aliquem à Conventu Curatu Indorum, vel prædio removerit, vel in exilium miserit, teneatur sub pœnâ privationis utriusque vocis per quinquennium, eumdem Religiosum de ejus discessu per tres dies ad minus ante remotionis, vel exilii exequutionem præmonere, ut ad Conventum, seu locum sibi destinatum possit honestè accedere: Volumus præterea ac decernimus, quod si aliquis, vel aliqui ex Patribus Vocalibus, vel Definitorii à Conventu, in quo Capitulum Provinciale, Congregatio intermedia, vel aliud quodcunque Definitorium fuerint celebranda, etiam per sententiam declaratoriam in exilium mittatur, vel missus fuerit, non obstantibus prædicto exilio, & quibuscunque aliis, ad eundem Conventum tempore celebrationis Capituli Provincialis, Congregationis intermediæ vel Definitorii pro suffragio ferendo, vel in Definitorio jurisdictionem exercendo liberè & licitè accedere possit & valeat; nec Pater Provincialis, aut quicumque alius eundem à tali accessu ullo modo impedire possit sub pœnâ privationis utriusque vocis per quinquennium ipso facto incurrendâ: Capitulo autem Provinciali, vel Congregatione intermediâ, vel Definitorio, seu Definitoriis, finito, seu finitis statim recedat, & exilium servet.

De convocandis ad Capitulum Provinciale, & Congregationem intermediam, deque hâc nullatenùs prorogandâ.

XVI. Per convocatoriam, quæ à P. Provinciali, vel à quolibet alio Superiori pro Capitulo Provinciali, Congregatione intermediâ, vel aliâ quâcunque electione fieri solet, convocatos intelligi volumus, & declaramus, omnes & singulos in habitu, vel actu vigore Constitutionum, vel privilegii, aut quasi possessionis, ad Præscriptum Decreti sub *num.* 2. suprà positi in iisdem jus eligendi habentes, respectu quorum nulla fieri possit prohibitio, quæ si fiat pro nullâ habeatur, eâque non obstante, ad Electionem, vel Definitorium accedere possint & debeant: Congregationem insuper intermediam Pa-

ter Provincialis, aut Rector Provinciæ nullo motivo, vel prætextu prorogare valeat, sed statuto tempore in medio quadriennii, die scilicet 24. Mensis Julii, prædictæ Congregationis primam sessionem per se, vel per alium celebrare teneatur, sub pœnis privationis utriusque vocis per quinquennium, nullitatisque agendorum ipso facto incurrendis.

De P. Exprovinciali Judicio Syndicatus à Definitorio Capituli Provincialis vel privati judicando.

XVII. Provincialis, seu Rector Provinciæ, elapso sui officii tempore, coram Definitorio Capituli Provincialis stare teneatur judicio Syndicatus, seu (ut vocant) Residentiæ: Prædictum autem Definitorium privativè quoad aliam quamcunque auctoritatem, vel jurisdictionem etiam Patris Provincialis, & Congregationis intermediæ, tùm ad instantiam partium, tùm ex officio, de excessibus Administrationis officii, nec non personalibus, durante officio commissis, prout de jure inquirere, judicare, & determinare teneatur: Verùm si aliqua, vel aliquæ contrà Patrem Exprovincialem, aut Rectorem Provinciæ deferantur causæ, quæ à Definitorio Capituli Provincialis intra quindecim dies suæ durationis definiri nequeant, Definitorio Capituli privati, cui præsentium statutorum atque declarationum vigore omnis facultas desuper necessaria, & opportuna perpetuò conceditur, & concessa declaratur, deferantur; quatenùs intrà terminum præcisum duorum mensium causam, vel causas sibi delatas, prout juris fuerit, finiat, & determinet, finireque, & determinare omninò teneatur: Exprovincialis autem, vel Lector Provinciæ quousque judicium Syndicatus sententialiter absolutum non fuerit, ad quæcumque officia etiam minima inhabilis omninò remaneat.

De alterius Provinciæ Religiosorum affiliatione

XVIII. Quandocunque contigerit Religiosos alterius Provinciæ Alumnos huic Provinciæ Quitensi affiliari; tunc confirmantes, & partim moderantes Decreta Reverendissimorum Patrum in prædictâ Provinciâ admissa, nec non juxtà Decreta Capituli Generalis celebrati anno 1661. tam licentiam à P. Reverendissimo Generali in scriptis habendam, quàm consensum authenticum utriusque Definitorii saltem privati unius, & alterius Provinciæ, à quâ scilicet & ad quam pro validitate affiliationis, omninò interveniri debere decernimus, & declaramus, secùs affiliatio irrita & nulla sit, ipso facto, & absque aliâ declaratione: Nullus item alterius Provinciæ, nisi priùs eidem legitimè affiliatus sit, neque aliquis ex noviter affiliatis, vel in posterùm affiliandis, nisi triennio transacto à die legitimæ affiliationis in Definitorem, vel Visitatorem, Regentem, Secretarium, Doctrinarium, Priorem, seu Vicarium cujuscumque Conventus, vel Domus etiam Indorum, vel Prædii eligi, aut deputari possit; secùs electio, vel deputatio irrita, & nulla sit, ipso facto & absque aliâ declaratione.

De officii renunciatione coràm Definitorio Capituli Provincialis seu privati faciendâ & justificandâ.

XIX. Si P. Provincialis, aut quilibet alius ex novem Definitorii Patribus legitimâ ex causâ, officio suo semel acceptato renunciare voluerit, coram Definitorio Capituli Provincialis, vel Congregationis intermediæ id facere licitè possit & valeat; Prædictum autem Definitorium causâ renunciationis approbatâ, renunciationeque acceptatâ, ut defectus renunciationis suppleatur, prout de jure omninò procedere teneatur: Patres item Priores, Vicarii Priores, studiorum Regentes, Provinciæque Secretarius, si causam legitimam renunciandi suis officiis semel acceptatis similiter habuerint, & eisdem renunciare licitè possint & valeant, non tamen per sex menses antè tempus Congregationis intermediæ; Quocircà Textum nostrarum Constitutionum 3. p. cap. 7. numer. 17. §. 3. ibi: Si verò Prioratus officium acceptare renuerit sinè causâ prædictâ, quam judicare tenentur Pater Provincialis, & Definitores idem intelligendum esse declarantes, etiam respectu eorum, qui prædictis officiis semel acceptatis renunciare voluerint; Decernimus & declaramus, hujusmodi Patres suas renunciationes coràm Patre Provinciali & Definitoribus actualibus, in Definitorio saltem Capituli privati congregatis facere teneri; ad quod Definitorium causæ, vel causarum renunciationis approbationem, prædictæque renunciationis acceptationem, nec non si post Congregationem intermediam renunciatio acceptari contigerit, Electionem, seu Provisionem alterius Officialis in locum renuncians sufficiendi, ad præscriptum earundem Constitutionum 3. p. cap. 9. duraturam pleno jure pertinere similiter declaramus; & si secùs super his fieri, vel attentari contigerit, totum sit irritum, & inane ipso facto, & absque aliâ declaratione: Verba autem Constitutionum 3. p. cap. 2. §. 5. ibi: Nullus item possit voci suæ renunciare sub pœnâ privationis vocis activæ per biennium: de renunciatione solius vocis, ut prædicta verba sonant, non autem de renunciatione officiorum intelligenda esse declaramus, & non aliter, neque alio modo.

De appellatione ad Definitorium Capituli privati in casu injustitiæ notoriæ, & de personis graduatis extrà casus in Constitutionibus expressos gradu non privandis.

XX. Si quis autem in quibuscunque causis civilibus, vel criminalibus à Definitorio Capituli Provincialis, vel Congregationis intermediæ nulliter, aut cùm injustitiâ notoriâ judicatus, vel spoliatus fuerit, ad remediaque juris (absolutis prædictis Definitoriis) recurrere voluerit; tunc per se, vel per ejus Procuratorem, etiamsi absens fuerit, coram Definitorio Capituli privati, de prædictâ nullitate vel injustitiâ notoriâ, processus, vel sententiæ, nec non restitutionem in integrum dicere, conqueri, & postulare legitimè possit & valeat; Verba namque nostrarum Constitutionum 3. p. c. 10. §. 3. ibi: Non tamen poterunt sententias, vel determinationes Capituli, vel Congregationis Provincialis mutare, vel alterare, in casibus spolii, vel nullitatis, aut injustitiæ notoriæ locum non habent, neque eos comprehendunt, & ita intelligendum esse declaramus Capitulum verò privatum etiam cum facultate desuper necessariâ & opportunâ, quæ vigore præsentium statutorum atque declarationum ei perpetuò conceditur, & concessa declaratur, quoad prædictam nullitatem, vel injustitiam notoriam, ac etiam quoad spoliati restitutionem usque ad sententiam definitivam, prout juris fuerit, procedere omninò teneatur, quod etiam in simili eventu P. Præsidentem & Judices causarum facere posse declaramus: Magistri propterea & præsentati, semel à Provinciâ acceptati, gradibus Magisterii, vel Præsentaturæ seu aliquo ex eorum privilegiis nullo modo possint suspendi, vel privari, aut suspensi, vel privati declarari, nisi propter casus dumtaxat pro eorum privatione vel suspensione in Constitutionibus expressos, & per sententiam à Definitorio Capituli saltem privati, juris ordine servato proferendam; Et si contrarium super his fieri, vel attentari contigerit, totum sit irritum & inane ipso facto, & absque aliâ declaratione: Præfati insuper Magistri à Provinciâ acceptati, quoad habilitatem ad officium Provincialatus, absque eo quod Conventuum Priores aliquando extiterint, confirmantes & innovantes declarationem Reverendissimi Valvasorii Prædecessoris nostri, eo quod omnes actu legerint & docuerint, privilegio Regentium gaudeant & potiantur,

De Vicariis Prioribus pro lubitu non removendis de eorundem residentia & de Electione Vicariorum Conventuum in eorum absentia.

XXI. Vicarii Priores, qui loco Priorum, vel Vicariorum Titularium, cum voto, vel antè, vel post Congregationem intermediam quomodolibet eligentur, vel providentur, nullo modo ad libitum removeri possint, sed si motiva adsint privationis, vel declarationis privationis,

contrà eos procedendum esse declaramus eodem modo & formâ præscriptis in Constitutionibus 3. *p. c.* 13. §. 17. & in Decreto sub *n.* 24. infrà posito; irritum, ac inane ipso facto, & absque alia declaratione decernentes, quidquid secùs fieri, vel attentari contigerit; Innovantes prætereà, & ampliantes Decretum Reverendissimi Lanfraconii pro eâdem Provinciâ Quitensi emanatum, præcipimus omnibus & singulis Prioribus, & Vicariis Prioribus in Capitulo Provinciali, seù aliàs electis, vel provisis sub pœnis privationis prædictorum officiorum, ac inhabilitatis ad illa & alia in posterum per quinquennium obtinenda, ut in Conventibus, Doctrinis, vel Prædiis, pro quibus sunt electi, vel provisi ad præscriptum Constitutionum 3. *p. c.* 13. §. 9. omninò residere teneantur; Paterque Provincialis, seu Rector Provinciæ, vel alius quicunque Superior sub pœnâ privationis utriusque vocis per quinquennium ipso facto incurrenda eisdem, vel alicui eorum nullo modo residentiam impediant, sed eos ad ita residendum cum effectu respectivè compellant: Et cùm Priores, seu Vicarii Priores ad Capitulum Provinciale ire debent, prædictus Provincialis, seu Rector Provinciæ sub eâdem pœnâ privationis de Vicariis, qui Conventibus interim præsint, excepto unico casu in Constitutionibus expresso 3. *p. c.* 20. §. 1. nullo modo provideant, sed conformiter ad dispositionem ejusdem *cap.* 20. si prædicti Conventus Suppriorem non habuerint, Vicarii eligantur; Nec sub eâdem pœnâ privationis, auctoritatem, & gubernium interimarium Supprioris, vel in ejus deficientiâ prædictas electiones valeant impedire, vel secùs super his quovis modo audeant attentare.

De iis quæ in dicto casu circà suffragationẽ secretam & sententiam faciendâ sunt observanda.

XXII. Quotiescunque juxtà præscriptum nostrarum Constitutionum Superior Localis ad aliquam causam, vel negotium pertractandum Patribus Consiliariis uti debet; (inter quos semper connumerari debere declaramus, & præcipimus studiorum Regentes, & Lectores Sacræ Theologiæ, & Artium, tàm actuales, quàm jubilatos) tunc omnes, & singulos Patres Consiliarios vota decisiva habere declarantes, decernimus, quod si aliquis eorum pro suffragatione secretâ instantiam fecerit, per ballotulas secretas omninò fiat, & in omni eventu, nisi eorum major pars concurrat, & consentiat, sententia, vel resolutio nullo modo sit, neque intelligatur facta: Superior verò sub pœnis privationis utriusque vocis per quinquennium, & nullitatis agendorum ipso facto incurrendis, neque liberam Patrum suffragationem publicam, vel secretam valeat quovis modo impedire, neque eorundem vota ad ejus sensum extorquere.

De judicialiter reclamante, voce & officio privando, & quâ ratione recipiendo.

XXIII. Si quis in posterum contrà suam Professionem judicialiter reclamaverit, vel de ejus nullitate dixerit, à quocunque officio, quod pro tunc habuerit, ipso facto sit absolutus & privatus, liteque seu reclamatione durante, nec vocem activam, nec passivam ullo modo habeat: Et si in quocunque statu causæ, vel post sententiam definitivam, etiam in judicatum transfatam ad matrem suam Religionem redire velit, charitativè quidem recipiatur; ita tamen ut si facto processu ad præscriptum Decreti sub *n.* 24. infrà positi legitimè constiterit, indebitè, ac malitiosè, & præsertim ad se subtrahendum à correctione Superioris contrà professionem reclamasse, vel de ejus nullitate dixisse; Si Graduatus, vel Sacerdos tantùm fuerit, locum novissimum inter Graduatos, vel Sacerdotes per annum respectivè habeat, & utràque voce careat per biennium: Si verò non Sacerdos, sivè Choristа, ut vocant, fuerit, pœnam gravioris culpæ per unum mensem sustineat, & ad Sacros Ordines etiamsi in eis initiatus fuerit, per triennium nullo modo promoveatur: Et si tandem Laicus fuerit, eamdem pœnam gravioris culpæ per unum mensem subeat, & locum novissimum teneat per biennium.

De modo quo P. Provincialis in causis quibuscunque judicandis pœnisque imponendis etiam tempore Visitationis procedere debeat.

XXIV. Cum P. Provincialis, etiam tempore Visitationis in quibuscumque causis civilibus, vel criminalibus procedit, seu procedere intendit ad imponendum, etiam per sententiam declaratoriam, pœnam, vel pœnas graviores ordinarias, scilicet privationis vocis activæ vel passivæ, Dignitatis, Prioratus, Magisterii, Præsentaturæ, Officii vocem activam, vel curam Animarum habentis, gravissimæ culpæ triremium, exilii à Provinciâ, torturæ, infamiæ Apostasiæ conspirantis, Capitis factionum, incorrigibilitatis, & aliarum similium, vel formidabiliorum, aut infamiam Personæ Conventus, Provinciæ, vel Religionis inducentium; Insuper in illis causis, in quibus tractatur de exclusione, vel admissione, validitate, vel invaliditate alicujus Magisterii, vel Præsentaturæ, in aliisque similibus, vel gravioribus; Tunc prædictus P. Provincialis non tanquàm Visitator, nec sub ratione, & formalitate Visitationis (etsi actu in eâ fuerit) sed tamquàm Judex (præsuppositis tamen in Jure præsupponendis) judicialiter, & compilato processu, servatisque omnibus, & singulis substantialibus judicii ordinarii, in earum substantiatione, cognitione, & determinatione omninò procedere teneatur; Ita ut Reum, seu Reos, prout de jure etiam ad sententiam citet; Eos in omnibus, & singulis suis legitimis defensionibus, excusationibus & exceptionibus etiam contra Judicem, vel Judices, Testem, vel Testes prout de jure audiat; Eis integram copiam processus, nomina Testium & consultum habere cum Advocatis, seu Jurisperitis, etiam secularibus, si petierint, terminosque sufficientes pro suis defensionibus concedat; Conjudices verbo, vel scripto informare nullatenùs impediat; Cæteraque hujusmodi etiam circa habilitatem, juramentum, examen, & repetitionem Testium pro integritate judicii, & legitimâ efformatione probationum de jure necessariâ, (quæ probationes, ut ad pœnam vel pœnas præcipuè ordinarias Reus condemnari, vel in eas, aut in aliquam earum incursus declarari possit, plenæ, claræ, & concludentes habentur esse) omninò observet, & ad sententiam sinè plena cognitione causæ (prout ex parte suâ fuerit) nullo modo procedat, neque procedere possit: Appellationes insuper legitimas, etiam ex causa probabili debito tempore interpositas, (exceptis tamen quibusdam casibus particularibus de jure, & prout de jure excipiendis) quoad utrumque effectum, scilicet suspensivum, & devolutivum, in quantùm ad se attinuerit, admittat, easque sic admittere teneatur: Quam formam, modum & ordinem judicialiter procedendi, judicandi, etiam ci cà appellationis admissionem, alium quemcumque Superiorem ordinarium, vel delegatum, nec non quodcunque Tribunal, vel Definitorium, etiam Capituli Provincialis, respectivè observare teneri, decernimus & declaramus: Undè verba nostrarum Constitutionum 3. *p. c.* 12. §. 22. ibi: Appellationes à correctione Regulari, vel à præcepto sui Superioris penitùs inhibemus, & à nostro Ordine relegamus &c. & illa 6. *p. c.* 23. §. 2. ibi: Impositæ tamen pœnæ, quocunque modo imponantur, à subditis humiliter acceptentur, postpositâ omni appellatione; nam à correctionibus non licet Fratribus nostris appellare: De correctionibus, vel præceptis extrajudicialiter, & ad pœnitentiam impositis, modumque legitimè corrigendi, & præcipiendi non excedentibus intelligenda esse declaramus, & non aliter, neque alio modo: & si secùs super his à quoquam quâvis auctoritate scienter vei ignoranter fieri, vel attentari contigerit, totum sit irritum, & inane, nulliusque roboris, & momenti ipso facto, & absque aliâ declaratione.

De recusationibus

XXV. Recusationes malitiosæ, calumniosæ, frivo-

mittendis & rejiciendis, & quomodo in casu legitimæ recusationis procedendum

frivolæ, & frustatoriæ nullo modo admittantur, sed potiùs ita recusantes graviter, & prout de jure respectivè corrigantur & puniantur; Si tamen quicunque Superior tam intrà, quàm extrà terminum Visitationis judicialiter procedens, seu procedere intendens, legitimè recusari, etiam ex causâ probabili contingat; Tunc hujusmodi recusatione admissâ, circa probationem causæ, vel causarum prædictæ recusationis, nec non circa alia ipsam recusationem, ejusque judicium concernentia, vel attinentia; Ac insuper in omnibus, & singulis aliis casibus in nostris Sacris Constitutionibus omissis, & in casibus dubiis pro eorum doctrinali intelligentiâ, seu interpretatione, in eo interim quod Reverendissimi Patris responsum legitimè habeatur, prout de Jure Communi Canonico procedi, & ad illud respectivè recurri debere, volumus & declaramus: Verùm si Pater Præsidens intrà Definitorium Capituli Provincialis, vel P. Provincialis intra Definitoria Congregationis intermediæ, vel Capituli privati, legitimè coram eisdem Definitoriis recusari contigerit, Vicarios loco eorum nominare, vel substituere etiam sub motivo præsidendi minimè possint, sed in tali casu præsidentia Definitorii, quodcumque sit, Patri ex reliquis in ordine sedendi antiquiori pertineat, & tam in istis, quam in casu recusationis aliorum Conjudicum, dummodò tamen major pars Definitorii libera, & expedita maneat, nullus alius ad Definitorium loco recusati, vel recusantis vocetur, vel admittatur, sed plena jurisdictio, etiam quoad causam principalem in majori parte Conjudicum remanentium sit & permaneat, prout ita esse, & permanere volumus, & declaramus: Quod si major pars Definitorii, ut suprà non manserit, ita ut in Definitorio Capituli Provincialis, vel Congregationis intermediæ quinque, & in Definitorio Capituli privati tres ad minus Patres liberi, & expediti existant, Tunc pro prædictâ majori parte integrandâ, ad præscriptum Decreti sub *numer.* 9. supra positi inviolabiliter procedatur.

De Studiorum cursu pro obtinendis officiis absolvendo, de dimissoriis non concedendis & de recipiendis Apostatis.

XXVI. Nullus Religiosorum, qui à decem annis professionem in eâdem Quiti Provinciâ emiserit, vel emittet in posterum, in Definitorem, Visitatorem, Regentem, Secretarium, Doctrinarium, Concionatorem, Priorem, vel Vicarium Priorem etiam Indorum, vel prædii eligi possit, nisi per biennium integrum Artium, & per triennium Sacræ Theologiæ cursus compleverit. In Confessores verò eligi poterunt, dummodò in casibus conscientiæ sint sufficienter instructi: Si autem, qui ex aliis Provinciis à decem annis Quitensi Provinciæ sint affiliati, vel affiliabuntur in posterum, Definitorio per instrumenta authentica constare faciant, qualiter prædictos Artium, & Sacræ Theologiæ cursus in Provinciis à quibus sunt exfiliati perfecerint, alias sub pœnâ inhabilitatis ad recensita officia prædictos cursus in Provinciâ Quiti complere teneantur: Et ad vitandam omnem irregularitatis suspicionem in factis Ordinibus suscipiendis, præcipimus & mandamus R. P. Provinciali, seu Rectori Provinciali, nec non cuicunque Definitorio, etiam Capituli Provincialis ejusdem Provinciæ Quitensis nunc, & pro tempore existentibus, sub pœnis privationis utriusque vocis per decennium, ut ad Canones Sacro-Sancti Concilii Tridentini, Religiosis alterius Provinciæ, etiam cum licentiâ suorum Provincialium ad istam Quitensem divertentibus, nullo modo dimissorias ad Ordines sacros suscipiendos, etiamsi in eis initiati fuerint, de cætero concedant, cùm hujusmodi dimissoriæ à propriis, & non ab alienis Provincialibus concedendæ sint; animarumque præterea saluti consulentes, ob immanem terræ, marisque distantiam ab hâc Romanâ Curiâ, benignè concedimus Provinciali, seu Rectori Provinciali, & Definitoribus etiam Capituli privati prædictæ Provinciæ Quitensis nunc, & pro tempore existentibus, ut Religiosos suos Apostatas, etiamsi à multo tempore, ultra annum, à Conventu vel etiam à Provinciâ, immò & à Religione, non tamen à fide apostataverint, recipere possunt; servatis tamen quoad cætera dispensationibus nostrarum Constitutionum 6. *p. c.* 14. de Apostatis recipiendis.

De conditionibus obtinendi Lectoratus Artium & Theologiæ

XXVII. Ut debitum studiorum præmium benè meritis tribuatur, præcipimus, quod in Lectorem Artium nullus de cætero assumatur, nisi prius per integrum biennium Artium ad minus, & per quadriennium Thelogiæ Scholasticæ cursibus peractis, prævium rigorosum examen per oppositionem Lectionis 24. horarum coram P. Provinciali, Superiori Ordinario, Conventu, Magistris à Provincia acceptatis, studiorum Regente, Lectoribus tam actualibus, quàm jubilatis, & studiorum Magistro subeat, ac argumentis satisfactis, à majori parte prædictorum Patrum per suffragia secreta approbatus fuerit. Inter approbatos verò, cæteris præstantior pro primo Artium cursu legendo deputetur: Quod si æquales in Doctrinâ censeantur; antiquior in studiis scholasticis, & data in iis æqualitate, antiquior in professione aliis præferatur: Ad Lectoratus itidem Theologicos inter Artium Lectores, ille primò assumatur, qui antiquior est in Lectione Scholastica, in qua si pares sint, qui priùs Lector fuerit institutus, & si æquales in institutione inveniantur, ordo servetur professionis. Ei verò qui inverso ordine à Nobis præscripto ad Lectoris munus assumptus fuerit, annus, vel anni, quibus Artes, vel Theologiam, aut utramque Facultatem elegerit, seu docuerit, nullo modo computentur, neque computari possunt pro Magisterio obtinendo.

De conditionibus obtinendi Gradus Magisterii & Præsentaturæ.

XXVIII Patres Definitorii etiam Capituli Provincialis sub pœnâ privationis vocis activæ, & passivæ per quinquennium ipso facto incurrendâ, nullo modo ad Magisterium etiam pro primo loco vacaturo postulent, vel exponant eum, qui per octo annos Artium, & Theologiæ cursus docendo & legendo priùs non compleverit; neque eumdem, vel alium quemcumque pro Magistro etiam ad primum locum vacaturum acceptent, seu recipiant, nisi prædicto tempore Lectoriæ completo, litteras originales Magisterii, coram Definitorio exhibuerit: Ad Præsentaturæ verò gradum sub eâdem pœnâ privationis neminem postulent, aut pro Præsentato acceptent, seu recipiant, nisi cursibus Philosophicis, & Theologicis, ut suptà in Decreto sub *n.* 26. expletis, sex ferias Quadragesimales, ut vocant, & alias particulares sermones prædicaverit, litteraſque Præsentaturæ ante acceptationem, seu receptionem coram Definitorio exhibuerit originales; itritum, ac inane ipso facto, & absque alia declaratione decernentes, si secùs super his quovis modo fieri vel attentari contigerit.

De Ordine præcedentiarum.

XXIX. Ad extirpanda radicitùs litium germina, quæ circa præcedentias oriri solent, declaramus, quod Exprovincialis, & Expræsidens toto illo quadriennio, quo immediatè absoluti sunt suis ab officiis respectivè, cùm adhuc de corpore Definitorii sint, eumdem locum ubique, & Præcedentiam habeant, quam habent intra Definitorium Congregationis intermediæ, ex declaratione Reverendissimi Lanfranconii pro eadem Provinciâ emanatâ, in eaque usu receptâ; declarantes tamen, quòd transacto quadriennio in quo sunt immediatè absoluti ad præcedentiam, & locum ex constit. 3. *p. c.* 21., eisdem aliàs debitum reduci teneantur; prout sub pœnis privationis vocis, & loci per quinquennium ipso facto incurrendis præcipimus omnibus & singulis

hujus-

hujusmodi Patribus, etiam iis, qui ante hujus Decreti emanationem ita absoluti extiterunt, ut cum effectu reducantur; non obstantibus quibuscunque in contrarium, cum juxta Constitutionem Urbani Octavi de die 15. Januarii 1630. incipientē. In Sedem Principis Apostolorum prædictum *cap.* 21. 3. *p.* earumdem Constitutionum de ordine præcedentiarum inviolabiliter observari debeat: Quoad Magistros insuper à Provincia acceptatos, in Choro, Refectorio, Capitulo, Processionibus, &c. Ille, qui per tres menses ad minus priùs graduatus fuerit, insigniaque Magistralia susceperit, ad præscriptum prædictarum Constitutionum prædictâ 3. *p. c.* 21. & 5. *p. c.* 6. cæteros, etiamsi Exprovinciales sint, præcedat, præcedereque debeat, nullo habito respectu ad qualitatem Exprovincialatus, utpotè ex prædicto *cap.* 21. 3. *p.* Constit. Magisterio inferiorem: Inter Præsentatos autem ille alios in eisdem locis præcedat, præcedereque debeat, qui per duos menses ad minus gradu Præsentaturæ, etiam ante hujusmodi Decreti emanationem priùs graduatus fuerit, sivè sint cum voto sivè non sint; cum juxtà prædictas Constitutiones eadem 3. *p.* eodemque *cap.* 21. prædicti Præsentati, & Supprior Conventus vota non habentes, ante locum Patris Provincialis, qui habet votum, locum & præcedentiam teneant: Qui verò ab aliis Provinciis exfiliati, Provinciæ Quitensi affiliantur, eumdem in hac locum, & præcedentiam retineant, quam in Provinciâ à quâ exfiliantur habebant: ita ut Magister inter Magistros, Præsentatusque inter Præsentatos &c. præcedentiam retineant sibi debitam, dummodò tamen de sua legitimâ promotione ad gradum Magisterii, vel Præsentaturæ, sivè de antiquitate suæ professionis, si graduati non fuerint Definitorio saltim privato Provinciæ Quitensis, cui affiliantur, legitimè constare faciant: & ut hæc, quæ circa præcedentiam decreta sunt, exactiùs in ista Provincia serventur, declaramus, quòd P. Provinciales actuales, seu Rectores Provinciales, sivè per se ipsos, sivè una cum Definitorio, etiam Capituli Provincialis, nullo modo possunt, neque potuerunt alicui Religioso concedere præcedentiam, sicut nec etiam privilegia personalia, quibus vel à Choro, vel à mensa communi, vel à communibus observantiis eximantur, sed observandam esse omninò Constitutionem Apostolicam Urbani Octavi die 30. Julii 1626. incipientem. Pastoralis, quâ hujusmodi Privilegia, & exceptiones prohibita, & interdicta sunt, de cæteroque absque licentiâ Sedis Apostolicæ concedi non possunt, irritum insuper, ac inane ipso facto, & absque aliâ declaratione decernentes & declarantes, si secùs super his quovis modo fieri, vel attentari contigerit.

De tollendis supplicationibus & appellationibus contrà Patrum Constitutiones & de Provincialium relectione.

XXX. Volumus & declaramus, à Reverendissimorum Patrum Decretis, Statutis, Ordinationibus & Declarationibus semel ab ista nostra Quitensi Provincia receptis, nec non ad ejus postulationem provisis, seu pro ipsius reformatione, & bono regimine cum cognitione causæ emanatis, supplicationem, vel appellationem, etiam ex legitimâ causâ interpositam, eorum exequutionem nullo modo retardare, vel impedire posse; Sed in eo interim, quoad responsum, vel determinatio Superioris legitimè habeatur, omnia & singula inviolabiliter observari, ac omninò exequi debere; irritum, ac inane ipso facto, & absque alia declaratione decernentes, si secùs super his quovis modo fieri, vel attentari contigerit: Experientiâ insuper edocti, quod multa irrepserint dubia, & lites ex Decretis Reverendissimorum Vicecomitis & Lanfranconii Prædecessorum Nostrorum, quibus præcipitur, ut electio Patris Provincialis sub pœnâ nullitatis celebretur juxtà Constitutiones, quòdque, qui semel electus fuerit in Provincialem, altera vice eligi non possit sub pœna ejusdem nullitatis; ideò prædicta duo Decreta moderanda, & ad terminos nostrarum Constitutionum reducenda statuimus, prout tenore præsentium ea moderamur & reducimus; Declarantes, quòd qui conformiter ad Sacros Canones & Nostras Constitutiones habilis, & idoneus ad Provincialatum repertus fuerit, pro validâ, & legitimâ habeatur eodem prorsùs modo, ac si prædicta duo Decreta emanata non fuissent.

De juribus Rectoris Provincialis, & de Officiorū privatione ad Definitorium privatum pertinente

XXXI. Confirmantes, & quatenùs opus sit innovantes Declarationes Reverendiss. P. P. etiam pro eadem nostra Provinciâ Quitensi emanatis declaramus, Rectorem Provincialem legitimè electum, seu institutum, qui cum effectu Provinciam per aliquod tempus gubernaverit, & locum, & vocem activam, & alia quæcunque jura, prærogativa & privilegia Provincialis absoluti, tùm intra tum extra Definitorium deinceps semper habere; Et tandem cum Nostræ Constitutiones 3. *p. c.* 9. disponant, ut in casu quo Definitorium privatum post Congregationem intermediam Priores officio privet, nova electio, vel provisio Prioris Vicarii, quæ tunc fieri debet, ad prædictum Definitorium privatum pertineat; Hujusmodi dispositionem, etiam de declaratione privationis, nec non in casu quo alius quicunque Officialis vocem activam habens, officio privetur, vel privatus declaretur, intelligendam esse declaramus, irritum, ac inane, ipso facto, & absque alia declaratione decernentes si secùs super his quovis modo fieri, vel attentari contigerit.

De præsentibus Decretis executioni mandandis annuatim publicandis & contrariis annullandis.

XXXII. Ut autem præsentia hæc nostra Decreta, Statuta, Ordinationes, & Declarationes, quæ cum cognitione causæ pro reformatione, & bono regimine istius Nostræ Provinciæ Quitensis à Nobis maturâ consideratione edita fuere, firmiùs consistant, strictè præcipimus R. P. Provinciali, seu Rectori Provinciæ, omnibusque & singulis R. R. P. P. Definitorii prædictæ Provinciæ nunc, & pro tempore existentibus in meritum salutaris obedientiæ, sub rebellionis Nostræ, privationis vocis activæ & passivæ per decennium, graduum & officiorum, nec non excommunicationis majoris latæ sententiæ, quam hac una pro trina Canonicâ monitione præmissa in his scriptis, licèt inviti ferimus, ipso facto incurrendis pœnis, quatenus omni, & quâcunque supplicatione & appellatione remotâ, omnia & singula Decreta, Statuta, Ordinationes & Declarationes in his litteris contenta in Capitulo etiam privato integrè recipiant, ad litteram inviolabiliter observent, ab omnibus & singulis respectivè sic observari faciant, & ullâ finè morâ exequutioni mandent: Non obstantibus quibuscunque Provinciæ Definitionibus, actis, Statutis & consuetudinibus etiam immemorabilibus, nec non Nostris, vel Prædecessorum Nostrorum Decretis, Statutis, Ordinationibus & Declarationibus in contrarium præmissorum quomodolibet approbatis, confirmatis, innovatis, concessis & emanatis; quæ omnia, & singula in quantum præsentibus adversantur, revocamus & annullamus, & revocata & annullata esse volumus & declaramus, sicuti etiam alia à Nobis Decreta die 20. mensis Novembris 1675. pro istâ Provinciâ Quitensi edita, tenore præsentium revocamus & annullamus, revocataque & annullata esse volumus & declaramus, mandantes, ut ad nos cum effectu transmittantur: Præcipimus insuper eidem Patri Provinciali, seu Rectori Provinciæ, nunc & pro tempore existenti sub eisdem pœnis, ut perpetuis futuris temporibus ante recognitionem P. Præsidentis in Capitulis Provincialibus, & in Congregationibus intermediis respectivè coram omnibus Patribus, ac Fratribus horâ quæ opportuna ei videatur, hæc nostra Decreta, Ordinationes, Statuta & Declarationes perlegi faciat, ac in libro Provinciæ transcribi, & eorum authenticam copiam ad omnes Conventus dictæ Provinciæ transmitti curet, quorum Prioribus, seu Superioribus Localibus nunc, & pro tempore existentibus etiam præcipimus sub pœnâ sus-

pensio-

pensionis ab officio per sex menses ipso facto incurrendâ, ut eadem singulis annis infrà Quadragesimale tempus, publicè coram omnibus legi faciant. Hæc autem nostra Decreta, Ordinationes, Statuta & Declarationes, quæ semper firma, valida & efficacia esse decernimus & declaramus, de subreptionis, vel obreptionis, vel alio quovis defectu, etiam intentionis Nostræ, nemo Nobis inferior sub iisdem pœnis, & excommunicatione notare audeat; Sicque in præmissis per quoscunque prædictæ Provinciæ, & Ordinis Nostri Judices & Superiores ordinarios, & delegatos judicari & definiri debere, ac irritum, & inane ipso facto, & absque aliâ declaratione decernentes & declarantes, si secùs super his à quoquam Nobis inferiori quâvis auctoritate, scienter vel ignoranter, fieri vel attentari contigerit.

Apostolicum robur prædictis Decretis & Statutis adjicitur.

§. 2. Cùm autem sicut eadem expositio subjungebat, Decreta, Statuta, Ordinationes & Declarationes, aliaque præmissa bono regimini, ac reformationi & tranquillitati prædictæ Provinciæ valdè utilia sint, firmiora verò existunt ea, quibus Apostolicæ Sedis accedit autoritas; Nobis propterea dictus Franciscus Procurator, etiam nomine dictæ Provinciæ humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunè providere, & infrà indulgere de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur ipsum Franciscum Procuratorem specialis favore gratiæ prosequi volentes, eumque à quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, à jure, vel ab homine quâvis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium tantùm consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis & consultationibus Episcoporum & Regularium præpositorum consilio, omnia & singula Decreta, Statuta, Ordinationes & Declarationes, ac articulos & capitula præinserta, auctoritate Apostolicâ tenore præsentium confirmamus & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & singulos juris & facti defectus, etiam substantiales, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; salvâ tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Decretũ roborans.

§. 3. Decernentes ipsas præsentes Litteras semper firmas & validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocunque spectabit in omnibus, & per omnia pleniſſimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscunque Judices ordinarios & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari & definiri debere, ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquam quâvis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula sublata & Decretum irritans.

§. 4. Non obstantibus præmissis ac Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, nec non prædictorum Ordinis & Provinciæ, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâvis firmitate alia roboratis Statutis & consuetudinibus. & privilegiis quoque, indultis & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Derogatio contrariis.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subsciptis, & sigillo personæ in Ecclesiasticâ Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsùs fides tàm in judicio, quàm extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 17. Martii. 1678. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

Transumptorũ fides.

J. G. SLUSIUS.

D. 17. Martii 1679. P. A. tertio.

Confirmatio Indulgentiarum Sanctissimi Rosarii. VIII.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio Sanctitati Suæ facta.

§. 1. NUper pro parte Dilecti Filii Antonii de Monroy Magistri Generalis Ordinis Fratrum Prædicatorum Nobis expositum fuit, quòd de hujus Sanctæ Sedis mandato confectum, & à Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Indulgentiis, & sacris Reliquiis præpositâ revisum, & approbatum fuit Summarium Indulgentiarum, & aliarum gratiarum spiritualium Confraternitatibus sub titulo Sanctissimi Rosarii erectis & institutis, auctoritate Apostolicâ concessarum, tenoris qui sequitur, videlicet:

SUMMARIUM.

Indulgentiarum & gratiarum, Confratribus & Consororibus Sanctissimi Rosarii tàm in vitâ, quàm in morte concessarum.

CAPUT I.

De confirmatione & extensione Indulgentiarum Sanctissimi Rosarii.

PRimò. Sciendum à multis Summis Pontificibus respectivè fuisse confirmatas Indulgentias & gratias, ab eorum Antecessoribus benignè elargitas, Confratribus & Consororibus Sanctissimi Rosarii, nimirùm à Leone X. in Bullâ, quæ incipit: *Pastoris æterni*, die 6. Octobris 1520. à Clemente Septimo in Brevi, *Etsi temporalium*, die 8. Maii 1534. à Julio Tertio in Brevi, *Sinceræ devotionis*, 24. Augusti 1551. à Pio Quinto in Brevi, *Inter desiderabilia*, die 28. Junii 1569. ac in Brevi, *Consueverunt*, die 17. Septembris 1569. Deinde cum omni amplitudine confirmatas, & innovatas à Sixto Quinto in Brevi, quod incipit: *Dum ineffabilia*, 30. Januarii 1586. Denique etiam Paulus Quintus in Brevi: *Cum olim*, die 20. Septembris 1608. revocato Brevi suo revocatorio Indulgentiarum antiquarum Sanctissimi Rosarii in executionem Constitutionis Clementis Octavi incipientis: *Quæcunque*, & illud ad terminos juris reduxit, & pristino statui restituit easdem Indulgentias à Summis Pontificibus suis Prædecessoribus concessas Confraternitatibus Sanctissimi Rosarii Canonicè institutis, ubique locorum existentibus.

Secundò. Omnes Indulgentias specialiter, vel generaliter, aut quocumque modo uni, vel pluribus Confraternitatibus Sanctissimi Rosarii, vel etiam Confratribus, & Consoribus alicujus Confraternitatis in aliquâ particulari Ecclesiâ erectæ impertitas, communes esse omnibus Confraternitatibus Sanctissimi Rosarii, Confratribus, & Consororibus omnium dictarum Confraternitatum universi Orbis. Hoc indulsit Gregorius XIII. in Brevi incipiente, *Pastoris æterni*, 5. Maii 1581. pro Confraternitatibus Canonicè erectis. Et Sixtus V. in præfato Brevi: *Dum ineffabilia*, omnia privilegia,

vilegia, indulta, facultates, exemptiones, immunitates, concessiones, Indulgentias, etiam plenarias à Summis Pontificibus concessa, & concessas Confraternitatibus, aut Confratribus Sanctissimi Rosarii extendit & ampliat in perpetuum, ad Confraternitates erigendas illarumque Confratres, & Consorores pro tempore existentes.

Tertiò. Denique quascunque Indulgentias in hoc Summario contentas, quæ concessæ sunt alicui particulari Confraternitati Sanctissimi Rosarii vigore præfatarum Litterarum Apostolicarum, communes esse cuilibet Confraternitati, & cuilibet respectivè Confratri, aut Consorori in aliquâ Confraternitate descriptis.

CAPUT II.

Indulgentiæ pro iis, qui ad Confraternitatem Sanctissimi Rosarii recipiuntur.

PRimo. Pius Quintus in præfato Brevi, *Consueverunt*, concedit plenariam Indulgentiam omnibus, & singulis Christi fidelibus per Deputatos à Magistro Generali, vel Vicario Generali pro tempore descriptis, verè pœnitentibus & confessis, qui primâ vice descripti fuerint, & Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in aliquâ Ecclesiâ, seu Cappellâ dictæ Confraternitatis perceperint, & unam saltem quinquagenam Rosarii recitaverint, & pro tranquillitate Sanctæ Matris Ecclesiæ oraverint: eandem elargitur illis, qui in mortis articulo constituti salutaris pœnitentiæ, & viatici Sacramentis fuerint muniti.

Secundò. Clemens Octavus in Brevi, *Salvatoris*, die 13. Januarii 1592. omnibus Christi fidelibus verè pœnitentibus & confessis, atque Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento refectis, qui Rosarii Confraternitatem ingredientur erectam in Ecclesiâ Prædicatorum Oppidi Divionensis, die primo eorum ingressus, plenariam Indulgentiam elargitur.

Tertiò. Eandem pariter Indulgentiam concedit idem Pontifex in Bullâ, quæ incipit, *De salutis gregis*, die 18. Januarii 1592. pro descriptis in Confraternitate erectâ in Ecclesiâ Prædicatorum Utini.

CAPUT III.

Indulgentiæ pro recitantibus Rosarium diebus ordinariis.

PRimo. Confratres lucrantur quadraginta dies Indulgentiarum, quoties recitaverint, aut recitari fecerint tertiam partem Rosarii, uti concessit Alexander Episcopus Forolivienſis per universam Germaniam Legatus à Latere Confratribus Confraternitatis institutæ in Ecclesiâ Prædicatorum Coloniæ, ut apparet in Litteris incipientibus, *Etsi glorioſos*, die 10. Martii 1476. quam concessionem confirmavit Leo X. in præfatâ Bullâ *Pastoris æterni*.

Secundò. Cuicunque fideli tertiam partem Rosarii recitanti elargitur Sixtus Quartus in Bullâ incipiente, *Ea quæ ex fidelium*, 12. Martii 1479. quinque annos, & quinque quadragenas; Eandem etiam confirmat Leo X. in præfatâ Bullâ *Pastoris æterni*.

Tertiò. Ex concessione Innocentii Octavi in Bullâ, quæ incipit, *Splendor paternæ gloriæ*, Romæ 27. Februarii 1488. Confratribus, & Consororibus in aliqua Confraternitate in Ordine Prædicatorum erecta conscriptis, verèque pœnitentibus & confessis, qui tertiam Rosarii partem recitaverint, toties quoties id egerint, sexaginta millia annorum, & totidem quadragenæ Indulgentiarum de injunctis sibi pœnitentiis relaxantur; In eâdem Bullâ iisdem Confratribus, & Consororibus nunc & pro tempore existentibus verè pœnitentibus, ac ob Beatissimæ Virginis Mariæ reverentiam Rosarium deferentibus præfatus Innocentius centum annos, & totidem quadragenas Indulgentiarum de injunctis sibi pœnitentis, misericorditer indulget. Insuper iisdem Confratribus, si nomen Jesu in fine cujuslibet Angelicæ Salutationis nominaverint, quinque annos, & totidem quadragenas similiter concedit.

Quartò. Franciscus de Claromonte titulo Sancti Stephani in Cœlio Monte S. R. E. Presbyter Cardinalis Rosarii Societatem in Bitterrensi Civitate instituram, auctoritate Apostolicâ sibi concessâ, approbavit, confirmavit & ratificavit, ejusque Confratribus, & Consororibus quotiescunque per se, vel per alium Beatæ Mariæ Virginis Rosarium, quod 50. Ave Maria continet, & quinque Pater noster, continuè legerint, vel legi fecerint, centum dies Indulgentiarum largitus est, & Fratre Antonio Curone in S. Theologiâ Præsentato Rosarium idem prædicante omnibus Christi fidelibus sermonem ejus audientibus, centum dies pro quâlibet vice de injunctis pœnitentiis relaxavit.

Quintò Raymundus tit. S. Mariæ Novæ Cardinalis per Germaniam Sanctæ Sedis Legatus concedit Confratribus, & Consororibus Rosarii Confraternitatis Colonienſis, quoties Rosarium recitaverint, centum dies Indulgentiarum. Quod confirmavit Leo X. in præfatâ Bullâ *Pastoris æterni*.

Sextò. Confratribus, & Consororibus dictæ Confraternitatis Coloniæ institutæ verè pœnitentibus & confessis, seu confitendi propositum habentibus, qui ter in hebdomadâ Rosarium devotè recitaverint, pro qualibet vice decem annos, & totidem quadragenas de injunctis pœnitentiis relaxat Leo X. in præfatâ Bullâ *Pastoris æterni*.

Septimò. Adrianus Sextus in Bullâ quæ incipit, *Illius qui Dominicam gregem*, die primâ Aprilis anni 1523. omnibus Confratribus Oppidi de Victoriâ Diœcesis Calaguritanæ, qui in Cappella Sanctissimi Rosarii, aut in quâcunque parte ipsius Ecclesiæ, ex qua Altare dictæ Cappellæ conspici possit, recitaverint singulis diebus tertiam partem Rosarii pro quâlibet die, quâ id fecerint, ut præfertur, quinquaginta annos de injunctis pœnitentiis pariter relaxat. Clemens autem Septimus in Bullâ incipiente, *Considerantes*, die 6. Aprilis 1524. & in alia quæ incipit, *Ineffabilia*, die 23. Martii anno 1529. concedit eandem Indulgentiam Confratribus dictæ Confraternitatis, qui extra Civitatem prædictam pexistentes in aliqua Ecclesiâ, seu Oratorio cujusvis loci, tertiam Rosarii partem devotè recitaverint.

Octavò, Clemens Septimus in Brevi, *Etsi temporalium* 8. Maij 1534. addidit duos annos Indulgentiæ Confratribus institutarum Confraternitatum pro quolibet ex tribus diebus hebdomadæ, in quo tertiam partem Rosarii recitabunt, dummodò in septimanâ integrum Rosarium recitent. Cum enim ad lucrandam Indulgentiam à Sixto IV. concessam, necessarium esset uno die totum Rosarium recitare, voluit Clemens præfatus sufficere ad prædictum effectum recitare integrum Rosarium in unâ septimanâ, assignans pro diebus diem, & pro pluribus vicibus unam vicem. Et cùm prædicta Bulla publicata non fuerit vivente Clemente, publicata fuit per Paulum Tertium in Brevi, quod incipit, *Rationi congruit*, die 3. Novembris 1534.

Nonò. Pius Quintus Confratribus Confraternitatum Sanctissimi Rosarii erectarum per Fratrem Ambrosium Salvio de Balneolo Ordinis Prædicatorum, quoties devotè recitaverint Rosarium reliquis anni diebus (exceptis diebus Annunciationis, Assumptionis, Nativitatis, & Purificationis Beatissimæ Mariæ Virginis, in quibus major acquiritur Indulgentia) concessit quadraginta dies Indulgentiarum, prout constat ex Brevi, quod incipit, *Injunctum Nobis*, die 14. Junii 1566.

Decimò. Ex ejusdem Pontificis concessione in Brevi, *Consueverunt*, 17. Septembris 1569. Confratres Confraternitatum erectarum, & per Deputatos à Magistro Generali, vel Vicario Generali pro tempore descripti, si devotè recitaverint Rosarium integrum quâlibet septimanâ lucrantur Indulgentiam septem annorum, & totidem quadragenarum de pœnitentiis injunctis.

Undecimò. Clemens IX. denique in Brevi *Exponi Nobis*, die 22. Februarii 1668. elargitur Con-

fra-

fratribus Confraternitatum erectarum, & erigendarum in futurum in Indiis Regi Hispaniarum subjectis, integrum Rosarium recitantibus omnes, & singulas Indulgentias, quibus ex Apostolicâ concessione fruuntur omnes Christi fideles in Regnis Hispaniæ, recitantes coronam Beatissimæ Virginis.

CAPUT IV.

Indulgentiæ, quas Confratres in particularibus anni diebus recitantes Rosarium lucrantur.

PRimò. Alexander Episcopus Forolivienſis in Germaniâ Legatus centum dies Indulgentiæ concedit omnibus, & singulis Confratribus Confraternitatis Colonienſis dicentibus tertiam Rosarii partem in quinque festivitatibus Beatissimæ, videlicet Annunciationis, Visitationis, Assumptionis, Nativitatis & Purificationis, uti constat ex præfatâ Bulla Leonis X. *Pastoris æterni*.

Secundò. Innocentius VIII. anno 1484. 15. Octobris vivæ vocis oraculo concessit omnibus Confratribus Confraternitatis Sanctissimi Rosarii recitantibus Rosarium per hebdomadam Indulgentiam plenariam, & omnium peccatorum remissionem, applicandam à Confessario secundùm eorum arbitrium eligendo semel in vita, & semel in mortis articulo, quam Indulgentiam Leo X. in præfata Bulla *Pastoris æterni* confirmat.

Tertiò. Sixtus IV. in Bulla incipiente *Pastoris æterni*, die 29. Maji 1478. elargitur septem annos, & totidem quadragenas Confratribns Confraternitatis Colonienſis, verè pœnitentibus & confessis, dictam Confraternitatem servantibus, qui integrum Rosarium recitaverint, in diebus festis Nativitatis, Annunciationis, & Assumptionis Beatissimæ Virginis, sicut refert & confirmat Leo X. in præfatâ Bulla *Pastoris æterni*.

Quartò. Pius V. in Præfato Brevi *Injunctum Nobis*, concedit omnibus Confratribus Confraternitatum Rosarii institutarum, & instituendarum à Fratre Ambrosio Salvio de Balneolo, qui corde contriti, confessi, devotéque communicati in die, & festivitate Annunciationis devotè Rosarium recitaverint, Indulgentiam plenariam. Diebus verò Assumptionis, Nativitatis, & Purificationis decem annos, & totidem quadragenas.

Quintò. Idem Pontifex in dicto Brevi præfatis Confratribus, quoties nomen Domini Nostri Jesu Christi, & ejusdem Beatissimæ Virginis Mariæ matris suæ, tàm intùs, quàm extrà dictum Rosarium piè, & devotè nominaverint, seu invocaverint, septem dies de injunctis pœnitentiis relaxat.

Sextò. Præterea Pius V. in Brevi quod incipit *Consueverunt*, concedit omnibus Confratribus Confraternitatum erectarum à deputatis per Magistrum Generalem, vel Vicarium Generalem pro tempore descriptis, qui in diebus Resurrectionis Domini, Annunciationis & Assumptionis Beatissimæ Virginis communicati, ut suprà *cap. 2. n. 2.* dictum est, tertiam partem Rosarii recitaverint, decem annos, & totidem quadragenas.

Septimò. Præterea iisdem Confratribus, tertiam partem Rosarii ad minus recitantibus in reliquis diebus festis D. N. Jesu Christi, & Beatæ Mariæ Virginis, in quibus sacra Rosarii mysteria recensentur septem annos, & totidem quadragenas de injunctis pœnitentiis relaxat.

CAPUT V.

Indulgentiæ quas lucrantur Confratres Sanctissimi Rosarii processionem associantes, fieri solitam primâ Dominica cujuslibet mensis, & diebus festis Beatissimæ Virginis.

PRimò. Pius V. in præfato Brevi *Consueverunt*, omnibus & singulis utriusque sexus Christi fidelibus, etiàm non Confratribus, qui processioni Sanctissimi Rosarii, quæ qualibet primâ Dominicâ mensis fieri consuevit, devotè interfuerint, septem annos, & septem quadragenas de injunctis pœnitentiis relaxat.

Secundò. Confratres processionem debitis diebus faciendam associantes, centum dies Indulgentiæ consequuntur ex concessione Gregorii XIII. Confratribus Rosarii Civitatis Papien. facta in Brevi, quod incipit *Cùm sicut*, die 3. Januarii 1579. Præterea idem Gregorius in Brevi *Pastoris æterni*, die 5. Maji 1581. concessit Indulgentiam plenariam omnibus Confratribus verè pœnitentibus & confessis, ac communicantibus, qui processioni primâ Dominicâ cujuslibet mensis interfuerint. Insuper Confratres, qui propter infirmitatem, aut aliud legitimum impedimentum processionibus prædictis adesse nequiverint, si confessi, & Sanctissima Communione refecti Rosarium devotè recitaverint, aliasque preces pro Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, hæresium extirpatione, ac pace inter Principes Christianos concilianda, & conservanda fuderint, eadem Indulgentias consequuntur, quas consequerentur, si ipsis processionibus personaliter interessent, ex concessione ejusdem Gregorii in Brevi, *Cupientes*, die 24. Decembris 1583.

Tertiò. Eandem plenariam Indulgentiam assequuntur Confratres & Consorores Confraternitatum Rosarii verè pœnitentes & confessi, ac Sacra Communione refecti, qui processioni primâ Dominicâ mensis peragendæ interfuerint, & pro Christianorum Principum concordia, hæresium extirpatione, & Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effundunt, ex concessione Pauli V. in Brevi, quod incipit *Piorum hominum*, die 15. Aprilis 1608.

Quartò. Pius IV. eandem etiam Indulgentiam plenariam concessit Confraternitati Sanctissimi Rosarii institutæ in Ecclesia Sanctæ Mariæ super Minervam in Urbe, in Bulla incipiente *Dum præclara*, die 28. Februarii 1561. omnibus Confratribus, & Consororibus Sanctissimi Rosarii, verè pœnitentibus & confessis, vel firmum propositum tèmporibus statutis confitendi habentibus, qui processionem associaverint in dicta Ecclesia fieri solitam in festivitatibus, & solemnitatibus gloriosæ Virginis Mariæ, videlicet Purificationis, Annunciationis, Visitationis, Assumptionis, Nativitatis, Præsentationis & Conceptionis.

Quintò. Gregorius XIII. in Brevi *Ad augendam*, 24. Octobris 1577. elargitur Indulgentiam plenariam Confratribus Confraternitatis Rosarii erectæ in Ecclesia Sancti Dominici Bononiæ, verè pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui singulis annis solemni processioni primâ Dominicâ cujuslibet mensis in dicta Ecclesia celebrandæ interfuerint, & Cappellam Sanctissimi Rosarii devotè visitaverint, & ibi pro Christianorum Principium concordia, & unione, ac hæresium extirpatione, Sanctæque Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint.

CAPUT VI.

Indulgentiæ pro Confratribus visitantibus Cappellam Sanctissimi Rosarii.

PRimò. Pius IV. in præfata Bulla *Dum præclara*, concedit Indulgentiam plenariam iis, qui verè pœnitentes & confessi, vel firmum propositum confitendi habentes, statutis ab Ecclesia temporibus, devotè visitaverint Capellam Sanctissimi Rosarii in Ecclesia Sanctæ Mariæ super Minervam de Urbe in festis Beatissimæ Virginis, videlicet, Purificationis, Annunciationis, Visitationis, Assumptionis, Nativitatis, Conceptionis & Præsentationis à primis vesperis usque ad occasum Solis dictarum festivitatum.

Secundò. Gregorius XIII. in Brevi *Ad augendam*, 12. Martii 1577. concessit plenariam Indul-

gentiam Confratribus Confraternitatis Sanctissimi Rosarii institutæ in Ecclesiâ Prædicatorum Cremonæ, qui verè pœnitentes & confessi, nec non Sacrâ Communione refecti, devotè visitaverint Capellam Rosarii primâ Dominicâ cujuslibet mensis, & omnibus festis Beatissimæ, & Gloriosissimæ Virginis, ibique pias ad Deum preces effuderint pro Christianorum Principum concordiâ, extirpatione hæresium, & Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione.

Tertiò. Idem Pontifex in Brevi, *Ad augendam*, die 24. Octobris 1577. Indulgentiam plenariam concessit cuilibet Confratri Confraternitatis Rosarii erectæ in Ecclesiâ S. Dominici Bononiæ, qui pœnitens & confessus, ac Sanctissimâ Communione refectus Capellam Rosarii S. Dominici de Bononiâ in singulis festivitatibus Beatissimæ Virginis devotè visitaverit, atque ut suprà oraverit.

Quartò. In alio Brevi incipiente, *Cum sicut*, 3. Januarii 1579. Idem Gregorius elargitur Confratribus Confraternitatis erectæ in Ecclesiâ Prædicatorum Civitatis Papien. pro quâlibet die, quâ visitaverint Capellam, seu Altare Sanctissimi Rosarii in præfatâ Ecclesiâ, centum dies Indulgentiæ orando Deum, ut suprà. Insuper concedit Indulgentiam plenariam Confratribus ejusdem Confraternitatis Papiensis, qui devotè visitaverint dictum Altare seu Capellam in præfata Ecclesia tertiâ Dominicâ Aprilis, & primâ Octobris, à primis vesperis, usque ad occasum Solis, dummodò verè pœnitentes & confessi, ac Sacrâ Communione refecti, ut præfertur, oraverint.

Quintò. Idem Gregorius in Brevi *Exponi Nobis*, primâ Octobris 1577. concedit Indulgentiam plenariam omnibus, & singulis utriusque sexus Christi fidelibus, qui verè pœnitentes & confessi, primâ Dominicâ mensis Octobris devotè visitaverint à primis vesperis usque ad occasum Solis ejusdem Dominicæ Ecclesiam Sanctæ Mariæ super Minervam de Urbe, & ibi pro Principum concordiâ &c. pias ad Deum preces effuderint.

Sextò. Præterea idem Pontifex in Brevi *Pastoris æterni*; die 5. Maji 1581. Indulgentiam plenariam concedit omnibus Confratribus erectarum Confraternitatum Rosarii, qui verè pœnitentes & confessi, ac Sacratissimâ Communione refecti, devotè visitaverint Cappellam Sanctissimi Rosarii illis diebus, quibus aliqua mysteria Rosarii celebrantur, & Processioni primæ Dominicæ cujuslibet mensis interfuerint.

Septimò. Clemens VIII. in Brevi *Salvatoris*, & *Domini Nostri*, 13. Januarii 1592. elargitur plenariam Indulgentiam Confratribus Confraternitatis Rosarii erectæ in Ecclesiâ Prædicatorum Divioni, verè pœnitentibus & confessis, ac Sacrâ Communione refectis, qui devotè visitaverint Cappellam, seu Altare Rosarii dictæ Ecclesiæ in qualibet prima Dominica mensis Octobris à primis vesperis usque ad occasum Solis, ac inibi pias ad Deum preces effuderint pro Sedis Apostolicæ, & fidei Catholicæ exaltatione, & hæresium extirpatione, nec non pacis inter Princeps Christianos conservatione, aut aliàs prout unicuique suggeret devotio.

Octavò. Insuper in eodem Brevi concedit eisdem Confratribus septem annos, & totidem quadragenas Indulgentiæ, qui verè pœnitentes, confessi, devotè communicati, ultrà festum Paschatis Resurrectionis, in diebus festis Pentecostes, Assumptionis Beatissimæ Virginis, nec non Omnium Sanctorum, & Nativitatis D. N. Jesu Christi Capellam, Altare Sanctissimi Rosarii visitaverint, & Deum, ut præfertur, oraverint.

Nonò. Idemmet Clemens VIII. in Bullâ incipiente, *De salute gregis*, die 18. Januarii 1592. Confratribus, & Consororibus Sanctissimi Rosarii Confraternitatis erectæ in Civitate Utinensi, verè pœnitentibus & confessis, ac Communione Sacrâ refectis, qui in festivitate Assumptionis Beatiss. Virginis singulis annis devotè visitaverint Ecclesiam dictæ Confraternitatis à primis vesperis usque ad occasum Solis, ibique aliquas preces effuderint pro exaltatione Sanctæ Matris Ecclesiæ, extirpatione hæresium, reductione hæreticorum, & conversione infidelium, & pro conservatione pacis, concordiæ & unionis inter Princeps Christianos, quoties id egerint, Indulgentiam plenariam concedit. Præterea in eadem Bulla iisdem Confratribus, qui verè pœnitentes, confessi & communicati devotè visitaverint prædictam Ecclesiam in solemnitatibus Conceptionis, Nativitatis, Annunciationis, & Visitationis gloriosæ Virginis Mariæ, & oraverint, ut suprà, septem annos, & septem quadragenas Indulgentiæ elargitur.

CAPUT VII.

Indulgentiæ, quas Confratres, & Consorores Sanctissimi Rosarii lucrantur pia opera exercentes.

PRimò. Alexander Episcopus Forolivienſis Legatus Apostolicus per Germaniam concessit quadraginta dies Indulgentiæ de injunctis sibi pœnitentiis omnibus Confratribus Confraternitatis Rosarii erectæ Coloniæ, qui Sabbatis, & festivis diebus interfuerint, dùm cantatur Salve Regina post Completorium, coràm Altari Beatissimæ Virginis, ubi prædicta Confraternitas instituta est, quam concessionem confirmavit Leo X. in præfatâ Bullâ *Pastoris æterni*.

Secundò. Gregorius XIII. in præfato Brevi *Cum sicut accepimus*, 3. Januarii 1576. Confratribus Confraternitatis Sanctissimi Rosarii Papiæ relaxat centum dies de injunctis eis, seu quomodolibet debitis pœnitentiis, qui vexillum Sanctissimi Rosarii associaverint, quando corpora mortuorum Confratrum deferuntur ad sepulturam, & interfuerint Anniversariis pro animabus defunctorum Confratrum celebrandis, & ibi pro Christianorum Principum concordia &c. vel aliàs oraverint, vel infirmos Confratres ad Ecclesiastica Sacramenta sumenda hortati fuerint, & visitaverint.

Tertiò. Clemens VIII. in Brevi *Salvatoris* die 13. Januarii 1592. Confratribus Confraterniratis Sanctissimi Rosarii erectæ in Ecclesia Prædicatorum Oppidi Divionensis, qui Divinis officiis per illos Confratres, seu ex eorum instituto in dictâ Cappellâ decantandis, ac Congregationibus publicis, vel secretis pro felici directione dictæ Confraternitatis habendis interfuerint, atque associaverint Sanctissimum Sacramentum dùm ad aliquem infirmum deferri contigerit, ac qui legitimè impediti hoc facere nequiverint, campanæ ad id signo dato, genuflexi, si potuerint, Orationem Dominicam pro eodem infirmo recitaverint, nec non cujuscunque Confratris cadaver ad sepulturam Ecclesiasticam associaverint, vel eos in eorum infirmitatibus visitaverint, & consolati fuerint, ac Orationem Dominicam quinquies, & toties Angelicam Salutationem coràm imagine Sanctissimi Crucifixi in honorem quinque plagarum D. N. Jesu Christi pro animabus eorumdem Confratrum in Christi charitate defunctorum recitaverint, quoties aliquod præmissorum fecerint, sexaginta dies de injunctis eis, aut aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis relaxat.

Quartò. Idem in Brevi *Ineffabilia Dei Genitricis*, die 12. Februarii 1598. Confratribus Confraternitatis Sanctissimi Rosarii erectæ in Ecclesiâ Sancti Pauli Vallisoleti Ordinis Prædicatorum centum dies, quoties verè pœnitentes, & confessi, seu à jure statutis temporibus firmum confitendi propositum habentes Antiphonæ *Salve Regina* in præfata Ecclesia post Completorium decantari solitæ, interfuerint; in festivitatibus autem Beatissimæ Virginis, nec non Sanctorum Apostolorum, & Sanctorum dicti Ordinis, & quandò ipsi Confratres, juxtà Statuta dictæ Confraternitatis, cum cereis accensis adesse tenentur, eisdem Confratribus, ut præfertur interessentibus, tres annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, aut quomodolibet debitis pœnitentiis relaxat. Illis autem Confratribus, qui pro solemnitate à dicta Confraternitate celebrari solita, Dominicâ infrà octavam Nativitatis Beatissimæ

Vir-

Virginis, ordinandis Altaribus, vel Ecclesiæ præparandæ vacaverint, aut ornamenta ad divinum cultum spectantia miserint, centum dies Indulgentiæ concedit, extendens supradictas Indulgentias ad infirmos, mulieres gravidas, & legitimè impeditos, qui flexis genibus prædictam Antiphonam *Salve Regina*, coràm Altari, vel Imagine Beatæ Virginis devotè recitaverint; qui autem Confratrem infirmum visitaverint, aut corpus defuncti Confratris ad dictam Ecclesiam associaverint, tres annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, aut aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis.

Quintò. Idem Pontifex in Bulla *De salute gregis*, die 15. Februarii anno 1592. Confratribus Confraternitatis Sanctissimi Rosarii erectæ in Ecclesiâ Prædicatorum Utini, quoties interfuerint Divinis officiis, aut Missis, quæ celebrantur in dictâ Ecclesiâ, vel intuitu, vel ex instituto, aut consuetudine dictæ Confraternitatis, aut hospitio pauperes peregrinos exceperint, aut eleemosynis, vel officiis adjuverint, aut pacem cum inimicis composuerint, seu componi fecerint, vel procuraverint, ac etiam corpora defunctorum tàm Confratrum, quàm aliorum ad sepulturam associaverint, aut infirmos consolati fuerint, aut processiones ordinarias, tàm Confraternitatis, quam aliàs quascunque, de licentiâ Ordinarii celebrandas Sanctissimum Sacramentum tàm in processionibus, quàm ad infirmos, vel quovis modo delatum comitati fuerint, seu impediti per alium, vel alios associati fecerint, vel campanæ ad id signo dato, genuflexi, semel Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam pro animabus Confratrum defunctorum recitaverint, aut devium aliquem ad viam salutis reduxerint, aut ignorantes præcepta Dei, & alia ad salutem necessaria docuerint, aut quodcunque aliud pietatis, vel charitatis opus exercuerint, quoties præmissa, vel aliquod præmissorum egerint, sexaginta dies de injunctis eis, aut quomodolibet debitis pœnitentiis relaxat.

Sextò. Rursùs Gregorius XIII. in Brevi *Desiderantes*, 22. Martii 1580. Confratribus Confraternitatum Sanctissimi Rosarii institutarum in Ecclesiis Fratrum Prædicatorum Provinciæ S. Jacobi novæ Hispaniæ in Indiis, & omnibus Christi fidelibus, qui verè pœnitentes, confessi, ac Sacrâ Communione refecti, devotè visitaverint dictas Ecclesias, diebus festis Patroni earundem respectivè, & in solemnitate Corporis Christi, Indulgentiam plenariam concedit. Insuper omnibus Confratribus, qui Sabbatis in Quadragesimâ assistent Missæ, & Concioni Beatissimæ Virginis, ac dùm cantatur Antiphona *Salve Regina*, concedit unius anni Indulgentiam. Præterea quandò ex eleemosynis Confraternitatis Sanctissimi Rosarii virgines matrimonio junguntur, tàm ipsis, quàm ipsarum maritis, & Confratribus Sanctissimi Rosarii processioni interessentibus, quinque annos Indulgentiæ elargitur. Denique Confratribus, & Consororibus associantibus processionem, quæ fit singulis Sabbatis, aut semel in mense per Ecclesias, vel Claustrum dictarum domorum, in suffragium mortuorum, octo annos Indulgentiæ de injunctis, aut aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis relaxat.

CAPUT VIII.

Indulgentiæ quas consequuntur Confratres, & Consorores Sanctissimi Rosarii visitantes quinque Altaria.

LEo X. instituit, & concessit, ut quilibet Confrater Confraternitatis Sanctissimi Rosarii Canonicè in quâcunque Ecclesiâ Ordinis Prædicatorum erectæ quinque Altaria visitando cujuscunque Ecclesiæ, aut unum, vel duo quinquies, si quinque defuerint, easdem Indulgentias integraliter consequatur, ac si omnes Almæ Urbis Stationes peregrinando circumiret; quam concessionem confirmat, & approbat Clemens Septimus in Brevi, *Et si temporalium*, quod Paulus III. in Brevi *Rationi congruit*. 3. Novembris 1534. Publicavit.

CAPUT IX.

Indulgentiæ quas lucrantur Confratres & Consorores peccata sua confitendo, & communicando aliquibus Dominicis anni.

PRimò. Gregorius XIII. in Brevi quod incipit *Ad augendam*, pro Confraternitatibus institutis in Ecclesiis Prædicatorum Provinciæ utriusque Lombardiæ die 8. Novembris 1578. & in alio simili pro Provinciâ Romanâ anno 1579. die 29. Augusti, concedit plenariam Indulgentiam omnibus Confratribus, & Consororibus Sanctissimi Rosarii, qui verè pœnitentes & confessi, ac devotè in dictis Ecclesiis primis Dominicis diebus cujuslibet mensis Sacram Communionem sumpserint, ibique pro extirpatione hæresium, pro pace inter Principes Christianos, & Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, quam Indulgentiam extendit ad Confratres infirmos, qui ad easdem Ecclesias, seu quamlibet earum accedere non valentes, prævià confessione, & Communione domi suæ ante devotam imaginem devotè Rosarium, seu Coronam, aut septem Psalmos, qui legere sciunt, recitaverint.

Secundò. Clemens Octavus in Brevi *Ineffabilia gloriosæ Virginis*, 12. Februarii 1598. Confratribus Confraternitatis Sanctissimi Rosarii erectæ in Ecclesiâ S. Pauli Vallisoleti Ordinis Prædicatorum, qui Dominicâ infrà octavam Nativitatis Beatissimæ Virginis solemniter hujusmodi festivitatem celebrare volunt, si verè pœnitentes, & confessi eâdem die annis singulis Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum perceperint, & Altissimo preces pro universalis Ecclesiæ, & Romani Pontificis statu fuderint, plenariam suorum peccatorum Indulgentiam concedit.

Tertiò. Gregorius XIII. in Brevi, quod incipit *Desiderantes*, 22 Martii 1580. Confratribus, & Consororibus Confraternitatum jàm erectarum in Ecclesiis Fratrum Prædicatorum Provinciæ S. Jacobi novæ Hispaniæ in Indiis, qui primâ Dominicâ Octobris verè pœnitentes, & confessi alicui Confessario dicti Ordinis, Sacram Eucharistiam sumpserint in præfatis Ecclesiis, in quibus instituta est Confraternitas Sanctissimi Rosarii, plenariam Indulgentiam elargitur.

CAPUT X.

Indulgentiæ quibus fruuntur Confratres, & Consorores Sanctissimi Rosarii in mortis articulo.

PRimò. Supradiximus, quòd Confratres, & Consorores Sanctissimi Rosarii respectivè, ex concessione Innocentii VIII. & Leonis X. qui per septimanam Rosarium recitaverint, consequantur semel in vitâ, & semel in morte Indulgentiam plenariam, & Pius V. in Brevi, *Consueverunt*, Indulgentiam plenariam concedit Confratribus Confraternitatum erectarum in articulo mortis constitutis, confessis, & per modum viatici Sacrâ Communione refectis.

Secundò. Adrianus VI. in Bullâ *Illius, qui Dominicum gregem*, die primâ Aprilis anno 1523. Plenariam Indulgentiam concedit Confratribus Confraternitatis Sanctissimi Rosarii erectæ in Ecclesiâ Prædicatorum Victoriæ (verè pœnitentibus, & confessis, vel firmum propositum confitendi habentibus) qui in mortis articulo in manibus tenentes cereum benedictum Confraternitatis, in honorem Virginis Mariæ ex hac luce migraverint, si ante eorum obitum Rosarium semel dumtaxat recitaverint. Quam Indulgentiam confirmavit Clemens VII. in præfatâ Bullâ *Ineffabilia &c.*

Tertiò. Clemens VIII. in Brevi, *Salvatoris*, 13.

Januarii 1592. Confratribus Confraternitatis Sanctissimi Rosarii institutæ Divioni, qui verè pœnitentes & confessi, ac Sacra Communione refecti, pium nomen Jesu corde, si ore nequiverint, in mortis articulo invocaverint, plenariam Indulgentiam elargitur.

Quartò. Et in Brevi *Ineffabilia glorioſæ*, 12. Februarii 1598. Confratribus Confraternitatis Sanctissimi Rosarii erectæ in Ecclesiâ Sancti Pauli Vallisoleti, si in articulo mortis recipiendo Sanctissima Ecclesiæ Sacramenta, & Ecclesiæ Romanæ fidem profitendo, Antiphonam *Salve Regina* dixerint, & Beatæ Virgini se commendaverint Indulgentiam, plenariam concedit.

Quintò. Idem in Bullâ quæ incipit, *De ſalute gregis*, 18. Januarii 1592. Confratribus & Consororibus Confraternitatis Sanctissimi Rosarii Utini erectæ, verè pœnitentibus, & confessis, ac Sacrâ Communione refectis, qui in articulo mortis Sanctissimum nomen Jesu corde, si ore nequiverint, invocaverint, vel aliquod contritionis signum dederint, Indulgentiam plenariam concedit.

Sextò. Clemens X. in Brevi, *Cœleſtium munerum*, 16. Februarii anni 1671. Sacerdotibus Secularibus, aut Regularibus, quibus licitum fuerit, juxtà Constitutiones, & Decreta Sedis Apostolicæ celebrare Missam Sanctissimi Rosarii, eandem celebrando, sicut & omnibus Religiosis, & Sanctimonialibus, etiam Tertii Ordinis Prædicatorum, [& omnibus Confratribus, & Consororibus cujuscunque Confraternitatis Sanctissimi Rosarii jam erectæ, aut erigendæ in futurum in quocunque loco, qui verè pœnitentes, & confessi, vel firmum confitendi habentes propositum, prædictæ Missæ devotè interfuerint, ibique pro pace inter Principes Christianos, hæresium extirpatione, & exaltatione Sanctæ Matris Ecclesiæ oraverint, quoties id egerint, impertitur omnes Indulgentias, peccatorum remissiones, & pœnitentiarum relaxationes, quas Confratres, & Consorores dictæ Confraternitatis integrum Rosarium recitando ex Sedis Apostolicæ concessione assequuntur.

Septimò. Idem Pontifex in eodem Brevi omnibus & singulis prædictis, qui soliti fuerint dictam Sanctissimi Rosarii Missam celebrare, uti dictum est, aut eidem assistere, si verè pœnitentes, confessi, & communicati oraverint, sicut dictum est, concedit, ut omni mense eadem similiter consequantur Indulgentias, peccatorum remissiones & pœnitentiarum relaxationes, quas consequuntur Confratres, & Consorores dictarum Confraternitatum, assistendo processioni Sanctissimi Rosarii quâlibet primâ Dominicâ mensis.

Octavò. Prætereà idem Summus Pontifex in eodem Brevi concedit, ut omnes hæ Indulgentiæ, peccatorum remissiones, & pœnitentiarum relaxationes, possint per modum suffragii animabus defunctorum applicari.

CAPUT XI.

Quomodo omnes prædictæ Indulgentiæ ad infirmos, ac legitimè impeditos extendantur.

PRæter ea quæ Capite quinto, & nono diximus, sciendum, Sixtum Quintum in præfato Brevi, *Dum ineffabilia*, Confratribus Confraternitatum tàm hactenùs erectarum, quàm in posterum erigendarum itinerantibus, navigantibus, & servientibus, totum Rosarium, infirmis verò, aut aliàs legitimè impeditis tertiam ejus partem devotè recitantibus, nec non temporibus debitis, & ab Ecclesia statutis confitendi, & communicandi firmum propositum habentibus, qui Cappellam Rosarii in Ecclesia Sanctæ Mariæ super Minervam Ordinis Prædicatorum Romæ, aut alias Ecclesias, vel Cappellas ubicunque dicta Confraternitas Canonicè erecta fuerit, iis diebus, quibus festa Mysteriorum Rosarii celebrantur, visitare, & processioni, quæ primâ Dominicâ cujuslibet mensis fieri, solet interesse non poterint, plenariam Indulgentiam concedere & elargiri, illisque communicare omnes & singulas Indulgentias, peccatorumque remissiones, etiam plenarias, concessas, & concedendas in futurum omnibus Confratribus & Consororibus in præfatis diebus Cappellas, seu Ecclesias Rosarii visitantibus, ac dictæ processioni interessentibus, perindè ac si iisdem diebus dictas Cappellas, seu Ecclesias personaliter visitarent, & processionibus hujusmodi interessent; advertant nihilominùs Confratres, ut debita contritione muniantur.

CAPUT XII.

Indulgentiæ pro Defunctis.

PRimò. Gregorius XIII. in Bulla, quæ incipit, *Omnium ſaluti*, 30. Octobris 1582. concedit Ecclesiæ Prædicatorum loci Racconsii, ubi est Altare Sanctissimi Rosarii, quod non est Altare majus indultum Altaris privilegiati, quoties ab aliquo dictæ Domus Sacerdote dumtaxat Missa Defunctorum celebrabitur, pro anima cujuscunque fidelis defuncti Confratris Sanctissimi Rosarii:

Secundò. Clemens X. concedit omnes Indulgentias capitulo decimo, numero sexto recensitas, posse applicari per modum suffragii animabus defunctorum.

Tertiò. Prætereà Innocentius XI. concessit, & indulsit in perpetuum, ut omnes, & singulæ Indulgentiæ Confratribus, & Consororibus Rosarii concessæ, possint ab iisdem per modum suffragii applicari animabus fidelium defunctorum, quæ Deo in charitate conjunctæ ab hâc luce migraverint.

Forma, ut vocant Abſolutionis, ſeu modus impertiendæ Indulgentiæ Confratribus Roſarii in articulo mortis.

COnfiteor. *Pater Spiritualis.* Misereatur &c. Indulgentiam &c. Dominus noster Jesus Christus Filius Dei vivi, qui Beato Petro Apostolo suo dedit potestatem ligandi, atque solvendi per suam piissimam misericordiam, recipiat confessionem tuam, & remittat tibi omnia peccata, quæcunque, & quomodocunque in toto vitæ decursu commisisti, de quibus corde contritus, & ore confessus es, restituens tibi stolam primam, quam in Baptismate recepisti, & per Indulgentiam plenariam à Summo Pontifice Innocentio Octavo Confratribus Sanctissimi Rosarii in articulo mortis constitutis concessam, liberet te à præsentis, ac futuræ vitæ pœnis, dignetur Purgatorii cruciatus remittere, portas inferni claudere, Paradisi januam aperire, teque ad gaudia sempiterna perducere, per sacratissima suæ vitæ, passionis & glorificationis mysteria sanctissimo Rosario comprehensa. Qui cum Patre & Spiritu Sancto Deus unus vivit & regnat in secula seculorum. Amen.

Die 11. *Julii* 1679. *S. Congregatio Summarium hoc Indulgentiarum à ſe recognitum approbavit.*

A. Cardinalis Homodeus.

Loco † Sigilli.

Michael Angelus Riccius S. Congregationis Indulgentiarum, Sacrarumque Reliquiarum Secretarius.

Confirmatio prædicti Summarii Apostolica.

S. 2. Cùm autem sicut eadem expositio subjungebat dictus Antonius Magister Generalis Summarium hujusmodi, quo firmiùs subsistat, Apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri, & aliàs opportunè in præmissis à Nobis provideri, ac ut infrà indulgeri, plurimum desideret, Nos ipsius Antonii Magistri Generalis votis hâc in re, quantùm cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque à quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, à jure, vel ab homine quâvis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harùm serie absolventes, & absolutum fore censentes, suppli-

catio-

cationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, præinsertum Summarium Indulgentiarum, & gratiarum spiritualium, omniaque & singula in eo contenta auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & singulos, juris & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Concessio facultatis erigendi Confraternitates sub titulo Sanctissimi Rosarii.

§. 3. Præterea præfato Antonio moderno, & pro tempore existenti Magistro Generali dicti Ordinis Fratrum Prædicatorum, eoque à Romana Curia absente, Vicario Generali ejusdem Ordinis itidem pro tempore existenti, Confraternitates sub titulo Sanctissimi Rosarii hujusmodi in quibusvis Mundi partibus, servata tamen Constitutione fel. rec. Clementis PP. VIII. Prædecessoris Nostri, quæ incipit *Quacunque à Sede Apostolicâ, &c.* 7. Decembris MDCIV. editæ, ac Decretorum hujus Sanctæ Sedis, præsertim circà distantiam locorum in erectione Confraternitatum similis instituti servandam emanatorum formâ, & dispositione, erigendi & instituendi, quamcunque necessariam, & opportunam facultatem auctoritate & tenore præfatis tribuimus, & impertimur.

Et actualis post Canonicam Confraternitatum erectionem gratiarum spiritualium participatio.

§. 4. Ac omnibus & singulis Confraternitatibus utriusque sexus Christi fidelium, sub eodem titulo Sanctissimi Rosarii ubicunque locorum hactenùs erectis, & in futurum tàm in præfati Ordinis, quàm in aliis quibuslibet Ecclesiis, vel Oratoriis per memoratum Magistrum Generalem, seu Vicarium Ganeralem, sicut præmittitur, quandocunque erigendis, illarumque Confratribus, ut statim atque Canonica ipsarum Confraternitatum erectio facta fuerit, etiam absque ullâ indulgentiarum, & gratiarum spiritualium communicatione, vel aggregatione, omnium & singularum indulgentiarum, etiam plenariarum, & aliarum gratiarum spiritualium præfatarum participes sint, dictique Confratres & Consorores omnes, & singulas, etiam plenarias indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes, cæterasque gratias spirituales in Summario præinserto contentas & expressas, servatis tamen, & adimpletis omnibus illis, quæ pro illarum consecutione respectivè præscripta sunt, consequi, illisque uti, frui & gaudere liberè & licitè possint & valeant, eâdem auctoritate harum serie concedimus & indulgemus.

Decretum roborans & irritans.

§. 5. Decernentes easdem præsentes Litteras semper firmas, validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocunque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscunque Judices ordinarios & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari & definiri debere, ac irritum & inane, si quid secùs super his à quoquam quâvis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariis.

§. 6. Non obstantibus quatenus opus sit Nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regulâ de non concedendis indulgentiis ad instar, ac præfatâ Clementis Prædecessoris, aliisque Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, nec non quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâvis firmitate alia roboratis Statutis & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & Litteris Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hâc vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Transsumptorum fides.

§. 7. Volumus autem, ut earumdem præsentium Litterarum transsumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiasticâ Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsùs fides ubique locorum tàm in judicio, quàm extrà illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 31. Julii 1679. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

D. 31. Julii 1679. P. A. tertio.

J. G. SLUSIUS.

Ordinationes quædam pro Ordine Fratrum Prædicatorum cum Cardinalis Palutii moderamine confirmantur. IX.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Loquitur de ordinationibus ad Cardinalem Palutium transmissis.

§. 1. CUm nos aliàs de iis, quæ Ordini Fratrum Prædicatorum necessaria, atque utilia erant satis edocti, quasdam ordinationes ad Dilectum Filium Nostrum Palutium S. R. E. Presbyterum Cardinalem de Alteriis nuncupatum, dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectorem transmitti mandassemus, quæ à Capitulo Generali ejusdem Ordinis novissimè celebrato fieri deberent, ipsæque ordinationes die præcedenti electionem novi Magistri Generalis Ordinis præfati coràm omnibus Definitoribus, de mandato & in præsentiâ dicti Palutii Cardinalis, & Protectoris, nomine & jussu Nostro in publico Definitorio lectæ, ibique ab omnibus ejusdem Capituli Generalis Vocalibus cum humili illarum observantiæ professione acceptatæ, & statutæ fuissent; & postridiè statim factâ electione Dilecti Filii moderni Magistri Generalis dicti Ordinis, idem novus Magister Generalis antequàm in Ecclesiam ad recipiendam à Fratribus obedientiam descenderet, juxtà easdem ordinationes illarum observantiam coram toto Capitulo promisisset, ac promissionem hujusmodi publico juramento in manibus præfati Palutii Cardinalis Protectoris, & Capituli Præsidentis præstito confirmasset: Recursum habuerunt ad Nos quatuor Deputati à Capitulo Generali prædicto, Nobis humiliter supplicantes, ut præjudicia, quæ toti Ordini prædicto ex observantiâ aliquarum ex dictis ordinationibus nascitura supponebant perpendere, ac desuper opportunè providere de benignitate Apostolicâ dignaremur.

Et à Capitulo acceptatis.

Earum moderatio à Deputatis expetita.

§. 2. Nos verò ejus rei cognitionem demandavimus memorato Palutio Cardinali & Protectori, qui auditis, & maturè discussis rationibus per eosdem Deputatos, tam vivâ voce, quàm scripto deductis, easdem ordinationes jussu Nostro moderatus est, & redegit in formam tenoris qui sequitur, videlicet.

Et à Cardinali Palutio facta.

Ordinationes & Statuta facienda in Capitulo Generali Ordinis Prædicatorum antequam deveniatur ad electionem Magistri Generalis, à Magistro noviter electo juramento promittenda coràm Capitulo Electorum, statim post electionem, antequàm in Ecclesiam ad recipiendam obedientiam descendat; idemque à successoribus, in futuris electionibus præstandum. Primò statuendum est, quod observentur Constitutiones Apostolicæ, ac illæ Religionis super celebratione Capituli Generalis quolibet triennio, non autem ultrà, absque licentiâ Summi Pontificis. Quodque in fine cujuslibet Capituli Generalis statuatur tempus, & locus futuri Capituli. Secundò. Est statuendum quod Generalis teneatur personaliter, & per seipsum peragrare universam Europam, ac visitare Religionem ejusque Conventus, ità ut id sequatur de omnibus Conventibus, vel eorum majori parte, non autem de magis conspicuis tantùm, vel in locis transitus. Quodque id agat cum eâ majori modestia, & parsimoniâ, quam religiosa humilitas exigit, tàm circà numerum sociorum, aliorumque comitum & familiarium, ut non excedatur numerus sex, vel octo, quàm circà victum, aliasque expensas, ne Con-

Agunt de tempore celebrationis Capituli.

De visitandis à Generali Religionis Conventibus.

ventus nimiùm graventur, ideòque omnes expensæ non possint excedere scuta quatuor quolibet die; quodque mora sit omninò brevis, nisi ex aliquâ justâ causâ, quæ concernat visitationem, & correctionem ejusdem Conventus, & non aliàs, & videatur necessaria talis mora; Super quæ ejus conscientia graviter onerata sit. Neque super hac obligatione visitandi Capitulum Generale dispensare valeat absque Apostolicâ auctoritate. Tertiò, quod circà gradus Magisterii debeat omninò servare Constitutionem Bonifacii IX. quæ incipit: Dilectos Filios, sub datum Romæ apud Sanctum Petrum quinto Kalendas Maii, Pontificatus anno decimo tertio, neque illi derogare valeat. Et quartò. Quòd non possit alterare præsentia Statuta, vel aliàs Constitutiones, vel Acta & Decreta Capitularia. Quòdque Acta & Decreta Capitularia debeant subscribi ab Eminentissimo Protectore, & à tribus qualificatis Religiosis à Capitulo Generali deputandis, atque aliàs non possint imprimi, vel publicari, nullamque faciant fidem, vel robur habeant Ordinationes, & Statuta facienda in Capitulo Generali Ordinis Prædicatorum post sequutam electionem Generalis. Eligantur quatuor, vel sex Religiosi ex doctioribus & provectioribus, magisque informatis, quibus committatur cura revidendi Constitutiones earumque Glossas & ordinationes, ac referendi Capitulo Generali, quænam exigant correctionem, vel emendationem, sive declarationem, & aliam provisionem in omnibus his, quæ concernunt statum, & commodum Religionis, ac observantiam, & disciplinam Regularum. Atque desuper à Capitulo statuatur (ad formam Constitutionum tamen) ut in posterum omnes tollantur occasiones quæstionum, & dubitationum, & præsertim circà institutionem, & remotionem Superiorum, & similium. Et ubicunque in Glossis Constitutionum citantur Litteræ Pontificiæ aut Decreta Congregationum, vel alia similis auctoritatis, ad authenticos Codices, & posteriores derogationes, si quæ sint, recurratur, & cum his corrigantur, & ad litteram recitentur, & hæc omnia fiant à prædictis Religiosis, Eminentissimo Protectore consulto approbante. Et suprascripta omnia serventur in posterum semper, si hæ Constitutiones imprimendæ sint cum aliquâ mutatione, sive in ipsis, sivè in Glossis.

De gradibus Magisterii.

De subscribendis Actis & Decretis.

Observanda post Generalis Electionem.

§. 3. Quare nos perpetuæ, atque inviolabili prædictarum ordinationum, quæ toto Ordini supradicto perutiles, atque conducibiles esse dignoscuntur, firmitati, robori & efficaciæ, ac observationi, ex commissi Nobis cœlitus pastoralis officii debito consulere cupientes, motu proprio, ac ex certa scientiâ, & maturâ deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ordinationes & statuta præinserta, omniaque & singula in eis contenta & expressa, tenore præsentium perpetuò confirmamus & approbamus, ac etiam innovamus, illisque inviolabilis, & irrefragabilis Apostolicæ firmitatis, vim, robur & efficaciam adjungimus, ac omnes & singulos, juris & facti, & solemnitatum quarumvis tam ex Juris Communis, & Apostolicarum, ac dicti Ordinis Constitutionum, & Privilegiorum præscripto, quàm de stylo, usu, & consuetudine etiam immemorabili ejusdem Ordinis, & aliàs quomodolibet in similibus, etiam de necessitate observandum, & alios quoslibet, etiam quantumvis formales & substantiales, ac incogitatos & incogitabiles, specificâque & individuâ mentione, & expressione dignos defectus, si qui in eis, vel eorum aliquo principaliter, vel accessoriè, antecedenter, vel subsequenter, aut concomitanter, seu aliàs quomodolibet intervenerint, seu interveniisse dici, censeri, intelligi, vel prætendi quovis modo possent, plenissimè, & amplissimè supplemus & sanamus, ac penitus, & omninò tollimus, perimimus & abolemus; ipsasque ordinationes, & Statuta præinserta à die primæ illarum, & illorum publicationis, & acceptationis, strictè, & rigorosè observari præcipimus.

Ordinationes prælictæ Apostolicâ firmitate muniantur.

Et defectus supplendus.

§. 4. Ac proindè si quid subindè tàm à præfato Capitulo Generali in suis Actis Capitularibus, quàm à dicto Magistro Generali, aliovè quocunque actum, gestum, decretum, vel ordinatum fuit, aut in futurum quandocunque à Capitulis Generalibus, vel Magistris Generalibus dicti Ordinis pro tempore existentibus, aliisvè quibuslibet agi, geri, decerni, vel ordinari contigerit, quod præinsertis Ordinationibus, & Statutis directè, vel indirectè seu aliàs quomodolibet adversetur, aut illorum effectum quovis modo impedire, vel avertere valeat, id in eâ parte nullum, cassum & irritum, nulliusque roboris & momenti, ac viribus & effectu penitùs, & omninò vacuum esse, & fore, etiam ex nunc, prout ex tunc, & è contrà decernimus & declaramus.

Annullantur Statuta opposita.

§. 5. Decernentes pariter easdem præsentes Litteras, & in eis contenta quæcunque, etiam ex eo quòd Magister Generalis, cæterique Superiores, & Fratres Ordinis prædicti, & alii quilibet etiam specificâ & individuâ mentione, & expressione digni in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes illis, non consenserint, nec ad ea vocati, citati, auditi, neque causæ, propter quas præsentes emanarint, adductæ, specificatæ, vel justificatæ fuerint, aut ex alia quâlibet, etiam quantumvis juridica, pia & privilegiata causa, colore, prætextu, vel capite, etiam in Corpore Juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, aut interesse habentium consensûs, aliovè quolibet, etiam quantùmvis magno, & substantiali, ac incogitato, inexcogitabili, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari rescindi, modificari, limitari, aut in controversiam vocari, seu ad terminos Juris reduci, aut adversùs illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudvè quodcunque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, seu impetrato, aut etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine vel paribus concesso vel emanato, quempiam in judicio vel extrà illud uti, seu se juvare ullo modo posse, sed ipsas præsentes Litteras ac Ordinationes, & Statuta præinserta semper firma, valida & efficacia existere & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocunque, spectabit in omnibus, & per omnia inviolabiliter, & inconcussè observari.

Decretum super obstativis.

§. 6. Sicque & non aliter in præmissis omnibus, & singulis censeri, atque ita per quoscunque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. præfatæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, aliosve quoslibet quacunque præeminentia & potestate fungentes & functuros, sublatâ eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere, ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquam quâvis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans & Clausula sublata.

§. 7. Non obstan. præmissis ac quatenus opus sit, Nostra & Cancellariæ Apostolicæ Regula de jure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque Conciliis editis, generalibus, vel specialibus Constitutionibus & ordinationibus, nec non dicti Ordinis, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, stylis, usibus, consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis & Litteris Apostolicis eidem Ordini, ejusque Magistro Generali, cæterisque Superioribus, Fratribus, & personis quibuslibet, etiam specifica, & individua mentione dignis, sub quibuscunque verborum tenoribus & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibus-

Derogatio contrariis.

que,

que, & aliis Decretis, in genere, vel in ſpecie, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus, ac conſiſtorialiter, & aliàs quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, ac pluries, & quantiſcunque vicibus confirmatis approbatis- & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſsa, ac individua, & de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum tenores, formas, cauſas & occaſiones præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, inſertis, ſpecificatis & ſervatis, reſpectivè habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, ac derogatum eſſe volumus, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Tranſſumptorũ fides.

§. 8. Volumus autem, ut earundem præſentium Litterarum tranſſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica Dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorsùs fides ubique locorum tàm in Judicio, quàm extrà habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die 6. Octobris 1679. Pontificatus Noſtri Anno Quarto.

D. 6. Octobris 1679. P. A Quarto.

J. G. SLUSIUS.

X.

Confirmantur Conſtitutiones factæ pro Clericis Secularibus in commune viventibus.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordiuntur à confirmandis Statutis Eccleſiæ proficuis.

CReditæ nobis divinitùs Apoſtolicæ Servitutis ratio poſtulat, ut ſalubria Chriſti fidelium in ſortem Domini vocatorum Inſtituta, ex quibus uberes in Eccleſia Dei bonorum operum fructus aſſiduè provenire noſcuntur, ac Conſtitutiones pro felici, proſperoque illorum regimine, & progreſſu, piè prudenterque factas Apoſtolici muniminis præſidio roboremus, piaque illorum ſtudia favoribus, & gratiis decoremus, ſicut ad Omnipotentis Dei gloriam, & animarum ſalutem expedire in Domino arbitramur.

Loquitur de inſtituti Auctore & Approbatoribus.

§. 1. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecerunt Dilecti Filii Clerici ſeculares in commune viventes, quod anno 1640. operà tunc in humanis agentis Bartholomæi Holtzhauſer Vicarii tunc exiſtentis Epiſcopi Chiemenſis in Bavaria, ac ad Sanctum Joannem in Leoggenthal Decani inchoatum fuit eorum Inſtitutum, quod Deo opitulante in aliis Diœceſibus & Provinciis indies uſque in præſens adeò excrevit, ut non tantùm à b. mem. Johanne Philippo dùm vixit Archiepiſcopo Moguntino, Sacri Romani Imperii Principe Electore, ſed etiam ab aliis pluribus Archiepiſcopis, & Epiſcopis fuerit in eorum Diœceſes receptum, & expreſsè approbatum, ac ab iiſdem per propriis Litteras, prout etiam à Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro Leopoldo Romanorum Rege in Imperatorem electo, & à bonæ pariter memoriæ Maximiliano Primo, & Ferdinando Maria, dum vixerunt, utriuſque Bavariæ Ducibus, ejuſdem Sacri Romani Imperii Principibus Electoribus, huic S. Sedi Apoſtolicæ inſtantiſſimè commendatum extiterit.

Allegat & receniſet Ordinationes pro Inſtituti directione factas.

§. 1. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, Inſtitutum prædictum ſub immediatâ juriſdictione Ordinariorum, ac directione unius ſupremi Præſidis, prout modo dicti Exponentes eiſdem ſubſunt, omni prorsus exemptione ſeclusâ ſalubriter ordinatum, ac pro felici ipſorum Exponentium, & Inſtituti hujuſmodi directione, rectâque juventutis inſtitutione nonnullæ Conſtitutiones factæ fuerint, quæ per Congregationem nonnullorum ex Venerabilibus Fratribus Noſtris S. R. E. Cardinalibus ſuper hoc negotio à Nobis ſpecialiter deputatam, reviſæ, & in nonnullis correctæ fuerunt, ac in unum volumen redactæ, tenoris, qui ſequitur, videlicet.

Conſtitutiones Clericorum Secularium in commune viventium,

Procœmium.

Procœmium à fine Vitæ Clericalis & generali Conſtitutionum contento.

Finis hujus vitæ Clericalis non eſt novum Inſtitutum, aut Religionem introducere; Sed ipſummet ſtatum Clericalem, & Eccleſiaſticum à Chriſto fundatum, & ab Apoſtolis obſervatum ſub immediatâ R. R. Ordinariorum poteſtate omni prorsùs exemptione ſecluſa purè amplecti. Ut verò primæva, ac genuina prædicti ſtatus honeſtas tutiùs, & ſanctiùs conſervetur, Sacerdotes hujus vitæ juxtà antiquos Eccleſiæ Canones, ſecluſo fœminarum conſortio, bini, terni, vel etiam plures, ſimul ſub privatâ, & œconomicâ quadam unius Superioris directione, ac inſpectione vivent, & bona ſua Eccleſiaſtica in communes pios uſus conferent: atque ſic & privatam ſuam, & animarum ſibi commiſſarum æternam ſalutem gnaviter promovere ſtudebunt, prout ſequentes Conſtitutiones in certa capita digeſtæ, uberiùs explicant.

Subjiciuntur Clerici juriſdictioni Ordinariorum.

Illud porrò ſibi perſuadeant ſe juriſdictioni Ordinariorum, in quorum Diœceſibus pro tempore Beneficia, vel domicilia obtinuerint (ſecluſa omni exemptione) ſemper manere ſubjectos: Quorum proinde, uti & præcipuè ipſius S. Romanæ Catholicæ Eccleſiæ Matris noſtræ Dogmata, jura, Decreta & conſuetudines, pro viribus obſervabunt, atque defendent, quemadmodùm à Clericis ea obſervari, & defendi par eſt.

Diviſio Ordinationum in ſex partes.

Cæterùm Conſtitutiones hujus vitæ Clericalis in ſex partes præcipuè dividuntur. Prima eſt de curâ propriæ ſalutis, & profectus in Spiritu. 2. De communitate bonorum. 3. De fraternâ cohabitatione. 4. De ſeparatione mulierum. 5. De obedientia. 6. Denique de curâ animarum.

De Curâ propriæ ſalutis, & profectus in Spiritu.

I.

Intellectus in obſequium fidei captivandus.

Cùm fides ſit fundamentum, & initium ſalutis æternæ, ſublato omni proprio judicio, captivantes intellectum ſuum in obſequium fidei Jeſu Chriſti, teneant promptam, ac paratam voluntatem omnibus iis fidem, ac obedientiam præſtandi, quæ vera Chriſti Sponſa, ac S. Mater noſtra, Romana Orthodoxa, Catholica Eccleſia, credenda, aut facienda declaravit, vel in poſterum declarabit.

II.

Creatoris gloria ubique ſpectanda.

Per rectam intentionem in omnibus ſuis actionibus ſincerè gloriam Creatoris ſui ſpectent, curentque, quantùm in ſe erit non ſolùm ſe ipſos, verùm etiàm omnes alios ad ſerviendum divinæ Majeſtati excitare propter ipſammet, & propter nimiam charitatem, quâ prior dilexit nos, neque in ulla re ſe ipſos quærant, ſed in omnibus creaturis, quemadmodùm & in ſemetipſo, Creatorem ſuum, & omnes in illo diligant.

III.

Animi propenſiones probè cognoſcendæ.

Unuſquiſque perſpectas habeat animi ſui propenſiones, & antevertere noverit tentationes, opponendo ipſis remedia, quæ quivis ſibi cum Divina gratia comparare, & in promptu habere laborabit, inflectendo ſe ad ea, quæ ſunt contraria peccatis, & profectui Spiritus conducunt; ut ſi quis animadvertit, ſe ad ſuperbiam, aut iram aliamve paſſionem eſſe propenſum, is exerceat ſe in rebus abjectioribus, & quærat ea, quibus patientiam exercere, aut alii vitioſæ propenſioni reſiſtere poſſit.

IV.

Chriſtianis virtutibus ſtudendum.

Ad virtutes ſolidas hominis ſui interioris pro vi-

ribus enitantur; præcipuè verù ſtudeant in ſui ipſius cognitione, verâque abnegatione, & Chriſtianâ ſimplicitate, in humilitate, patientiâ & charitate, timore Dei, cum prudentiâ, & diſcretione plurimùm excellere.

V.

Injuriæ patienter ferendæ.

Propter amorem Chriſti Salvatoris ſui libenter debent ferre injurias, perſecutiones, contumelias & quævis opprobria, imò ex animo gaudere, ſi gratis odio habuerit eos mundus, & contempſerit: quæ omnia eo ardentiùs complectentur, quòd ſciant, iiſdem inſignibus Dominum & Magiſtrum ſuum fuiſſe ſpectabilem.

VI

Affectus tùm corporales tùm ſpirituales refrenandi.

Cùm ex ſola voluntatis affectione (quantumvis etiam ſpirituali) vel ſubita boni, verive apprehenſione ad agendum, vel omittendum præcipitanter, & qua datâ portâ ruere, maximè ſemper ſit periculoſum, ideò affectus ſuos, etiam ſpirituales, ita refrenent, ut neque in agendo, neque in loquendo ſint inconſiderati, aut præcipites, ſed re priùs in oculis Dei diſcuſsâ, penſent, quæ honeſtas, utilitas, neceſſitas & veritas, rebus agendis, vel omittendis ſubſit, quæve commoda, aut incommoda ex iis ſint naſcitura.

VII.

Convivia temperantiæ gratia vitanda.

Temperantiam in cibo & potu, ad majus Dei obſequium, & perfectiorem carnis ſubjugationem, unicè cordi habeant, & ſanctè ſemper conentur obſervare. Hinc convivia, quantum fieri poteſt, domi, foriſque evitent: ſi verò humanitas, vel Chriſtiana charitas ſubinde aliud prudenter ſuaſerit, ex Superioris arbitrio ſtabit, quid hâc in re cum ædificatione permittendum ſit; nemo proindè hiſce citrà juſſionem ſe ingerat, aut proprio motu ad aliquod convivium accedere præſumat.

VIII.

In itinere ſobrietatis leges ſervandæ.

Quandò itinerantur, apud hujus vitæ Sacerdotes divertant, quod ſi in eorum defectu diverſorium aliud eos capere neceſſe fuerit, memores ſobrietatis & frugalitatis, diligenter caveant, ne cibi & potus abuſu, animæ puritati, & proximorum ædificationi aliquid officiant.

IX.

Otium ſummo fugiendum ſtudio.

Quia otium pulvinar Diaboli, & vitiorum carnis, aliorumque plurimorum malorum mater eſſe noſcitur; omni modo ſibi proſpiciant, ut ſemper, etiam extrà ſtatutas exercitationes ordinarias, honeſtâ aliqua actione ſint occupati, quam ſinguli pro capacitate ſui ingenii, & Superiorum directione ſuſcipiant.

X.

Exercitiis ſtatutis diligenter vacandum.

Statutis exercitiis diligenter ſuum tempus tribuant, uniformitatem omnes ſervent, & ſemet ipſos utilitet de die in diem in ſincerum ſervitium Divinæ Majeſtatis impendant; hinc quantumvis aridi ſint & deſolati, fortiter nihilominus iiſdem inſiſtant, ſcientes etiam abſque ſtipendio cœleſtium conſolationum, voluntati Divinæ obſequium rationabile præſtare, ejuſque providentiæ, & nutui, perfecta quadam voluntatis ſuæ cum Divinâ conformatione, in omnibus ſeſe ſubjicere, quare conſtanter pergant, & ad devotionem in quibuſvis difficultatibus ſe jugiter excitent.

XI.

Viæ ordinariæ in ſpiritualibus Exercitationibus inſiſtendū.

In ſuis ſpiritualibus exercitationibus viæ ordinariæ, ſecundum communes prudentiæ, & diſcretionis regulas, inſiſtant omnes, & ut ſe contrà Dæmonis illuſiones tueantur, Superiorum & Confeſſariorum ductum ſequantur; norintque modos, tentationes, & inſidias maligni ſpiritus vitandi, & ſuperandi.

XII.

Aſceticæ lectioni & meditationi incūbendum.

Ad majorem in Spiritu profectum, aut ſaltem ad neceſſariam illius conſervationem, omnes quotidiè in meditationem, ſecundùm exercitium trium animæ potentiarum, vel aſceticam lectionem, ad minimum per mediam horam poſt matutinas preces incumbant, ad quam ſe pridiè veſperi per horæ quadrantem præparaverint, eam potiſſimùm ex vitâ Chriſti & Sanctorum materiam ſeligentes, quam ſibi ſinguli magis profuturam exiſtimabunt.

XIII.

Conſcientia per diligentē peccarorū confeſſionem munda ſervanda.

Aveant omnes quotidié celebrare, & ita vivere, ut digne celebrare poſſint, idcircò ſummo ſtudio conentur conſcientiam ſuam, ab omni, etiam minima labecula mundam ſervare, mortalem culpam plus quam faciem colubri formidantes. In hunc finem ad minimum ſemel in ſeptimanâ ſua peccata integre confitebuntur, idque aliàs toties facient, quoties neceſsè fuerit, & quotidiana tantorum myſteriorum tractatio requiſiverit.

XIV.

In defectu Chori Breviario Romano utendum.

Ubi non eſt Chorus, Breviarium Romanum, aliaſque preces conſuetas, unà cum conſcientiæ examinibus, ſemel eodem loco, & tempore cum debitâ attentione & devotione, in Creatoris ſui laudem perſolvere allaborent.

XV.

Scripturæ Sacræ lectioni invigilandū.

Lectioni, ſtudio, ac meditationi Sacrarum Scripturarum eâ ſedulitate, ac frequentiâ invigilabunt, ut huic tàm ſancto exercitio, ultra tempus matutinæ meditationis, vel lectionis ſupra nominatum, ſaltem unam adhuc horam quotidiè impendant; & ad majorem fructum indè percipiendum Sanctorum Patrum, probatorumque interpretum explanationem deſuper adhibeant.

XVI.

Spiritus recollectioni quotannis per certos dies vacandū.

Præter ſtatuta exercitia quotidiana, omnes & ſinguli cujuſcunque Diſtrictus Sacerdotes, in loco à Superioribus aſſignando quotannis recollectioni ſpiritus ſui per certos dies vacabunt, ad quam etiam extrà hoc præſcriptum parati eſſe debent, quandò eam Superiores illis aut utilem, aut neceſſariam eſſe judicaverint.

XVII.

Superiorum correctio æquo animo accipienda.

Non ſolùm æquo animo accipiant, ſi ad majorem in virtutibus progreſſum, proprij defectus ipſis, à Superioribus fuerint intimati; verùm etiam, ad aliorum correctionem viam ſternant: quare ſi quis grave delictum, aut tentionem, vel ejus periculum in altero notaverit, de hoc Superiorem vel fideliter moneat, vel ſaltem deſuper interrogatus veritatem aperiat, ut ipſe pro paternâ in ſuos curâ periclitantibus convenienti remedio poſſit ſuccurrere.

XVIII.

Negotia ſecularia non temere ſuſcipienda.

Caveant Sacerdotes ſeſe negotiis ſecularibus, aliiſque rebus ad ſe non pertinentibus immiſcere, & ſi quam cauſam civilem habuerint, ſublimioris ſtatus ſui intuitu in judicio perſonaliter non compareant, ſed utantur Procuratore, quod ſi verò urgente neceſſitate, cauſam viduarum, pupillorum aliarumque miſerabilium perſonarum ſuſcipere charitas ſuaſerit, non faciant id abſque licentiâ Superiorum, in iis autem ſuo dumtaxat conſilio adjuvandis, memores ſint modeſtiæ, & ergà partes litigantes reconciliandæ charitatis.

De Communitate Bonorum.

XIX.

Reditus Sacerdotū Eccleſiaſtici ad communes pios uſus conferendi idque ad exemplum Chriſti. Apoſtolorum & Eccleſiæ primitivæ.

Communitas bonorum hujus vitæ Clericos & Sacerdotes obligat, ut reditus ſuos Eccleſiaſticos, quocunque titulo obvenientes, quorum tamen libera diſpoſitio de jure ad ipſos pertinet, in communes pios uſus conferant; collatione ſtabiliter in vitâ, & poſt mortem durativâ (ſalvis juribus Sacræ Sedis Apoſtolicæ, & R R. D D. Ordinariorum) quam eo ipſo facere cenſentur, dum vitæ huic communi ſe aggregant. Hanc porrò communitatem bonorum eo ardentiùs coli decet, quod Chriſtus Dominus cum Apoſtolis ſuis eam tenuerit, in Eccleſiâ Dei diu viguerit, & Sacri Canones tàm ſanctè ad eam hortentur. Igitur in Autorem vitæ Jeſum Chriſtum jugiter reſpiciant, & memores ſe ad vendicandam veram libertatem filiorum Dei & adipiſcendas divitias gratiæ ejus, totum theſaurum ſuum in Cruce Domini ſuſpendiſſe laborent, omnem affectum, & inordinatam animi ſollicitudinem erga res temporales ſic extirpare, ut ſolus Chriſtus, velut ſummum bonum, uniuſcujuſque præcordia abundanter impleat.

Quaprop-

Unus ad reditus recipiendos, rationemque suo tempore reddendam eligendus.

XX.

Quapropter ut in majore pace domestica, & quiete animi, Deo, sibi & proximo vacare, & vivere possint, ubi plures simul habitant, unus eligatur, qui beneficiorum, & functionum Ecclesiasticarum reditus è manibus Sacerdotum sibi cohabitantium recipiat, & singulorum necessitatibus ex æquo prospiciat, atque de receptis, & expensis suo tempore Superiori ordinatam rationem reddat.

Nihil ex domiciliis & Bibliothecâ auferendum vel transferendum.

XXI.

Habitatio, victus, vestitus, lecti, pro diversitate locorum uniformiter sic accomodentur, quemadmodum Servos & Ministros Dei, & Ecclesiæ decet: infirmorum tamen semper habitâ ratione, sine expresso consensu Superioris nihil de uno in aliud domicilium transferatur: Hinc caveant hospites itinerantes, aut qui aliò comigrant, ne quid sivè ex Bibliothecâ libros, sivè ex domo alias quascunque res, clanculùm & pro libitu suo secum accipiant, ob confusiones & incommoda quæ ex oppositò consequuntur.

Consanguinei pauperes tàm proprij quàm aliorum charitate juvandi.

XXII.

Qui parentes, fratres & sorores in necessitate constitutos habent, œconomiam suam ita instituant, & vivant, ut eos charitativè juvare possint; ubi verò beneficiorum tenuitas id non patitur, ex dispositione Superioris, defectus aliundè supplebitur. Illi autem, qui ab ejusmodi onere juvandorum parentum, fratrum, sororum liberi sunt, ne arbitrentur rapinam id, quod ad obsequium pietatis, & necessitatis in suorum confratrum parentes, fratres & sorores, ab eodem Superiore commendatos expenditur, verùm sibi persuadeant (cum charitati fraternæ omnia sint communia) in suos impendi: undè qui non habent parentes, fratres vel sorores, in necessitate constitutos, sint tanquam habentes, gratiasque Deo agant, quod hâc libertate eos donarit.

De dispensatione bonorum patrimonalium.

XXIII.

Cæterùm communitas bonorum hujus vitæ clericalis, prout suprà insinuatum, procedit solummodò de bonis intuitu munium, functionum, ac redituum Ecclesiasticorum quomodolibet quæsitis: bona autem patrimonialia sub libera cujusque dispositione relinquuntur: cum hoc tamen moderamine, ut in iis dispensandis, prima ac potissima pauperum consanguineorum ratio habeatur: bono nihilominùs Communitatis nostræ Clericalis non præterito. Ad evitandam verò omnem in hâc disciplinâ clericali, & pace domesticâ confusionem, & alia incommoda, hujusmodi dispositiones patrimonalium diligenter consignentur, & Superiori, quoties ipsi videbitur, desuper ratio reddatur; lites verò si quæ super dictis bonis patrimonialibus movebuntur, non à Sacerdotibus in personâ, multo minùs nomine Communitatis, sed Procuratores coràm Tribunalibus agitentur.

De Fraterna cohabitatione.

Non facilè Clericus solus habitare debet.

XXIV.

Duo, tres, etiam plures Clerici, pro locorum qualitate (conformiter antiquis Ecclesiæ Canonibus) eadem in domo, ac mensâ piè, sobriè, castè & fraternè cohabitent, nec facile aliquis solus exponatur, nisi locorum distantia postulet, eaque sit Parochialium proventuum tenuitas, ut duo cohabitare non possint: tales vero soli exponantur, qui eam vitæ morumque constantiam probarunt, ut solitudo nihil periculi secum trahere meritò credatur.

Adolescentes ab iis instituendi.

XXV.

Ut autem hujus vitæ socialis disciplina, vitato otio, sanctiùs continuetur, & simul major proximo utilitas accrescat, teneros adolescentes in bonis moribus & litteris eò usque informabunt, prout singulorum capacitas, opportunitasque locorum permiserit.

Propriis non minùs Studiis etiam post obtentam

XXVI.

Ne tamen ipsi Clerici notitiam Studiorum Theologicorum, & Controversisticorum in scholis acquisitam deperdant, sese, etiam postquam ad animarum curam aliasque functiones clericales applicati fuerint, in prædictorum Studiorum exercitio diligenter occupabunt, & subindè in loco ad hoc deputando, per repetitiones, & conferentias desuper instituendas aliquod suæ industriæ, ac profectus specimen exhibebunt.

animarum curam incumbant.

XXVII.

Fraternam charitatem, & unionem sedulò observare nitantur, supportantes se mutuò in charitativâ patientiâ & infirmitatis propriæ recordatione; quemadmodùm nos & totum mundum in peccatis innumeris Divina bonitas benignissimè sustinet.

Fraternæ unioni studendum.

XXVIII.

Quilibet Sacerdotum, quâvis hebdomade pro Summo Romano Pontifice, & occurrentibus Sanctæ Ecclesiæ necessitatibus, nec non pro incremento hujus vitæ Clericalis, & singularibus ejus Benefactoribus unam Missam faciat: menstrua verò sacra duo (unum quovis in loco pro ejusdem Ordinario, alterum pro defunctis Confratribus, & Benefactoribus) à singulis celebrentur. Quotiescunque etiam continget aliquem ex dictis Confratribus è vitâ decedere, præter consuetas exequias, quæ in sepulturæ loco peragentur, quivis Sacerdos hujus vitæ, pro salute animæ ejusdem, tria sacra legat; preces, & alia pietatis opera uniuscujusque libertati relinquuntur.

De Sacris pro Pontifice, Ecclesiâ, Benefactoribus & Confratribus defunctis legendis.

De Separatione Mulierum.

Cum mulieribus commercia diligenter evitanda.

XXIX.

Cùm Sacerdotes quotidianum Christi Domini receptaculum sint, arctissimam castitatis custodiam omnes habeant, enitendo Angelicam puritatem imitari, ad quam obtinendam portas sensuum occludere, omnesque occasiones, & privata cum mulieribus commercia diligentissimè fugere studeant.

In Domus administratione viris vel cognatis utendum mulieribus.

XXX.

Quare nullæ mulieres cum hisce Sacerdotibus in eadem domo habitent; sed quantùm fieri potest, in administratione domus & culinæ opera virorum utantur: si tamen familiæ rusticæ vel alia inevitabilis necessitas, mulierum famulitium requirat; matres vel sorores, si haberi possint, vel saltem tales suscipiantur, quas vitæ, morumque honestas commendat; eâ nihilominùs separatione factâ, quæ Superioribus videbitur fore sufficiens, & necessaria.

De Obedientiâ.

Perfecta obedientia locorum Ordinariis & Superioribus præstanda.

XXXI.

Viam regiam sanctæ illius obedientiæ omnes teneant, quam locorum Ordinariis exhibere Clerici Seculares communiter tenentur: quemadmodùm hæc vita Clericalis ab origine sui, sine exemtione, illorum jurisdictioni se subjiciens sanctè servavit, & servare deinceps perpetuò debebit. Præterea omnibus, & singulis dictæ vitæ Constitutionibus, ac omnibus illis, quæ eorum Superiores rationabiliter in Domino mandaverint, circà actiones & functiones suas privatas, & œconomicas, perfectam quandam obedientiam, non solùm opere, verum etiam voluntate, & intellectu præstare pro viribus enitantur; salvâ tamen semper in omnibus Ordinariorum autoritate & jurisdictione.

Proprium arbitrium in obtinendis & retinendis beneficiis non sequendum.

XXXII.

In obtinendis, vel retinendis beneficiis, non proprium suum arbitrium vel commodum spectantes, promptum semper, & paratum animum habeant, vel manendi, vel aliò eundi, sic tamen, ut in acceptatione, ac dimissione, seu renunciatione ejusmodi beneficiorum, ordo debitus, & uniuscujusque Diœcesis Consuetudo semper observetur.

Inferiores à Superioribus moderatè dirigendi.

XXXIII.

Secundùm subordinationem superiōritatis, & inferiōritatis unusquisque in conversatione suâ, vel officio, ab alio se dirigi patiatur: si quis tamen fortè irrationabili, & indiscreto imperio gravetur, ad Superiorem recurrat, qui pro suâ discretione in Domino remedium afferet.

Factiones & murmura contrà Superiorũ dicta, facta & dispositiones non excitanda.

XXXIV.

Superioribus suas necessitates candidè aperiant, & amotis suspicionibus, eorum dicta & facta ita accipiant, ut semper in meliorem partem interpretentur, etsi propriæ voluntati, & judicio contraria esse videantur; maximè verò caveant murmura, & factiones contrà Superiorum dispositiones excitare; hæc enim mutuam charitatem scindunt, bonum regimen disturbant & instar pestis corpus viresque Communitatis inficiunt, ac Divino Spiritui adversantur.

De Curâ animarum.

Animarũ cura ferventer exercenda.

XXXV.

Cum pro nostræ vocationis scopo habeamus, juxtà normam SS. Canonum (quoad ejus fieri poterit) & vitæ Ecclesiasticæ honestatem, puritatemque vivere, & simul per functiones Parochiales Dei honorem, & salutem animarum, sincerè atque vigilanter, cum propriæ perfectionis studio, per Dei gratiam promovere; idcircò Sacerdotes hujus vitæ singulari industriâ dictam animarum curam exercebunt, & quidem eâ ferventi charitate, ac sollicitudine, ut neque in verbo, neque in opere, aut exemplo bono aliquid desideretur, quod ad oviculas sibi concreditas, etiam cum extremo vitæ periculo, ritè pascendas conducere possit.

Sacramenta decenter administranda.

XXXVI.

Sacramentorum itaque administrationem, sacrarumque ceremoniarum functiones, cum decenti gravitate, & veneratione peragant. Ritus etiam ubique illos observent, quos Romana Ecclesia & locorum Ordinarii præscripserint.

Populus ad frequẽtem eorum usum adhortandus

XXXVII.

Ad frequentem usum Sacramentorum Pœnitentiæ & Eucharistiæ, populum fervidè adhortentur, necessitatem, vim, & effectus eorum explicando, maximè verò invigilent, ut ægroti Sacro Viatico, & extremâ Unctione maturè provisi ex hâc vita decedant.

Ab invectivis in Evangelii prædicatione abstinendum eaq; ad auditorii captum accomodanda.

XXXVIII.

In prædicando Evangelio Christi, solius Dei gloriam, & animarum salutem spectantes, ab omni invectivarum genere, & acrimoniâ verborum in particulares personas abstineant, neque hominibus, sed Deo placere studeant, unde & ostentationem, & auditorum captui minus accomodatos conceptus fugiant; ea semper in medium proferentes, quæ pro diversitate auditorii sui, populum in veritate Christianâ erudire, aut in moribus corrigere, vel in charitate, aliarumque virtutum studio magis accendere apta sint, de quibus plura infra.

In interpretatione Ecclesiæ, Patrum &c. autoritas sequenda.

XXXIX.

In sensu simplicitatis, & veritatis Christianæ abundantes, Ecclesiæ traditiones & Sanctorum Patrum doctrinas, præcipuè vero Sacræ Scripturæ libros summè æstiment, venerentur, & sibi familiares reddant; quos non ex propriâ sapientia interpretando, ad subtiles conceptus trahere, sed simpliciter ita proponere studeant, prout est utile ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, & ad erudiendum in justitiâ, & prout Sancta Ecclesia, Sancti Patres, & Theologorum orthodoxorum consensus, sanctè hactenus intellexit, & etiamnum intelligit.

Juventus in doctrinâ catechetica instruenda.

XL.

Doctrina catechetica, ad rudiores, & parvulos in articulis fidei orthodoxæ, & moribus Christiano homine dignis ritè instruendos, singulis Dominicis in Ecclesiis Parochialibus uniformiter ex præscripto instituatur; ut sic ex naturalibus ignorantiæ tenebris ad lumen veritatis fidei, & in viam sanctam conversationis traducantur.

De instituendis scholis vernaculis.

XLI.

Ad hoc plurimum juvabit, si scholas vernaculas (quæ magnum, præter alia commoda non pauca, doctrinæ catechecticæ cum fructu prosequendæ præsidium conferunt) ruri non minus, quam in Civitatibus, omni studio & sollicitudine instituendas curent, frequentiùs visitent, & ea, quæ in catechesi dicta, vel dicenda sunt, Ludi magistrum parvulos suos docere jubeant.

Parvuli bonæ indolis in ædibus Parochialibus educandi.

XLII.

Ex vernaculis hisce scholis aliqui bonæ indolis parvuli ad ædes Parochiales assumantur; qui Sacerdotibus ad altare inserviant, mensæ ministrent, ad eamque Scripturam Sacram legant, canere, & Latinè loqui paulatim addiscant; in Mysteriis quoque Christianæ fidei, timore Domini, ingenuis moribus, bonis litteris, & aliis hujus vitæ Clericalis principiis instruantur; sicque ad omnem pietatem, & morum honestatem ineunte ætate, sollicitè educentur.

Sincera charitas ergà Parochianos ægrotos & pauperes exercenda

XLIII.

Animarum fructum plurimùm promoveri sciant, si Parochiani sincerâ charitate foveantur: hinc ægrotos frequentius invisant, eisque cum opus erit, ad ultimam luctam ex debito salutaribus monitis assistant, viduarum, aliarumque miserabilium, & afflictarum personarum singularem quandam curam habeant, earundem necessitates & miserias, quantum fieri poterit, consilio, opera, solatio sublevando.

A novationibus & controversiis cum Magistratu abstinendum.

XLIV.

In Parochiis suis nihil novi incipiant, nihil mutent; verum consuetudinibus laudabiliter hactenus observatis insistant: maximè verò caveant, ne in ullam controversiam, præsertim cum Magistratibus se intromittant; nisi requisito priùs Superiorum consilio, & imperato consensu.

De Vitâ Clericali diligẽdâ & defendendâ & Constitutionibus hisce diligenter observandis.

XLV.

Hanc Clericorum Secularium vitam diligant, defendant, propagent, & in vocatione suâ, tanquàm generosi milites in stratione, quibuscunque adversis non obstantibus, constanter perseverent; ac pro firmiore harum Constitutionum observatione, & custodiâ, quandoque colloquia instituant, quibus id efficiant, ne res suæ, sive spirituales, sive temporales, aliquid capiant detrimenti; & casu, quo disciplinam dissolvi, vel œconomiam periclitari deprehenderint, provido, maturoque consilio occurrant, quod ipsum assequentur faciliùs, si quivis in examine privato juxtà statum, & conditionem suam, super his Constitutionibus, cum proposito emendationis, diligenter se examinaverit.

De earum obligatione.

XLVI.

Denique hæ Constitutiones sub peccato, per se loquendo, non obligant, etsi quis ad hanc vitam Clericalem servandam per juramentum se adstringat. Solus autem ille perjurus censebitur, qui proprio motu se ab hujus Clericalis vitæ, & disciplinæ statu separaverit.

Constitutiones Juventutis ad vitam Sacerdotalem Clericorum Secularium in Commune viventium educandæ.

Proœmium.

Proœmiũ à fine vitæ Clericalis & generalibus ad eã educandorum officiis.

Finis hujus vitæ Clericalis est, & Clericos Seculares in commune viventes in honestate, & disciplinâ Clericali conservare, & ingenuos adolescentes ad eandem educare: unde qui hic aluntur firmiter sibi proponere debent, quod Sacerdotes facti, sub disciplinâ hujus vitæ ad incrementum Ecclesiæ Catholicæ militare, & juxtà propriam etiam aliorum salutem ex professo procurare velint. Quare qui ad hujus disciplinæ institutionem accedunt, sibi persuadeant, se verè in filios, & in membra hujus corporis suscipi: igitur sepositò ergà domum paternam & consanguineos inordinato affectu, eo magis Deum Creatorem suum, & spirituales suos parentes diligere debent, quo majora beneficia & pretiosiorem vitam omninò gratis ab ipsis accipiunt. Proindè hanc Clericorum Secularium vitam, ut veram, & charissimam Matrem habeant, illius disciplinæ ex animo se submittant, tradendo personas suas instituendas, & erudiendas secundum voluntatem suorum Superiorum: maximè verò ad perfectionem debitam, & gradum quendam excellentem communitatis bonorum, dile-

ctionis fraternæ, castitatis, & obedientiæ ab adolescentia conentur; in quibus, veluti columnis, tota structura hujus vitæ Clericalis subsistit. Porrò Constitutiones hujus juventutis ad vitam Clericorum Secularium ritè educandæ in tria potissimùm puncta dividere visum est. Primum erit de pietate Christiana: alterum de morum honestate; tertium de studiis litterarum.

Divisio Constitutionum in tria puncta

De Pietate Christianâ.

I.

De addiscendis articulis fidei, virtute Sacramentorum & Ceremoniarum significatione.

Articulos fidei Catholicæ, eorumque fundamenta animis suis firmiter imprimere; item tam Sacramentorum virtutes, quam etiam significationes Sacrarum Ceremoniarum earumque congruitates probè addiscere studeant; ex quorum deinde scientia intelligant, solam Ecclesiam Catholicam cœlestis sapientiæ, & Divinæ veritatis, insuper & morum laudatissimorum in terris Magistram existere, extrà quam salvari impossibile est.

II.

De mediis repellendi tentationes.

Nosse prætereà debent, mundum, carnem & Diabolum esse tres animæ nostræ capitales hostes, qui viam ad Cœlum tanquam latrunculi obsidentes, suis hostilitatibus efficiunt, ut tota vita hominis sit militia super terram, ad quam viriliter oportet accingi. In hunc finem sibi omnis generis practica principia, ac media faciliora ex lectione, & mediatione sacra comparabunt, quibus concupiscentiæ motus, aliæque tentationes eludi, & muscarum instar possint, ac debeant repelli; huic rei maximoperè deservient libri piorum Autorum, quòs Pater Spiritualis singulorum captui, atque profectui idoneos judicaverit.

III.

De comparandâ agnitione sui ipsius, amore & timoreDei

Frequenter sibimetipsis inculcent humani generis vilitatem, vanitatem, fragilitatem & nihilum, ut ex hujuscemodi cognitione, & quotidiana experientia agnitionem sui ipsius paulatim consequantur. Item tam beneficia Creationis, Redemptionis, & Sanctificationis, quam pœnas eorum qui iisdem abutuntur, sicut & quatuor hominis novissima perpetuò ob oculos ponant; ut sic vel ad amorem Dei, gratique animi affectum, vel ad justum timorem Domini seriò impellantur; super quæ, tanquam firma Christianæ vitæ fundamenta, omnium solidarum virtutum ædificium extruere oportet.

IV.

De ratione instituendi practicũ virtutũ Theologicarum & cardinalium studium.

Virtutum Theologicarum, fidei, spei, charitatis & cardinalium prudentiæ, temperantiæ, fortitudinis & justitiæ, genuinam naturam practicè addiscant. Adhæc in vera humilitate, patientia, abnegatione sui ipsius jugiter se exerceant, omnesque suas actiones in vera discretione instituere seriò conentur; maximè vero quodnam in quâvis virtute medium, & quænam vitiosa extrema sint, sedulo indagent: alias enim juvenilis impetus, ob suam immoderatam vehementiam experientiâ teste, facile & plerumque ad extrema deflectit. Hic multum proderit, si quilibet aliquid temporis certo cuidam vitio, vel particulari defectui extirpando, & virtuti oppositæ exercendæ, juxtà majorem suam indigentiam & utilitatem, de consilio Patris Spiritualis, vel quoties sibi aliàs visum fuerit, impendat.

V.

De necessitate promptæ obediendi voluntatis.

Veram indifferentiam ergà omnes res hujus mundi habeant; solum illud optimum existimantes, quod à Dei, & Superiorum voluntate demanat: proinde promptam obediendi voluntatem, quæ omnibus hanc vitam sectantibus maximè necessaria est, à juventute sibi comparabunt.

VI

De innocentia & castitate conservanda.

Tam primam innocentiam, quam castitatem mentis & corporis, ut pupillam oculi, illibatam conservare satagant; proinde principiis obstent, & omnes malas suggestiones sinè cunctatione ex animo ejiciant.

VII.

De custodiâ sensuũ externorum

Ad sensuum suorum tam internorum, quàm externorum custodiam pro viribus attendant: maximè verò ab auditione rerum turpium, tanquam à facie colubri, fugiant; & si fugere non possint, reprehendant, vel saltem seriò apud se detestentur.

VIII.

Oculi à fœminarũ aspectu coercendi.

Oculos suos ab omni curioso sexus fœminei, aliarumque vanitatum, quæ hominem fascinando inquinare, vel distrahere solent, sollicitè avertant. Hinc frenum timoris Domini sibi injicientes, foris, & in templo oculos ab omni inordinata evagatione pro viribus cohibere nitantur; quod facilius consequentur, si præsentiam Dei, & futurorum bonorum stabilitatem, respectu quorum hæc caduca vilescunt, animo jugiter revolvant.

IX.

Turpiloquia vitanda.

Turpiloquia, sicut & blasphemiæ, procul arceantur, & si quis in his deprehensus, tertiaque vice correptus, emendationem effectivè non demonstraverit, tanquam pestis è consortio innocentum ejiciatur.

X.

De mediis vitandi avaritiam.

Ne rerum singularium usu ad avaritiæ sordes inclinentur, nemini liceat pecunias proprias, aut res alias, clandestinè possidere, & si quis à parentibus, consanguineis, tutoribus, aut quibuscunque aliis simile quid acceperit, non sibi seorsim reservet, sed in communi custodiâ Superiori asservandum tradet. Hinc etsi plutei ad asservationem quarundam recularum studiosæ juventuti necessariam, singulis permittantur, Superior tamen ad eos clavem magistram habebit.

XI.

Lectioni, mediationi & reflexionibus spiritualibus singulis diebus vacandum.

Singulis diebus, statim post preces matutinas, mediam horam lectioni spirituali, vel meditationi, eorum quæ notatu digna deprehenderint, impendant, cum brevi reflexione, quam primò memoriæ bene mandent, tum etiam in libro suo spirituali ad hoc deputato clarè & breviter notent, ne thesauro spiritualis scientiæ defraudentur.

XII.

Missæ quotidiè intersint, & de persolvendo Officio immaculatæ Conceptionis.

Quotidie, tempore, & loco sibi assignato, tremendo Missæ Sacrificio devotè intersint, & sub eodem non solùm corpus, & animam, verum etiam omnes cogitationes, verba, & opera sua Patri cœlesti per Jesum Christum in servitium offerant: & qui Officium parvum B. Virginis Mariæ necdum orant, Officium Immaculatæ Conceptionis à S. Sede Apostolicâ approbatum, unà cum Hymno S. Casimiri pariter approbato, vel approbando, præcipuè pro conservandâ castitate persolvant; cùm verò celebrans ad Communionem pervenerit, suam quoque spiritualem Communionem (prout didicerunt) instituant.

XIII.

De persolvendo Officio parvo Beatæ Mariæ Virginis.

Qui vero in majoribus Classibus existunt, Officium parvum Beatæ Mariæ Virginis pro incremento gratiæ vocationis Clericalis singulis diebus recitent; sic quidem, ut Primam, Tertiam, Sextam, & Nonam sub Missæ Sacrificio, Vesperas verò, & Completorium, cum Matutino & Laudibus pro die sequenti, tempore pomeridiano paulo ante cœnam in honorem Genitricis Dei, Reginæ, & Patronæ singularis hujus vitæ Clericalis, pro temporum diversitate, alternis vocibus recitando persolvant.

XIV.

In templo commendatur modestia & attentio.

In templo sub Missæ Sacrificio, aut Vesperis, vera pietate, & modestiâ præluccntes, ab omni garrulitate & strepitu, oculorum curiositate, & inordinata mentis, omniumque aliarum facultatum effusione se custodiant. Sub auditione Verbi Dei januam alienis cogitationibus præcludendo, intellectum, memoriam & voluntatem, ad percipiendum debitum fructum, Concionatoris sermoni ex animo accommodent.

XV.

De peccatorum

Philosophiæ, & Theologiæ Studiosi singulis

septi-

Confessione & Cõmunione celebrandâ.

septimanis & majorum totius anni Festivitatum diebus, conscientiam suam Sacramentali Confessione expiare, & ad Sacram Communionem accedere assuescant; qui vero in humanioribus scholis existunt, saltem singulis quatuordecim diebus id observabunt. Confessariis autem confiteantur omnes, quos Superiores, vel ex hujus vitæ Clericalis Sacerdotibus, vel aliundè determinaverint.

XVI.

De gratiis post Communionẽ Deo agendis.

Post Communionem aliquantum temporis in gratiarum actionem pro tanto beneficio, aliquam effectuosam orationem, vel ore, vel mente recitando impendant; in quâ omnia viscera sua cum omnium necessitatum suarum, tàm privatarum, quàm publicarum Ecclesiæ explicatione coràm oculis Divinæ Majestatis effundent, & in vulnera Christi hospitis amabilissimi ascendendo commendabunt.

XVII.

De mediis prævertendi Satanæ & naturæ vitiatæ insidias.

Ut ab occultis Satanæ, & naturæ vitiatæ insidiis faciliùs præserventur, ab adolescentia assuescant, non rarò cum Superioribus, Patre spirituali, & Confessario super statu hominis sui interioris conferre; & iisdem graviores, præsertim extraordinarios, animi sui motus, & impulsus candidè aperire, id quod ad cognitionem, & discretionem spirituum, an ex Deo sint necne plurimum prodesse dignoscitur.

XVIII.

De recollectione spirituali quotannis & Confessione generali in susceptione faciendâ.

Singulis annis recollectioni spirituali, qui ejusdem capaces sunt, aliquot dies vacabunt. Idem observetur in eorumdem susceptione ad hanc vitam, antequam juramentum præstent, adjungant etiam Confessionem generalem totius vitæ, nisi ante eam fecerint.

XIX.

Majores junioribus probitatis exemplo præluceãt.

Majores junioribus in observatione Constitutionum, tanquam speculum vitæ integritatis, pro viribus præluceant, & cogitent, se à pueritiæ indulgentia ablactatos, jam ad veras, & solidas virtutes evocari; proindè spirituali fulgore, studiosis nempè virtutum, & exercitiorum hactenus præsciptorum actibus, in verâ discretione ubique prælucere conentur.

De Morum honestate.

XX.

De delictis fugiẽdis & de pœnitentiis in casu delicti patienter ferendis.

Ad eam integritatem morum omnes & singuli pro viribus attendant, ut castigationibus non indigeant; & si deliquerint, citò contriti, & humiliati, fateantur suam culpam, atque cum proposito seriæ emendationis, se Superioris arbitrio submittant, sustinentes libenter pœnitentias, quæ pro qualitate delicti fuerint injunctæ; idque sine resistentiâ aut murmuratione, vel frivola excusatione.

XXI.

Senectus & alias quilibet pro ratione status venerandus.

Senectutem venerentur, & tam domi Snperiores, quam foris Sacerdotes, ac personas Ecclesiasticas quascunque, maximè vero Præceptores suos, & omnes homines, secundum cujusque status dignitatem, ex animo venerentur, ac debitum honoris titulum impendant.

XXII.

In externis reverentiæ ceremoniis hypocrisis fugienda.

In externis ceremoniis, quæ in modo dictæ reverentiæ signum solent adhiberi, hypocriticam pseudo-politicorum simulationem, & ineptam gesticulationem, ut pestem fugiant, è contra cum debita gravitate, modestia, & decore, ut recta prudensque dictabit ratio, venerationem pacis ostendant.

XXIII.

Inferiores honore Superiores præveniant.

Quoties domi, vel foris, sibi invicem obviabunt, semper ij, qui sunt in inferiori Classe adolescentes altiorum Classium: omnes vero, & singuli suos Superiores, aliosque Sacerdotes honore debito præveniant; Majores quidem detecto capite, Superiores vero, & Sacerdotes, etiam cum inclinatione corporis salutantes.

XXIV.

In loquendo coràm Superioribus modestia, coràm æqualibus honestas servanda.

Coram Superioribus, & majoribus, se ultrò non facilè ad loquendum ingerant, ad interrogata vero paucis, modestè, & graviter respondeant. Cum æqualibus ea agere, & loqui expedit, quæ vel honestas, vel utilitas, vel necessitas commendat.

XXV.

Scandala matura delatione & correctione prævertenda.

Quando advertent ex domesticis aliquem deliquisse, aut ad delictum periculosè inclinari, vel si aliud quodcunque scandalum patiantur, ad Superiorem debita cum modestia, loco & tempore congruo fraternæ correctionis causa deferre teneantur, ut maturè malo occurri possit.

XXVI.

Superiorum correctiones in bonam partem accipiendæ, & Superiores ab inferioribus temerè nõ judicandi.

Contra correctionem Superiorum non murmurent, & si quid injuste sibi pati videantur, patienti taciturnitate prudenter sufferant, & in meliorem partem accipiendo cogitent, se de præsenti non intelligere correctionis mensuram. Inprimis autem caveant, ne de suis Superioribus malè loquantur, vel illos judicent, irrideant, aut illorum dicta, facta, correptiones, dispositiones, siniströ interpretentur; multò minus talia suis sociis, aut (quod pejus foret) extraneis evulgent.

XXVII.

Factiones contrà necessariorũ dispensationem nõ excitandæ.

Contra dispensationem necessariorum nullas factiones, & murmura excitent; sed si quem defectum horum quomodolibet in veritate notaverint, competenti Superiori seorsim indicabunt, ut suo tempore, & modo sciat remedium adhibere.

XXVIII.

Veritati enixè studendum.

Ab omni specie mendacii abstinere, veritatem verò, quæ inter præcipua bene moratæ juventutis ornamenta meritò numeratur, tanquam pupillam oculi in omnibus verbis, & actionibus suis custodire studeant.

XXIX.

Abstinendum ab adulatione, pietate fictitia & falsitate.

Non adulentur, non pietatem fingant; neminem decipiendo verbis circumveniant, & in narratione rerum auditarum ab omni falsa amplificatione abstineant, ut sicut os loquitur, ita in veritate sentiat cor.

XXX.

A privatâ cavendum vindictâ.

Nemo alterum mendacii inciviliter arguat, nec in passione iræ erga se invicem efferveseant, aut vindictam sumere quocunque modo attentent: ad competentem vero Superiorem, si rei gravitas postulaverit, rationabiliter, & sine cupiditate vindictæ deferre nemo prohibetur, qui noverit optimè in Domino providere.

XXXI.

In omnibus servâda simplicitas & sinceritas.

Sermone utantur modesto, non sapientiæ sublimitatem affectent, non falsæ humilitatis objectionem; sed in omnibus curent simplicitatem sinceritatemque Christianam servare, quibus ædificetur proximus, non offendatur.

XXXII.

In narrando vitandæ ambages.

In iis quæ narrant, ambages & superfluos verborum ambitus, sicut & circumstantias ad rem non pertinentes, abscindant, & modo recto, ac plano ad scopum sui discursus festinent, aliis etiam discurrendi locum cessuri.

XXXIII.

Vana sui ipsius elatio fugienda.

Seipsos præ aliis non extollant, neque interiùs suis rebus sibi vanè complaceant: multo minus seipsos aut sua laudare, & jactantiam magni facere præsumant: cogitare enim debent omne bonum esse desuper à Patre luminum.

XXXIV.

Commendatur affabilitas & ordo in affatu.

Non sint morosi, erga omnes autem affabiles, manè, & vesperi salutem invicem impertiantur: minores in alloquio à majoribus, & Superioribus affatum expectent: quod debitæ submissionis, & verecundiæ signum fuerit.

XXXV.

Jungenda cum gravitate suavitas, cum magnanimitate modestia.

Tam vultus tristitiam, & oculorum austeritatem, quam levitatem in seipsis omnes sic corrigant, ut suavitas cum gravitate, modestia vero cum magnanimitate in cujusvis vultu certare videantur; in hoc ipso tamen omnem simulationem, & hypocrisin excludentes.

XXXVI.

De observandis in incessu, vestitu, gestibus, compositione corporis.

Exclusâ omni levitate, in incessu gravitatem cum modestiâ conjungant semper, incedendo non currant, in vestibus munditiem ament; sordes oderint, & in omnibus verbis actionibusque suis gestus membrorum, ac totius corporis compositionem talem exhibeant, quæ omnem hominem ædificare possit, ac debeat.

XXXVII.

De moribus ad mensam servandis.

Ergà cibos in mensâ appositos ipsius appetitus sensualitatem sibi prædominari sic non sinant, ut gula rectæ rationis usum præveniat, quantùm autem ad moderatam corporis refectionem necessarium fuerit, comedant, in singulorum ciborum contrectatione debitam modestiam, ac decorem in aliorum ædificationem observent: silentium quoque in triclinio sanctè servetur, extrà mensam porrò ordinariè sive domi, sive foris, abstineant, neque sine licentiâ Superiorum alibi comedant, aut bibant.

XXXVIII.

De recreatione post mensam.

Post mensam aliquantùm temporis honestæ recreationi indulgebunt, sic tamen, ut ab indecorâ corporis agitatione abstineant, & cum eâ circumspectione, ac modestiâ lætitiam attemperent, ut nemo prudens offendi queat.

XXXIX.

Nemo recreationis tempore alia tractet.

Nemo autem, sive domi, sive foris, recreationi se subducere, vel ad alia loca occasiones, aut consortia declinare, vel eo tempore, præpostero ordine, litteris operam dare, vel in loco solitario se tristitiæ, aut melancholiæ dedere permittatur: est enim tempus studendi, & tempus ridendi; omnia tempus habent.

XL.

De jocis & salibus intrà Eutrapeliæ limites continendis.

Quamvis humanum sit, intrà limites virtutis Eutrapeliæ, jocari, & jocos, aut sales ab aliis accipere, ac tolerare posse, nihilominùs tamen stultiloquia, scurrilitates, & alia, quæ honestatis terminos mediumque discretionis excedunt in nullâ occasione tolerentur. Cùm verò ex humanâ imperfectione, tàm domi, quàm foris, contrà dictas Eutrapeliæ & discretionis leges non rarò peccari soleat, à teneris assuescant, ne ita delicati efficiantur, ut nihil pati velint, aut possint, existimantes omnia sibi ex voto accidere debere.

XLI.

De moderando risu in dicendis & audiendis facetiis.

Cùm valdè indecens sit, proprium sermonem suis interpolare cachinnis, ideò in narrandis, vel audiendis leporibus, ac facetiis, nolint aliis in ridendo palmam præripere; sed appetitum suum inhibentes, cum moderatâ suavitate oris sua loquantur, vel alios auscultent: aliis in risum solutis, & ipsi subrideant; prout virtus Eutrapeliæ suaserit, vitando duo extrema, nimiam quidem austeritatem ex unâ, nimiam verò levitatem ex alterâ parte.

XLII.

De vitandis in recreatione inepris irritationibus.

In recreationibus invicem verbis, vel actionibus irritare, aut insulsorum morum ineptiis molesti esse nolint, quibus alii ad tristitiam, nauseam, iracundiam, vel antipathiam provocentur.

XLIII.

Quomodo in audiendis aliis se gerere debeant.

In auscultando alterius discursu, secluso omni contemptu, sagaciter observent, quid is pulchrum, quid indecens effundat, indeque sibi documenta tacitè efforment, quomodò se in simili occasione gerere velint, quæ cavere, quæ observare: Loquentem autem proximum importunè ne interrumpant, sed patienter audiant; indecens enim est audiri velle, audire verò non nisi impatienter.

XLIV.

Cavendum à siniſtris de proximo judiciis.

Nemini detrahant, aliorum dicta, & facta in melius interpretentur. Siniſtrè verò alios judicare, & amaris verbis perstringere, oderint, cane pejus & angue.

XLV.

Absentium defectus non sugillandi.

Ubi duo, tres vel plures fuerint simul, caveant, ne defectus tertii (quisquis ille fuerit, domesticus vel extraneus, Superior vel æqualis) imprudenti ore suggillent, quod enim sibi quis fieri non vult, æquum est, ne faciat alteri.

XLVI.

Alterius dicta & facta temerè non revelanda.

Alterius dicta, vel facta, seu graviora, seu leviora videantur, tertio non revelent, sed ad Superiorem, si correctione indiguerint, cum debitâ modestiâ, & commiserationis affectu deferant.

XLVII.

Nec ab aliis audita facilè propalanda.

Ab aliis audita in se sinant emori, quæ cum debitâ utilitate, necessitate, aut honestate non propalari possunt: quod fiet, si Superiores abolendæ garrulitati, adolescentes verò servando silentio dederint operam.

XLVIII.

Aliorum obtrectationes non effutiendæ

Si quis proximum, vel fratrem suum, de tertio malè loqui audierit, hoc tertio non manifestabit: multò minùs, quæ tertius ille de eodem proximo dixerit, velut susurro, effutiet: hæc enim quia discordiam seminant, etiam in rebus levibus, adolescentes odio capitali prosequi meminerint.

XLIX.

Inanes vitandæ contentiones.

Unus alterum vexando, irritando, vel defectus exprobrando ad iram non provocet; multo minùs discordiam inter fratres seminare, aut cum altero verbis, pugnisque contendere attentet; quæ omnia, sicut è diametro bonis moribus repugnant, ita in domo juventutis nequaquàm tolerabuntur.

L.

De casu injuriosæ læsionis.

Quod si unus alterum læserit, citò in gratiam redeant, & qui illatæ injuriæ reus fuerit, injunctâ pœnitentiâ, læsæ parti humiliter deprecando satisfaciat.

LI.

Ubi à vindictæ cupidine abstinendum.

Injurias tamen ab aliis sibi illatas nullo modo vindicare velint, scientes in patientiâ possidere animas suas; maximè si tantùm in propriam personam sine alio nocumento redundare videantur.

LII.

Alterius iracundiæ cedendum

Si quando proximus flagranti passione effervescit, qui sibi præsentes sunt, cedant, illius iræ dando locum, ne similiter accendantur. Hinc neque corripiant quemquam in fervore animi constitutum, sed tempus congruum expectent, donec ardor sedetur, & sedatâ passione correctionis sit capax.

LIII.

A furto abstinendum.

Nemo alteri quicquam furetur, aut ex petulantiâ abscondat: proinde scriò sit omnibus interdictum aliorum musea pervagari, aut pluteos lustrare.

LIV.

Mundities omnibus in rebus sectanda.

Omnium rerum munditiem diligentes, non tantùm in museo libros, chartas, aliaque studiosis necessaria, post singulos usus in ordinem componant; verùm etiam in cubiculo vestimenta quæcunque inter sordes perire, & aliis nauseam creare non sinant.

LV.

De modestiâ servandâ in nutriendis crinibus.

Longiores crines, aut comam non nutriant; Sed proscriptâ indecorâ capillorum longitudine, modestam mediocritatem ex præscripto uniformiter omnes servent, ut caput honestè tegatur, non obruatur.

LVI.

Quomodò corpus in dormiendo componendum

Seorsim dormiant omnes, totum corpus cum omnibus membris ad debitam honestatem componere, sicque compositum in obsequio servare assuescant.

De Studiis Litterarum.

LVII.

Commendatur diligentia.

Gratiæ Dei, & naturæ talentis viriliter cooperentur, virtutumque studio illum scientiarum profectum conjungant, qui virtutibus adminiculetur.

LVIII.

Attentio.

Tàm in scholis, quàm domi, eliminatâ omni petulantiâ, explicationibus, sedulâ attentione aures præbeant.

LIX.

Alii Stu-

Tempore studiorum nemo strepitum, aut pul-

diorum tempore non inquietandi.

veres excitet, multo minùs extrà proprium muſeum in domo vagetur, aut quocunque modo, alios inquietare, & à Studiis impedire auſit.

LX.

Quomodò in Concertationibus Scholaſticis ſe gerere debeant.

Concertationes Scholaſticæ abſque clamore nimio, qui veritatem dubii ſolummodò confundit, ſic inſtituantur, ut argumentans tardè, & ordinatè ſua proponat; defendens verò patienter argumentum audiens ad formam reſpondeat. In ſe invicem non invehantur, neque fervore nimio, vel irâ excandeſcant: multo minùs unus alterum confundere, ſed rei propoſitæ veritatem eruere conentur, & ubi illius evidentia, vel probabilitas conſtiterit, non violenter argumentum ex ſtimulo ſuperbiæ intellectualis torquere præſumant, ſed veritati, vel probabilitati prudenter acquieſcant.

LXI.

A prandio cantui chorali & Muſicæ addiſcendæ incumbant.

A prandio antè initium Studiorum mediam ſaltem horam cantui chorali addiſcendo impendent omnes, à quo nemo eximi poterit. Hunc ſemel edocti, vel ad cantus figuralis, vel Muſicæ inſtrumentalis varia exercitia pro cujusque capacitate applicabuntur.

LXII.

De caſtigandis deſinquentibus.

In quibus quilibet privatim deliquit etiam privatim caſtigetur, publicâ verò delicta publica pœnitentiâ intrà domeſticos parietes mulctentur, ut ſic ſcandalum tollatur, & alii à ſimilibus abſterreantur.

Prædictæ Conſtitutiones Apoſtolicâ auctoritate confirmantur.

§. 3. Nobis propterea præfati exponentes, ac etiam Dilectus Filius Abbas Pompejus de Scarlattis Dilecti Filii Nobilis Juvenis Maximiliani Emmanuelis utriuſque Bavariæ Ducis, Sacri Romani Imperii Principis Electoris, in Romanâ Curiâ Adminiſter, tàm ipſius Principis Electoris, quàm Dilecti quoque Filii Nobilis Viri Ducis Maximiliani Philippi ejus Patrui, & Electoratus Adminiſtratoris nomine humiliter ſupplicari fecerunt, ut Inſtitutum, & Conſtitutiones hujuſmodi pro majori Religionis Catholicæ bono, ipſiuſque Inſtituti decore, & augmento, Apoſtolicæ confirmationis Noſtræ patrocinio communire, & aliàs opportunè in præmiſſis providere de benignitate Apoſtolicâ dignaremur. Nos igitur piis eorundem Maximiliani Emmanuelis & Maximiliani Philippi Ducum votis, quantùm cum Domino poſſumus, favorabilitet annuere, dictoſque exponentes ſpecialis favore gratiæ proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibusvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quâvis occaſione, vel causâ latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de memoratorum Cardinalium Conſilio, Inſtitutum prædictum ſub immediatâ juriſdictione Ordinariorum, & directione unius Generalis Præſidis, nec non Conſtitutiones præinſertas, cum omnibus, & ſingulis in eis contentis auctoritate Apoſtolicâ tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus.

Et defectus ſupplentur.

Conceditur exponentibus facultas, condendi alias Conſtitutiones, & Seculariâ obtinendi Beneficia.

§. 4. Præterea eiſdem exponentibus alias Conſtitutiones, præinſertis non contrariis, pro ſpirituali, temporalique dicti Inſtituti directione ab hac Sanctâ Sede poſtmodùm approbandas, condendi facultatem impertimur. Ac ad tollendam omnem ambiguitatem, cùm dicti exponentes ſint Clerici merè Seculares, omnibuſque Secularis Cleri oneribus obnoxii, eoſdem exponentes quorumcunque beneficiorum Eccleſiaſticorum ſecularium capaces eſſe, ac proindè Canonicatus & Præbendas, Perſonatus, Dignitates, etiam poſt Pontificalem majores in Cathedralibus, etiam Metropolitanis, & Principales in Collegiatis Eccleſiis, nec non Parochiales Eccleſias, earumque perpetuas Vicarias, & alia quæcunque cum curâ, & ſine curâ beneficia Eccleſiaſtica Secularia quomodolibet qualificata, quæ per Clericos Seculares obtineri conſueverunt, poſſidere, ac conſequi, & obtinere poſſe auctoritate, & tenore præfatis declaramus.

Decretum roborans & irritans.

§. 5. Decernentes eaſdem præſentes Litteras ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocunque ſpectabit in omnibus & per omnia pleniſſimè ſuffragari, & ab eis reſpectivè inviolabiliter obſervari; Sicque in præmiſſis per quoſcunque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari & definiri debere, ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquàm quâvis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariis.

§. 6. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, nec non quatenùs opus ſit quarumvis Eccleſiarum, aliiſve quibuslibet, etiam juramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis, Statutis, & conſuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hâc vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Transſumptorum fides.

§. 7. Volumus autem ut, earumdem præſentium Litterarum tranſſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſticâ Dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorsùs fides ubique locorum tàm in judicio, quàm extrà illud habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die ſeptimâ Junii 1680. Pontificatus Noſtri Anno IV.

D. 7. Junii 1680. Pont. Anno quarto.

J. G. SLUSIUS.

XI.

Relaxatur Veriſſimi Archiepiſcopi Inquiſitoris Generalis in Portugalliæ & Algarbiorum Regnis & reliquorum Inquiſitorum ſuſpenſio, quam non parendo Sanctitatis Suæ mandato de tranſmittendis quibuſdam contrà Chriſtianos Novos proceſſibus incurrerant, & certa rebus in Inquiſitionis Officio gerendis norma præſcribitur.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium à conſervandâ doctrinæ puritate & exſtirpandis hæreſibus.

ROmanus Pontifex ex commiſſo ſibi divinitùs Apoſtolicæ ſervitutis munere omnium Chriſti fidelium commodis jugiter invigilans, in eam præcipuè curam omnibus viribus, omnique animi contentione incumbit, ut Chriſtianæ Religionis puritas, Catholicæque fidei integritas illibata conſerventur; Apoſtatica verò, atque hæretica pravitas opportunis rationibus ubique locorum, quantùm Divina bonitas dederit, ſanetur, vel ſaltem Apoſtolico vigore compeſcatur, & ne in perniciem animarum pretioſo Chriſti ſanguine redemptarum latiùs ſerpat, radicitùs extirpetur. Hæc autem ut rectè, atque ordine fiant, nec ulla cuiquam juſtè querendi relinquatur occaſio, ſalutaribus, & ex Apoſtolicæ ſapientiæ, atque æquitatis fonte depromptis legibus exortas controverſias dirimere, Tribunalium ab Apoſtolicâ Sede piè, prudenterque inſtitutorum dignitati conſulere, Juris rigorem manſuetudine temperare, certamque, & Chriſtianæ charitati congruentem

rebus

rebus gerendis normam tradere ſtudet, ſicut omnibus matura diſcuſſione conſideratis, ad gloriam Omnipotentis Dei, ad Eccleſiæ decus & præſidium, ac ad Chriſti fidelium ædificationem, animarumque ſalutem expedire in Domino arbitratur.

Chriſtianorum Novorum ad Clementem X. Papam recurſus.

§. 1. Dudùm ſiquidem cùm Dilecti Filii Chriſtiani Novi nuncupati, ſivè ab Hebræis deſcendentes in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis degentes, qui in carceribus Tribunalium Inquiſitionis adversùs hæreticam, & apoſtaticam à Fide Catholicâ, & Religione Chriſtianâ pravitatem in Ulyxibonenſi, Elborenſi, & Conimbricenſi Civitatibus auctoritate Apoſtolica inſtitutorum propter imputata eis crimina ad Officium Inquiſitionis hujuſmodi ſpectantia, de quibus accuſati, ſeu inquiſiti reſpectivè exiſtebant, detinebantur, ad ſel. recordat. Clementem Papam Decimum Prædeceſſorem Noſtrum, & hanc Sanctam Sedem recurriſſent conquerentes, bonæ memoriæ Petrum Archiepiſcopum Sidenſem, qui tunc in humanis eſſe credebatur, Generalem, & reliquos Inquiſitores adversùs hæreticam pravitatem in dictis Regnis auctoritate Apoſtolica deputatos, ſeu eorum aliquos ad novum actum (ut vocant) Fidei contrà ipſos, ſivè ad eorum condemnationem, ipſorumque ad publicè abjurandum coactionem, & in hujus defectum ad diverſarum pœnarum inflictionem, atque executionem nimiâ præcipitatione, quæ juſtitiæ noverca eſſe ſolet, nec ſervatis iis, quæ per Sacrorum Canonum, & Conſtitutionum Apoſtolicarum æquitatem præſcripta ſunt, devenire velle, non ſine juſtitiæ ſubverſione, ac ipſorum, totiuſque eorum nationis ruinâ, & deſtructione.

Et de injuriâ illatâ querela.

Dictus Papa Clemens ejuſmodi recurſum admittit.

§. 2. Idem Clemens Prædeceſſor, qui in ſupremo juſtitiæ throno à Domino conſtitutus, juſtitiam omnibus æqua lance adminiſtrare tenebatur, eorumdem Chriſtianorum Novorum recurſum hujusmodi admittens, ac cauſam, & cauſas quaſcunque contrà eos, & eorum quemlibet ſuper criminalibus, & delictis ad Officium Inquiſitionis hujuſmodi quomodolibet ſpectantibus in præfatis, aliiſve Tribunalibus quibuſcunque adverſus hæreticam, & Apoſtaticam pravitatem prædictam in ſupradictis Regnis dictâ auctoritate inſtitutis, ſeu eorum aliquo quatenùs quovis modo motas, & pendentes in ſtatu, & terminis, in quibus tunc quomodolibet reperiebantur, ad ſe, & Sedem prædictam avocans, ipſaſque cauſas, cum omnibus, & ſingulis illarum incidentibus, emergentibus, innexis, & connexis, totoque negotio principali per Congregationem Venerabilium Fratrum Noſtrorum, tunc ſuorum, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, in totâ Republicâ Chriſtianâ Generalium Inquiſitorum adversùs hæreticam, & Apoſtaticam pravitatem hujuſmodi à Sede prædicta ſpecialiter deputatorum, cui eaſdem cauſas commiſerat, & demandaverat, audiri, cognoſci, decidi, fineque debito prout juris foret, terminari debere omninò volens, per quaſdam ſuas in ſimili forma Brevis die tertia Octobris 1674. expeditas Litteras, motu proprio ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione ſuis, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, memorato Archiepiſcopo Inquiſitori Generali, ac reliquis Inquiſitoribus prædictis diſtrictè inhibuit, ne in cauſa, & cauſis hujuſmodi, in prædicta Cardinalium Congregatione pendentibus, aut aliàs quomodolibet, donec, & quouſque ſpecialis, & expreſſa deſuper ab ipſo Clemente Prædeceſſore, & eadem Sede licentia eis conceſſa fuiſſet, ad ullum ſimilem actum (ut vocant) fidei, ullamve publicationem, promulgationem, aut executionem novarum ſententiarum quarumcunque contrà prædictos Chriſtianos Novos, ut præfertur, inquiſitos, ſeu accuſatos, vel denunciatos, & in carceribus prædictis detentos, aut illorum aliquem devenire ullo modo auderent, neque ipſi, aut eorum aliquis, ſeu ipſorum & cujuslibet eorum reſpectivè Conſiliarii, Commiſſarii, Procuratores, Fiſcales, Aſſeſſores, Notarii, Actuarii, cæterique Officiales, & Miniſtri contrà ipſos, aut eorum quemlibet, illorumve, & cujuslibet eorum reſpectivè Advocatos, Procuratores, Sollicitatores, Agentes, ſeu negotiorum geſtores, aut aliàs quomodolibet pro eis intervenientes quovis modo directè, vel indirectè, ſeu aliàs quomodolibet quicquam novi attentare, vel innovare præſumerent.

Cauſasque ad ſe & Cardinalium Congregationem avocat.

Et Inquiſitoribus inhibet.

§. 3. Ipſe enim Clemens Prædeceſſor eiſdem Generali, & reliquis Inquiſitoribus, eorumque, & cujuslibet eorum reſpectivè Conſiliariis, Commiſſariis, Procuratoribus, Fiſcalibus, Aſſeſſoribus, Notariis, Actuariis, cæteriſque Officialibus & Miniſtris prædictis in virtute Sanctæ Obedientiæ directè præcepit & mandavit, ut quibuſcunque mandatis, ordinationibus, & Decretis dictæ Congregationis Cardinalium in cauſâ ſeu cauſis hujuſmodi eatenùs forſan emanatis, & in poſterum uſque ad finem, & terminum earumdem cauſarum quomodolibet emanaturis, omni morâ, dilatione, tergiverſatione, oppoſitione, & contradictione poſtpoſitis, & remotis, promptè, ſicut devotos dictæ Sedis filios decet, parerent, nec illa, eorumve executionem quomodolibet impedire, aut illis in judicio, vel extrà illud ſe opponere, aut contradicere ullo modo auderent, ſeu præſumerent: Alioquin dictus Petrus Archiepiſcopus Inquiſitor Generalis ſuſpenſionis ab Exercitio Pontificalium, & interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, ac privationis muneris Inquiſitoris Generalis, reliqui verò Inquiſitores prædicti eorumve reſpectivè Conſiliarii, Procuratores, Fiſcales, Commiſſarii, Aſſeſſores, Notarii, cæterique Officiales, & Miniſtri Excommunicationis latæ ſententiæ, ac privationis Officiorum quomodocunque ad Tribunal Sancti Officii ſpectantium pœnas ipſo facto, & abſque ullâ declaratione ſe reſpectivè noviſſent incurſuros; à quibus abſolutionem idem Clemens Prædeceſſor ſibi, & dictæ Sedi Apoſtolicæ ſpecialiter reſervavit.

Iiſque Decretorum dictæ Congregationis obſervantiam injungit.

Sub pœnâ Excommunicationis & privationis Officiorum.

§. 4. Verùm ſubindè dicto Clemente Prædeceſſore rebus humanis exempto, cùm Nos Venerabilem Fratrem Veriſſimum Archiepiſcopum olim Braccarenſem hæreticæ, & Apoſtaticæ pravitatis hujuſmodi Inquiſitorem Generalem in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis ſupradictis cum ſolitis facultatibus in locum prædicti Petri Archiepiſcopi defuncti conſtituiſſemus, & deputaſſemus; cauſa verò, ſeu cauſæ prædictæ in ſupradictâ Cardinalium Congregatione adhuc penderent; Nos Decretis quibusdam proviſionalibus ab eâdem Congregatione Cardinalium in cauſâ recurſus hujuſmodi anteà emanatis, & à prædicto Clemente Prædeceſſore approbatis, à quibus recedere nullo modo intendebamus, inhærentes, ipſaque Decreta renovantes, & donec ea, quæ ſuper dubiis propoſitis decernenda Nobis viſa fuiſſent, ſtatuiſſemus, omninò obſervari præcipientes, de prædictorum Cardinalium conſilio per quaſdam Noſtras pariter in formâ Brevis die 18. Novembris 1676. emanatas Litteras Venerabili Fratri Marcello Archiepiſcopo Calcedonenſi in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis prædictis Noſtro, & dictæ Sedis Nuncio dedimus in mandatis, ut inhibitionem à memorato Clemente Prædeceſſore per ſuas Litteras præcedaneas, ſicut præmittitur factam in omnibus ejus partibus auctoritate Noſtrâ Apoſtolicâ ita moderaretur, & reformaret, ut Veriſſimo Archiepiſcopo Generali à Nobis deputato, & reliquis Inquiſitoribus prædictis contrà ſupradictos Chriſtianos Novos nuncupatos in dictis carceribus, ut præfertur, detentos, ſervato juris ordine, ac juxtà æ-

Clementè defuncto Veriſſimus Archiepiſcopus Inquiſitor Generalis conſtitutus.

Clementis inhibitionem S. Sedis Nuncius ad Sanctitatis Suæ mandatum moderatur.

quitatis, & juſtitiæ regulas liceret procedere ad pœnas, & animadverſiones debitas, præterquàm ultimi ſupplicii, triremium perpetuarum, & confiſcationis bonorum, à quibus eos, & eorum quemlibet, donec & quouſque à Nobis, & Sede prædictâ aliter diſpoſitum fuiſſet, omninò abſtinere voluimus: Ac proindè eiſdem Veriſſimo Archiepiſcopo Generali, & reliquis Inquiſitoribus, illorumque, & cujuslibet eorum reſpectivè Commiſſariis, Conſiliariis, Procuratoribus, Fiſcalibus, Aſſeſſoribus, Notariis, Actuariis, cæteriſque Officialibus, & Miniſtris dicta autoritate diſtrictè, & ſub pœnis, quæ in prædictis Clementis Prædeceſſoris Litteris expreſſæ ſunt, denuò inhiberet, ne contrà eoſdem Chriſtianos Novos in carceribus hujuſmodi detentos, aut eorum aliquem intereà ad ultimi ſupplicii, vel triremium perpetuarum, aut confiſcationis bonorum hujuſmodi pœnas procedere auderent quovis modo, ſeu præſumerent.

Cùm novâ inhibitione ultimi ſupplicii, tritemium perpetuarum & Confiſcationis bonorum.

§. 5. Prætereà ipſi Marcello Archiepiſcopo, & Nuncio facultatem tribuimus eâdem auctoritate permittendi Veriſſimo Archiepiſcopo Generali, reliquiſque Inquiſitoribus prædictis, ut prout juſtitia exigeret, & ordo poſceret rationis, procedere poſſent, etiam contrà prædictorum Chriſtianorum Novorum, in dictis Carceribus detentorum Procuratores, Advocatos, Agentes, ſeu negotiorum geſtores, & aliàs quomodolibet pro eis intervenientes, dummodò tamen non poſſet ſubeſſe ſuſpicio hoc fieri in odium recurſus ſupradicti, ad hanc Sanctam Sedem habiti, & ab eadem Sede admiſſi, ad quem effectum dicti Inquiſitores Acta talium proceſſuum eidem Marcello Archiepiſcopo, & Nuncio ad ejus beneplacitum communicare tenerentur.

Et permiſſione procedendi contrà Chriſtianorum Novorum Procuratores Advocatos &c.

§. 6. Sed cùm Nos poſtmodum graviſſimis ex cauſis adducti omninò oportere exiſtimaſſemus, ut quidam proceſſus in Tribunali Inquiſitionis adversùs hæreticam pravitatem hujuſmodi in dictis Regnis auctoritate Apoſtolicâ inſtituto, contrà nonnullos prætenſos Judaizantes expediti & terminati, in quibus etiam ipſorum aſſertorum Judaizantium tanquàm negativorum condemnationem in pœnam ordinariam contineri dicebatur, apud hanc Sanctam Sedem inſpicerentur, dictoque Veriſſimo Archiepiſcopo Inquiſitori Generali Noſtro nomine mandari curaſſemus, ut eoſdem proceſſus ad Nos, & Sedem eamdem quàm primùm tranſmitteret. Ipſe verò nonnullas rationes coràm Nobis allegari curaviſſet, quibus ſe ab illorum tranſmiſſione excuſare ſatagebat; ſed Nos omnibus, quæ ejus nomine ſuper eâ re, deducta fuerant, auditis, conſideratis, & maturè perpenſis, illa omnia, & ſingula irrelevantia, nulliuſque ponderis eſſe judicaviſſemus, ac proindè in priori mandato, quo proceſſus prædictos tranſmitti præceperamus, perſtitiſſemus, quinimò ipſi ſuper eâ re cum Venerabili etiam Fratre Ludovico Archiepiſcopo Bracharenſe pro Dilectiſſimo in Chriſto Filio Noſtro Petro Principe Portugalliæ, & Algarbiorum Regnorum prædictorum Gubernatore apud Nos, & Sedem prædictam Oratore pluries egiſſemus, hæcque enixa Noſtra voluntas tàm dicto Petro Principi & Gubernatori, quàm prædicto Veriſſimo Archiepiſcopo Inquiſitori Generali, & nonnullis Regiæ Coronæ Luſitanicæ Adminiſtris juſſu Noſtro per ſupradictum Marcellum Archiepiſcopum, & Nuncium Noſtrum pluries quoque ſignificata extitiſſet, nec tamen æquiſſimis præceptis, & mandatis Noſtris hujuſmodi eatenùs paritum fuiſſet, nec adhuc pareretur.

Sanctitatis Suæ mandatum ad Inquiſitorem Generalem de tranſmittendis quibuſdam proceſſibus.

Ejus inobedientia & nullius momenti excuſationes.

§. 7. Nos ejuſmodi contumaciam, quæ non minus in Noſtrum, & hujus Sanctæ Sedis contemptum, quàm in juſtitiæ, & ordinis, quem in ſancta ſua Eccleſia conſtituit Deus, ſubverſionem tendere dignoſcebatur, opportunis rationibus compeſcere, debitamque Noſtris, & Apoſtolicæ Sedis mandatis obedientiam omninò præſtari volentes, per alias Noſtras ſimiliter in formâ Brevis Litteras die 24. Decembris 1678. expeditas, motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione Noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine memorato Veriſſimo Archiepiſcopo Inquiſitori Generali diſtrictè præcepimus & mandavimus, ut intrà terminum decem dierum à die, quo eædem Litteræ Noſtræ ipſi per prædictum Marcellum Archiepiſcopum, & Nuncium præſentatæ fuiſſent, computandum, quatuor, vel quinque proceſſus originales in Tribunali ſupradicto contrà Reos de Judaiſmo inquiſitos, ſeu accuſatos, vel denunciatos, qui etiam tanquàm negativi in pœnam ordinariam condemnati fuerant, jàm finitos, & terminatos, in manibus ejuſdem Marcelli Archiepiſcopi, & Nuncii realiter, & cum effectu conſignaſſe, & tradidiſſe omninò deberet: Alioquin elapſo dicto termino, nec ſecuta effectiva conſignatione proceſſuum hujuſmodi, eo ipſo tàm eumdem Veriſſimum Archiepiſc. ab officio Generalis Inquiſitoris in Regnis prædictis ei per alias priores Noſtras in ſimili formâ Brevis Litteras demandato, omnique & quâcunque auctoritate ſibi per eaſdem Litteras quomodolibet attributâ, quàm omnes, & ſingulos alios Inquiſitores in eiſdem Regnis ab ipſo Veriſſimo Archiepiſcopo ejuſque Prædeceſſoribus Inquiſitoribus Generalibus reſpectivè electos, ſeu Deputatos, vel confirmatos, à ſuis pariter muneribus, omnique poteſtate agendi, ſeu procedendi, aut aliàs quomodolibet ſe ingerendi in cauſis ad Sanctum Inquiſitionis Officium in prædictis Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis quovis modo ſpectantibus, donec, & quouſque aliter à Nobis, & Sede Apoſtolica prædicta diſpoſitum, vel ordinatum fuiſſet, ex tunc prout ex illo tempore penitùs, & omninò ſuſpendimus, ac ipſo facto ſuſpenſos fore, irritumque, & inane ſi quid ſubindè deſuper tàm à dicto Veriſſimo Archiepiſcopo, quàm ab aliis Inquiſitoribus prædictis, vel eorum aliquo quomodolibet, & quâvis auctoritate ſcienter, vel ignoranter attentari contigiſſet, & tàm ipſum Veriſſimum Archiepiſcopum, quàm cæteros omnes, & ſingulos Inquiſitores prædictos, ſi præceptum Noſtrum hujuſmodi tranſgredi, aut aliàs quomodolibet Litteris Noſtris, quibus præceptum ipſum fiebat, contravenire auſi fuiſſent, ipſo facto in pœnas Canonicas, ipſum quidem Veriſſimum Archiepiſcopum Inquiſitorem Generalem in pœnam interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, cæteros verò Inquiſitores prædictos in excommunicationem majorem reſpectivè absque alia declaratione incurſuros eſſe, itidem ex tunc prout ex illo tempore decrevimus, & declaravimus: Abſolutionem autem ab iiſdem pœnis Nobis, & huic Sanctæ Sedi ſpecialiter reſervavimus.

Novum Sanctitatis Suæ mandatum de conſignandis Nuncioque tradendis proceſſibus.

Sub pœnâ privationis officiorum, interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ & Excommunicationis majoris.

§. 8. Porrò nec prætextum impeditæ forſan eidem Veriſſimo Archiepiſcopo Inquiſitori Generali conſignationis proceſſuum hujuſmodi, nec ullam aliam excuſationem, prætextum, cauſam, vel impedimentum, etiam non expreſſum, ac de neceſſitate ſpecialiter exprimendum illi, cæteriſque Inquiſitoribus ſupradictis, ſi eiſdem Litteris Noſtris in omnibus, & per omnia promptè, & accuratè non paruiſſent, ullo modo ſuffragari poſſe voluimus, quo minùs tàm ipſe Veriſſimus Archiepiſcopus, quàm dicti Inquiſitores, ſicut præmittitur, ſuſpenſi remanerent ab omni, & quacunque facultate, & auctoritate ſe ingerendi in cauſis ſupradictis; quarum cognitionem, durante ſuſpenſione hujuſmodi, & interim ad Noſtrum, & dictæ Sedis Apoſtolicæ beneplacitum commiſimus, & demandavimus locorum Ordinariis, prout ejuſmodi cauſarum cognitio, ante inſtitutionem Officii Sanctæ Inquiſitionis hujuſmodi auctoritate Apoſtolica in Luſitania factam ad eos pertinebat; Qui Ordinarii proinde in eiſdem cauſis

Non obſtante quovis impeditæ conſignationis prætextu.

Cauſarum cognitio durante ſuſpenſione locorum Ordinariis commiſſa.

ſis

sis juxtà Juris Communis regulas, ac sacrorum Canonum, & Constitutionum Apostolicarum dispositionem procedere deberent. Nos enim ipsis Ordinariis sic in causis hujusmodi procedendi quamcunque necessariam, & opportunam facultatem, donec, & quousque à Nobis, & Sede prædictâ aliter ordinatum fuisset, dumtaxat duraturam, earumdem Litterarum serie tribuimus, & impertiti sumus.

§. 9. Et successivè per Nos accepto, quod idem Verissimus Archiepiscopus olim Inquisitor Generalis mandato, & præcepto Nostris super consignatione dictorum processuum sibi factis non paruisset, & proindè tàm ipse, quàm cæteri olim Inquisitores prædicti suspensionem à suis respectivè muneribus præfatis, omnique potestate, & auctoritate agendi, seu procedendi, aut aliàs quomodolibet se ingerendi in causis ad Sanctum Inquisitionis Officium quovis modo spectantibus, incurrisse reperirentur: Nos ista ad omnium, quorum intererat, & in futurum interesset, notitiam, ne quis illorum ignorantiâ forsan decideretur, deduci volentes, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus per alias Nostras etiam in forma Brevis die 27. Maij, 1679. emanatas Litteras memoratum Verissimum Archiepiscopum olim Inquisitorem Generalem cæterosque olim Inquisitores prædictos ob non præstitam mandato. & præcepto Nostris hujusmodi circà consignationem processuum supradictorum in manibus prædicti Marcelli Archiepiscopi & Nuncii, ut præfertur faciendam, in termino suprà expresso debitam paritionem, eo ipso supradictam suspensionem incurrisse, ac proindè statim elapso termino hujusmodi eos omnes & singulos, nullam omninò in materiis ad Sanctum Inquisitionis Officium quomodolibet pertinentibus jurisdictionem habuisse, nec tunc habere, & propterea omnia, & singula per eosdem gesta post incursum dictæ suspensionis, & si quæ forsan per eos in posterum agerentur in materiis Sancti Officii hujusmodi ob defectum jurisdictionis penitùs & omninò nulla, & invalida fuisse, & esse, ac fore declaravimus.

Generalis & reliqui Inquisitores in dictam suspensionem incurrisse declarantur.

§. 10. Quinimò cùm à nonnullis assereretur, eumdem Verissimum Archiepiscopum olim Inquisitorem Generalem, cæterosque olim Inquisitores prædictos, seu eorum aliquos post incursum suspensionis hujusmodi jurisdictionem in materiis ad Sanctum Inquisitionis Officium prædictum spectantibus nulliter & de facto exercere præsumpsisse, & forsan adhuc præsumere, pœnas in Litteris Nostris prædictis expressas, aliasque, à Sacris Canonibus, & Constitutionibus Apostolicis contrà similia perpetrantes impositas damnabiliter incurrendo: Nos ejusmodi excessus minimè impunitos remanere, sed debitâ animadversione castigari, Ideòque exactam, & accuratam desuper informationem capi volentes, motu, scientiâ, deliberatione, & potestatis plenitudine similibus per alias Nostras itidem in formâ Brevis eâdem die 27. Maij 1679. expeditas Litteras memorato Marcello Archiepiscopo, & Nuncio causam, seu causas eorumdem excessuum, seu delictorum eatenùs in præmissis quovis modo commissorum, & eorum, quos, & quæ forsan in posterum committi contingeret, contrà prædictum Verissimum Archiepiscopum olim Inquisitorem Generalem, cæterosque omnes, & singulos olim Inquisitores prædictos, cum illius, seu illarum incidentibus, emergentibus, annexis, & connexis usque ad sententiam definitivam exclusivè commissimus, & demandavimus; mandantes ipsi Marcello Archiepiscopo & Nuncio, ut omni diligentiâ processum, seu processus desuper quomodolibet necessarios & opportunos, auctoritate Nostrâ Apostolicâ formaret & conficeret, seu formari, & confici curaret. Si quid autem contrà illos resultaret, informationes, ac processum, seu processus hujusmodi sub suo sigillo clausos ad Nos quàm primum transmitteret, ut quod desuper statuendum foret, maturâ deliberatione adhibitâ decerneremus, & aliàs prout in singulis Nostris, & memorati Clementis Prædecessoris Litteris prædictis, quarum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis haberi volumus, uberiùs continetur.

Delictorum post incursum commissorum cognitio Nuncio demandata.

§. 11. Cùm autem tandem duo ex prædictis processibus, quos in manibus supradicti Marcelli Archiepiscopi & Nuncii, sicut præmittitur, consignari præceperamus, ex Lusitania ad memoratum Ludovicum Archiepiscopum dicti Petri Principis, & Gubernatoris Oratorem apud Nos, & Sedem prædictam residentem transmissi, & Congregationi supradictorum Cardinalium Generalium Inquisitorum, jussu Nostro traditi, ac ab illâ inspecti & discussi fuerint, indeque sufficiens habita fuerit notitia, seu informatio illorum, de quibus edoceri cupiebamus; Ipsi verò Cardinales, habitis inter se multis congressibus super querelis supradictorum Christianorum Novorum, ac gravaminibus, quæ sibi inferri asserebant, querelas, & gravamina hujusmodi, variasque scripturas à partibus, & præsertim à Dilecto Filio Hieronymo Suarez uno ex minoribus Inquisitoribus dictorum Regnorum, qui pro tuendis juribus, & stylis Tribunalis Sanctæ Inquisitionis eorumdem Regnorum ad hanc Almam Urbem venit, in eâque de præsenti residet porrectas diligentissimè, & accuratissimè discusserint & examinaverint, sed interea cessante propter suspensionem supradictam jurisdictione ejusdem Tribunalis, locorum Ordinarii, quibus durante suspensione hujusmodi in causis ad prædictum Inquisitionis Officium spectantibus procedendi facultatem sicut suprà expressum est, tribueramus, ejusmodi facultate propter varia impedimenta usi non fuerint; Indè verò gravissimum puritati Catholicæ Religionis in Regnis prædictis detrimentum, sivè periculum sit exortum, nec minus præjudicium animabus & corporibus miserabilium illorum, qui in carceribus Tribunalis prædicti detinentur, resultaverit, molestè id etiam ferentibus Verissimo Archiepiscopo Generali, aliisque Inquisitoribus prædictis, ac illorum Officialibus & Ministris, qui (sicut accepimus) Nostris, & Apostolicæ Sedis prædictæ mandatis filiali, sinceroque obsequio promptè morem in omnibus gerere parati sunt.

Duo tandem ex dictis processibus transmissi.

Et à Cardinalium Congregatione unà cum Christianorum Novorum querelis discussi.

§. 12. Hinc est, quod Nos Christianæ Religionis, Catholicæque Fidei conservationi, quantùm Nobis ex alto conceditur, consulere, ac dicti Tribunalis, illiusque Ministrorum, & Officialium statui & felici directioni, nec non Christianorum Novorum prædictorum consolationi, publicæque omnium utilitati paterna charitate providere cupientes; Habita super præmissis cum memoratis Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus deliberatione matura, exquisitisque, & auditis illorum sententiis, motu proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, Verissimo Archiepiscopo, olim Generali, cæterisque olim Inquisitoribus prædictis, suspensionem à Generalis Inquisitoris, aliisque suis respectivè muneribus, omnique potestate agendi, seu procedendi, aut aliàs quomodolibet se ingerendi in causis ad Sanctum Inquisitionis Officium in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis prædictis quovis modo spectantibus in eos à Nobis latam & declaratam, ut præfertur, ita ut ipsi de cætero munera sua exercere, ac facultatibus sibi respectivè attributis, & competentibus uti,

Quarè dicta Generalis & reliquorum Inquisitorum suspensio relaxatur.

frui, & gaudere liberè, & licitè possint, & valeant in omnibus, & per omnia, prout poterant, & valebant, antequam suspensionem prædictam incurrerent (servatis tamen infra scriptis legibus, & ordinationibus) tenore præsentium de specialis dono gratiæ relaxamus; facultatem verò prædictis locorum Ordinariis durante suspensione hujusmodi cognoscendi causas ad prædictum Inquisitionis Officium quomodolibet spectantes, in eisque procedendi à Nobis, sicut præmittitur concessam ex nunc revocamus, irritamus, & annullamus, viribusque, & effectu penitùs, & omninò vacuamus, ipsosque Ordinarios locorum iis tantùm facultatibus, quibus ante eamdem suspensionem utebantur, & uti poterant, de cætero uti posse decernimus & declaramus.

Facultas cognoscendi causas Ordinariis anteà concessa revocatur.

§. 13. Ac Verissimum Archiepiscopum, cæterosque Inquisitores prædictos, ac illorum respectivè Officiales, & Ministros quoscunque adversùs præmissa, & præjudicialia quæcunque eis exindè quomodolibet enata in integrum, & pristinum, & eum, in quo antequàm suspensio hujusmodi emanaret, quomodolibet respectivè erat, statum restituimus, reponimus & plenariè reintegramus; Illosque, & eorum quemlibet à censuris & pœnis Ecclesiasticis quibuscunque, quas propter præmissa, seu illorum occasione forsan quovis modo incurrerunt, seu incurrisse dici, censeri, intelligi, vel prætendi possent, auctoritate Apostolicâ harum serie in utroque Foro absolvimus, & totaliter liberamus, dictasque pœnas eis, & eorum cuilibet gratiosè remittimus, & condonamus.

Et in pristinum planè statum Inquisitores restituuntur.

§. 14. Nec non cum ipsis omnibus, & singulis super irregularitate per eos, qui à censuris hujusmodi propter præmissa forsan innodati, Sacrosanctum Missæ Sacrificium, & alia Divina Officia (non tamen in contemptum Clavium) celebrarunt, seu aliàs Divinis sese ingesserunt, aut in Ordinibus suis quomodolibet ministrarunt, seu aliàs quovis modo eorumdem præmissorum occasione contractâ, ad quemcunque effectum, etiam specificâ, & individuâ mentione dignum, & de necessitate specialiter exprimendum, itidem de specialis dono gratiæ dispensamus.

Dispensatur de irregularitate durante forsan suspensione contractâ.

§. 15. Porrò certam rebus in prædicto Inquisitionis adversus Apostaticam, hæreticamque pravitatem Officio in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis supradictis auctoritate Apostolicâ instituto de cætero gerendis normam in causis fidei, & præsertim contrà Christianos Novos motis, & quandocunque movendis, inviolabiliter servandam tradere volentes, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus earumdem tenore præsentium statuimus, sancimus, decernimus & ordinamus, ut de cætero confiscatio nunquam fiat antè sententiam, vel declaratoriam, nec bona interim prætensi Rei quâcunque de causâ distrahantur, præterquàm ex causâ alimentorum; sed tantùm conficiatur Inventarium omnium bonorum, cum interventu personæ cum Inquisito conjunctæ, & bona prædicta cum debitâ cautione eidem personæ conjunctæ, vel alteri idoneæ, in formâ depositi consignentur, ex quibus alimenta toti familiæ ejusdem Inquisiti subministrentur, & legitimis creditoribus prout de jure satisfiat. Et si in confectione Inventarii inveniantur bona, seu pecuniæ ad alios spectantes, hoc summariè justificato illicò restituantur. Post sententiam verò bona emphyteutica, seu fideicommissaria, aut aliàs quomodolibet subjecta restituantur quibus de jure: Et his peractis, Fiscus utatur jure suo.

Decretum de observandis circà confiscationem bonorum.

§. 16. Nec deveniatur ad carcerationem Inquisiti, nisi præcedentibus legitimis indiciis, & prout de jure; neque detineantur carcerati ultrà necessitatem sub quovis prætextu, sed quàm citiùs fieri possit expediantur, non expectato actu publico, quem vocant actum fidei.

De Inquisitorum carceratione.

§. 17. In juramento autem, quod defertur Advocato Reorum Sancti Officii non ponantur illa verba *se per congettura*, vel alia idem importantia. Idem verò Advocatus Sancti Officii possit alloqui Reos sine assistentiâ, & eidem tradatur copia processus, suppressis nominibus, & circumstantiis denotantibus personas Testium. Quod si Reus alium Advocatum petat, ei concedatur, dummodò sit bonæ famæ, cui pariter (præstito priùs juramento de secreto servando) tradatur copia processus, suppressis supprimendis, prout suprà; non tamen illi permittatur alloqui Reos, nisi cum assistentiâ Deputati ab Inquisitoribus ad hunc finem, & effectum.

De Advocato Reorum utriusque partis.

§. 18. Christiani Novi non habentes exceptiones legales, admittantur ad deponendum in defensam Reorum. Quo verò ad probationes negativæ coarctatæ, procedatur juxtà Juris dispositionem, & Canonicas Sanctiones; nec Tutor, seu Curator, quibus de jure dandus est, ullo modo detur Custos carcerum, neque alius Officialis Sancti Officii, sed deputetur alia persona gravis, fidelis, & bonæ conscientiæ. Prohibeantur autem omninò quæcunque suggestiones, concussiones, promissiones, & similia in examinibus Testium, & Reorum constitutis; nec ex descendentia sanguinis Hebræi ulla deduci possit probatio Judaismi contrà talem descendentem; Imò nec ex ipsa sola descendentia ulla præsumptio sufficiens ad actum judicialem. Si autem carcerati non veniant condemnandi, nullo modo compellantur ascendere palcum; & si non fuerint reperti culpabiles, non retardetur eorum expeditio, sed illicò relaxentur, etiam non expectato actu publico, quem vocant actum fidei. Neque Christiani Novi ex solâ qualitate repelli debeant à testimonio ferendo contrà Christianos veteres: Et tollatur omninò Statutum, seu consuetudo, si adsit, puniendi Christianos Novos ex eo, quod deposuerint contrà Christianos veteres. In illis autem casibus, in quibus potest constare de corpore delicti facti permanentis, procedi non possit ad constituendum Inquisitum inter Reos, nisi priùs de illo legitimè constiterit. Nec sit habendus pro diminutore, qui in sua confessione non nominat Testem informatum, qui tanquàm purus Testis contrà ipsum deposuit, quantùmvis sibi conjunctum in quocunque gradu. Confessus autem in causis Apostasiæ à fide, qui non nominavit sibi conjunctum in primo gradu ejusdem delicti complicem, non sit habendus pro diminuto, nisi copulativè concurrant plena, & legitima probatio dictæ complicitatis, dolosa ocultatio prædicti complicis, & nulla urgeat in ipso Reo confesso oblivionis præsumptio. Quod si Reus, qui post suam confessionem de ceremoniis Judaicis in observantiam Legis Moysis ab ipso factis tempore, quo in illam credebat, non fuerit convictus à Testibus legalibus, sivè idoneis, denuò repetiisse easdem ceremonias Judaicas, quas in novis Constitutis negaverit, non sit damnandus ad pœnam ordinariam, & multò minùs si ceremoniæ illæ essent æquivocæ, & indifferentes. Testes verò loco, & tempore singulares, conteste tamen in specie hæresis determinatæ, & Apostasiæ à fide, admitti possint ad testificandum contrà Inquisitos de Judaismo in Regno Lusitaniæ, juxtà illius antiquissimam consuetudinem, & ex nonnullis aliis circumstantiis in eodem Regno in fidei favorem concurrentibus, dummodo tamen sint plures in numero, & in qualitate considerabiles, idonei, fide digni, legales, & quales de jure esse debent, atque insimul concurrentibus verisimilibus conjecturis, & attentis atque diligenter examinatis aliis circumstantiis, & qualitate eorum, contrà quos deponitur, sic testificantes, ut falsa non dicere præsumantur. Testes autem singulares, deponentes inverisimilia, & impossibilia nullum gradum probationis faciant. Por-

De reliquis quæ circà Christianos Novos inquirendos, accusandos, carcerandos, expediendos, Testes examinandos &c. veniunt observanda.

rò repetitio Teſtium ſit omninò neceſſaria poſt litem conteſtatam cum citatione, ſcilicet cum notitiâ Rei, & Interrogatoriis dandis per Procuratorem ipſius Rei, ſeu ex Officio ſupplendis, aliàs eorum depoſitiones non efficiant. Teſtes quoque deponentes de indiciis remotis confeſſionis extrajudicalis Judaiſmi non probent ad effectum condemnandi negativum ad pœnam ordinariam. Quam verò probationem faciant prædicti Teſtes, quoad alias pœnas, vel alios effectus, remittitur conſcientiæ, & prudentiæ Judicis Eccleſiaſtici timentis Deum. Confeſſiones autem extortæ contrà formam Juridicam, vel per ſuggeſtionem, vel promiſſionem vitæ, & liberationis ſeu generales, aut obſcuræ, ſeu repugnantes ætati, ſexui, & intellectui confitentis, non ſufficiant contra negativum pro pœna ordinaria, & niſi aliundè legitimè adminiculentur prædictæ confeſſiones, nullam probationem faciant. Carcerati vero charitativè tractentur, & illis aſſignentur carceres minus rigidi, & non tam obſcuri. Ac demum carceratis in Sancto Officio, ſive confeſſis, ſive non, permitti poſſint libri ſpirituales, & Officium Beatæ Mariæ Virginis, vel Breviarium modis opportunis, & eiſdem carceratis dentur Confeſſarii, & aſſiſtentes in articulo mortis: Quoad Sacramentum vero Euchariſtiæ, & extremæ Unctionis, arbitrio & conſcientiæ Judicis ut ſupra id remittimus.

Injungitur præſentium obſervantia.

§. 19. Mandantes propterea in virtute ſanctæ obedientiæ prædicto Veriſſimo Archiepiſcopo moderno, & pro tempore exiſtentibus Inquiſitoribus Generalibus, cæteriſque Inquiſitoribus præſentibus, & quandocunque futuris dictorum Regnorum Portugalliæ, & Algarbiorum, ac illorum, & cujuslibet eorum reſpectivè Miniſtris & Officialibus quibuſcunque, ut omnes, & ſingulas leges, & ordinationes ſupraſcriptas inviolabiliter, ac exactè, & accuratè in omnibus, & per omnia obſervent, & ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit pariformiter obſervari curent, & faciant. Alioquin Inquiſitor quidem Generalis interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, cæteri verò Inquiſitores, ac Officiales, & Miniſtri prædicti excommunicationis majoris latæ ſententiæ pœnas reſpectivè ab iis, qui quo quomodo contravenerint ipſo facto, abſque alia declaratione incurrendas, à quibus relaxationis, ſeu abſolutionis beneficium à nemine, præter quàm à Nobis, ſeu Romano Pontifice pro tempore exiſtente (niſi in mortis articulo conſtituti) obtinere valeant, ſe noverint incurſuros.

Sub pœnâ ſæpiùs memoratâ.

Decretum ſuper obſtativis.

§. 20. Ac decernentes ipſas præſentes Litteras, & in eis contenta quæcunque, etiam ex eo, quod præfati, & alii quilibet, cujuſcunque ſtatus, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis exiſtant, in præmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet prætendentes, etiam ſpecificâ, & individua mentione, & expreſſione digni, ad ea vocati, citati, & auditi, ſeu cauſæ, propter quas eædem præſentes emanarint, ſufficienter adductæ, verificatæ, & juſtificatæ non fuerint, aut ex alia quâcunque, etiam quantumvis juridicâ, piâ, & privilegiatâ cauſa, colore, prætextu & capite, etiam in corpore Juris clauſo, etiam enormis, enormiſſimæ & totalis læſionis, nullo unquam rempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis Noſtræ, aut intereſſe habentium conſenſus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, formali, & ſubſtantiali, ac inexcogitato, & inexcogitabili, individuamque expreſſionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, modificari, limitari, in controverſiam vocari, aut ad terminos Juris reduci, ſeu adverſus illas aperitionis oris, reſtitutionis in integrum aliudve quodcunque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, ſeu etiam motu, ſcientia, & poteſtatis penitudine paribus conceſſo, vel emanato quempiam in judicio, vel extrà illud uti, ſeu ſe juvare ullo modo poſſe, ſed eaſdem præſentes Litteras ſemper, & perpetuò firmas, validas, & efficaces exiſtere & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab omnibus & ſingulis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit inviolabiliter, & inconcuſsè obſervari, & adimpleri, & illis reſpectivè in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari.

Clauſula ſublata & Decretum irritans.

§. 21. Sicque, & non aliter in præmiſſis omnibus, & ſingulis cenſeri, atque ita per quoſcunque Judices Ordinarios & delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ prædictæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, dictæque Sedis Apoſtolicæ Nuncios, & alios quoslibet, quacunque præeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublatâ eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attantari.

Derogatur contrariis.

§. 22. Non obſtantibus Litteris ſupradictis, aliiſque præmiſſis, ac quatenus opus ſit Noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ Regula de jure quæſito non tolliendo, aliiſque Apoſtolicis, ac in Univerſalibus, Provincialibuſque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & ordinationibus, nec non Tribunalis prædicti, & aliis quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, ſtylis, uſibus, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apoſtolicis, etiam in favorem fidei, & dicti Tribunalis, ac Regnorum prædictorum, nec non Inquiſitorum, aliarumque perſonarum quarumlibet, etiam ſpecifica, & individua mentione, & expreſſione dignarum, ſub quibuſcunque verborum tenoribus & formis, ac cum quibuſvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis Decretis, etiam motu, ſciéntia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, ac ad quarumcunque perſonarum, etiam Regia, aliave quâlibet mundana, vel Eccleſiaſtica Dignitate fulgentium inſtantiam, ſeu earum contemplatione, etiam conſiſtorialiter, & aliàs quomodolibet in contrarium præmiſſorum in genere, vel in ſpecie conceſſis, ac pluries, & quantiſcunque vicibus confirmatis, iteratis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſè derogemus, & derogatum eſſe volumus, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Adimplenda pœnitentia à Sacerdote impoſita.

§. 23. Volumus autem, ut Inquiſitores, & alii prædicti pœnitentiam, quam eis Sacerdos idoneus propter præmiſſa reſpectivè impoſuerit, omnino adimpleant, alioquin præſentes Litteræ quoad abſolutionem in foro conſcientiæ eis minimè ſuffragentur.

Tranſſumptorũ fides.

§. 24. Utque earumdem præſentium Litterarum tranſſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſticâ Dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides, tam in judicio, quam extra illud, ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi exhibitæ forent, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die 22. Auguſti 1681. Pontificatus Noſtri anno quinto.

D. 22. Auguſti Pontif. Anno quinto.

Sumptum ex minuta Originali Brevium Secretorum fel. rec. Innocentii PP. XI. Collatum concordat. Loco † Sigilli.

J. G. SLUSIUS.

Jubilæum Universale ad implorandum Divinum auxilium pro salutari Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ Regimine indicitur.

INNOCENTIUS PAPA XI.

XII.

Universis Christi fidelibus præsentes Litteras inspecturis salutem, & Apostolicam benedictionem.

Exorditur à Suâ pro Ecclesiæ bono vigilantiâ & præsenti curæ Apostolicæ gravitate.

ONerosam curarum Pontificiarum molem humilitati, atque infirmitati Nostræ jam dudum divinitùs impositam in summis quidem rerum omnium difficultatibus, quantum divina bonitas dedit, sustinere, & pastoralem vigilantiam Nostram pro Dominici gregis salute in hac excelsâ Apostolicæ Sedis specula excubantem Domino repræsentare hactenus conati sumus; Sed illam nunc tum præteritarum ærumnarum recordatione, tum præsentium sensu, & imminentium formidine longe graviorem experimur. Nam quamvis ineffabilis Dei benignitas populi sui precibus exorata, atrocis belli calamitates, quibus nobiliores Christiani Orbis Provinciæ miserabiliter vastabantur, pace inter Principes Christianos composita sedaverit, non cessavit tamen, nec adhuc cessat humani generis hostis in agro Domini superseminare zizania, ut quidquid boni tot curis, atque laboribus actum est, pervertat, pernicioſisque machinationibus pristina dissidia excitet, & nova accendat, quibus Christianam Rempublicam in majores luctuosioresque miserias præcipitet, latamque immiti Christiani nominis inimico Turcarum Tyranno fenestram aperiat, per quam Christianorum fines formidabili sua potentia irrumpere Regna, & Provincias, ac Principatus evertere, suæque tyrannidi adjungere, ac perfidiæ suæ abominationem in Ecclesia Dei viventis plantare, & latiùs propagare moliatur. Et Nos quidem privatis Nostris Sacrificiis, indictisque etiam publicè precibus, pro muneris Nostri ratione adversus præsentia imminentiaque mala remedium à Deo quærere non destitimus: Sed illud longè efficaciùs, prompriùsque consequi speramus, si ad privatas Nostras totius Christiani populi obsecrationes, orationes, atque deprecationes adjungantur: Potens est enim oratio Ecclesiæ supplicantis ad Dominum, qui pius est & misericors, & propitiatur invocantibus eum in veritate. Adeamus itaque cum fiducia ad thronum gratiæ, scindamus corda Nostra, & expiatis per veram pœnitentiam peccatis, quæ sola inter Deum & homines separant, Divinam indignationem placare, jejuniisque, & eleemosynis vires orationis intendere, & præstabilem super hominum malitia Dei clementiam concordibus votis exorare studeamus, ut benignissimus Dominus, & Deus Noster, cujus misericordia super omnia opera ejus, cordium contritorum holocausta in odorem suavitatis accipiens, Ecclesiam suam Sanctam ab infidelium ac hæreticorum, & schismaticorum insidiis, periculis, & persecutionibus tueri, & protegere, hæreses, & schismata extirpare, Principum Christianorum animos, sublatis omnibus illis quæ concordiam turbare possent, arctiori, atque indissolubili charitatis vinculo conjungere, ac in causæ communis tuitionem unire, & consociare, populumque sibi acceptabilem facere, & per viam mandatorum ejus ambulantem gratiæ suæ donis in hac peregrinatione, fovere & confortare, assiduisque virtutum incrementis perficere, & ad propositam æternæ beatitudinis metam feliciter perducere dignetur.

Exponit calamitates Ecclesiæ à Turcæ præsertim tyrannide imminentes.

Extollit orationis conjunctæ vires.

Hortatur ad preces, eleemosynas & jejunia.

§. 1. Hæc autem ut ferventiori spiritus ardore, majorique fructu fiant, cœlestium munerum thesauros, quorum dispensationem fidei Nostræ commisit Divina dignatio, aperire, & larga manu erogare volentes, de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ex illa ligandi, & solvendi potestate, quam Nobis Dominus, licèt indignis, contulit, universis & singulis utriusque sexus Christi fidelibus in alma Urbe Nostra degentibus, qui S. Joannis in Laterano, Principis Apostolorum, & Sanctæ Mariæ Majoris ejusdem Urbis Ecclesias, seu Basilicas, vel earum aliquam intra spatium duarum proximarum hebdomadarum saltem semel devotè visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium pias ad Deum preces, ut supra, effuderint, ac quartâ, & sextâ feriis, & Sabbato alterius ex hebdomadis hujusmodi jejunaverint, pariterque peccata sua confessi, ac in die Dominicâ immediatè sequenti, vel alia die intrà eandem hebdomadam Sanctissimâ Communione refecti fuerint, & pauperibus aliquam eleemosynam, ut præmittitur, erogaverint, plenissimam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem, sicut in anno Jubilæi visitantibus certas Ecclesias intra, & extrà Urbem prædictam concedi consuevit, tenore præsentium, concedimus & elargimur.

Indicit Jubilæum Universale & præscribit adimplenda degentibus in Urbe.

§. 2. Navigantes verò, & iter agentes, ut cum primum ad sua sese domicilia receperint, suprascriptis peractis, & visitatâ Ecclesiâ Cathedrali, vel majore, aut Parochiali loci eorum domicilii, eandem Indulgentiam consequi possint, & valeant: Regularibus autem personis utriusque sexus, etiam in clausuris perpetuò degentibus, nec non aliis quibuscunque tàm Laicis, quam Ecclesiasticis Secularibus, vel Regularibus, etiam in carcere, aut captivitate existentibus, vel aliquâ corporis infirmitate, seu alio quocunque impedimento detentis, qui suprà expressa, vel eorum aliqua præstare nequiverint, ut illa Confessarius, ex jam approbatis à locorum Ordinariis ante præsentium publicationem, seu approbandis, eis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possint, eaque injungere, quæ ipsi pœnitentes efficere poterunt, pariter concedimus, & indulgemus.

Facienda navigantibus, iter agentibus, Regularibus, captivis, infirmis & impeditis.

§. 3. Insuper omnibus, & singulis Christi fidelibus utriusque sexus tam Laicis, quam Ecclesiasticis Secularibus, & Regularibus, cujusvis Ordinis, Congregationis & Instituti, tam in Urbe prædicta, quam extra eam ubique locorum, ut præfertur, degentibus licentiam concedimus, & facultatem tribuimus, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcunque Presbyterum Confessarium, tam Secularem, quam cujusvis Ordinis & Instituti Regularem ex approbatis, ut præmittitur, à locorum Ordinariis, qui eos ab excommunicationis, suspensionis, & aliis Ecclesiasticis sententiis, & censuris, à jure vel ab homine, quâvis causa latis, seu inflictis, nec non ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, & delictis, quantumvis gravibus, & enormibus, etiam locorum Ordinariis, seu Nobis, & Sedi Apostolicæ, etiam per Litteras die Cœnæ Domini legi solitas, & alias quascunque Nostras, aut Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum Constitutiones, quarum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis quomodocunque reservatis, in foro conscientiæ, & hac vice tantùm absolvere, & liberare valeat, & insuper vota quæcunque (Religionis, & castitatis exceptis) in alia pia, & salutaria opera commutare, injunctâ tamen eis, & eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus pœnitentiâ salutari, aliisque ejusdem Confessarii arbitrio injungendis.

Facultas eligendi Confessarios etiam pro Regularibus,

§. 4. Quapropter tenore præsentium in virtute sanctæ obedientiæ directè præcipimus, atque mandamus omnibus, & quibuscunque Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, aliisque Ecclesiarum Prælatis, ac quibuscunque Ordinariis locorum, ubicunque existentibus, eorumque Vicariis, & Officialibus, vel iis deficientibus, illis qui curam animarum exercent, ut cum præsentium transsumpta, seu exempla, etiam impressa acceperint, illa statim, & absque ulla morâ, retardatione, vel impedimento per suas Ecclesias, & Diœceses, Provincias, Civitates, Oppida, Terras, & loca publicari faciant, Ecclesiamque, seu Ecclesias visitandas designent.

De commutatione votorum.

Præcipit Jubilæum Universale ab Ordinariis ubique publicari.

§. 5. Non intendimus autem per præsentes super aliquâ irregularitate publicâ, vel occultâ,

Declaratio in quibus non intendit dispensare.

notâ

notâ, defectu, incapacitate, seu inhabilitate quoquomodò contractâ dispensare, vel aliquam tribuere facultatem dispensandi, seu habilitandi, & in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiæ, neque etiam easdem præsentes iis, qui à Nobis, & Apostolicâ Sede, vel ab alio Prælato, seu Judice Ecclesiastico excommunicati, suspensi, seu aliàs in sententias, & censuras incidisse declarati, vel publicè denunciati fuerint, nisi intrà tempus dictarum duarum hebdomadarum satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse, aut debere.

Derogatio contrariis.

§. 6. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, præsertim, quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus, ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes, vel dissimiles Indulgentiarum, & facultatum hujusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio, aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant, nec non Regulâ Nostrâ, de non concedendis Indulgentiis ad instar, ac quorumcunque Ordinum & Congregationum, seu Institutorum Regularium, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis Statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis eisdem Ordinibus, Congregationibus, & institutis, illorumque personis quomodolibet concessis, approbatis & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac formâ in eis traditâ pro servatâ habentes, hac vice specialiter, nominatim, & expressè ad effectum præmissorum derogamus; cæterisque contrariis quibuscunque.

Transsumptorum fides.

§. 7. Ut autem Præsentes Litteræ, quæ ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam faciliùs deveniant, Volumus, ut earundem præsentium transsumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiasticâ Dignitate constitutæ munitis, ubique locorum, & gentium eadem prorsùs fides habeatur quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 11. Septembris 1681. Pontificatus Nostri anno quinto.

D. 11. Septembris 1681. P. A. quinto.

J. G. SLUSIUS.

XIII. Indicitur Jubilæum Universale ad implorandum Divinum auxilium pro felici Viennæ liberatione.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Universis Christi fidelibus præsentes Litteras inspecturis Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium de deplorando hæreditariarum Leopoldi Romani Imp. Provinciarum statu.

IN Supremâ militantis Ecclesiæ speculâ his calamitosissimis temporibus super gregem Dominicum curæ Nostræ divinitùs creditum Pastorales oculos vigiles assiduè agitantes, dùm luctuosas Regni Hungariæ, ac Archiducatus Austriæ, aliarumque hæreditariarum Charissimi in Christo Filii Nostri Leopoldi Romanorum Regis in Imperatorem electi Provinciarum & ditionum calamitates, Ecclesiasticorum, & Religiosorum, ac præsertim Sanctimonialium, aliorumque Christi fidelium præcipites fugas, & strages, virginum & puerorum miserandam in servitutem, & quod amariùs deplorandum est, in apostasiæ, pudicitiæque discrimina abductiones, Civitatum, Oppidorum, & agrorum excidia, vastationes, direptiones, & incendia, aliaque innumera mala, quibus nefarius Turcarum Tyrannus immani ferociâ, formidabilique suâ potentiâ nomen Christianum delere molitur, Apostoliræ charitatis studio consideramus, vehementer ingemiscimus, atque inter mœrores, & suspiria vocem proferre, & spiritum ducere vix valemus. Nam quis adeò ferreo sit pectore, cui tot malorum tristis facies gemitus, & lacrymas non exprimat? Quis ad graviora, quæ undequaque impendent, pericula non summo pavore concutiatur? Immitis enim ille Tyrannus secundis armorum suorum initiis inflatus, nihilque sibi impervium jam fore confidens, Viennam Austriæ Urbem celeberrimam, ac munitissimam, & quæ tumentes olim Turcicorum armorum fluctus confregit, arctâ, vehementique obsidione oppugnat, & tanquam inexplebilis bellua Christianas omnes Provincias spe jam devorat, Mahumetanæque perfidiæ abominationem longè latèque propagare, ac Dei viventis Ecclesiam funditùs destruere satagit. Verùm Domino protegente, in cujus manu est salvare in multis, & in paucis, incassum cadent impiorum hostium pernicioси conatus, si Divinam iram, quæ hominum flagitiis provocata, Christianum populum hoc atroci bello tanquam virgâ furoris sui castigat, humili peccatorum confessione, digniſque pœnitentiæ fructibus placare, atque ad sacram misericordiarum Domini aram accedere, ardentibusque, & concordibus supplicationibus opportunum auxilium implorare studuerimus. Non enim Dominus continet in irâ miserationes suas, sed homines per flagella vocat ad pœnitentiam, ac propitiatur invocantibus eum in veritate. Adeamus itaque cum fiduciâ ad thronum gratiæ, scindamus corda nostra cum lacrymis ad Deum, jejuniis, & elemosynis orationum nostrarum vires intendamus, ac unanimi, assiduaque deprecatione Patris misericordiarum, & Dei totius consolationis opem invocemus; ut sociatis memorati Leopoldi Regis, ac Charissimi in Christo Filii Nostri Joannis Poloniæ Regis Illustris, aliorumque Principum armis, Nostrisque, qui quidquid in Nobis est virium & consilii, in causæ communis tuitionem conferre studemus, piis conatibus benedicere, fortissimisque Christi pugilibus ad Viennæ defensionem, Turcarumque, & aliorum infidelium repressionem vires, & fortitudinem, quæ de cœlo est, augere, cæterorumque potentissimorum Regum & Principum Christianorum consilia, & vires ad Christiani nominis tuletam unire, & sociare, ac inimicos suos dissipare, & in fugam convertere, prosperosque Christianis armis successus largiri dignetur.

Viennam à Turcis obsessam commemorat.

In Divinâ misericordia confidendum.

Hortatur ad preces, jejunia & eleemosynas.

Indicit Jubilæum Universale & præscribit facienda degentibus in Urbe.

§. 1. Ut autem hæc ferventius fructuosiùsque fiant, priscum Romanæ Ecclesiæ omnium Matris & Magistræ morem sequentes cœlestium munerum thesauros, quorum dispensationes fidei Nostræ communi bono Divina dignatio commisit, in his urgentissimis Ecclesiæ necessitatibus, gravissimisque periculis aperire, & largâ manu erogare decrevimus. Itaque de Omnipotentis Dei misericordiâ, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus autoritate confisi, ex illa ligandi, & solvendi potestate, quam Nobis Dominus, licèt indignis, contulit, universis & singulis utriusque sexus Christi fidelibus in almâ Urbe Nostrâ degentibus, qui solemni processioni, quam aliquâ die proximè venturæ hebdomadæ ab Ecclesiâ Sanctæ Mariæ super Minervam ad Ecclesiam ejusdem Sanctæ Mariæ de Animâ nuncupatam Nationis Theutonicorum de eâ lem Urbe, unà cum Venerabilibus Fratribus Nostris, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus ac Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis, quos in Romanâ Curiâ adesse contigerit, nec non Christianorum Regum, & Principum Oratoribus apud Nos existentibus, Prælatis quoque, & Officialibus ejusdem Curiæ, universoque Clero, & Populo benedicente Domino agemus, devotè interfuerint, vel Sancti Joannis in Laterano, Principis Apostolorum, & Sanctæ Mariæ Majoris dictæ Urbis Ecclesias, seu Basilicas,

aut

aut aliquam earum intrà spatium ejusdem, vel proximæ subsequentis hebdomadæ saltem semel devotè visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium pias ad Deum preces, ut suprà, effuderint, ac quartâ, & sextâ feriis, & Sabbato alterius ex prædictis hebdomadis jejunaverint, & peccata sua confessi, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in Dominicâ die immediatè sequenti, vel aliâ die intrà eandem hebdomadam reverentur sumpserint, ac pauperibus aliquam eleemosynam, prout unicuique suggeret devotio, erogaverint: cæteris verò extrà Urbem prædictam ubicunque degentibus, qui Ecclesias ab Ordinariis locorum, vel eorum Vicariis, seu Officialibus, aut de eorum mandato, & ipsis deficientibus, per eos, qui ibi curam animarum exercent, designandas, vel Ecclesiarum hujusmodi aliquam juxtà spatium duarum similiter hebdomadarum à publicatione designationis per Ordinarios, vel eorum Vicarios, seu Officiales, vel alias ut præfertur, faciendæ decursurarum saltem semel visitaverint, ibique ut suprà oraverint, ac quartâ, & sextâ feriis, ac Sabbato alterius ex hebdomadis hujusmodi jejunaverint, pariterque peccata sua confessi, ac in die Dominica immediatè sequenti, vel alia die intra eandem hebdomadam Sanctissimâ Communione refecti fuerint, & pauperibus aliquam eleemosynam, ut præmittitur, erogaverint, plenissimam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem, sicut in anno Jubilæi visitantibus certas Ecclesias intrà, & extrà Urbem prædictam concedi consuevit; tenore præsentium concedimus, & elargimur.

Adimplenda de gentibus extrà Urbem.

§. 2. Navigantes verò, & iter agentes, ut cùm primùm ad sua sese domicilia receperint, suprascriptis peractis, & visitatâ Ecclesiâ Cathedrali, vel majore, aut Parochiali in loco eorum domicilii, eandem Indulgentiam consequi possint, & valeant. Regularibus autem personis utriusque sexus, etiam in claustris perpetuò degentibus; nec non aliis quibuscunque tam Laicis quàm Ecclesiasticis, Secularibus, vel Regularibus, etiam in carcere, aut captivitate existentibus, vel aliquâ corporis infirmitate, seu alio quocunque impedimento detentis, qui suprà expressa, vel eorum aliqua præstare nequiverint, ut illa Confessarius ex jam approbatis à locorum Ordinariis ante præsentium publicationem, seu approbandis, eis in alia pietatis opera commutare, vel ad aliud proximum tempus prorogare possit, eaque injungere, quæ ipsi pœnitentes efficere poterunt, pariter concedimus & indulgemus.

Pro navigantibus, Regularibus, captivis & impeditis.

§. 3. Insuper omnibus, & singulis Christi fidelibus utriusque sexus, tàm Laicis, quàm Ecclesiasticis Secularibus, vel Regularibus, cujusvis Ordinis, Congregationis & Instituti, tam in Urbe prædictâ, quàm extra eam ubique locorum, ut præfertur, degentibus, licentiam concedimus & facultatem, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcunque Presbyterum Confessarium, tàm Secularem, quàm cujusvis Ordinis, & Instituti Regularem ex approbatis, at præmittitur à locorum Ordinariis, qui eos ab excommunicationis, suspensionis, & aliis Ecclesiasticis sententiis, & censuris à jure, vel ab homine quavis causa latis, seu inflictis, nec non ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, & delictis, quantumvis gravibus & enormibus, etiàm locorum Ordinariis, seu Nobis, & Sedi Apostolicæ, etiam per Litteras die Cœnæ Domini legi solitas, & alias quascunque Nostras, aut Romanorum Pontificum, Prædecessorum Nostrorum Constitutiones, quarum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis, quomodocunque reservatis, in foro conscientiæ, & hâc vice tantùm absolvere, & liberare valeat, & insuper vota quæcunque, Religionis & Castitatis exceptis, in alia pia, & salutaria opera commutare, injunctâ tamen eis, & eorum cuilibet, in supradictis omnibus casibus pœnitentiâ salutari, aliisque ejusdem Confessarii arbitrio injungendis.

Facultas eligendi Confessarios.

§. 4. Quapropter tenore præsentium in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipimus, atque mandamus omnibus, & quibuscunque Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque Ecclesiarum Prælatis, ac quibuscunque Ordinariis locorum, ubicunque existentibus, illis, qui curam animarum exercent, ut cùm præsentium Litterarum transsumpta, seu exempla, etiàm impressa, acceperint, illa statim, & absque ulla morâ, retardatione, vel impedimento per suas Ecclesias & Diœceses, Provincias, Civitates, Oppida, Terras, & loca publicent, & publicari faciant, Ecclesiamque, seu Ecclesias visitandas disignent.

Præcipit Jubilæum universale ubique ab Ordinariis publicari.

§. 5. Non intendimus autem per præsentes super aliquâ irregularitate publicâ, vel occultâ, nota, defectu, incapacitate, seu inhabilitate quoquomodo contractâ dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seu habilitandi, & in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiæ; neque etiam easdem præsentes iis, qui à Nobis, & Apostolica Sede, vel ab aliquo Prælato, seu Judice Ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seu aliàs in sententias, & censuras incidisse declarati, vel publicè denunciati fuerint, nisi intrà tempus dictarum duarum hebdomadarum satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse, aut debere.

Declaratio in quibus non intendit dispensare.

§. 6. Non obstantibus Apostolicis, præsertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes, vel dissimiles Indulgentiarum, & facultatum hujusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio, aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant, nec non Regulâ Nostrâ de non concedendis Indulgentiis ad instar, ac quorumcunque Ordinum, & Congregationum, seu Institutorum Regularium, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis eisdem Ordinibus, Congregationibus, & institutis, illorumque personis quomodolibet concessis, approbatis & innovatis; Quibus omnibus & singulis, etiamsi de illis, eorumque tenoribus specifica, expressa & individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro plenè & sufficientur expressis ac formam in eis traditam pro servatâ habentes, hâc vice specialiter nominatim & expressè ad effectum præmissorum derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Derogatio contrariis.

§. 7. Ut autem præsentes Litteræ, quæ ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam faciliùs deveniant, volumus, ut earundem præsentium transsumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiasticâ dignitate constitutæ munitis, ubique locorum, & gentium eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 11. Augusti 1683. Pontificatus Nostri Anno septimo.

Transsumptorum fides.

J. G. SLUSIUS.

d. 11. Aug. 1683. P. A. septimo.

De Commutatione votorum.

Imponun-

Imponuntur tres integræ decimæ reditibus Cleri Italici & adjacentium Insularum ad sublevandas Ærarii Apostolici angustias, propter suppeditata Christianis Principibus in bello Turcico subsidia.

XIV. INNOCENTIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei. Ad futuram rei memoriam.

Exorditur ab ardentibus ad Deum pro Ecclesiæ bono fusis precibus.

CÙm ab ipso Nostri Pontificatus initio, ad quem Divina clementia in altitudine divitiarum sapientiæ, & scientiæ suæ Nos meritis licèt impares evexit, malis undique afflictam sciissamque dissordiis Christianam Rempublicam videremus, ad Dominum in amaritudine cordis Nostri clamavimus, eumque deprecati sumus, ut secundum multitudinem miserationum suarum redimeret Nos à malis, & non daret hæreditatem suam in perditionem, & in opprobrium. Quod quidem posteà eo ardentioribus votis efflagitavimus, quo rebus quotidiè magis in deterius labentibus omnia periculis plena esse videbantur. Nam expugnatis jam ab effero Turcarum Tyranno Varadino, Neoselio, & Camenecio munitissimis Hungariæ, & Podoliæ arcibus, & Cretæ Regno post diuturnum, acerbissimumque bellum subacto, Germaniæ, atque ipsiusmet Italiæ cervicibus fœdissimæ servitutis jugum imminebat. Hæc inter vota, & curas pastoralis Nostræ sollicitudinis teterrimus hostis, atque in omnem occasionem rei bene gerendæ semper intentus immanissimo, si unquam anteà, exercitu ex omni Barbarorum colluvie comparato, ipsis rebellibus Hungaris deducentibus Hungariam, Austriam, atque iis conterminas Provincias invasit, fœdèque sacra, & profana omnia igne, ferroque populatus, ingenti quoque Christianorum multitudine in servitutem redactâ, Viennam Germanici Imperii domicilium, & publicæ salutis propugnaculum arctissima oppugnatione est aggressus. Cùm Charissimus in Christo Filius Noster Leopoldus Romanorum Rex in Imperatorem electus ingruenti subitæ tempestati nondum viribus par esset, & Charissimus in Christo Filius itidem Noster Joannes Poloniæ Rex Illustris, Magnique Ducatus Lithuaniæ Magnus Dux, qui periculi propinquitate, & magnitudine, ac Nostris denique hortationibus excitus, fœdus cum Cæsare inierat, pluresque præclari ex Imperio Principes, & Ordines nondum instructi, paratique essent ad communem calamitatem repellendam.

Loquitur de immanibus armorum Turcicorũ progressibus.

De fœdere Joannis Poloniæ Regis cum Leopoldo Romanorũ Imperatore inito.

Victoria contrà Turcam per majores Ecclesiæ supplicationes obtenta.

Nos igitur penè desperatâ, conclamatâque republicâ ad Dominum enixiùs confugientes, majores supplicationes per universam Ecclesiam indiximus, ut in jejunio, & fletu audiret Deus, secundùm magnam misericordiam suam gemitus compeditorum, & solveret filios interemptorum, averteret iram suam à Nobis, ipsamque immitteret in gentes, & in regna, quæ nomen suum non invocaverunt. Exaudivit Dominus preces populi sui, exsurrexit, & dissipavit inimicos, piis, fortissimisque Christianorum Principum copiis, in virtute ejus strenuè pugnantibus. Quâ sanè admirabili victoriâ, in quâ Christianus populus ab acerbissimâ servitute penè redemptus præsentem Dei dexteram in attritione cordis agnovit, uti potiùs, quam frui opus est, publicâ nondum securitate firmatâ, & Turcico Imperio immani mole suâ justum adhuc omnibus timorem incutiente; Nec enim dubitandum videtur, quin ab immiti hoste vindictæ cupido, & ob acceptam cladem furore percito bellum redintegrari quàm primum debeat. Nos quidem paternâ charitate Nostrâ publicam causam, & præclaros, Christianæque Religioni salutares fortissimorum Principum conatus juvare, ut par est, & prosequi cupientes in tantis Apostolici Ærarii ob præstita jam à Nobis eidem Leopoldo, & Joanni Regi subsidia, angustiis ad Cleri Italici, & adjacentium Insularum reditus, Prædecessorum Nostrorum vestigiis inhærentes, animum adjicere cogimur.

A novo ejusdem Tyranni impetu metuendũ.

Ærarium Apostolicum ob præstita Principibus Christianis subsidia exhaustum.

Tres igitur decimæ omniũ Cleri Italici & adjacentium Insularum Ordinum reditibus imponuntur.

§. 1. Maturâ igitur super hoc cum Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus deliberatione habitâ, de eorumdem consilio, & assensu indicimus, & imponimus tres integras decimas infrà quinquennium, ut infrà persolvendas, omnium, & quorumcunque fructuum, redituum, proventuum, jurium, obventionum, distributionum quotidianarum, & emolumentorum ordinariorum, & extraordinariorum in quacunque re consistentium, undecunque, quomodocunque & qualitercunque etiam ex pede Altaris, aut aliàs quomodolibet, & quovis modo provenientium, & proventurorum, omnium, & quarumcunque Patriarchalium, Metropolitanarum, Cathedralium, Collegiatarum, ac Parochialium, aliarumque Ecclesiarum, nec non Monasteriorum, & Conventuum, ac etiam mensarum Patriarchalium, Archiepiscopalium, Episcopalium, Abbatialium, Capitularium, & Conventualium, Prioratuum quoque, Præpositurarum, Præceptoriarum, Canonicatuum, & Præbendarum, Dignitatum, Personatuum, Administrationum, & Officiorum, Cappellanarium, cæterorumque Beneficiorum, & bonorum Ecclesiasticorum, etiam Juris patronatus Laicorum, tàm ex Privilegio, quàm ex fundatione, & dotatione, vel alio quocunque titulo, cum cura, & sine cura Secularium, quorumvis Ordinum Regularium in titulum, commendam, administrationem, aut aliàs quomodolibet obtentorum, & in posterum obtinendorum, Sancti quoque Benedicti, Sancti Augustini, Cluniacen. Cistercien. Præmostraten. S. Basilii, & qui proprietates redituque certos ex Privilegio, vel aliàs possident, Mendicantium, ac quorumque aliorum Ordinum utriusque sexus, nec non Cassinen. alias S. Justinæ de Padua, Carthusien. Lateranen. Montis Oliveti, Camaldulen. S. Salvatoris, Vallis Umbrosæ, Cœlestinorum, Cistercien. in Longobardiâ, Silvestrinorum, ac Clericorum Regularium Societatis Jesu, aliarumque Congregationum, Societatum, & Institutorum Regularium exemptorum, & non exemptorum.

Etiam reditibus Hospitaliũ & Militiarum B. Mariæ Theutonicorum & S. Lazari de Alto passu.

§. 2. Et insuper Hospitalium, etiam pauperum hospitalitatem non exercentium, seu bona, & reditus ultra infirmorum necessitates, & aliàs pro quibus instituta sunt, pia officia exercenda possidentium; nec non Beatæ Mariæ Theutonicorum, S. Lazari de Alto passu, & aliarum Militiarum in universa Italiâ, & Insulis Italiæ adjacentibus consistentium, secundùm verum annuum valorem fructuum, redituum, proventuum, & aliorum præfatorum, nisi aliter cum Sede, & Camera Apostolica, & pro ea cum Dilecto Filio Nostra Palutio tit. S. Chrysogoni Presbytero Cardinali de Alteriis nuncupato S. R. E. Camerario nunc, & pro tempore existenti fuerit concordatum.

Excipiuntur S.R.E. Cardinales, Milites S. Joannis Hierosolymitani, aliæque Parochiales Ecclesiæ, Beneficia quæ certam annui valoris summã non excedunt.

§. 3. Exceptis dumtaxat ejusdem S. R. E. Cardinalibus ob assiduos magnosque labores, quos Ecclesiæ Universali impendunt, gravissimaque tuendæ Dignitatis causa sustinent onera, & quia jam præventivè notabiles pecuniarum summas in memoratam causam contulerunt, ac Militibus S. Joannis Hierosolymitani, qui pro Christiani Orbis defensione adversus Turcas præfatos semper gerunt bella, nec non aliis Parochialibus Ecclesiis, quæ etiam computatis incertis & aliis suprà expressis triginta unius ducatorum auri de Camera, cum uno quarto alterius ducati paris, illisve Beneficiis, quæ computatis præfatis incertis, & distributionibus quotidianis septem ducatorum similium valorem annuum non excedunt, dummodò tamen Parochialium seu Beneficiorum hujusmodi titulares, una cum illis alia beneficia Ecclesiastica, sivè annuas pensiones, valorem prædictum conjunctim excedentia non possideant, seu percipiant, quia tunc illos ad easdem decimas solvendas obligatos, & adstrictos esse declaramus.

§. 4. Ac

Dictæ tres decimæ quibusvis etiam pensionibus annuis imponuntur.

§. 4. Ac etiam indicimus, & imponimus tres similes decimas omnium, & quarumcunque pensionum annuarum, super quibusvis fructibus, reditibus, proventibus, juribus, obventibus, emolumentis, & distributionibus supradictis, sivè earum loco fructuum, redituum, proventuum, obventionum, emolumentorum, ac distributionum hujusmodi in favorem quorumcunque, non tamen Cardinalium, ac Militum S. Joannis Hierosolymitani prædictorum, reservatarum, & assignatarum, seu transflatarum, aut reservatorum, & assignatorum, seu translatorum, ac reservandarum, & assignandarum, seu transferendarum, aut reservandorum, & assignandorum, vel transferendorum percipiendas, exigendas, & levandas ab omnibus, & quibuscunque Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, ac cæteris cujuscunque dignitatis, gradus, status, Ordinis, Militiæ, & conditionis personis infrascripto quinquennio durante præfata quocunque jure, & titulo obtinentibus, & obtenturis, ac reservata, & assignata, seu translata habentibus, seu habituris, nec non Oeconomis, Administratoribus perpetuis, & temporalibus, usufructuariis, ac fructus, pensiones, res, & alia hujusmodi jura, ex quacunque causa sibi Apostolicâ autoritate in toto, vel in parte reservata, seu transflata habentibus, & habituris, Secularibus, & Regularibus Ordinum, Constitutionum, Militiarum, & Hospitalium præfatorum, (non tamen S. Joannis Hierosolymitani) nec non ab ipsis Ecclesiis, Capitulis, Conventibus, Ordinibus, Congregationibus, Collegiis, Hospitalibus, Militiis, mensis, massis, & locis, & quocunque privilegio, exemptione reali, personali, & mixtâ, antiqua, & immemorabili, pacifica, & continuata suffultis.

Solutionũ termini

§. 5. Quas omnes decimas prædictas solvere obligatos, ut præfertur, easdem infra quinquenniũ proximum quinque æqualibus solutionibus, pro prima videlicet intra proximum diem festum Apparitionis S. Michaelis Archangeli mensis Maji proximè futuri, & successivè pro reliquis quatuor solutionibus, singulo quoque anno ratam partem intra festum hujusmodi cujuslibet anni immediatè usque ad totalem solutionem Cameræ prædictæ, & illius Depositario Generali ad id constituendo omnino volumus persolvisse.

Subcollectoribus ne ultrà competentis salarii taxam prætendere quicquam audeant, inhibetur.

§. 6. Subcollectoribus autem decimarum hujusmodi extra Urbem Nostram, ut infra deputandis, ne ultra taxam competentis salarii in eorum deputationum Litteris patentibus designandam, quidquá petere, vel prætendere, aut percipere audeant, specialiter, & expressè, ac sub pœnis in contravenientes arbitrio ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerarii infligendis, prohibemus.

De positarii munus.

§. 7. Ejusdem vero Depositarii munus erit sedulò curare, ut quicquid pecuniarum ex decimis colligetur, id diligenter, ac fideliter asservetur, de mandato Nostro speciali, in præfatos usus dumtaxat, nec alias erogandum.

Pœna contravenientibus dictatur.

§. 8. Quicunque vero adeo indurato corde & ratione carens extiterit, quod non sit factus alieno periculo cautus, & tantâ avaritiâ arserit, ut quod gratis ab Ecclesia accepit, particulam accepti eidem periclitanti reddere recusaverit, decimas hujusmodi nullo modo, vel non integrè, scienter, aut non secundùm verum annuum valorem fructuum, redituum, proventuum, jurium, obventionum, & emolumentorum, vel concordiam cum Sede, & Camera prædictis, ut præfertur, ineundam, sive in terminis constituendis non exhibuerit, seu in illorum exhibitione malitiam commiserit, vel fraudem: si Ecclesiarum Antistes fuerit, suspendimus à Divinis: Capitula vero, Conventus, Congregationes, Societates, & Collegia Ecclesiastico interdicto supponimus: ac singulares personas Antistite inferiores excomunicationis sententiâ innodamus, ac in pœnam privationis tam Beneficiorum, quam pensionum ipso facto incurrisse declaramus.

Facienda Conductoribus, Censuariis, Afficturariis, & decimas ex possessis solvere debentibus.

§. 9. Cæterùm, ad prædictas decimas consequendas præcipimus etiam omnibus Conductoribus, Censuariis & Afficturariis proprietatum, fructuum, rerum & jurium prædictorum, etiam hujusmodi pensionibus oneratorum, ut memoratas Decimas nomine Dominorum, ac Pensionariorum ad computum suæ cujusque locationis, omnibus verò possessoribus, & usufructuariis, & aliis, pensiones, seu fructus, aliaque prædicta solvere debentibus, ut ipsi etiam decimas pensionum hujusmodi nomine Pensionariorum, Cameræ, & Depositario prædictis integrè persolvant.

Exactoribus datur facultas Decimas reditum ad annum valorem pensionũ pro ratâ cujuscunque pensionis integrè exigendi.

§. 10. Decernentes, Decimas fructuum, redituum, proventuum, & aliorum jurium prædictorum secundum verum valorem annuum, alias verò pensionum decimas ad eamdem rationem trium decimarum durante dicto quinquennio, præstari debere, & secundum eam prædictos omnes in solidum cogi posse, ipsarumque decimarum Procuratores, sivè Exactores à quibus libuerit integrè exigendi, optionem facultatemque habere, omnesque, & singulos pensionarios, quacunque autoritate, dignitate, præeminentia præfulgeant (Cardinalibus, ac Militibus S. Joannis Hierosolymitani præfatis ob causas supra expressas tantum exceptis) ad ipsarum decimarum solutionem, pro rata cujuslibet pensionis, teneri, & obligatos esse, neque ullum jus, & actionem, etiam in vim cujuscunque pacti, & conventionis, quantumvis ex causa onerosa, vel donationis, juramenti, obligationis Cameralis, augmenti pensionum, & cujusvis alterius, quantumvis inexcogitatæ cautelæ & pactionis, etiam à Sede Apostolica in genere, vel in specie, atque individualiter cum illarum, & illorum inserto tenore approbatorum & confirmatorum, ac forsan præfato quinquennio durante approbandorum aliquid aliquando ab his Titularibus repetendi competere, sed ipsos Pensionarios ad decimarum hujusmodi solutionem pro rata suæ cujuslibet pensionis, præfato quinquennio durante teneri, ac per eos ad quos spectat, & pro tempore spectabit, cogi & compelli posse, seu debere.

De Valore Quietantiarum.

§. 11. Omnes vero confessiones, ac Quietantias receptionis decimarum à Procuratoribus, & Ministris Cameræ prædictæ tam Conductoribus, Censuariis, & Afficturariis nomine suorum principalium, quàm etiam ipsis, nec non possessoribus usufructuariis, & aliis pensiones, seu fructus solvere debentibus nomine Pensionariorum faciendas, perinde valere, atque in judicio, & extrà illud ubique locorum fidem facere, ac si ipsismet principalibus, & Pensionariis præsentibus, & solventibus factæ & exhibitæ fuissent.

De locatione Conductorum.

§. 12. Conductores autem, qui pretium locationis dominis legitimè anticipaverint, locationem suam hujusmodi, quam quoad hoc prorogamus usque ad integram satisfactionem, ut prius, etiam adveniente successore, continuare debere.

Clausula sublata & Decretum irritans.

§. 13. Sicque per quoscunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vicelegatos, Sedisque Apostolicæ Nuncios in quavis instantiâ, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate & auctoritate, ubique judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, quicquid secus super his à quoquam, quavis auctoritate scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus, & declaramus.

Cardinalis Palutius Collector Generalis cum plenariâ cogendi, puniendi & absolvendi facultate constituitur.

§. 14. Ut autem omnia prædicta, sicut causa urgens postulat, diligenter & feliciter exequutioni demandentur, præfatum Palutium Cardinalem Camerarium, cujus integritas, fides, atque experientia, notaque devotio jam pridem Nobis perspecta sunt, Generalem omnium decimarum prædictarum Collectorem in Italia, & Insulis illi adjacentibus hujusmodi, cum omnibus, &

quibus-

quibuscunque privilegiis, jurisdictionibus, ac juribus, quæ omnes alii antehac hujusmodi Collectores habuerunt, auctoritate prædicta tenore præsentium constituimus, & deputamus, eique plenam, liberam, & absolutam facultatem & auctoritatem tribuimus, omnes ipsas Decimas Cameræ prædictæ nomine procurandi, prædictos omnes, tàm conjunctim, quàm divisim, ad illarum integram solutionem, ut prædictum est, faciendam, etiam per edictum locis publicis affigendum, monenti & requirenti non parentes, fraudantes, & cæteros contumaces in censuras, & pœnas prædictas incidisse, servatâ formâ Concilii Tridentini, declarandi, proprietates, res, fructus & alia bona ipsorum, etiam manu Regiâ apprehendendi, usque ad condignam satisfactionem retinendi, contradictores, perturbatores, & rebelles quoscunque, eisque auxilium, consilium vel favorem publicè vel occultè, quovis quæsito colore præstantes, cujuscunque dignitatis, gradus, & ordinis fuerint, prædictis, aliisque censuris, & pœnis Ecclesiasticis, nec non pecuniariis, cæterisque juris, & facti remediis compellendi, illasque etiam iteratis vicibus aggravandi, dignitatibus, beneficiis, & officiis omnibus privandi, & removendi, ad futura inhabiles faciendi, interdictum Ecclesiasticum apponendi, auxiliumque brachii secularis quandocunque opus fuerit invocandi; illos verò, qui resipuerint, ac debitè satisfecerint, ab omnibus censuris, & pœnis supradictis in formâ Ecclesiæ consuetâ, absolvendi, super irregularitate forsan incursâ, dummodò tamen in contemptum Clavium non celebraverint, dispensandi, & ad pristinum statum omninò restituendi.

Datur facultas constituendi, removendi & subrogandi Collectores & Subcollectores sinè tamen potestate absolvendi sineque eorum exemtione à solutione decimarum.

§. 15. Præterea Collectores & Subcollectores, viros ubique providos, ac fide & facultatibus locupletes, & solertes in omnibus Civitatibus, Terris, & Provinciis Italiæ, & Insularum illi adjacentium hujusmodi, quotquot viderit expedire, cum simili, vel limitatâ, non tamen absolvendi potestate, constituendi, eumque, vel eos ejus arbitrio revocandi, negligentes & morosos removendi ac alium, seu alios subrogandi, quotiescunque ei videbitur, ac ab eis eorumque hæredibus, & successoribus administrationis rationes exigendi, in delinquentes, & suspectos per se, vel alium, seu alios, etiam simpliciter, & de plano, ac sine strepitu, & figurâ judicii inquirendi, & meritis pœnis puniendi, modos, & formas in prædictis servandos præscribendi, dubia quæcunque in præmissis forsan oritura declarandi, ac prorsùs omnia, & quæcunque circà ea necessaria, & opportuna faciendi, statuendi & exequendi, etiamsi talia forent, quæ mandatum exigerent magis speciale, quàm præsentibus est expressum; Eâ tamen conditione adjectâ, quòd Collectores, & Subcollectores deputandi, seu substituendi hujusmodi per deputationem, seu substitutionem de eorum personis, ut præfertur, faciendam, nullo modo censeantur exempti à solutione trium decimarum prædictarum, quas ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, Beneficiorum, seu pensionum per eos obtentorum solvere debebunt.

Derogatio contrariis.

§. 16. Non obstantibus felicis recordationis præsertim Pauli III. ac Gregorii XIII. quibus inter alia cavetur, quòd Clerici Regulares Societatis Jesu à solutione decimarum hujusmodi exempti esse debeant, ac B. M. Pii V. duodecim Congregationibus præfatis ex titulo onerosoparem exemptionem concedentis, & Bonifacii VIII. Romanorum Pontificum etiam Prædecessorum Nostrorum de unâ, & in Concilio Generali editâ de duabus dictis, & aliis Apostolicis Constitutionibus, nec non Ecclesiarum, Monasteriorum, Prioratuum, Ordinum, Congregationum, Hospitalium, Militiarum & locorum prædictorum, juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis Statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, usibus & naturis, nec non quibusvis privilegiis, indultis, exemptionibus, etiam in corpore Juris clausis, Immunitatibus, Litteris Apostolicis, Ordinibus, Congregationibus, Militiis, Monasteriis, Conventibus Regularibus, Locis, Capitulis, Dignitatibus aliisque quibusvis personis supradictis, tàm Secularibus, quàm Regularibus generaliter, vel specialiter sub quâcunque formâ, & verborum expressione ab eâdem Sede, etiam ex concordiâ, aut remunerationis laborum, vel titulo onoroso, aut aliàs, ex qualibet alia causa, etiam hjc non expressâ, & necessariò exprimendâ concessis, approbatis & innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma, ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat harum serie latissimè & plenissimè, ac specialiter, & expresè pro hâc piâ causâ derogamus contrariis quibuscunque. Seu si Prælatis, & personis prædictis, eorumque Ecclesiis, & locis, vel quibusvis aliis, communiter aut divisim, à præfata sit Sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per Litteras Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi, nec non personis, earumque nominibus & cognominibus, Ecclesiis, Monasteriis & Ordinibus, in locis hujusmodi mentionem, & quibuslibet aliis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, in genere, vel in specie quandòcunque concessis, confirmatis & innovatis, etiam solutionem decimarum aliàs quàm secundùm antiquam taxam & nisi in universali decimarum per Orbem impositione fieri prohibentibus, nec non promissionibus, applicationibus, donationibus, obligationibus, juramentis, renunciationibus, vinculis, & cautelis, in assignatione prædictarum pensionum factis, quibus per impositionem decimarum hujusmodi neminem teneri, neque eas quoad præmissa contrà quemcunque locum habere, similiter declaramus, aliisque indultis, & Litteris Apostolicis generalibus, vel specialibus cujuscunque tenoris existant, per quæ præsentibus non expressa, aut omninò non inserta, effectus earum impediri valeat quomodòlibet, vel differri, & de quibus eorumque totis tenoribus habenda sit in Nostris Litteris mentio specialis: Quæ omnia contrà præmissa nolumus cuiquam in aliquo suffragari. Nec non aliis hujusmodi impositionibus, & concessionibus ad tempus nondùm elapsum, si quæ sint, factis, cæterisque contrariis quibuscunque.

Camera Apostolica, cessante ante quinquennium solutione ad restitutionem pecuniarum, concordantibus cum eâ obstringuitur.

§. 17. Ut verò subsidia hujusmodi magis prompta haberi possint, & decimas prædictas solvere debentes ad compositionem cum dictâ Camerâ Apostolicâ deveniendum per ampliùs invitentur, statuimus & decernimus, quòd si ante quinquennii prædicti terminationem decimarum solutio, ut infrà cessaverit, eadem Camera Apostolica ad restitutionem, & refectionem pecuniarum ab eisdem decimis provenientium illis, qui ut præfertur, cum eâ concordaverint, faciendam, pro ratâ tamen temporis ante dicti quinquenii lapsum decursi, & summæ per eos solutæ omninò teneatur. Et insuper volumus, quod si, favente Deo, causæ, propter quas decimarum prædictarum impositio emanavit, ante quinquennium hujusmodi cessaverint, etiam decimarum hujusmodi solutio cesset, & cessasse censeatur eo ipso.

Confirmatur Constitutio Clementis V. & taxatur solutio quietantiarum etiam pro obtinentibus plura Beneficia.

§. 18. Insuper in percipiendis decimis prædictis, Constitutionem rec. mem. Clementis Papæ V. similiter Prædecessoris Nostri in Concilio Vienen. editam, quòd decimæ ad monetam currentem communiter levari, nec calices, libri, cæteraque Ecclesiarum ornamenta Divino cultui dicata ex causâ pignoris capi, percipi, vel distrahi, aut aliàs quomodolibet occupari debeant, ubique volumus observari. Quin etiam præcipimus, ne quisquam etiam plurà quanticunq; valoris Beneficia Ecclesiasti-

siastica, seu plures pensiones, aut fructus, seu talia mixtim obtinens pro Litterâ, & sigillo quietantiæ universalis, si illam habere voluerit, ultrà unum Carolenum conficientem quatrinos triginta septem monetæ Romanæ, solvere teneatur, nec ad aliud onus, etiam prætextu Cambii uspiam compellatur.

Præfatæ decimæ absque ratæ deductione apud Cameræ Apostolicæ Depositarium deponendæ.

§. 19. Volumus autem, imò jubemus, quòd decimæ præfatæ integrè tàm hic in Urbe, quàm extrà absque ulla ratæ deductione, (præterquam ratam competentis salarii in Subcollectorum in partibus deputandorum Litteris patentibus, ut præfertur designandam, quæ summam quatuor pro centenario non excedat) penes ejusdem Cameræ Apostolicæ Depositarium deponantur, nonobstante quâcunque consuetudine in similibus impositionibus & exactionibus hactenus in favorem quarumcunque personarum, de quibus specialis, specifica, expressa, & individua mentio facienda esset, tàm ratione officiorum, quàm laborum quamdam ratam ex eisdem decimis exactis percipiendi observatâ.

Pœna usurpatoribus & deceptoribo infligenda.

§. 20. Cæterùm volentes, illos quos Dei timor à malo non revocat, saltem formidine pœnæ, & publicâ disciplinâ compescere; omnes, & singulos cujuscunque Dignitatis, status, gradus, Ordinis, vel conditionis fuerint, etiamsi Pontificali Dignitate potiantur, qui de hujusmodi exigendis Decimis aliquid usurpare, seu subtrahere, aut sibi ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, Beneficiorum, seu pensionum per eos obtentorum, ut præfertur retinere, aut illas exigendo, colligendo, vel conservando fraudem, vel deceptionem aliquam committere, malitiosè præsumpserint suspendimus, nec non interdicimus à Divinis, ac majoris excommunicationis, & etiam privationis Ecclesiarum, Monasteriorum, & Beneficiorum, quæ obtinent, & pensionum, quas percipiunt, nec non inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda, sententias, censuras, & pœnas incurrere volumus ipso facto. Ita ut ab eadem excommunicatione ab alio, quam Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo, absolutionis beneficium nequeant obtinere.

Transsumptorum fides.

§. 21. Quia verò difficile nimis esset præsentes Litteras ad singula quæque loca, & quocunque illis opus fuerit, perferre, Volumus, ut illarum exemplis, etiam impressis, & Notarii publici manu subscriptis, & Palutii Cardinalis Camerarii, seu alterius ab eodem deputati Collectoris, seu Prælati Ecclesiastici ejusque Curiæ sigillo obsignatis, eadem prorsùs fides, in judicio, & extrà illud ubique locorum adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ.

Præsentes debitis in locis publicandæ.

§. 22. Ut autem præsentes ad communem notitiam deducantur, eas valvis Ecclesiæ S. Joannis Lateranen. Basilicarum Principis Apostolorum, & S. Mariæ Majoris de Urbe, & Cancellariæ Apostolicæ affigi, seu appendi faciemus, quæ se suo quasi sonoro præconio, & patulo indicio publicabunt, ut ii, quos præmissa contingunt, quod ad ipsos non pervenerint, aut ea ignoraverint, nullam possint excusationem prætendere, seu ignorantiam allegare: Cùm non sit verisimile quoad ipsos remanere incognitum, quod tàm patenter omnibus publicatur.

Sanctio pœnalis.

§. 23. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam indictionum, impositionum, suspensionis, suppositionis, innodationis, Decreti, concessionis, impertitionis, prorogationis, Constitutionis, deputationis, tributionis, declarationis, voluntatis, & præcepti Nostrorum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, ac Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo octuagesimo tertio Quinto Kal. Octobris, Pontificatus Nostri anno septimo.

D. 27. Septembris 1683. P. A. septimo.

† *Ego* INNOCENTIUS *Catholica Ecclesiæ Episcopus.*

MONITORIUM.

Ad favorem Provinciarum S. Antonii Brasiliæ, & Immaculatæ Conceptionis Fluminis Januarii in eodem Brasilienſi ſtatu Indiarum Regnorum Portugalliæ ſuper obſervatione Bullarum Apoſtolicarum Summorum Pontificum, Privilegiorum & gratiarum, Indulgentiarumque eiſdem Provinciis conceſſarum.

XV.

DOminicus Maria Curſius Protonotarius Apoſtolicus, utriuſque Signaturæ Sanctiſſimi D. N. Papæ Referendarius, nec non Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Generalis Auditor, Romanæque Curiæ Judex Ordinarius, ſententiarum quoque ac cenſurarum, tàm in eâdem Romanâ Curiâ quam extrà eam latarum ab eodem Sanctiſſimo D. N. Papâ ſpecialiter electus, & deputatus.

Univerſis, & ſingulis Reverendis Dominis Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Decanis, Diaconis, Archidiaconis, Scholaſticis, Cantoribus, Theſaurariis, Sacriſtis, tàm Cathedralium, quàm Collegiatarum Eccleſiarum Canonicis, Rectoribus, Presbyteris, Cleris, Tabellionibus publicis quibuſcunque, illique, vel aliis, ad quem, ſeu quos præſentes Noſtræ Litteræ pervenerint, ſeu quomodolibet præſentabuntur, ſalutem in Domino.

Principalium dictarum Provinciarum nomina.

§. 1. Noveritis, Quod infraſcriptâ die in Tribunali Noſtro coràm Nobis tanquàm Litterarum Apoſtolicarum mero Executore fuit comparitum pro parte, & ad inſtantiam admodùm Reverendorum Patrum Fratris Danielis à Sancto Franciſco Sacræ Theologiæ Lectoris Vicarii Provincialis, ac Præſidis Capituli Provinciæ S. Antonii Braſilienſis, & Chriſtophori à Matre Dei Prædicatoris Miniſtri Provincialis Provinciæ Immaculatæ Conceptionis Fluminis Januarii in eodem Braſilienſi ſtatu Indiarum Regnorum Portugalliæ Cuſtodum, Definitorum, & Guardianorum ſtrictioris obſervantiæ S. Franciſci, & omnium illorum nomine admodùm Reverendi Patris Placidi à Sancto Antonio Verbi Dei concionatoris perpetui, Patris & Cuſtodis, & habitualis Definitoris præfatæ Provinciæ S. Antonii Braſilienſis, in Romanâ Curiâ dictarum Provinciarum ſpecialis Procuratoris, nec non Commiſſarii Generalis Terræ Sanctæ Regnorum Braſiliæ, ac Domini Abbatis Emanuelis Dias de Mæſquita omni meliori modo Principalium, & expoſitum, Cuſtodiam Braſilienſem per S. M. Sixtum Papam Quintum, quàm plurimis favoribus, & privilegiis decoratam eſſe, & in ſpecie per Breve Apoſtolicum de anno 1586. expeditum benignè indulſiſſe, quòd Pater dictæ Cuſtodiæ Cuſtos tempore exiſtens, vel per ſeipſum, vel per quamcunque aliam perſonam, idoneam tamen, ad id ab eo deputatam ad Provincialia præfata Provinciæ S. Antonii comitia ſe conferre, & in hujuſmodi comitiis votum in rebus maximè publicis hujus Cuſtodiæ utilitatem concernentibus habere, ac tam ex dictâ S. Antonii, quàm aliò ex quacunque Franciſcani Ordinis Provincia Fratres, qui tamen iſta in Cuſtodia utiles fore viſi ſint, & ad eam trajicere voluerint, aſſumere, ſecum ducere, atque ei perpetuò mancipare Apoſtolica autoritate queat, utque ii iſtius Cuſtodiæ Fratres, qui ad prædicationis munus obeundum, & ad Sacramentales fidelium Confeſſiones excipiendas habiles fuerint, prædicare, atque hujuſmodi confeſſiones excipere valeant, & ut Fratres in Sacro Presbyteratus Ordine conſtituti Baptiſmi, & Matrimonii, nec non quæcunque alia Sacramenta Eccleſiaſtica adminiſtrare, Eccleſias quoque, & in eis Altaria in locis de novo ad Fidem converſorum erigere, & in eis rem divinam facere, inſuper Oratoria, & Eremitoria eidem Cuſtodiæ pro tempore concedenda regere, & adminiſtrare poſſint, ut etiam ſingularum domorum, ac in Cuſtodiâ pro tempore Canonicè erectarum Miniſtri, & Fratres omnibus, & ſingulis privilegiis, prærogativis, libertatibus, immunitatibus, & exemptionibus, Indulgentiis, ac aliis gratiis tàm ſpiritualibus quàm

Privilegia ipſis à Sixto V. Papâ collata per Breve Apoſtolicum de anno 1586.

tem-

temporalibus, quibus aliarum ejuſdem Ordinis quarumcunque Provinciarum, & Cuſtodiarum Miniſtri, & Fratres in dictis partibus de Braſil. & Peruano Regno exiſtentes utuntur, potiuntur & gaudent, ac uti potiri, & gaudere poſſunt, & potuerunt quomodolibet in futurum, pariter uti, potiri, & gaudere liberè, & licitè valeant; Utque tandem præfatæ hujus Cuſtodiæ Fratres, nec ab Ordinariis, nec à quâcunque aliâ perſonâ impediri, moleſtari, inquietari, ac perturbari debeant, quominùs præfatis privilegiis fruantur, injunctaque ſibi munia liberè exerceant. Prout latiùs in eodem Brevi, ad quod &c.

Aliud Clementis VIII. Breve exhibitum Hieronymi Cardinalis Litteras patentes confirmans.

§. 2. Inſuper fuit per eoſdem Reverendos Patres inſtantes exhibitum aliud Apoſtolicum Breve Sanctæ memoriæ Clementis Papæ Octavi ſub datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulio Piſcatoris die quarta Martii 1600. tenoris qui ſequitur videlicet. Clemens Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam. His quæ ad Regularium Perſonarum ſtatum, & commodum providè ſunt ordinata, cùm à Nobis petitur, Apoſtolicæ confirmationis robur libenter adjicimus. Cum itaque ſicut accepimus Dilectus Filius Noſter Hieronymus tituli Sancti Pancratii Presbyter Cardinalis Matthæus nuncupatus Ordinis Fratrum minorum Sancti Franciſci de obſervantia Protector, ad quem Nos ſupplicem libellum Nobis pro parte Dilectorum Filiorum Miniſtrorum Provincialium, & Fratrum Ordinis S. Franciſci in partibus Indiarum Occidentalium exiſtentium porrectum remiſeramus, quo quidem ſupplici libello Nobis exponebatur, nonnullos Commiſſarios Generales, ex Hiſpaniis ad prædicti Ordinis Provincias in Partibus Indiarum hujuſmodi proficiſcentes, maximéque ad Provinciam Limenſem, quæ in Regno del Peru ſita eſt privatis affectionibus motos potiùs quam comuni Religionis utilitati inſervientes, illos, qui ſecum ex Hiſpania acceſſerant, ad Miniſtratus Provincialis, & alia Ordinis Officia promovere conſueviſſe, in non modicum earundem Provinciarum, & præſertim Limenſis detrimentum. Nobiſque humiliter ſupplicabatur, ut huic malo occurrere dignaremur, maturo conſilio, & deliberatione præmiſſis, ac Religionis Seraphicæ dictarumque Provinciarum communi utilitati, nec non Religionum omnium, & præcipuè eorum, qui in remotiſſimis Orbis partibus doctrinæ, exemplariſque vitæ ſplendore Catholicam Fidem propagare nituntur, honori proſpicere cupiens, ejuſdemque Religionis Statutis generalibus inhærens decreverit & ſtatuerit, ut in Provinciis ejuſdem Religionis in partibus prædictis Indiarum, & præſertim in Limenſi Provincia ad Miniſtratus Provincialis, ſeu quomodolibet aliud dignitatis Officium aſſumi non valerent alii dicti Ordinis Religioſi, quàm illi, qui ejuſdem Provinciæ Alumni eſſent, vel ad eam expreſsè & nominatim miſſi ex Hiſpaniis, cum Miniſtri Generalis, aut Commiſſarii Indiarum apud Catholici Hiſpaniarum Regis Curiam Aſſiſtentis Litteris obedientialibus in illis Provinciis incorporati fuiſſent, quod ſi ſecùs fieri contingeret, irritum & inane omninò eſſet; etiam Electores, Promotores, & Fautores, quàm electos quoslibet privationis ab eorum Officiis, ac inhabilitatis ad ſimilia, & alia impoſterum obtinenda pœnas, quas tunc inflixit, ipſo jure incurſuros declaravetit, prout in eiſdem Hieronymi Cardinalis Protectoris patentibus litteris ſub datis die ultimâ Januarii proximè præteriti expeditis pleniùs dicitur contineri. Cùmque firmiora ſint ea, quæ Apoſtolicæ confirmationis robore muniuntur; Propterea pro parte Provincialium, & Fratrum Provinciarum prædictarum Nobis humiliter ſupplicatum fuerit, ut patentes Litteras prædictas confirmare, ac aliàs in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur earumdem patentium Litterarum totum tenorem præſentibus pro expreſſo habentes, ac Miniſtros Provinciales, & Fratres dictarum Provinciarum ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulos à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis & pœnis, à jure, vel ab homine quâvis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtant, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendũ, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujusmodi ſupplicationibus inclinati, ejuſdem Hieronymi Cardinalis Protectoris Litteras patentes prædictas, omniaque, & ſingula in illis contenta autoritate Apoſtolicâ tenore præſentium perpetuò confirmamus & approbamus, illiſque perpetuæ atque inviolabilis A. poſtolicæ firmitatis robur adjicimus, omneſque & ſingulos juris & facti defectus, ſi qui in eiſdem intervenerint, ſupplemus, & nihilominùs omnia, & ſingula præmiſſa de novo ſtatuimus, & ordinamus, ac in Provinciis prædictis obſervari debere volumus, & mandamus. Præcipientes in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub pœnis ſupradictis eo ipſo incurrendis tàm Commiſſariis, quàm aliis Superioribus, & Fratribus, ad quos ſpectat, ac in futurum ſpectabit, ut præmiſſa omnia, & ſingula inviolatè obſervent, & obſervari curent & faciant. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinis, & Provinciarum prædictarum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis & approbatis. Quibus omnibus & ſingulis, eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes hâc vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die quartâ Martii milleſimo ſexcenteſimo Pontificatus Noſtri anno nono. Sumptum ex minutâ originali Brevium fel. rec. Clementis P. P. VIII. Collatum concordat. J.G. Schluſius.

Litterarum Hieronymi patentium occaſio & tenor.

Exordium.

Injungitur illis ad quos ſpectant obſervantia.

Derogatio contrariis.

D. 4. Martii 1600. P. A. nono.

§. 3. Item exhibitum per eoſdem Reverendos Patres inſtantes aliud Breve Apoſtolicum ſanctæ memoriæ Urbani Papæ Octavi ſub datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die ſextâ Auguſti 1639. tenoris ſequentis videlicet. Urbanus PP. VIII. ad perpetuam rei memoriam. Circumſpecta Romani Pontificis providentia, ea quæ in perſonarum Regularium Capitulis Generalibus interdum ſancita, & autoritate Apoſtolica comprobata fuerunt, ipſa ſubinde rerum experientiâ ſuadente, præſertim cùm felici earumdem perſonarum ſtatui, & quieti opportunè conſulitur, immutat, in hiſque ſuæ ſollicitudinis partes favorabiliter interponit, prout conſpicit in Domino ſalubriter expedire. Aliàs ſiquidem in Capitulo Generali Ordinis Fratrum Minorum Ord. S. Franciſci de Obſervantia nuncupat. de Anno 1625. celebrato inter alia conditum fuit Statutum tenoris ſequentis videlicet. Caveant ex Indianis Provinciis Miniſtri Provinciales, ne ad Capitulum Generale, vel aut ipſi veniant, vel Comiſſarios ſuo nomine mittant, ſolis Cuſtodibus veniendi facultas conceditur. Noſque Statutum hujuſmodi illius tenore inſerto confirmavimus & approbavimus, prout in Noſtris deſuper in ſimili formâ Brevis expeditis Litteris, quarum tenores præſentibus pro expreſſis haberi volumus, pleniùs continetur. Cùm autem ſicut Nobis nuper exponi fecit Dilectus Filius Joannes Merinero dicti Ordinis Miniſter Generalis, Patres in Capitulo Generali ejuſdem Ordinis in hac Alma Urbe Noſtra noviſſimè celebrato congregati, Miniſtris Provincialibus prædictarum Provinciarum Indiarum antiquum jus quod habeant, ut ad Capitulum Generale Comiſſarios eorum nomine ſuffragium laturos mittere poſſent juſtis ex cauſis reſtituendum eſſe cenſuerint. Nobis propterea dictus Joannes Miniſter Generalis humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolicâ dignaremur. Nos igitur ejuſdem Joannis Miniſtri Generalis votis annuere volentes, illumque ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis,

Aliud Urbani VIII. Breve, Statutum Capituli Provincialis Ord. Fratr. Min. S. Franc. anteà confirmatum immutans, & præmiſſum Clem. VIII. Breve confirmans.

Exordium.

Statutum Capituli Provincialis.

Confirmatum antehac per Breve Apoſtolicum.

Quæ Apoſtolicæ confirmationis autoritate roborantur.

Sed ad Miniſtri Generalis ſupplicationem certis additis conditionibus immutatum.

pœnis, à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati Ministris Provincialibus dictarum Provinciarum Indiarum pro tempore existentibus, quod ad Capitulum Generale dicti Ordinis mittere possint Commissarios, qui eorum nomine suffragium ferant, eâ tamen lege, ut tàm Commissarii, qui mittentur, quàm etiam Custodes filii earum Provinciarum respectivè sint pro quibus mittentur, vel in eis incorporati, sivè in Indiis, sivè in aliis Europæ partibus existant, dummodò ad electionis effectum non incorporentur, ac ut tàm Commissarii, quàm Custodes prædicti à suis Provinciis, non aliter, quàm juxtà Constitutiones generales Segobienses eligantur, quódque si Commissarii, & Custodes hujusmodi in itinere decedant, suffragium suum nemini, etiam tamquam Procuratori absenti, vel præsenti committere possint, ac idem in aliis etiam Prælatis, & Vocalibus juxtà laudabilem dicti Ordinis consuetudinem servetur, Apostolicâ autoritate tenore præsentium concedimus & indulgemus. Et insuper pro commodiori præmissorum executione Constitutionem felicis recordationis Clementis Papæ Octavi Prædecessoris Nostri, quæ incipit, His quæ ad Regularium Personarum statum, die quarta Martii 1600. Pontificatus sui anno nono editam, qua cavetur, ut in Provinciis dicti Ordinis in partibus Indiarum, præsertim in Limensi Provincia, ad Ministratus Provincialis, seu quodlibet aliud dignitatis Officium assumi non valeant alii dicti Ordinis Religiosi, quàm illi qui ejusdem Provinciæ Alumni sunt, vel ad eam expresse, ac nominatim missi ex Hispaniis cum Ministri Generalis, aut Commissarii Indiarum apud Catholici Hispaniarum Regis Curiam Assistentis Litteris obedientialibus ab illis Provinciis incorporati fuerunt, innovamus, approbamus & confirmamus; Declarantes sub illis verbis, seu quodlibet aliud dignitatis officium, in dicta Constitutione expressis Ministri Provincialis, Commissarii Provincialis, tàm pro regenda Provincia, quàm pro ferendo suffragio in Capitulo Generali designati Vicarii Provincialis, Custodis, Definitorum, Guardianorum, Conventuum & Vicariorum Officia comprehendi, & comprehensa intelligi, sicque in præmissis, & per quoscunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Sedis Apostolicæ Nuncios judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, si secùs super his à quoquam quavis autoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Quo circà Dilectis Filiis nunc & pro tempore existentibus dicti Ordinis Commissariis Generalibus in Indiis in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis latæ sententiæ privationisque suorum Officiorum, & perpetuæ inhabilitatis ad alia obtinenda pœnis præcipimus, & mandamus, ut præsentes Litteras, & in eis contenta quæcunque inviolabiliter servent, & ab aliis, ad quos spectat, & spectabit quomodòlibet, servari curent. Alioquin si eos hac in parte deliquisse compertum fuerit, ipso facto ad propriam Provinciam regredientes, omni privilegio, titulo, immunitate & exemptione privati remaneant, injungentes, & districtè præcipientes dicto Joanni, & aliis pro tempore existentibus Ordinis prædicti Ministris Generalibus, ut citrà conniventiam quascunque pœnas prædictas contrà transgressores debitæ executioni demandari faciant, onerando in his eorum conscientias. Non obstante Statuto, & Litteris Nostris prædictis, aliisque Apostolicis, & in Universalibus, Provincialibusque & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & ordinationibus; nec non dicti Ordinis, & Provinciarum prædictarum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis eidem Ordini, & Provinciis, illorumque Ministris Generalibus, & Commissariis prædictis illiusque superioribus, Fratribus, & personis sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus & aliis Decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, ut præsentium transsumptis, etiam impressis, manu alicujus personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsùs adhibeatur fides, quæ adhiberetur præsentibus si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die sextâ Augusti millesimo sexcentesimo trigesimo nono, Pontificatus Nostri anno decimo septimo. Sumptum ex minuta originali Brevium secretorum fel. rec. Urbani PP. VIII. Collatum concordat J. G. Slusius.

§. 4. Item exhibitum aliud Breve Apostolicum S. M. Urbani PP. VIII. Sub datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die Vigesima prima Februarii, millesimo sexcentesimo quadragesimo primo Pontificatus sui anno decimo octavo tenoris sequentis videlicet; Urbanus PP. VIII. ad futuram rei memoriam. Decet Nos opportunæ declarationis ministerio providere, ne eorum quæ à Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris pro felici personarum Regularium statu utiliter constituta sunt, & à Nobis confirmata fuerunt, debita observatio ambiguitatis obtentu, ab illis qui verba secundùm proprios affectus quandoque interpretantur, temerè negligatur. Aliàs siquidem Constitutionem fel. record. Clementis VIII. Prædecessoris Nostri, quæ incipit. His quæ ad Regularium personarum statum, die quarta Martij millesimo sexcentesimo editam, quâ inter alia cavetur, ut in Provinciis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum in partibus Indiarum, præsertim in Limensi Provinciâ, ad Ministratus Provincialis, seu quodlibet aliud dignitatis Officium assumi non valeant alii dicti Ordinis Religiosi, quàm illi, qui ejusdem Provinciæ Alumni sunt, vel ad eam expresse, ac nominatim missi ex Hispaniis, cum Ministri Generalis, aut Commissiarii Indiarum apud Catholici Hispaniarum Regis Curiam assistentis, Litteris obedientialibus in illis Provinciis incorporati fuerint, confirmamus, prout in Nostris in simili formâ Brevis desuper expeditis Litteris, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, ulteriùs continetur. Cùm autem, sicut Nobis nuper exponi fecit Dilectus Filius Gaspar Sanchez Ordinis prædicti Professor, & Lector Jubilatus, illiusque in Romanâ Curiâ Procurator, Generalis, Commissarii Generales Indiarum hujusmodi Ordinis, Constitutione dicti Clementis Prædecessoris, & confirmatione Nostris prædictis parum attentis, potestateque sibi concessâ abutentes, ex commissione Generali plurimos Religiosos ejusdem Ordinis ad Indias transmittant, & in illarum Provinciis incorporent, Prælatosque constituant, ex quo maxima oriuntur incommoda, paxque, & earumdem Provinciarum tranquillitas perturbatur; Nobis propterea idem Gaspar Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur exactæ Constitutionis hujusmodi observationi,

Præmissa Clementis Octavi Constitutio innovata.

Decretum irritans.

Injungitur Commissariis Generalibus observantia.

Derogatio contrariis.

Transsumptorum fides.

D. 6. Augusti 1639. P. A. decimo septimo.

Aliud Urbani VIII. Breve terminos quosdam præmissæ Clementis VIII. Constitutionis ambiguos explicans.

Exordium

Dictæ Clementis VIII. Constitutionis ante hac confirmatæ contentum.

Incommoda ex generaliori ejus explicatione fluentia.

Quare explicantur verba sub eandem interpretationem cadentia.

& Provinciarum prædictarum quieti, quantum cum Domino possumus, consulere, dictumque Gasparem Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eum à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, à jure, vel ab homine quâvis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, per Verbum Alumni in dictâ Constitutione, ut suprà expressum, illos solos, qui in prædictis Indiarum Provinciis Habitum per Fratres dicti Ordinis gestari solitum susceperunt, Regularem intelligi debere, verba autem ejusdem Constitutionis sequentia videlicet, vel ad eam expresse, ac nominatim missi ex Hispaniis cum Ministri Generalis, aut Commissarii Indiarum apud Catholici Hispaniarum Regis Curiam assistentis Litteris obedientialibus in illis Provinciis incorporati fuerant, intelligenda firmas &c. Ut tàm Religiosorum Ordinis hujusmodi ad Indias missio, quàm eorum incorporatio expresse, & nominatim, nimirum nominando personaliter quemlibet Religiosum, qui illuc mittitur fiat à nunc, & pro tempore existentibus Ministro, vel Commissario Generalibus hujusmodi, non autem per commissionem, sive in genere, sive in specie factam, Apostolicâ autoritate tenore præsentium declaramus, sicque ab omnibus censeri, & ita in præmissis per quoscunque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secùs super his à quoquam quâvis autoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Mandantes propterea, & in virtute Sanctæ Obedientiæ, ac sub excommunicationis pœnâ districtè præcipientes Commissariis Generalibus Indiarum hujusmodi nunc, & pro tempore existentibus, ut præmissa semper, & perpetuò inviolabiliter observent. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Provinciarum hujusmodi, etiam medio juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis, Statutis & Constitutionibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis Ministro & Commissariis Generalibus hujusmodi, & aliis quibuslibet in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis & innovatis; quibus omnibus, & singulis, illarum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, ut præsentium transsumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & Sigillo alicujus personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsùs fides adhibeatur, quæ adhiberetur præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die vigesima prima Februarii millesimo Sexcentesimo quadragesimo primo, Pontificatus Nostri anno decimo octavo. Sumptum ex minuta originali Brevium Secretorum fel. rec. Urbani PP. VIII. Collatum concordat. J. G. Slusius.

Decretum irritans.

Injungitur observantia.

Derogatio contrariis.

Transsumptorum fides.

D. 21. Februarii 1641. P. A. decimo octavo.

Breve Alexandri VII. Custodiam Brasiliæ à Provinciæ S. Antonii separans & in particularem Provinciam erigens.

Exordium.

§. 5. Item exhibitum aliud Breve S. M. Alexandri Papæ VII. sub datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die vigesimâ quartâ Augusti millesimo sexcentesimo quinquagesimo septimo, Pontificatus sui anno tertio, tenoris sequentis videlicet. Alexander PP. VII. ad perpetuam rei memoriam. Ex commissi Nobis divinitùs pastoralis officii debito ad ea propensis studiis jugiter intendimus, per quæ Regularium personarum, quæ relicto seculo Dei obsequiis sub suavi arctioris Religionis jugo sese mancipârunt statui, & felici directioni consulitur, ut secundùm Ordinum suorum Instituta gratum Altissimo impendentes famularum, prosperioribus in dies in viâ Domini proficiant incrementis. Nuper siquidem nomine Dilectorum Filiorum Fratrum Custodiæ Brasiliæ Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia Reformatorum nuncupatorum, Nobis expositum fuit, quod aliàs postquam die decimâ quartâ Augusti millesimo sexcentesimo quadragesimo septimo pro tempore quondam Joannis de Neapoli, qui dicti Ordinis Minister Generalis erat, ad ejusdem Joannis instantiam Custodia prædicta à Provincia S. Antonii Regni Portugalliæ ejusdem Ordinis longissimi maritimi itineris, quo Custodia hujusmodi à Regno prædicto distat, aliisque incommodis occurrendi ergo, per quasdam Litteras Apostolicas in simili forma Brevis expeditas separata, & subindè intrà breve tempus aliquot Conventibus erecta fuerat, in Capitulo Generali memorati Ordinis de anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo primo, in hâc almâ Urbe celebrato stabilitum fuit, ut Custodia hujusmodi, reservato tamen hujus Sanctæ Sedis beneplacito, in novam Provinciam dicti Ordinis erigeretur, sed id propter nonnullas oppositiones, seu objectiones ad effectum deduci hactenùs non potuit; quinimò à quadam privata persona aliæ Litteræ in formâ Brevis similiter expeditæ super reunione Custodiæ cum Provinciâ prædictâ ab eâdem Sede impetratæ fuerunt. Cùm autem, sicut eadem expositio subjungebat, oppositiones, seu objectiones præfatæ jam cessent, & Fratres dictæ Provinciæ Sancti Antonii capitulariter congregati, juri, quod super Custodiâ præfatâ prætendere poterunt, renunciaverint, Conventusque ejusdem Custodiæ, qui post ingressum hæreticorum in Brasiliam extincti fuisse prætendebantur, illis indè egressis septemdecim numero, qui numerum Conventuum nonnullarum Provinciarum Ordinis præfati excedit, restituti fuerint. Cùmque si dicta Custodia in novam Provinciam juxtà consensum ei rei à prædicto Capitulo Generali, ut præmittitur, præstitum erigatur, id nemini præjudicium, sed maximam prospero Conventuum ipsius Custodiæ gubernio utilitatem sit illaturum. Nobis propterea dicti Exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportunè providere, & ut infrà indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur specialem eisdem Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas, à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Custodiam Brasiliæ hujusmodi, ejusque Conventus à dicta Provincia S. Antonii Regni præfati autoritate Apostolica tenore præsentium perpetuò separamus, & dismembramus, ac ipsam Custodiam, & ejus Conventus prædictos sic separatos, & dismembratos in novam Provinciam Ordinis prædicti, cum omnibus, & singulis præeminentiis, prærogativis, indultis, privilegiis & gratiis, quibus aliæ ejusdem Ordinis Provinciæ frui, & gaudere solent, & possunt, ac debent, authoritate, & tenore præfatis ibidem perpetuò erigimus, & instituimus. Decernentes easdem præsentes Litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquam quavis autoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari; Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non quatenùs opus sit Ordinis, Provinciæ, Custodiæ, & Conventuum hujusmodi aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, pri-

Hujusce separationis causæ.

Erectio in novam Provinciam ob objectiones quasdâ differtur.

Sublatis objectionibus dicta Custodia à Provinciâ S. Antonii dismembratur & in novam Provinciam erigitur.

Decretum roborans & irritans.

Derogatio contrariis.

vilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hâc vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die vigesimâ quartâ Augusti millesimo sexcentesimo quinquagesimo septimo. Pontificatus Nostri anno tertio. Sumptum ex minutâ originali Brevium secretorum fel. rec. Alexandri Papæ VII. Collationatum concordat. J. G. Slusius. Præinsertæ Litteræ Apostolicæ in formâ hujus cum suis sumptis originalibus S. M. Clementis octavi, Urbani etiam octavi, & Alexandri VII. Romanorum Pontificum revisæ concordant.

D 24. Augusti 1657. P. A. tertio.

Concordant cum originalibus.

§. 6. Insuper exhibitas Constitutiones Generales Ordinis Fratrum Minorum Regularis Observantiæ, & Reformatorum Seraphici Patris S. Francisci editas in Generali Capitulo celebrato Toleti in Regali Conventu Joannis Reg. sub die octavâ Junii anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo octavo, in quibus inter cætera fuit inhibitum, ne Provinciarum Procuratores ad Romanam Curiam, nec ad Curiam Madritensem, nec aliorum Principum deinceps mittantur, nisi de licentiâ in scriptis obtentâ Reverendissimi Ministri, aut Commissarii Generalis, & aliter missi puniantur, tanquam Apostatæ non audiantur, sed statim ad suas Provincias mittantur, nec propterea tollitur à Ministris Provinciarum, unà cum suis Definitoribus facultas mittendi ob negotia urgentia.

Constitutiones Capituli Toletani de missione Procuratorum ad Romanam, Madritensem aliasque Curias.

Item exhibitas responsiones Sacræ Congregationis ad quædam dubia, videlicet, Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Regularium præposita, visis infrascriptis dubiis per Ministrum Generalem Ordinis Minorum S. Francisci tenoris sequentis, videlicet. Primò Summi Pontifices, & præcipuè Paulus IV. & Gregorius XIII. ut certum officiorum in Religione tempus stabilirent, eorum perpetuitatem penitùs sustulerunt, sed fruſtrà; Provinciales enim exacto sui Ministerii triennio, si contingat successorem discedere à Provinciâ, vel è vivis excedere, in Commissarios, seu Vicarios Provinciales sese assumi procurant, tametsi ad sexennium dignitatibus vacare deberent, atque ideò non desunt, qui in octo annos, & ultrà Ministri, vel Vicarii, aut Commissarii Provincialis titulo Prælaturam extendunt, Constitutionum verba pro suo libitu interpretantes. Quare, ut hujusmodi Constitutio evitetur, supplicantur Eminentiæ Vestræ decernere, an, & quanto tempore vacare debeant Ministri, antequàm in Vicarios, seu Commissarios Provinciales eligi possint, ubi dictum munus per duos annos obierint. Secundò in quâdam Hispaniæ Provinciâ ultimus Provinciæ Pater, qui vigore Bullæ S. M. Urbani VIII. ingrediendi Definitorii facultatem habet, intrare tamen recusavit eum in finem, ut Patri sibi in primis charo (cujus erat in aliorum defectum subrogari) ad honorem sterneret viam, defuncto paulò post ex Definitoribus uno, idem Provinciæ Pater, qui suis juribus renunciaverat, in vacantis locum admitti præsumpsit. Quæritur an is, qui renunciavit tanquàm modernus Provinciæ Pater, subintrare valeat in locum deficientis, cùm dubitari possit de collusione. Tertiò nonnulli Provinciales eo dominii, & auctoritatis devenerunt in suis Provinciis, ut in Definitores suis tantummodò factionibus adhærentes, & plerumque malæ notæ Religiosos eligendos curent. Unde consequitur, quod quando in actu visitationis errores & defectus, sivè in Ministro, sivè in aliquo ex Definitoribus, vel eorum amicis detegantur, ad debitas pœnas, & punitionem non procedatur, cùm ipsorummet Definitorum sit causas judicare. Propterea Eminentiæ Vestræ declarare dignentur, an stante diffidentiâ Judicum possit Generalis addere Definitorio quatuor, vel sex ejusdem, vel alterius Provinciæ approbatos Patres, qui sint Conjudices in causis taliter Inquisitorum, vel potiùs ad eradicandos hujusmodi abusus excludere à voce passivâ Religiosos gravissimis de causis inquisitos, quamvis nondum per sententiam damnatos. Eisdem examinatis, & maturè perpensis, respondit ad primum; Neque Vicarium Provincialem in Ministrum, neque Ministrum in Vicarium, vel Commissarium Provincialem, neque Vicarium in Commissarium, aut Vicarium Provincialem eligi posse, nisi saltem per integrum triennium ab hujusmodi officiis vacaverit. Aliter electos cessare debere à notificatione præsentium. Ad secundum; Cessiones seu renunciationes fieri non posse, nisi cum expressione causæ à Definitorio cognoscendæ & approbandæ. Causâ autem semel admissâ, eâque durante, ad hujusmodi officia, neque per electionem, neque per subrogationem, aut quamcunque aliam viam resignantes, seu cedentes assumi posse; aut munia prædicta exercere. Ad tertium; Tàm in casu suspicionis Judicum, quando est proferenda sententia, quàm in casu publicæ diffamationis Inquisitorum, juxtà Capitulum quartum de accusationibus, quandò causa ante electiones expediri non potest, procedendum esse secundùm dispositionem Juris Communis, ubi Constitutio particularis ejusdem Ordinis non provideat. Romæ vigesimâ Novembris millesimo sexcentesimo quinquagesimo quarto.

Responsiones Congregationis ad tria sequentia dubia exhibita.

Primum de tempore quo Provinciales exacto Ministerii sui triennio, dignitatibus vacare debeant.

Secundum, an is qui dignitati suæ renunciavit, in deficientis locum valeat subintrare?

Tertium, an addi possint Conjudices in causis Definitorum inquisitorum.

D. 20. Novembris 1654.

§. 8. Item exhibitas, & præsentatas Litteras patentes Adm. Rev. Patris Marini Sormani totius Ordinis S. Francisci Ministri Generalis per Apostolicum Breve à Sanctissimo Domino Nostro Papâ Innocentio Undecimo feliciter regnante confirmatas, quarum Litterarum tenor est qui sequitur; Frater Petrus Marinus Sormanus à Mediolano totius Ordinis Seraphici Patris Nostri Sancti Francisci Minister Generalis & Servus. Muneris Nostri debitum indefinenter exposcit, ut commissorum solicitudini Nostræ Religiosorum quieti, consolationi, & commodo, quantùm in Domino possumus, sedulò consulamus. Quapropter cùm certam habuerimus notitiam ex deputatione Commissariorum Visitatorum Europæorum ad visitationes, & Capitulorum celebrationes Provinciarum Nostrarum S. Antonii in Brasiliâ, & Sanctissimæ Conceptionis ad Elumen Januarium (vulgò do Rio de Janeiro) multa incommoda, molestias, gravissimasque expensas provenire. Nos tot tantisque malis pro viribus obviare volentes, præsentium virtute censemus, atque decernimus, hujusmodi Commissarios Visitatores in posterum ex Europâ non mittere, neque mittendos esse, sed ex iisdem Provinciis assumi debere sequenti modo. In quoliber Capitulo Provinciali Provinciæ S. Antonii à Definitorio noviter electo designentur tres Patres ex Provinciâ Conceptionis qui habeant conditiones per Statuta generalia requisitas, ad hoc ut possint visitare prædictam S. Antonii Provinciam, quorum quidem trium Patrum nominatio mittatur ad Ministrum Generalem per primam navium in Europam venientium opportunitatem, in quo si vel Provincialis, vel alii negligentes reperti fuerint, puniantur suspensione à suis officiis per annum, aliisque pœnis arbitrio Ministri Generalis infligendis. In Provinciâ quoque Conceptionis similis designatio, & nominatio fiat trium Patrum Provinciæ Sancti Antonii, ita ut Visitator unius Provinciæ ex alterâ desumatur; Minister autem Generalis habitâ hujusmodi nominatione unum ex tribus illis eligat, quem maluerit, ejusque electionem quantò citiùs potuerit Provinciæ visitandæ significet, quod si, vel ob locorum distantiam, vel naufragium, vel aliud impedimentum patentes Ministri Generalis non comparuerint uno anno ante tempus Capituli celebrandi, tunc Definitorium Provinciæ illius quæ visitari debet, possit sibi eligere

Litteræ patentes Ministri Generalis Ordinis S. Francisci.

Exordium.

Incommoda ex Visitatorum Europæorum ad sæpè dictas Provincias visitandas deputatione oriunda.

De modo Visitatores & Commissarios ex Provinciis ipsis assumendi.

Qui etiam in Provincia Conceptionis sequendus

Quomodo in casu quo Ministri Generalis Litteræ patentes statuto tempore non comparuerint se gerendum.

Responsa ad primum.

Ad secundum.

Ad tertium.

gere unum ex tribus jam nominatis, qui Provinciam visitabit, & Capitulo præsidebit cum voto, & omnibus aliis quæ præstare soleret, & deberet ille, qui à Ministro Generali deputaretur, quod etiam intelligendum est, si ille, quem Minister Generalis elegisset, jam esset defunctus, tunc enim Definitorium poterit alterum ex duobus reliquis ad visitationem prædictam vocare, casu verò quo postquam Definitorium Visitatorem advocaverit, perveniant Patentes Ministri Generalis, si jam ille, qui vocatus fuit à Definitorio Provinciam fuerit ingressus, prosequatur munus suum, & Capitulum celebret, ut suprà, si vero nondum in Provinciam intraverit, omnino abstineat, & deputatus à Ministro Generali officium suum assumat, dummodo tempus suppetat, ut possit ad Provinciam visitandam accedere, quinque integris mensibus ante Capitulum. Et quia ad navigandum ex una in alteram Provinciam quibusdam tantummodo mensibus venti spirant secundi, hinc etiam tum Provinciarum, tum Visitatorum commoditati consulere volentes, statuimus tempus præfigere pro Capitulorum celebratione, quod quidem nullo modo prorogari debeat, absque speciali, & expressa Ministri Generalis facultate. Capitulum igitur Provinciæ S. Antonii non differatur ultra diem Sabbati præcedentis festum Sancti Patris Nostri Francisci, & Capitulum Provinciæ Conceptionis non transgrediatur Sabbatum immediatum post festum Ascensionis Domini. Denique Visitatores non ingrediantur Provincias visitandas, nisi quinque mensibus ante Capituli celebrationem, & post illam statim ad propriam redire debeant, quod si facere non potuerint post dies viginti à tali celebratione, Ministro Provinciali electo sigilla omnia renuncient, & Provinciæ gubernio nullatenus se immisceant, cùm tali tempore ex Statutis Ordinis generalibus eorum autoritas omnino exspiret. Aliud quoque pro iisdem Provinciis provisione dignum Nobis visum est, nempè ut evitentur incommoda, & vagationes Fratrum, qui vel causa, vel prætextu appellationis maximis cum periculis & expensis, longissimis se itineribus exponunt, quapropter præsentium Nostrarum virtute in unaquaque prædictarum Provinciarum deputamus, & deputatos esse volumus tres Patres digniores extra Definitorium, qui appellationum Judices sint, ut ad eos appellantes à sententia sui Definitorii licitè ac liberè recurrere possint, petita prius à proprio Provinciali facultate. Ita tamen, ut illi qui sunt ex Provincia Sancti Antonii judicent Causas Provinciæ Conceptionis, & è contra; Ille autem, qui cæteros præcedit erit illorum Præses, ut illos convocet & congreget, quando opus fuerit; uno verò ex istis, per mortem, vel aliam legitimam causam deficiente, alius Pater secundum ordinem præcedentiæ intelligatur ipso facto substitutus, durabuntque in eodem officio per triennium, id est de Capitulo ad Capitulum, & super appellationes prædictas definitivè, ac terminativè intra ordinem Nostrum autoritate Nostra secundum Religionis praxim, & legem judicabunt & sententiabunt. Omnia vero supradicta, scilicet nominatio Visitatorum, nominationis transmissio ad Ministrum Generalem, ejusque responsio, seu patentes, & Judicum appellationum cum ingressu ad officium secundum tempus quod contigerit, in libro Actuum Provinciæ fideliter notentur. Præcipimus tandem in virtute sanctæ obedientiæ omnibus, & singulis Provinciarum prædictarum Patribus, & Fratribus, Superioribus, & subditis, quatenus prædictis Nostris Ordinationibus, & Decretis pro bono, pace, & quiete eorumdem factis nullatenus se opponere audeant, sed eâ, quâ par est promptitudine pareant, & obediant. Datum in Conventu Nostro Sancti Francisci Madriti die vigesima nova mensis Julii Anno Millesimo sexcentesimo octuagesimo secundo. Frater Petrus Marinus Generalis, Locus † sigilli.

Certum pro Capitulis celebrandis tempus præfigitur.

De tempore ingrediendi Provincias & ex eis post Capituli celebrationem exeundi.

Constituuntur appellationũ Judices in una quaque Provinciâ.

De eorum Ordine, subrogatione & officii duratione.

Prædicta omnia in libro actuũ Provinciæ fideliter notanda.

Præcipitur Provinciæ Patribus observantia.

d. 29. Julii 1682.

§. 9. Item præsentatas diversas Romanorum Pontificum Bullas super Regularibus editas scilicet, Alteram sanctæ memoriæ Julii Secundi sub numero vigesimo sexto, & datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die vigesimâ nonâ Martii, millesimo quingentesimo septimo, in formâ Brevis expeditam, in qua Sanctitas Sua declaravit, nullas esse transactiones, & concordias factas sine assensu Generalis, sive Capituli Generalis, & quæ personæ meritis Religionis gaudeant, proposuitque Fratribus autoritatem eligendi Conservatores, illisque potestatem præscripsit, & indulsit, quòd concessa uni Monasterio, omnibus concessa intelligantur, & aliàs prout in eadem Bulla, ad quam relatio habeatur.

Exhibita Bulla Papæ Julii II. sub datum de 29. Martii 1507.

§. 10. Alteram sanctæ memoriæ Leonis Papæ Decimi incipien: Dilecti Filii &c. sub datum Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris die vigesimâ quintâ Aprilis millesimo quingentesimo vigesimo primo, in qua idem Pontifex concessit Fratribus in eodem Brevi positis omnimodam potestatem ad absolvendum, & dispensandum cum conversis ad fidem respectu cujuscunque criminis, & inhabilitatis, & ad commutandum quæcunque vota, & ad dispensandum cum his qui matrimonium contraxerunt, cum impedimento aliquo Juris positivi irretitis, & ut possint Ordines minores conferre, ubi non sunt Episcopi, & Pontificalia similiter exercere & ædificare, & conservare Ecclesias, ac eas violatas reconciliare, & latiùs, prout in dicta Bulla sub numero tertio, ad quam &c.

Alia Leonis X. sub datum d. 25. Aprilis 1521.

§. 11. Alteram sanctæ memoriæ Adriani Papæ Sexti sub datum Cæsaraugustæ sub Annulo Piscatoris die decima Maji, millesimo quingentesimo vigesimo secundo; Carolo Romanorum Regi, & Hispaniarum Catholico Regi directam, quæ incipit. Exponi Nobis fecisti &c. In qua dictus Pontifex suam Papalem benedictionem Fratribus sponte ad Indos pro eorum conversione euntibus impertitur, & prohibuit, ne Fratres Minores ire possint ad Indos, nisi à Concilio Regali, & à suis Prælatis assignentur, & illos, qui quoquomodo impedierint ire Fratres Minores ad Indos excommunicationis pœnâ punivit, Fratresque prædicti assignati ex se ipsis possint eligere Superiorem, qui durare debeat per triennium, & in utroque foro potestatem habeat Generalis etiam super Indos, in reliquis indulta præfatis Fratribus concessa confirmavit, & innovavit, & aliàs, prout in dicta Bulla sub numero primo, ad quam &c.

Alia Adriani Sexti sub datum d. 10. Maij 1522.

§. 12. Alteram B. Pii Quinti S. Memoriæ Philippo Secundo Hispaniarum Regi directam, quæ incipit. Exponi Nobis nuper fecit Vestra Majestas Regia &c. sub datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die vigesimâ tertia Martii anno millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, in quo ad petitionem supradicti Regis Hispaniarum fuit concessum, ut Fratres in Indiis Occidentalibus commorantes possint officium Parochorum exercere assistendo etiam matrimoniis, & aliàs, prout in dicta Bulla sub numero quarto, ad quam &c.

Alia Pii V. sub datum d. 23. Martii Anno 1567.

§. 13. Alteram S. M. Gregorii XIII. sub datum Romæ decimâ quintâ Julii millesimo quingentesimo octuagesimo, in qua præfatus Pontifex concessit Ministro ipsi Generali, ut in partibus Orientalium possint Custodes concedere facultatem, ut per se, vel per alium, seu alios valeat absolvere professos novitios, aut conversos ab omnibus delictis, etiam in Bulla Cœnæ contentis, demptis hæresi, conspiratione in personam, vel statum Romani Pontificis, injectione manuum violentarum in Prælatos, delatione armorum, & aliorum prohibitorum ad partes Infidelium, falsatione Litterarum, & aliarum scripturarum Apostolicarum, ac insuper in eodem Brevi concedit, quod in eisdem partibus Prædicatores, & Confessores semel præsentati non teneantur iterum præsentari coram Ordinario, aut ejus successore, nec ad id à quocunque inviti valeant coactari, & aliàs, prout in dicta Bulla sub numero tertio, quæ incipit, Piis votis suis &c. ad quam &c.

Alia Gregorii XIII. sub datum d. 15. Julii 1580.

Alia Sixti V. sub datum d. 15. Novembr. 1587.

§. 14. Et alteram sanctæ memoriæ Sixti Papæ Quinti, quæ incipit, Dùm uberes fructus &c. sub datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die decimâ quintâ Novembris millesimo quingentesimo octuagesimo septimo, in quâ dictus Pontifex de novo erigit Provinciam Sancti Gregorii, & huic Provinciæ aliarum Provinciarum privilegia communicat, deditque licentiam, ut Provincialis dictæ Provinciæ pstito erigere domos in quibuscunque Terris, & etiam in Regno Chinæ, exceptis nonnullis in dictâ Bullâ expressis, & possit determinare duas festivitates, in quibus utriusque sexus fideles Indulgentiam plenariam consequantur, & aliàs, prout in dicta Bulla, ad quam semper habeatur relatio &c.

Dictæ Provinciæ ex antiquâ S. Antonii Brasilienſis Custodia prodierunt.

§. 15. Et cum præfatæ Provinciæ prodierint ex antiqua Custodia Sancti Antonii Brasilienſis, quæ per vastissima Brasiliæ Regna ad spatium mille supra quingentarum Leucarum, & ultrà ita dilatata reperiebatur, ut in duas distinctas, & disjunctas Provincias ejusdem Ordinis strictioris Observantiæ Sancti Francisci separata fuit, prima Sancti Antonii Brasilienſis per Bullam sanctæ memoriæ Alexandri Papæ septimi sub datum vigesimâ quartâ Augusti millesimo sexcentesimo quinquagesimo septimo desuper registratam, & secunda sub nomine Immaculatæ Conceptionis Fluminis Januarii à sanctæ memoriæ Clemente Papa Decimo per speciale Breve, quod incipit, Pastoralis officii &c. sub datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die decima quintâ Julii millesimo sexcentesimo septuagesimo quinto, ad quam &c. Et ad tuendam observantiam Regulæ prædictæ à sanctæ memoriæ Sixto Papâ V. Apostolicum Breve obtentum fuerit de anno millesimo quingentesimo octuagesimo sexto, quod incipit hujus Custodiæ &c. Cumque præfatæ Provinciæ sint per supradicta inserta, & enunciata privilegia Apostolica liberæ, & exemptæ à Commissariorum Generalium, & Visitatorum Europæorum jurisdictione, dictæque Litteræ Apostolicæ, Decreta, & resolutiones Sacrarum Congregationum, ut supra insertæ, & enunciatæ ab omnibus quorum interest omnino & ad unguem observari, & adimpleri debeant.

Contrà præinsertas Constitutiones quidam earum gubernio se se insiscent

§. 16. Nihilominus nescitur quo jure, quave ratione dicti Fratres Provinciæ S. Antonii Regni Lusitaniæ in gubernio præfatarum Provinciarum Brasiliæ, sese ingerere jactant, & præsertim Frater Michael à Plagis, qui vociferavit in præfatâ Brasilienſi S. Antonii prædictæ Provinciæ esse Ministrum Provincialem, & Frater Ludovicus à S. Josepho Procuratorem, & Commissarium Curiæ Ulixiponensis prædictarum Provinciarum Brasiliæ contra omne juris debitum, Provinciarumque, Litterarum Apostolicarum, & Decretorum formam, & evidens Rev. Instantium præjudicium, qui cupientes prædictas Bullas, Decreta, & alia ut suprà enunciata, & expressa in omnibus, & per omnia ad unguem, ut decet, observari, attendi & adimpleri, ad Nos tanquam Litterarum Apostolicarum merum executorem recursum habuerunt, instanter & debitè requirentes, quatenus in præmissis de opportuno juris remedio providere, & monitorium super observatione ad partes in formâ solitâ, & consuetâ decernere, & concedere dignaremur.

Pro præfatarum Constitutionũ observatione Instantes à Protonotario monitorium efflagitant

Quarè suſupradicti omnesmonentur præsentes Litteras & præfatas Apostolicas Constitutiones executioni mandare.

§. 17. Nos igitur Dominicus Maria Cursius Judex, & Auditor prædictus attendentes requisitionem, & petitionem hujusmodi fore justam, & rationi consonam, justaque petenti non esse denegandum assensum, vobis omnibus, & singulis supradictis, & vestrum cuilibet insolidum tenore præsentium committimus, & in virtute sanctæ obedientiæ strictè præcipiendo mandamus, ut quatenus statim visis, & receptis præsentibus, & postquàm præsentium vigore fueritis requisiti, seu alter vestrum fuerit requisitus, ex parte Nostrâ, imò veriùs Apostolicâ autoritate moneatis & requiratis, prout Nos monemus, requirimus per præsentes omnes, & singulos Provinciales, Ministros, & Commissarios Generales familiæ Ultramontanæ, omnesque Provincias, scilicet Sancti Antonii Regni Lusitaniæ Pietatis Soletatis, ac S. Mariæ de Arrabida omnesque alios, & singulos in executione præsentium nominandos, & cognominandos, quatenùs infra sex dierum spatium, quorum duos pro primo, duos pro secundo, & reliquos duos dies pro tertio ultimo, & peremptorio termino ac Canonicâ monitione Nos assignamus, & vos assignetis eisdem sub mille ducatorum auri R. C. A. applicandorum, & pro illis mandati executivi, & in juris subsidium excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis in dictis præinsertis Bullis & Decretis expressis debeant, & quilibet ipsorum debeat omnia, & singula in præinsertis Bullis, & Decretis respectivè contenta inviolabiliter observasse, adimplevisse, ac debitæ executioni demandasse, & ab omnibus, & singulis molestationibus, vexationibus, perturbationibus, & impedimentis ipsis Rever. Instantibus in & super prædictis omnibus, ac super dictis exemptionibus & immunitatibus, & aliàs quomodolibet contrà formam præinsertarum Litterarum Apostolicarum, & Decretorum illatis & præstitis, ac inferri comminatis, inferendisque, & comminandis in futurum realiter, & cum effectu destitisse, cassasse, ac sese abstinuisse, quinimò ipsos Reverendos Instantes in pacifica, & quieta possessione dictæ libertatis, immunitatis, & exemptionis, ut suprà dictum est, manutenuisse, defendisse, & conservasse, ac manuteneri, defendi, & conservari fecisse, mandatumque de manutenendo, observando, & aliud quodcunque desuper necessarium, & opportunum decerni, relaxari vidisse, & audivisse, & si quid aliud à dictis Reverendis Instantibus prætendatur, id totum coram Nobis, seu infrascripto Nostro Locumtenente per acta infrascripti Notarii deduxisse, & allegasse, præsentibusque Nostris monitorialibus Litteris, ac præinsertis Litteris Apostolicis, & Decretis paruisse, & obedivisse.

Statuitur executionis terminus & pœna in contravenientes.

Instantes super præmissis nullo modo molestandi.

§. 18. Et insuper inhibeatis, & inhibendo expresse præcipiatis, & mandetis, prout nos inhibemus, præcipimus, & mandamus, per præsentes omnibus, & singulis Provincialibus, Ministris, aliisque Fratribus Provinciarum Sancti Antonii Regni Lusitaniæ Pietatis Soletatis, ac Sanctæ Mariæ de Arrabida, omnibusque, & singulis aliis in executione præsentium nominandis & cognominandis, & quacunque autoritate fungentibus, & functuris, ne visis receptis præsentibus audeant, seu præsumant, aut aliquis ipsorum audeat, seu præsumat dictos Reverendos Patres Instantes inde, & super præmissis, illorumque omnium causa, & occasione quomodolibet molestare, vexare, perturbare, inquietare, & impedire, aut alibi, quam coram Nobis, & per acta Infrascripti Notarii Nostri convenire, & in judicium trahere, aut aliquid aliud contrà formam, & dispositionem dictarum præinsertarum Litterarum Apostolicarum, & Decretorum, ac illorum contemptum, & vilipendium, ac ipsorum Exponentium, & jurium suorum præjudicium, gravamen, & damnum attentare, vel innovare, seu attentari, vel innovari facere per se, vel alium, seu alios, quovis prætextu, ingenio, & quæsito colore, quod si secus factum fuerit, id totum revocare, & in pristinum statum reducere curabimus justitiâ mediante, alioquin præfatos sic monitos, & monendos, si in præmissis sese gravatos fore senserint, peremptoriè citetis, & citari curetis, prout Nos citamus, & citari mandamus eosdẽ per præsentes, quatenus sexagesima die post præsentium executionem, si dies illa juridica fuerit, alioquin primâ die juridicâ ex tunc immediatè sequenti compareant Romæ in judicio, legitimè coràm Nobis, sive Nostro infrascripto Notario Locumtenente per acta infrascripta per sese, vel alium, seu alios Procura-

tores

tores idoneos, & informatos, eorum prætensi gravaminis causam allegaturi, aliaque dicturi, facturi, & recepturi, prout justitia suadebit, & ordo dictaverit rationis.

Eorum Contumacia vel absentia Justitiæ procedenti nõ obstabit.

§. 19. Certificantes eosdem sic monitos, & monendos, ac citatos, quòd si in dictæ citationis termino comparuerint, sivè non, Nos nihilominus, vel Locumtenens Noster prædictus, ad prædicta, & ad alia graviora juris, & facti remedia necessaria, & opportuna procedemus, seu procedet justitiâ mediante, dictorum citatorum contumaciâ, vel absentia in aliquo non obstantibus, absolutionem vero præmissorum Nobis, vel Superiori Nostro tantummodo reservamus. In quorum fidem &c. Datum Romæ ex ædibus Nostris anno millesimo sexcentesimo, octuagesimo tertio, Indictione sextâ, die vero secundâ Decembris, sedente Sanctissimo in Christo Patre, & Domino Nostro Domino Innocentio Divinâ providentiâ Papa XI. Pontificatus sui Anno octavo.

D. 2. Decembris 1683 Anno Pontificatus Innocentii XI octavo.

F. *Subdatarius.*

Loco † Sigilli.

J. J. Cavallerinus Locumt:

Loco † Sigilli

Petrus Scarsellius Cur. Caus. Cam. Apost. Not.

XVI.

Confirmatur Decretum Congregationis S. R. E. Cardinalium, Religionem Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum, ab Ordinariorum jurisdictione eximens.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Gregorius XV. privilegia Ordinibus mendicantibus concessa Congregationi Clericorũ Pauperum contulit.

§. 1. NUper pro parte Dilecti Filii Præpositi Generalis Congregationis Clericorum Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium, negociis, & consulationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ expositio, quòd licèt dudum, videlicet die 18. Novembris 1621. fel. rec. Gregorius PP. XV. Prædecessor Noster dictam Congregationem Clericorum in Religionem cum emissione trium votorum solemnium erexerit, illique subindè nempe die 15. Octobris 1622. communicationem omnium privilegiorum Ordinibus mendicantibus concessorum, non solum ad eorum instar, sed etiam pariformiter, & æquè principaliter cum amplissimis clausulis concesserit, prout in binis Litteris ipsius Gregorii Prædecessoris desuper expeditis plenius dicitur contineri.

Quod indultum Clemens IX. innovavit.

§. 2. Et post aliquas status mutationes, quas eadem Congregatio Clericorum successivè passa fuerat, rec. mem. Clemens PP. IX. etiam Prædecessor Noster ipsam Congregationem ad Statum Regularem, & Titulum Religionis cum emissione trium votorum solemnium, & ad fruitionem omnium, & singulorum privilegiorum, immunitatum, facultatum, exemptionum, aliarumque gratiarum, & indultorum, Ordinibus mendicantibus hujusmodi quomodolibet concessorum in omnibus, & per omnia ad limites supradictarum binarum Gregorii Prædecessoris Litterarum, & juxta illarum seriem, dispositionem, & tenorem auctoritate Apostolica restituerit, & reintegraverit.

Eorum exemptio ab Ordinariorum jurisdictione à quibusdam in dubium vocatur.

§. 3. Nihilominus à nonnullis spargebatur opinio, quod non ideo dicta Congregatio, ejusque Clerici Regulares ab Ordinariorum jurisdictione exempti essent, sub prætextu, quod hujusmodi exemptionis concessio dictis privilegiis individualiter expressa non esset: Et in eadem expositione subjuncto, quod ex hujusmodi opinione multa nascebantur incommoda, ideoque cum notorium sit, omnibus Regularibus, quibus Privilegia Ordinum mendicantium communicata sunt, exemptionem ab Ordinariorum jurisdictione hujusmodi, competere, ipse Præpositus Generalis de opportunâ in præmissis declaratione provideri plurimum cupiebat.

Decretum Congregationis S.R.E. Cardinalium desuper emanatum.

§. 4. Emanavit ad ejus supplicationem ab eadem Congregatione Cardinalium Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet: Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium, negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita censuit, ac declaravit, Religionem Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei scholarum piarum gaudere exemptione à jurisdictione Ordinariorum locorum, ac omnibus privilegiis Regularibus medicantibus concessis. Romæ 14. Januarii 1684. G. Card. Carpineus. Loco † Sigilli. B. Panciaticus Secretarius.

Et Apostolicâ firmitate roboratum.

§. 5. Cùm autem, sicut præfatus Præpositus Generalis Nobis subindè exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi, quò firmiùs subsistat, & servetur exactiùs, Apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri summopere desideret: Nos ipsius Præpositi Generalis votis, hâc in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salvâ tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Absolutio ad effectũ.

§. 6. Decernentes easdem præsentes Litteras semper firmas, validas & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia pleniſſimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscunque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, si secùs super his à quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit, attentari.

Decretum roborans, & irritans.

§. 7. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque.

Derogatio contrariis.

§. 8. Volumus autem, ut earundem præsentium Litterarum transsumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsùs fides ubique locorum, tam in judicio, quàm extrà illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 13. Martii 1684. Pontificatus Nostri anno octavo.

Transsumptorum fides.

J. G. SLUSIUS.

D. 13. Martii 1684. P. A. octavo.

Decretum Generale Officii Sanctissimi Nominis B. M. Virginis.

Cùm Sanctissimus D. N. D. Innocentius Papa XI. per Universam Ecclesiam celebrari præceperit festum SS. Nominis B. M. Virginis Dominicâ infrà octavam Nativitatis ejusdem V. Mariæ cum Officio, & Missa propriis sub ritu duplicis majoris; Quod festum jam ante ex indulto Apostolico nonnullis in locis cum Indulgentiis pro Christi fidelibus Missæ solemni interessentibus die 17. Septembris celebrabatur cum Officio, & Missâ propriis; Institutum fuit à S. Rituum Congregatione declarari.

Dubia de celebratione festi SS. Nominis B. M. Virginis.

Primò. An cessare debeat in dictis locis tam Officium, quam festum SS. Nominis Mariæ jam ante à Sede Apostolica approbatum, ita ut idem festum dicta die 17. Septembris cum dicto Officio, & Missa propriis non possit amplius celebrari.

Secundo. An dictæ Indulgentiæ etiam censeantur

cessare

cessare, an verò intelligantur translatæ ad dictam Dominicam infra octavam Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis.

Tertio. An dictum Officium, & Missa de Nomine B. M. V. pro dictis locis, aut Ordinibus Regularibus possint amplius reimprimi, ac illo posthac possint iidem uti;

Et Sac. Congregatio respondit ad prædicta dubia ut infra videlicet.

Sac. Congregationis responsa.

Ad primum. Cessare debere.

Ad secundum. Indulgentias pariter cessare pro illa die, & pro translatione supplicandum esse Sanctissimo.

Ad tertium. Non licere; Et ita decrevit, & servari mandavit. Die 17. Junii 1684.

N. Card. Ludovisius
Locus † Sigilli.

Bernardinus Casalius S. Rit. Cong. Secret.

XVII.

Monasteria Ordinis S. Benedicti in Urbe Ratisbona & dominio Maximiliani Emmanuelis Bavariæ Ducis existentia in novam Congregationem uniuntur.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordiũ à paternæ suæ chatitatis pro viæ Monasticæ emolumento studiis.

Circumspecta Romani Pontificis, cui agri Dominici cura divinitus credita est, providentia, in id præcipuè solicitis studiis incumbit, ut Monasticam regularemque disciplinam, sicubi collapsa est, modis congruis restituere satagat, ubi verò Domino benedicente viget, Apostolicæ benignitatis favoribus foveat, & excolat, quoad perfectæ maturitatis frugem adspirante superni favoris auxilio provecta Ecclesia Dei uberioribus in dies bonorum operum lætificet incrementis. Ideo Nos ad pastoralis dignitatis fastigium, nullo licèt meritorum Nostrorum suffragio, per ineffabilem Divinæ bonitatis abundantiam evecti, in id ipsum peculiari studio, summâque animi contentione incumbimus, eoque etiam tendentia virorum Religiosorum, Altissimi obsequiis sub suavi Monasticæ vitæ jugo mancipatorum vota, ac laudabilia Orthodoxorum Principum avitæ Fidei, & Christianæ Religionis tuendæ, & propagandæ Zelo, aliisque multiplicibus virtutum decoribus conspicuorum studia paternâ charitate complectimur, & pro data Nobis cœlitùs potestate Monachorum, & aliorum Religosorum virorum Congregationes interdum instituimus, sicut personarum, locorum, rerum & temporum qualitatibus maturæ considerationis trutinâ perpensis ad omnipotentis Dei gloriam, ad Ecclesiæ Catholicæ decus & præsidium, ad Monasticæ, regularisque disciplinæ incrementum & felicem Progressum, spiritualemque Christi fidelium ædificationem, & animarum salutem in Domino expedire arbitramur.

Nomina Abbatum qui de dictorum Monasteriorum unione consentiunt.

§. 1. Cùm itaque (sicut accipimus) Dilecti Filii Cælestinus Abbas exempti Monasterii Reichenbachensis in Palatinatu Superiori Administrator Romanus, Abbas Monasterii Superioris Quercus vulgu Obernaltaich, nec non Monasterii Michelfeldensis in eodem Palatinatu Superiori Administrator, Dionysius Abbas Monasterii Prufeningensis, ac Monasteriorum Endorffensis, Weissonensis, itidem in Palatinatu Superiori Administrator, Gregorius Abbas Monasterii Cellæ Beatæ Mariæ Virginis propè Ratisbonam, Antonius Abbas Monasterii Malestorffensis, Bernardus Abbas Monasterii Tegernseensis, Rupertus Abbas Monasterii Sanctorum Martini, & Aniani Rott. ad Oenum, Gregorius Abbas Monasterii in Scheurn, Engelbertus Abbas Monasterii in Alt, seu Altensi, Benedictus Rudolph Abbas Monasterii in Weichenstephan propè Frisingam, Placidus Abbas Monasterii Benedictoburani, Maurus Rambeck Abbas Monasterii Montis Sancti Andecks, Leonardus Weiss, Abbas Monasterii Weissenbrunnensis, & Benedictus Abbas Monasterii Tirhauptensis Ordinis S. Benedicti, providè prudenterque considerantes, Monasteria præfata à se invicem separata de præsenti reperiri, aliorum dicti Ordinis Congregationes, & præsertim Helveticam, auctoritate Apostolicâ institutas, Monasticæ disciplinæ, piæque conversationis, & bonorum operum laude, ac pacifici felicisque gubernii bono, nec non sacrorum, eisque ancillantium bonarum litterarum studiis eximiè florere, unioni præfatorum suorum respectivè Monasteriorum in Congregationem ab hac Sancta Sede erigendam unanimi voto consenserint.

Quam etiam exoptat Maximilianus Bavariæ Dux.

§. 2. Et Dilectus Filius Nobilis Juvenis Maximilianus Emmanuel utriusque Bavariæ Dux, Sacri Romani Imperii Princeps Elector, bonæ memoriæ Ferdinandi Mariæ, & Maximiliani suorum Genioris, & Avi pariter dum vixerunt Bavariæ Ducum, dictique Imperii Principum Electorum, vestigiis inhærens, pro eo quo flagrat, Domûs Dei zelo, unionem Monasteriorum, & institutionem novæ Congregationis hujusmodi fieri magnoperè exoptet.

Singularis in eo pietas & fortitudo lautur.

§. 3. Nos qui Monasticam regularemque disciplinam, quantùm Nobis ex alto conceditur, confovere atque promovere, omni studio contendimus, piis Abbatum prædictorum desideriis Apostolica charitate benedicentes, ac præclara, omnique laudum præconio digna memorati Maximiliani Emmanuelis Ducis, & Electoris, qui florens juventâ, & fervens pietate, tam egregia Christianæ fortitudinis, atque prudentiæ specimina in bello contrà Turcas strenuè gerendo dedit, novisque decoribus in dies Domino benedicente, summâ cum animi Nostri lætitia magis magisque inclarescit, ergà res Ecclesiasticas studia plurimum in Domino commendantes, dictorumque Abbatum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes & absolutos fore censentes, motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnia, & singula Monasteria supradicta Ordinis Sancti Benedicti in Civitate Ratisbonensi ac in dominio prædicti Maximiliani Emmanuelis Ducis, & Principis Electoris, respectivè existentia, in unum corpus unimus, & conjungimus, sicque unita & conjuncta, ac alia Monasteria ejusdem Ordinis, illis, ut infra dicetur aggreganda, in novam Congregationem sub titulo Sanctorum Angelorum Custodum Bavaricam nuncupandam, ad instar Congregationis Helveticæ dicti Ordinis, tenore præsentium perpetuò erigimus, & instituimus.

Absolutio ad effectũ.

In unum corpus præfata Monasteria conjunguntur.

Novæ Congregationis indè exsurgentis titulus.

§. 4. Ac ipsam novam Congregationem sic erectam & institutam, ejusque Monasteria, & loca regularia, illorumque Abbates, Monachos, & bona quæcunque ab omni jurisdictione, visitatione, correctione, & superioritate quorumcumque Ordinariorum, ita ut illi in novam Congregationem, Monasteria, loca regularia, eorumque Abbates, & Monachos hujusmodi aliquam jurisdictionem, vel superioritatem, quovis prætextu, & ex quacunque causa habere, & exercere non possint, (salvo tamen eisdem Ordinariis locorum, quoad Monasteria prædicta, quæ horum ordinariæ jurisdictioni hactenus subjecta fuerunt, & in libris Cameræ Apostolicæ descripta non sunt, jure, confirmandi Abbates, & quoad omnia Monasteria, salvis aliis juribus, eisdem vigore Sacri Concilii Tridentini, & Constitutionum Apostolicarum competentibus (tanquàm Sedis Apostolicæ Delegatis) harum serie eximimus, & liberamus.

Eximitur à jurisdictione Ordinariorũ.

Salvis juribus quæ illis vigore Concilii Tridentini &c. competunt.

§. 5. Præ-

Ornatur facultate aggregandi sibi alia dicti Ordinis Monasteria & condendi Constitutiones ab Apostolicâ Sede confirmandas.

§. 5. Prætereâ eidem Congregationi sic de novo erectæ, & institutæ alia quæcunque Monasteria dicti Ordinis in dominio prædicto consistentia, quæ ipsi novæ Congregationi aggregari voluerint, sivè quorum Abbates, & Conventus aggregationi hujusmodi consenserint (exceptis tamen si quæ sint in dicto dominio constituta, Monasteriis, Congregationi Salisburgensi, aut aliis quibuscunque Congregationibus Canonicè aggregatis) sibi aggregandi, nec non pro bono regimine, & gubernio ipsius novæ Congregationis in primo illius Capitulo Generali Constitutiones, quæ tamen nullam validitatem aut robur assequantur, nisi postquam ab Apostolicâ Sede prædicta fuerint expressè confirmatæ, efformandi facultatem, motu, scientia, deliberatione, potestatis plenitudine paribus earundem tenore præsentium tribuimus, & impertimur.

Decretum super obstativis.

§. 6. Decernentes ipsas præsentes Litteras, & in eis contenta quæcunque, etiam ex eo quod præfati locorum Ordinarii, & alii quilibet in præmissis, seu eorum aliquo jus, vel interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, etiam specifica, & individua mentione, & expressione digni, cujuscunque status, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis existant, illis non consenserint, seu ad ea vocati, citati, & auditi, aut causæ, propter quas eædem purè emanarint, adductæ, verificatæ, & justificatæ non fuerint, vel ex alia qualibet, etiam quantumvis legitima, juridica, pia & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore Juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & substantiali, ac incogitato, & incogitabili, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, limitari, modificari, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato, quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse; sed ipsas præsentes Litteras semper firmas, validas, & efficaces existere & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri & obtinere, ac illis ad quos spectat, & quandocunque spectabit, in omnibus, & per omnia pleniissimè suffragari, & ab iis respective inviolabiliter observari.

Clausula sublata & Decretum irritans.

§. 7. Sicque & non aliter in præmissis per quoscunque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis prædictæ Nuncios, alioſve quoslibet quacunque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari & definiri debere, ac irritum & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariis.

§. 8. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit Nostrâ, & Cancellariæ Apostolicæ Regulâ de jure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, & synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & ordinationibus, nec non quarumvis Ecclesiarum, & Monasteriorum, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis, eisdem Ecclesiis, & Monasteriis, aliorumque respectivè Præsulibus, Abbatibus, Capitulis, Conventibus, & aliis personis quibuslibet, etiam specificâ, & individuâ mentione, & expressione dignis, sub quibuscunque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, ac pluries, & quantiscunque vicibus iteratis, confirmatis, approbatis & innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, formas, causas, & occasiones præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac exactissimè, & accuratissimè servatis, & specificatis respectivè habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hâc vice dumtaxat specialiter & expressè derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Fides transumptorum.

§. 9. Volumus autem, ut earumdem præsentium Litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tàm in judicio, quàm extrà illud ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 26. Augusti 1684. Pontificatus Nostri anno octavo.

D. 26. Augusti. 1684 Pont. Anno octavo.

J. G. SLUSIUS.

Clericis Secularibus in commune viventibus confirmatur capacitas ad obtinenda & retinenda Beneficia Ecclesiastica. XVIII.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Absolutio ad effectū.

§. 1. PRospero felicique Instituti Dilectorum Filiorum Clericorum Secularium in communi viventium statui, & progressui, quantum Nobis ex alto conceditur, providere, eosque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Congregationis nonnullorum, ex Venerabilibus Fratribus Nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, & aliquorum ex Dilectis Filiis Romanæ Curiæ Prælatis à Nobis specialiter deputatæ consilio, auctoritate Apostolica tenore præsentium declaramus, eosdem Clericos Seculares in communi viventes, quorum Institutum, & Constitutiones nuper approbavimus, ex assumptione status & vitæ communis juxta Institutum, & Constitutiones hujusmodi, nullo modo reddi incapaces Beneficiorum Ecclesiasticorum, cum cura, vel sinè cura animarum, & alias cujuscunque qualitatis, conditionis, vel naturæ existentium, quæ per Clericos Seculares, in titulum, commendam, vel administrationes aut aliàs quovis modo obtineri consueverunt: ac proinde ipsos Clericos Seculares in communi viventes, tam præsentes, quam futuros quæcunque Beneficia Ecclesiastica hujusmodi, quæ de præsenti Canonicè obtinent,

Clerici Seculares in communi viventes Beneficiorum Ecclesiasticorū non sunt incapaces.

retine-

retinere, & alia quælibet ſervatis de jure ſervandis, conſequi & obtinere poſſe; & quatenus ad illa cæteroqui Canonicè præſententur, vel eligantur, aut aliàs quovis modo aſſumantur, in illis inſtitui, electioneſque de eorum perſonis factas confirmari poſſe, & debere, in omnibus & per omnia, perinde ac ſi Inſtitutum prædictum minimè aſſumpſiſſent, nec in illo viverent: Ita tamen ut ipſi omnibus, & ſingulis eorundem Beneficiorum obligationibus ſatisfaciant, oneraque illis incumbentia ſupportent, quemadmodum alii Clerici Seculares illa obtinentes ſatisfacere, & ſupportare deberent.

Quatenus eorum onera debito modo ſupportent

§. 2. Præterea eoſdem Clericos in communi viventes, cùm Seculares ſint, omnibus & ſingulis Clericorum Secularium juribus, prærogativis, præeminentiis, immunitatibus, facultatibus, & privilegiis uti, frui, potiri, & gaudere poſſe & debere;

Concèduntur ipſis omnia Clericorum Secularium privilegia.

§. 3. Ac demum eiſdem Clericis Secularibus in communi viventibus, ut licèt ſufficientem Beneficii vel patrimonii titulum ad ſacros Ordines de jure requiſitum non obtineant, nihilominus de Superioris Generalis dicti Inſtituti pro tempore exiſtentis licentiâ ad titulum Communitatis, ſive Inſtituti prædicti pro arbitrio, & conſcientia Ordinariorum locorum ad ſacros Ordines hujuſmodi, ſervatis aliàs ſervandis promoveri valeant auctoritate, & tenore præfatis, concedimus, & indulgemus, eâ tamen lege, ut ſi eos ſubindè dimitti contingat, idem Inſtitutum eis omnia ad congruam eorum ſuſtentationè neceſſaria ſubminiſtrare teneatur; idque donec & quouſque eis aliunde ſufficienter fuerit proviſum, ad id autem præfatus Superior Generalis bona dicti Inſtituti in forma Juris valida obligare, & hypothecare debeat in manibus eorundem Ordinariorum, quibus curæ erit ſedulò inſpicere, an eidem Inſtituto ſufficientes ſuppetant facultates, ex quibus neceſſaria, ſicut præmittitur, Clericis prædictis valeant, ſupportatis cæteris ipſius Inſtituti oneribus ſubminiſtrari.

Ad ſacros Ordines etiam ſine ſufficienti Beneficii titulo poſſunt promoveri.

In caſu dimiſſionis Inſtitutum teneatur ipſis ſuſtentationem ſubminiſtare.

§. 4. Decernentes eaſdem præſentes Litteras ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari, & ab eis reſpectivè inviolabiliter obſervari, ſicque in præmiſſis per quoſcunque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum roborans, & irritans.

§. 5. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in Univerſalibus Provincialibuſque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & ordinationibus, nec non quibuſvis, etiam confirmatione Apoſtolicâ, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & de verbo ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hâc vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Derogatio contrariis.

§. 6. Volumus autem, ut earundem præſentium Litterarum tranſſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica Dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorsùs fides ubique locorum tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 9. Februarii 1685. Pontificatus Noſtri Anno Nono.

Transſumptorum fides.

Loco † Annuli Piſcatoris.

J. G. SLUSIUS.

D. 9. Februarii 1685. Pont. Anno Nono.

Innovantur Romanorum quorundam Pontificum Conſtitutiones deteſtabile Franchitiarum nomen in Urbe Româ abolentes.

XIX.

INNOCENTIUS EPISCOPUS.

Servus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Cùm aliàs fel. rec. Julius Papa III. Prædeceſſor Noſter infraſcriptam Conſtitutionem ediderit, cujus tenor eſt. Julius Epiſcopus Servus ſervorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Cùm civitates, & loca omnia, in quibus Sanctiſſimum Chriſti Nomen colitur, deceat eſſe facinoroſis hominibus expiata, atque purgata, nemo eſt, qui non intelligat, quam maximè oporteat Almam Urbem Noſtram Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac tot Martyrum ſanguine conſecratam, in qua ſummus Pontifex cum ſacro Cardinalium Collegio reſidet, & ad quam ex omnibus mundi partibus, veluti ad portum ſalubertimum gentes confluunt, quæ denique communis omnium patria cenſetur, eſſe ipſis facinoroſis hominibus vacuam. Sanè cum à diverſis Pontificibus Prædeceſſoribus Noſtris plures Conſtitutiones adverſus homicidas, ſicarios, latrones, ſacrilegos, raptores, alioſque facinoroſos homines, eorumque fautores, & receptatores, ſine quibus delinquentes diutius latere non poſſunt, editæ fuerint, quæ vel temporum iniquitate, vel ad ſenium, & occaſum vergentis ſeculi corruptelâ, aut Magiſtratuum negligentiâ minus cuſtodiuntur, & obſervantur, ac ferè in deſuetudinem abierunt: operæ pretium cenſuimus Conſtitutiones ipſas approbare, & innovare, prout illas motu proprio, & ex certâ ſcientiâ cum omnibus, & ſingulis cenſuris, & pœnis in eis contentis, harum ſerie approbamus, & innovamus. Et inſuper quia (ſicut accepimus) quorumdam eouſque proceſſit licentia, ut non ſolum homicidas, & facinoroſos, ac alios prædictos contrà juris, & ſacrarum Conſtitutionum prædictarum prohibitionem receptare audeant, ſed etiam domos ſuas, nec non vias publicas, & plateas, quæ circa domos ſunt, facinoroſis ipſis tutum refugium, & quaſi portum eſſe velint, ſignatis etiam Franchitiarum nomine quodammodo limitibus in via, quos Juſtitiæ Miniſtris ingredi non liceat. Nos abominabile, & deteſtandum Franchitiarum hujuſmodi nomen penitus abolemus, ac perpetuò abolitum fore decernimus. Volumus enim cauſarum capitalium Judicibus, Bariſellis, Apparitoribus, & aliis juſtitiæ Præfectis, & Miniſtris, quaſcunque vias, & plateas, ædes, & domos ad requirendos, capiendos, & debitis pœnis afficiendos facinoroſos homines, die noctuque liberas, & apertas eſſe. Si quis autem poſt hujus Noſtræ voluntatis declarationem, Franchitias hujuſmodi adhuc habere, & tueri, ac illarum prætextu, aut aliàs quomodolibet Juſtitiæ Miniſtros, in exequutione eorum officii impedire præſumpſerit, etiamſi Baronus, Domicellus, Comes, Dux, Principis cujuſvis Orator, aut (quod futurum minimè credimus) Epiſcopus, Archiepiſcopus, Patriarcha, aut etiam S. R. E. Cardinalis extiterit, noverit ſe amiſſionis gratiæ, ac benevolentiæ Noſtræ, nec non coërcitionis, & emendationis, prout Nobis juxtà circumſtantiarum qualitatem videbitur, pœnas ipſo facto incurſurum. Si quis verò in tantam devenerit audaciam, ut etiam, violenter, & manu armata, ipſis Juſtitiæ Miniſtris ſe opponere, & reſiſtere auſus fuerit, tam facientes, quàm mandantes, eo ipſo crimen Læſæ Majeſtatis incurrere declaramus, & pro illius condigna ultione, ſi ultra Juſtitiæ Miniſtros majori manu opus fuerit, præcipimus Dilecto Filio Nobili viro Camillo Urſino Domicello Romano, ac alteri cuicunque pro tempore militiæ Noſtræ temporalis Generali Gubernatori, &

Conſtitutio Julii III

Urbem Romam à facinoroſis hominibus vacuâ eſſe maximè oportet.

Approbantur, & innovantur Prædeceſſorum Conſtitutiones hactenus minus diligenter obſervatæ.

Aboletur Franchitiarum nomen & juſtitiæ Miniſtris liber ubique aditus datur.

Pœna in cujuſcunque dignitatis contravenientes.

Juſtitiæ Miniſtris violenter ſeſe opponens Crimen Læſæ Majeſtatis incurret.

In caſu neceſſitatis brachio ſeculari muniuntur.

custodiæ Palatii Nostri Ducibus, tàm pedestribus, quàm equestribus, ac Conservatoribus, & Capitibus Regionum ipsius Almæ Urbis, ut contrà opponentes, & resistentes hujusmodi, tanquam justitiæ, pacis, & quietis perturbatores, Nostrosque, & hujus Sanctæ Sedis rebelles acriter suo brachio seculari insurgant, ac eos manu regiâ, & nullâ telâ judiciariâ servatâ, severissimè puniendos capi, & carceribus mancipari faciant. Non obstantibus quibusvis Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, privilegiis quoque, indultis, Statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscunque. Ut autem præmissa omnia ad eorum, quorum interest notitiam deducantur, nec aliquis de eis ignorantiam justè prætendere possit, volumus, & Apostolica auctoritate decernimus, quòd præsentes Litteræ per aliquos Curiæ Nostræ Cursores ad Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, & Ecclesiæ Lateranensis valvas, dum inibi Populi multitudo ad Divina audienda convenerit, palàm, & clarâ voce legantur, & lectæ in Basilicæ, & Ecclesiæ hujusmodi, ac Cancellariæ Apostolicæ valvis, nec non in Acie Campi Floræ affigantur, ubi ad lectionem, & notitiam cunctorum aliquamdiu affixæ pendeant, & cum indè amovebuntur, earum exempla in eisdem locis remaneant affixæ. Quodque earum transsumptis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, certa & indubitata fides adhibeatur, prout præsentibus Litteris adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam Nostræ approbationis, innovationis, abolitionis, Decreti, voluntatis, declarationis, & præcepti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo, decimo Kal. Octobris Pontificatus Nostri anno tertio.

Derogatio contrariis.

Publicari mandatur.

Transsumptorum fides.

Sanctio pœnalis.

D. 22. Septembris 1552. Pont. anno tertio.

Constitutio Pii IV.

Exorditur à suâ curâ pro urbe Româ facinorosis hominibus expurgandâ.

§. 2. Deinde cùm rec. mem. Pius Papa IV. etiam Prædecessor Noster vestigiis Prædecessoris inhærens aliam publicaverit Constitutionem, quæ sic se habet.

Pius Episcopus Servus Servorum Dei. Ad futuram rei memoriam. Inter cæteras, quibus ex injuncto Nobis Apostolicæ servitutis officio assiduè angimur, cura illa Nobis præcipuè cordi est, ut alma Urbs Nostra, ad quam omnes Christi fideles ex universis mundi partibus, veluti ad tutissimum refugium, confluunt, facinorosis hominibus expurgata, & penitùs vacua permaneat, ac in eâ boni omnes quietâ securitate fruantur, malis autem nullus, quo se confovere possint, locus relinquatur; Et hi, qui à Magistratibus Jus dicentibus justitiam consecuti fuerint, illius etiam executionem liberè, ut decet, contrà condemnatos, ubicunque eos moram trahere contigerit, consequantur. Sanè cùm non sine animi Nostri perturbatione acceperimus, nonnullos tàm ob crimina per ipsos commissa, quàm ob debita contracta, sibi ipsis à Ministris, & Executoribus justitiæ timentes, ad ædes Magnatum, & præsertim S. R. E. Cardinalium, & Oratorum Principum, uti loca à dictis justitiæ Ministris tuta, tametsi contrarium esse deberet, indies confugere, in illis se recipere & confovere, sicque impunitos quandoque evadere, & creditores executione eorum creditorum, ut plurimùm frustrari. Et licet, ad hujusmodi abusum extirpandum à fel. rec. Julio Papâ III. Prædecessore Nostro quædam Constitutio edita fuerit, talium tamen justitiam fugientium temeritatem in tantum excrevisse, ut non solùm se in dictis locis recipere, sed etiam illa veluti justitiæ minimè subjecta, Franchitias appellare non erubescant, tanquàm in prædictâ Urbe, in quâ Summus Pontifex cum sacro Cardinalium Collegio residet, & ut Christi Vicarius toti Orbi exemplum justitiæ præbere debet, asylum, & receptaculum delinquentium, ac suis debitis satisfacere recusantium esse, toleretur, neque executio justitiæ liberè fieri valeat. Rem quidem pessimi, valdèque pernicioſi exempli, quæ non ab ipsis Cardinalibus, & Oratoribus utpotè modestis, & justitiæ Cultoribus, sed plerumque ipsorum familiarium culpâ, & facto processit. Nos volentes tàm enormes, & detestandos abusus penitùs tollere, utque nullus improbis tutus locus detur, sed Executores justitiæ passim, & ubique eorum officium liberè, & intrepidè exequi valeant, providere: Motu proprio, & ex certâ scientiâ, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, omnes inprimis Constitutiones circà præmissa, tàm per prædictum Julium, quàm quoscunque alios Pontifices Prædecessores Nostros editas cum omnibus, & singulis censuris, & pœnis in eis contentis, approbantes, & innovantes, hâc in perpetuum valiturâ Constitutione sancimus, ut nullus de cætero, cujuscunque sit dignitatis & præeminentiæ, sub indignationis Nostræ, & aliis arbitrii Nostri pœnis ædes prædictas, aut alia quæcunque loca, Franchitias appellare audeat, nullique Cardinalium, & Oratorum, ac Magnatum, etiamsi Nostri, seu Romani Pontificis pro tempore secundùm carnem Nepotes, aut alio consanguinitatis, seu affinitatis vinculo conjuncti fuerint, familiares, aut aliàs in ipsorum domibus, seu locis circumvicinis, malefactores quoslibet, etiam non condemnatos, aut pro debitis obnoxios (contrà quos tamen mandata executiva ad instantiam creditorum decreta, & relaxata extiterint) ut eos à manibus Curiæ eximant, recipere, vel aliàs sub assertæ Franchitiæ, quo minùs eorum officium contrà illos, etiam in domibus, & locis circumvicinis prædictis liberè, & sine ullâ prorsùs contradictione exequi possint, quovis modo directè, vel indirectè impedire præsumant. Alioquin receptantes, aut securitatem præstantes, seu etiam Executores justitiæ quomodolibet, ut præmittitur impedientes, nec non, qui Cardinalium, aut Oratorum, seu Magnatum quorumlibet nomen acclamando, contrà dictos justitiæ Ministros invocaverint, aut aliàs quoslibet alios in eosdem Ministros concitaverint, velut criminis Læsæ Majestatis Rei condignis pœnis afficiantur, contrà quos omnes, & singulos ad supradictas, & etiam ad alias pœnas, in quibus malefactores ipsi condemnati fuerint, vel quas promeruerint, interesseque, & damna, indè provenientia, nec non ad creditorum satisfactionem, etiam ex officio, & ad Fisci Nostri, ac partium instantiam respectivè inquiri, & procedi, & successivè eos condemnari posse, & debere volumus, atque decernimus. Mandantes nihilominùs Cardinalibus, Oratoribus, & aliis prædictis sub eâdem Nostræ indignationis pœnâ, ut familiares suos, & alios in ipsorum domibus commorantes, ne præmissa committant, omninò admoneant, & cum effectu cohibeant, neque per illos aliquid de præmissis fieri quovis modo tolerent, seu permittant. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, privilegiis quoque, & indultis sub quâcunque tenorum formâ quomodolibet in contrarium concessis, confirmatis, & iteratis vicibus innovatis, assertis consuetudinibus, quas per præsentes improbamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam Nostræ approbationis, innovationis, sanctionis, voluntatis, Decreti, mandati, & improbationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo sexagesimo primo, duodecimo Kal. Martii, Pontificatus Nostri anno tertio.

Conqueritur de scelestis & obæratis ad ædes Magnatum confugientibus.

Illasque contrà præmissam Julii III. Constitutionem Franchitias nominare audentibus.

Ejus rei culpam in Cardinalium & Oratorum familiares transfert.

Innovatis Prædecessorum super hâc re Constitutionibus, Franchitiarum nomen exterminat.

Non exceptis S. S. Nepotum & consanguineorum domiciliis.

Contravenientes tanquàm Rei criminis Læsæ Majestatis puniantur.

Prædicti Magnates familiares suos ad præsentes religiosè observandas admoneant.

Derogatio contrariis.

Sanctio pœnalis.

D. 18. Februarii 1561. Pont. anno tertio.

§. 3. Successivè piæ mem. Gregorius PP. XIII. itidem Prædecessor Noster promulgaverit Bullam hujus tenoris & formæ, nempè.

Constitutio Gregorii XIII.

Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Et ipsa ratio, & usus docet, nihil pernicioſiùs in Civitate contingere posse, quàm

Recenſetur tenor præmiſſæ Pii IV. Conſtitutionis.

legum, judiciorumque impedimentum. Quod malum ſatis opportunè prohibere volens fel. rec. Pius PP. IV. Prædeceſſor Noſter, cui poſt aliàs hâc de re præſertim à piæ mem. Julio PP. III. promulgatas Conſtitutiones, innotuerat, quàm plurimos adhuc eſſe in Urbe, qui vel ob commiſſa crimina, vel ob æs alienum contractum, ſibi à Miniſtris, juſtitiæque Executoribus timentes, ad ædes Primatum, etiam S. R. E. Cardinalium, ac Oratorum Principum uti loca tuta, quas Franchitias appellabant, confugerent, eâque ratione impuniti evaderent, & creditores eluderent, aliam edidit Conſtitutionem, quâ etiam ſub arbitrariis pœnis ſanxit, ne ullus poſt id tempus, cujuſcunque Dignitatis, ac præeminentiæ foret, ad haſce prædictas, aut alia quæcunque loca Franchitias appellare audeat, neve Cardinales, Oratores, ac Primates prædicti, etiamſi ſui, & Romani Pontificis pro tempore exiſtentis, Nepotes, aut alio conſanguinitatis, vel affinitatis vinculo conjuncti eſſent, eorumque familiares, aut in ipſorum domibus commorantes, in eiſdem domibus, ſeu locis circumvicinis maleficos quoſvis, etiam indemnatos, aut ære alieno obſtrictos (contrà quos tamen mandata exequutiva inſtantibus creditoribus jam decreta & relaxata eſſent) ut è poteſtate Curiæ ſecularis ſic eximerentur, receptare, vel prætextu Franchitiæ ſecuros reddere, aut juſtitiæ Executores, quominùs liberè officio ſuo contrà eoſdem fungi poſſent quocunque modo impedire auderent: Alioquin receptantes hujuſmodi, aut ſecuritatem præſtantes, ſeu Executores juſtitiæ impedientes, vel excitatis clamoribus, Cardinalium, Oratorum, ſeu Primatum quorumlibet nomen auxilii causâ invocantes, aut quoſcumque alios in ipſos juſtitiæ Miniſtros concitantes, velut criminis Læſæ Majeſtatis Rei dignis pœnis afficerentur: contrà quos etiam ad alias pœnas, quibus malefici ipſi puniti fuiſſent, vel quas promeruiſſent, nec non ad ſatisfactionem creditorum, etiam ex officio, & ad Fiſci, partiumque inſtantiam inquiri, procedi, & condemnari debere voluit, atque decrevit; Sed cùm hæc ipſa Pii Prædeceſſoris Conſtitutio propter nimiam corruptelam, minimè poſteà ſit eum, quem decuit, effectum conſecuta; Nos volentes omninò in Almâ Urbe Noſtrâ, ita juſtitiæ debito ab omnibus ſatisfieri, ut perpetua ſubditis Noſtris quies, & ſalus inde pariatur, & cæteris præbeatur exemplum: Conſtitutionem prædictam exactè ab omnibus, & omni tempore præcipimus obſervari, Mandantes Gubernatori, Magiſtratibus, & Judicibus, & Executoribus dictæ Urbis, ac cæteris omnibus, ad quos ſpectat, ut gratiâ, & favore poſtpoſitis, illam, & contenta in eâ quæcunque omninò exequantur, ac pœnis in ipſâ propoſitis ſupradictos, & quoſvis inobedientes, & contrafacientes juxtà illius tenorem afficiant, & alioquin in prohibendis uſquequaque his incommodis invigilent, ſi Noſtram, & Apoſtolicæ Sedis ultionem voluerint evitare. Nulli ergò omninò hominum liceat hunc paginam Noſtrorum præcepti, & mandati infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Marcum anno Incarnationis Dominicæ milleſimo, quingenteſimo, ſeptuageſimo tertio, Nonis Septembris, Pontificatus Noſtri anno ſecundo.

Ea ſuum hactenus effectum fortita non eſt.

Quare ſine morâ Executioni mandanda.

Sanctio pœnalis.

D. 5. Septembris 1573. Pont. anno ſecundo.

§. 4. Ac poſtmodum S. M. Sixtus PP. V. ſimiliter Prædeceſſor Noſter in ſpeciali Conſtitutione, quæ incipit; Hoc Noſtro Pontificatus initio, inter cætera per eum diſpoſita, pro felici gubernio, quiete, & tranquillitate hujus Almæ Urbis, Conſtitutionem prænarrati Gregorii innovaverit, ac pœnam Læſæ Majeſtatis per prædictum Pium Prædeceſſorem appoſitam ad verum, ac nullâ Juris, aut hominis fictione confictum reatum ampliaverit, & delinquentes in idem verum crimen Læſæ majeſtatis incurriſſe decreverit, & declaraverit, ſub datum Romæ apud S. Marcum, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo, quingenteſimo, octuageſimo quinto, Kal. Julii Pontificatus ſui anno primo.

Præfatæ Pii IV. & Gregorii XIII. Conſtitutiones etiam à Sixto V. innovatæ.

§. 5. Cùmque etiam iidem, & alii Romani Pontifices itidem Prædeceſſores Noſtri ſingulis annis Bullam in die Cœnæ Domini publicare conſueverint, in quâ inter alia in §. 20. Excommunicarunt, & anathematizarunt omnes illos, qui per ſe, ſeu alios directè, vel indirectè, ſub quocumque titulo, vel colore invadere, deſtruere, occupare, & detinere præſumpſiſſent in totum, vel in partem hanc Almam Urbem, cæteraque loca in eâdem Bullâ expreſſa ad ipſam Romanam Eccleſiam pertinentia, nec non ſupremam juriſdictionem in illis, Romano Pontifici, ac eidem Romanæ Eccleſiæ competentè, de facto uſurpaſſent, perturbaſſent, retinuiſſent, vel aliis modis vexaſſent, nec non adhærentes, fautores, & defenſores eorum, qui illis auxilium, conſilium, vel favorem quomodolibet præſtitiſſent. Noſque etiam ſingulis annis eandem Bullam publicari juſſerimus, ac fecerimus.

Accedit annua invaſorum urbis & poteſtatis Romano Pontifici in eam competentis Excommunicatio.

§. 6. Et cum ab ipſo Noſtri Pontificatus initio cordi Noſtro ſemper infixa fuerit ſuprà memoratarum Conſtitutionum obſervantia, verbo, & factis per Prædeceſſores Noſtros omni tempore ſtudioſè promota, eorundem veſtigia ſectantes, & ſignanter fel. rec. Urbani PP. VIII. qui in exordio ſui Pontificatus videlicet die 5. Januarii 1626. peculiare Edictum ad tranquillitatem, & quietem hujus almæ Urbis per tunc Gubernatorem promulgari mandavit, & ſucceſſivè die 15. Novembris 1634. idem Edictum ſpeciali ſuo chirographo declaravit. Noſque pariter alia duo ſimilia Edicta ob eaſdem cauſas, unum ſub die 26. Novembris 1677. Et alterum ſub die 22. Februarii 1680. per Noſtrum Urbis Gubernatorem publicari mandaverimus, quorum diſpoſitionem in omnibus, & per omnia, in ſuo robore permanere volumus. Hinc eſt, quòd Nos abominabile, & deteſtandum Franchitiarum nomen, quæ vulgò dicuntur Quartieri, contrà omne jus faſque uſurpatum, penitus abolere, nec non dictarum Conſtitutionum majori, & firmiori, ac inviolabili obſervantiæ, & executioni conſulere volentes, motu Noſtro proprio, & ex Noſtrâ ſcientiâ, meràque deliberatione, nec non etiam de Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium conſilio, & aſſenſu, ac præmaturâ conſideratione præhabitâ, præinſertas Conſtitutiones ſupradictorum Julii, Pii, Gregorii, ac Sixti, aliorumque Prædeceſſorum Noſtrorum innovamus, confirmamus, approbamus, & Apoſtolica auctoritate tenore præſentium roboramus in omnibus, & per omnia, ac etiam quatenùs opus ſit, de novo diſponimus, decernimus, ac perpetuò & inviolabiliter exequi volumus, & mandamus.

More Prædeceſſorum Franchitiarum nomen penitùs abolet.

Eorumque deſuper emanatas Conſtitutiones confirmat.

§. 7. Ac inſuper inhærendo etiam prædictæ Bullæ in Cœnâ Domini, quæ firma, & illabata, ac in ſuo robore permaneat, omnes, & ſingulos in prædictis Conſtitutionibus comprehenſos, quâcunque dignitate, & auctoritate tam Eccleſiaſticâ, quàm ſeculari præfulgentes, etiamſi de illis ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua mentio facienda eſſet, qui in futurum in hâc almâ Urbe Franchitias, quæ ut vulgò dicuntur Quartieri, habere, & tueri quomodocunque præſument, ſeu prætendent, aut illarum prætextu, aut aliàs quomodolibet juſtitiæ Miniſtros, & eorum mandatorum, vel ordinum liberam executionem tàm in criminalibus, quàm in civilibus impedire, perturbare, ſive per ſe, ſive per alios directè, vel indirectè, ſub quocunque titulo, vel colore tentabunt, vel eiſdem Conſtitutionibus ad unguem non parebunt, prout etiam illos, qui in eadem loca, contrà eaſdem Conſtitutioſe recipient, ſive ad ea confugient, ultrà pœnas in eiſdem Conſtitutionibus contentas, in Excommunicationis majoris, ac latæ ſententiæ pœnam ipſo facto incidere, à quâ non per alium, quàm per Nos, ſeu Romanos Pontifices Succeſſores Noſtros pro tempore exiſtentes, niſi in mortis articulo ipſi fuerint conſtituti, etiam prætextu quarumlibet facultatum, & indultorum conceſſorum quibuſcunque perſonis Eccleſiaſticis, etiam ſpeciali notâ, & expreſſione dignis Secularibus, & quorumcunque Or-

In Excommunicationis majoris ac latæ ſententiæ pœnam cujuſcunque Ordinis aut Dignitatis inobedientes incident.

dinum Regularibus absolvi possint, decernimus & declaramus.

Derogatio contrariis.

§. 8. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, privilegiis quoque, & indultis, sub quacunque verborum formâ quomodolibet in contrarium concessis, confirmatis, & iteratis vicibus innovatis, prætensis consuetudinibus, sivè potiùs corruptelis, contrà omne jus fasque quomodolibet introductis, quas per præsentes improbamus, annullamus, cassamus, atque irritamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Publicari mandantur.

§. 9. Ut autem præsentes ad notitiam omnium, & singulorum deducantur, eas valvis Ecclesiæ Sancti Joannis Lateranen. ac Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, & Cancellariæ Apostolicæ, ac in Acie Campi Floræ affigi mandamus, ut nullus possit exindè excusationem prætendere, seu ignorantiam allegare.

Sanctio pœnalis.

§. 10. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam Nostræ voluntatis, innovationis, confirmationis, approbationis, roboris, dispositionis, Decreti, exequutionis, mandati, declarationis, improbationis, annullationis, cassationis, & irritationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo octuagesimo septimo, Quarto Idûs Maji Pontificatus Nostri anno Undecimo.

D. 12. Maji 1687. Pont. anno undecimo.

† Ego Innocentius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.
Ego Nicolaus Episcopus Ostiensis Card. Ludovisius Decanus.
Ego Alderanus Episcopus Portuensis Card. Cybo.
Ego Petrus Episcopus Tusculanus Card. Ottobonus.
Ego Carolus Episcopus Sabinensis Card. Pius.
Ego Flavius Episcopus Albanensis Card. Chisius.
Ego Carolus T. S. Laurentii in Lucina P. Card. Barberinus.
Ego Decius T. S. Praxedis Presbyter Card. Azzolinus.
Ego Jacobus T. S. Mariæ de Pace P. Card. Franzonus.
Ego Palutius Tit. S. Mariæ Transtyberim P. Card. de Alteriis S. R. E. Camerarius.

Loco † Plumbi.

J. G. CARD. *SLUSIUS.*

F. Datarius — Visa de Curiâ S. de Pilastris

D. Campinus.

Registrata in Secret. Brevium.

XX.

Prorogatur Sanctitatis Suæ Constitutio de d. 27. Septembris 1683. vid. suprà p. 49. quæ ad sublevandas Ærarii Apostolici angustias propter suppeditata Principibus Christianis in bello Turcico subsidia tres integras decimas Cleri Italici & adjacentium Insularum reditibus imposuerat.

INNOCENTIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Recensetur Constitutio super ejusmodi decimarum impositione aliàs emanata.

§. 1. ALiàs à Nobis emanarunt Litteræ tenoris subsequentis, videlicet. Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei, Ad futuram rei memoriam. Cùm ab ipso Nostri Pontificatus initio, ad quem Divina Clementia in altitudine divitiarum sapientiæ, & scientiæ suæ, Nos meritis licèt impares evexit, malis undique afflictam, scissamque discordiis Christianorum Rempublicam videremus, ad Dominum in amaritudine cordis Nostri clamavimus, eumque deprecati sumus, ut secundùm multitudinem miserationum suarum redimeret Nos à malis, & non daret hæreditatem suam in perditionem, & in opprobrium. Quod quidem postea eò ardentioribus votis efflagitavimus, quò rebus quotidiè magis in deterius labentibus omnia periculis plena esse videbantur. Nam expugnatis jam ab effero Turcarum Tyranno Varadino, Neoselio, & Camenecio munitissimis Hungariæ, & Podoliæ arcibus, & Cretæ Regno post diuturnum acerbissimumque bellum subacto, Germaniæ, atque ipsiusmet Italiæ cervicibus fœdissimæ servitutis jugum imminebat. Hæc inter vota, & curas Pastoralis Nostræ solicitudinis teterrimus hostis, atque in omnem occasionem rei benè gerendæ semper intentus, immanissimo, si unquam anteà exercitu, ex omni Barbarorum colluvie comparato, ipsis rebellibus Hungaris deducentibus, Hungariam, Austriam, atque iis conterminas Provincias invasit, fœdèque sacra & profana omnia igne, ferroque populatus, ingenti quoque Christianorum multitudine in servitutem redacta, Viennam Germanici Imperii domicilium, & publicæ salutis propugnaculum arctissima oppugnatione est aggressus. Cùm Charissimus in Christo Filius Noster Leopoldus Romanorum Rex in Imperatorem electus ingruenti subitæ tempestati nondùm viribus par esset, & Charissimus in Christo Filius itidem Noster Joannes Poloniæ Rex illustris, magnique Ducatus Lithuaniæ Magnus Dux, qui periculi propinquitate, & magnitudine, ac Nostris denique hortationibus excitus, fœdus cum Cæsare inierat, pluresque præclari ex Imperio Principes, & Ordines nondùm instructi, paratique essent ad communem calamitatem repellendam. Nos igitur penè desperatâ, conclamatâque Republicâ ad Dominum enixiùs confugientes, majores supplicationes per universam Ecclesiam indiximus, ut in jejunio, & fletu audiret Deus, secundùm magnam misericordiam suam gemitus compeditorum, & solveret filios interemptorum, averteret iram suam à Nobis, ipsamque immitteret in Gentes, & in Regna, quæ nomen suum non invocaverunt. Exaudivit Dominus preces populi sui, exurrexit, & dissipavit inimicos, piis fortissimisque Christianorum Principum copiis, in virtute ejus strenuè pugnantibus. Quâ sanè admirabili victoriâ, in quâ Christianus populus ab acerbissimâ servitute penè redemptus præsentem Dei dexteram in attritione cordis agnovit, uti potiùs, quàm frui opus est, publicâ nondum securitate firmatâ, & Turcico Imperio inani mole suâ justum adhuc omnibus timorem incutiente; nec enim dubitandum videtur, quin ab inimici hoste vindictæ cupido, & ob acceptam cladem furore percito bellum redintegrari quàm primùm debeat. Nos quidem paternâ charitate Nostrâ publicam causam, & præclaros, Christianæque Religioni salutares fortissimorum Principum conatus juvare, ut par est, & prosequi cupientes, in tantis Apostolici Aerarii ob præstita jam à Nobis eidem Leopoldo, & Joanni Regi subsidia, angustiis, ad Cleri Italici, & adjacentium Insularum reditus Prædecessorum Nostrorum vestigiis inhærentes animum adjicere cogimur. Maturâ igitur super hoc cum Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus deliberatione habitâ, de eorumdem consilio, & assensu indicimus, & imponimus tres integras decimas intrà quinquennium, ut infrà persolvendas, omnium, & quorumcunque fructuum, redituum, proventuum, jurium, obventionum, distributionum quotidianarum, & emolumentorum, ordinariorum, & extraordinariorum, in quâcunque re consistentium, undecunque, quomodocunque & qualitercunque, etiam ex pede Altaris, aut aliàs quomodolibet, & quovis modo provenientium, & proventurorum omnium, & quorumcunque Patriarchalium, Metropolitanarum, Cathedralium, Collegiatarum, ac Parochialium, aliarumque Ecclesiarum, nec non Monasteriorum, & Conventuum, ac etiam Mensarum Patriarchalium, Archiepiscopalium, Episcopalium, Abbatialium, Capitularium, & Conventualium, Prioratuum quoque, Præpositurarum, Præceptoriarum, Canonicatuum, & Præbendarum, Dignitatum, Personatuum,

tuum, Administrationum, & Officiorum, Cappellaniarum, cæterorumque Beneficiorum, & bonorum Ecclesiasticorum, etiam Jurispatronatus Laicorum, tàm ex privilegio, quàm ex fundatione & dotatione, vel alio quocunque titulo, cum curâ & sine curâ Secularium, & quorumvis Ordinum Regularium in titulum, commendam, administrationem, aut aliàs quomodolibet obtentorum, & in posterum obtinendorum, Sancti quoque Benedicti, S. Augustini, Cluniacen. Cistercien. Præmonstraten. S. Basilii, & qui proprietates, reditusque certos ex privilegio, vel aliàs possident mendicantium, ac quorumcunque aliorum Ordinum utriusque sexus, nec non Cassinen. aliàs S. Justinæ de Padua, Carthusien. Lateranen. montis Oliveti, Camaldulen. S. Salvatoris Vallis Umbrosæ, Cœlestinorum, Cistercien. In Longobardiâ, Silvestrinorum, ac Clericorum Regularium Societatis Jesu, aliarumque Congregationum, Societatum, & Institutorum Regularium exemptorum, & non exemptorum; Et insuper Hospitalium, etiam pauperum hospitalitatem non exercentium, seu bona, & reditus ultrà infirmorum necessitates, & alia pro quibus instituta sunt, pia officia exercenda possidentium, nec non Beatæ Mariæ Theutonicorum, S. Lazari de Alto passu, & aliarum Militiarum in universâ Italiâ & Insulis Italiæ adjacentibus consistentium, secundùm verum annuum valorem fructuum, reddituum, proventuum, & aliorum præfatorum, nisi aliter cum Sede & Camerâ Apostolicâ, & pro eâ cum Dilecto Filio Nostro Palutio Tit. S. Chrysogoni Presbytero Cardinali de Alteriis nuncupato S. R. E. Camerario, nunc & pro tempore existenti fuerit concordatum. Exceptis dumtaxat ejusdem S. R. E. Cardinalibus ob assiduos, magnosque labores, quos Ecclesiæ Universali impendunt, gravissimaque tuendæ Dignitatis causâ sustinent onera, & quia jam præventivè notabiles pecuniarum summas in memoratam causam contulerunt, ac Militibus S. Joannis Hierosolymitani, qui pro Christiani Orbis defensione adversùs Turcas præfatos semper gerunt bella, nec non illis Parochialibus Ecclesiis, quæ etiam computatis incertis, & aliis suprà expressis triginta unius ducatorum auri de Camerâ cum uno quarto alterius ducati paris, illisve Beneficiis, quæ computatis præfatis incertis, & distributionibus quotidianis septem ducatorum similium valorem annuum non excedunt, dummodò tamen Parochialium, seu Beneficiorum hujusmodi titulares, unà cum illis alia Beneficia Ecclesiastica, sive annuas pensiones valorem prædictum conjunctim excedentia non possideant, seu percipiant, quia tunc illos ad easdem decimas solvendas obligatos, & adstrictos esse declaramus. Ac etiam indicimus, & imponimus tres similes decimas omnium & quarumcunque pensionum annuarum, super quibusvis fructibus, reditibus, proventibus, juribus, obventionibus, emolumentis, & distributionibus supradictis, sivè earum loco fructuum, reddituum, proventuum, obventionum, emolumentorum, & distributionum hujusmodi in favorem quorumcunque, non tamen Cardinalium, ac Militum S. Joannis Hierosolymitani prædictorum reservatarum, & assignatarum, seu translatarum, aut reservatorum & assignatorum, seu translatorum, ac reservandarum, & assignandarum, seu transferendarum, aut reservandorum & assignandorum, vel transferendorum percipiendas, exigendas, & levandas ab omnibus, & quibuscunque Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, ac cæteris cujuscunque dignitatis, gradus, status, ordinis, Militiæ, & conditionis personis, infrascripto quinquennio durante, præfata quocunque jure, & titulo obtinentibus, obtenturis, ac reservata, & assignata, seu translata habentibus, seu habituris, nec non Oeconomis, Administratoribus perpetuis & temporalibus, usufructuariis, ac fructus, pensiones, res & alia hujusmodi jura, ex quacunque causa sibi Apostolica auctoritate in toto vel in parte reservata, seu translata habentibus & habituris, Secularibus, & Regularibus Ordinum, Congregationum, Militiarum, & Hospitalium præfatorum, non tamen S. Joannis Hierosolymitani, nec non ab ipsis Ecclesiis, Capitulis, Conventibus, Ordinibus, Congregationibus, Collegiis, Hospitalibus, Militiis, mensis, massis, & locis quocunque privilegio, exemptione reali, personali, & mixta, antiqua, & immemorabili, pacifica, & continuata suffultis, quas omnes decimas prædictas solvere obligatos, ut præfertur, easdem inter quinquennium proximum, quinque æqualibus solutionibus, pro primâ videlicet inter proximum diem festum Apparitionis S. Michaelis Archangeli mensis Maji proximè futuri, & successivè pro reliquis quatuor solutionibus singulo quoque anno ratam partem intrà festum hujusmodi cujuslibet anni immediatè, usque ad totalem solutionem Cameræ prædictæ, & illius Depositario Generali ad id constituendo omninò volumus persolvisse. Subcollectoribus autem decimarum hujusmodi extrà Urbem Nostram, ut infrà deputandis, ne ultrà taxam competentis salarii in eorum deputationum Litteris patentibus designandam, etiam petere, vel prætendere, aut percipere audeant, specialiter, & expressè, ac sub pœnis in contravenientes arbitrio ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerarii infligendis, prohibemus. Ejusdem verò Depositarii munus erit sedulò curare, ut quicquid pecuniarum ex decimis colligetur, id diligenter, ac fideliter asservetur, de mandato Nostro speciali in præfatos usus duntaxat, nec aliàs erogandum. Quicunque verò adeò indurato corde, & ratione carens extiterit, quod non sit factus alieno periculo cautus, & tantâ avaritiâ arserit, ut quod gratis ab Ecclesia accepit, particulam accepti eidem periclitanti reddere recusaverit, decimas hujusmodi nullo modo, vel non integrè scienter, aut non secundùm verum annuum valorem fructuum, redituum, proventuum, jurium, obventionum, & emolumentorum, vel concordiam cum Sede, & Camera prædictis, ut præfertur, ineundam, sivè in terminis constituendis non exhibuerit, seu in illorum exhibitione malitiam commiserit, vel fraudem, si Ecclesiarum Antistes fuerit, suspendimus à Divinis, Capitula verò, Conventus, Congregationes, Societates, & Collegia Ecclesiastica interdicto supponimus, ac singulares personas Antistite inferiores, excommunicationis sententiâ innodamus, ac in pœnam privationis tàm Beneficiorum, quàm pensionum ipso facto incurrisse declaramus. Cæterùm ad prædictas decimas consequendas, præcipimus etiam omnibus Conductoribus, Censuariis, & Affictuariis proprietatum, fructuum, rerum, & jurium prædictorum, etiam hujusmodi pensionibus oneratorum, ut memoratas decimas nomine Dominorum, ac Pensionariorum ad computum suæ cujusque locationis, omnibus verò possessoribus, & usufructuariis, & aliis pensiones, seu fructus, aliaque prædicta solvere debentibus, ut ipsi etiam decimas pensionum hujusmodi nomine Pensionariorum, Cameræ, & Depositario prædictis integrè persolvant. Decernentes decimas fructuum, reddituum, proventuum & aliorum jurium prædictorum secundùm verum valorem annuum, aliàs verò pensionum decimas ad eandem rationem trium decimarum durante dicto quinquennio, præstari debere, & secundùm eam prædictos omnes in solidum cogi posse, ipsarumque decimarum Procuratores, sivè Exactores à quibus libuerit integrè exigendi optionem facultatemque habere, omnesque, & singulos pensionarios, quâcunque auctoritate, dignitate, præeminentiâ p æfulgeant, Cardinalibus, ac Militibus S. Joannis Hierosolymittani præfatis ob causas suprà expressas tantùm exceptis, ad ipsarum decimarum solutionem pro ratâ cujuslibet pensionis, teneri, & obligatos esse, neque ullum jus, & actionem, etiam in vim cujuscunq; pacti, & conventionis, quantùmvis ex causa onerosa, vel donationis, juramenti, obligationis Cameralis, augmenti pensionũ, & cujusvis alterius, quantùmvis inexcogitatæ cautelæ, & pactionis, etiam à Sede Apostolica in genere vel in specie atq; individualiter cum illarũ, & illorum inserto tenore approbatorũ, & confirmatorum, ac forsan præfato

quin-

quinquennio durante approbandorum, & confirmandorum aliquid aliquando, ab his titularibus repetendi competere, sed ipsos Pensionarios, ad Decimarum hujusmodi solutionem pro ratâ suæ cujuslibet pensionis, præfato quinquennio durante teneri, ac per eos ad quos spectat, & pro tempore spectabit, cogi & compelli posse, seu debere. Omnes verò confessiones, ac quietantias receptionis decimarum à Procuratoribus, & Ministris Cameræ prædictæ, tàm Conductoribus, Censuariis, & Affictuariis nomine suorum principalium, quàm etiam ipsis, nec non possessoribus, usufructus solvere debentibus nomine pensionariorum faciendas perindè valere, atque in judicio, & extra illud ubique locorum fidem facere, ac si ipsismet principalibus, & pensionariis præsentibus, & solventibus factæ, & exhibitæ fuissent. Conductores autem, qui pretium locationis Dominis legitimè anticipaverint, locationem suam hujusmodi, quam quoad hoc prorogamus, usque ad integram satisfactionem, ut prius, etiam adveniente successore continuare debere. Sicque per quoscunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vicelegatos, Sedisque Apostolicæ Nuncios in quâvis instantiâ, sublatâ eis, & eorum cuilibet, quâvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique judicari & definiri debere, ac irritum, & inane quicquid secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus, & declaramus. Ut autem omnia prædicta, sicut causa urgens postulat, diligenter, & fideliter exequutioni demandentur, præfatum Palutium Cardinalem Camerarium, cujus integritas, fides, atque experientia, notaque devotio jam pridem Nobis perspecta sunt, Generalem omnium decimarum prædictarum Collectorem in Italiâ, & Insulis illi adjacentibus hujusmodi, cum omnibus, & quibuscunque privilegiis, jurisdictionibus, quæ omnes alii ante hoc hujusmodi Collectores habuerunt, auctoritate prædictâ tenore præsentium constituimus, & deputamus, eique plenam, liberam, & absolutam facultatem, & auctoritatem tribuimus, omnes ipsas Decimas Cameræ prædictæ nomine procurandi, prædictos omnes, tàm conjunctim, quàm divisim, ad illarum integram solutionem, ut prædictum est, faciendam, etiam per edictum locis publicis affigendum monendi, & requirendi; non parentes, fraudantes, & cæteros contumaces in censuras, & pœnas prædictas incidisse, servatâ formâ Concilii Tridentini, declarandi, proprietates, res fructus, & alia bona ipsorum, etiam manu Regia apprehendendi, & usque ad condignam satisfactionem retinendi, contradictores, perturbatores, & rebelles quoscunque, eisque auxilium, consilium, vel favorem publicè, vel occultè, quovis quæsito colore præstantes, cujuscunque dignitatis, gradus, & ordinis fuerint, prædictis, aliisque censuris, & pœnis Ecclesiasticis, nec non pecuniariis, cæterisque juris, & facti remediis compellendi, illasque etiam iteratis vicibus aggravandi, dignitatibus, beneficiis, & officiis omnibus privandi, & amovendi, ad futurum inhabiles faciendi, interdictum Ecclesiasticum apponendi: auxiliumque brachii secularis quandocunque opus fuerit invocandi, illos verò, qui resipuerint, ac debitè satisfecerint, ab omnibus censuris, & pœnis supradictis in forma Ecclesiæ consueta absolvendi, super irregularitate forsan incursa, dummodò tamen in contemptum Clavium non celebraverint, dispensandi, & ad pristinum statum omninò restituendi. Præterea Collectores, & Subcollectores viros ubique providos, ac fide, & facultatibus locupletes, & solertes in omnibus Civitatibus, Terris, & Provinciis Italiæ, & Insularum illi adjacentium hujusmodi, quotquot viderit expedire, cum simili, vel limitatâ, non tamen absolvendi potestate, constituendi, eumque, vel eos ejus arbitrio revocandi, negligentes, & morosos removendi, ac alium, seu alios subrogandi, quotiescunque ei videbitur, ac ab eis eorumque hæredibus, & successoribus administrationis rationes exigendi, in delinquentes, & suspectos per se, vel alium, seu alios, etiam simpliciter, & de plano, ac sine strepitu, & figura judicii inquirendi, & meritis pœnis puniendi, modos, & formas in prædictis servandos præscribendi, dubia quæcunque in præmissis forsàn òritura declarandi, ac prorsùs omnia, & quæcunque circà ea necessaria, & opportuna faciendi, statuendi, & exequendi, etiamsi talia forent, quæ mandatum exigerent magis speciale quàm præsentibus est expressum; Eâ tamen conditione adjectâ, quòd Collectores, & Subcollectores deputandi, seu substituendi hujusmodi per deputationem, seu substitutionem, de eorum personis, ut præfertur, faciendam, nullo modo censeantur exempti à solutione trium decimarum prædictarum, quas ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, Beneficiorum, seu Pensionum per eos obtentorum solvere debebunt. Non obstantibus fel. rec. præsertim Pauli III. ac Gregorii XIII. quibus inter alia cavetur, quòd Clerici Regulares Societatis Jesu à solutione decimarum hujusmodi exempti esse debeant, ac B. Pii V. duodecim Congregationibus præfatis ex titulo oneroso partem exemptionum concedentis, & Bonifacii VIII. Romanorum Pontificum etiam Prædecessorum Nostrorum de unâ, & in Concilio generali editâ de duabus dietis, & aliis Apostolicis Constitutionibus, nec non Ecclesiarum, Monasteriorum, Prioratuum, Ordinum, Congregationum, Hospitalium, Militiarum & locorum prædictorum, juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, usibus, & naturis, nec non quibusvis privilegiis, indultis, exemptionibus, etiam in corpore Juris clausis, Immunitatibus & Litteris Apostolicis, Ordinibus, Congregationibus, Militiis, Monasteriis, Conventibus Regularibus, Locis, Capitulis, Dignitatibus, aliisque quibusvis personis supradictis, tàm Secularibus, quàm Regularibus generaliter vel specialiter, sub quâcunque forma, & verborum expressione ab eadem Sede, etiam ex causa concordiæ, aut remunerationis laborum, vel titulo oneroso, aut aliàs ex qualibet alia causa, etiam hic non expressa, & necessariò exprimenda concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi pro plenè & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hâc vice dumtaxat harum serie latissimè, & plenissimè, ac specialiter, & expressè pro hac pia causa derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Seu si Prælatis, & personis prædictis, eorumque Ecclesiis, & locis, vel quibusvis aliis communiter aut divisim à præfata sit Sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per Litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi, nec non personis eorumque nominibus & cognominibus, Ecclesiis, Monasteriis, & Ordinibus in locis hujusmodi mentionem, & quibuslibet aliis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, in genere, vel in specie, quandocunque concessis, confirmatis & innovatis, etiam solutionem decimarum, aliàs quàm secundùm antiquam taxam, & nisi in universali decimarum per Orbem impositionibus, applicationibus, donationibus, obligationibus, juramentis, renunciationibus, vinculis & cautelis, in assignatione prædictarum pensionum factis, quibus per impositionem decimarum hujusmodi neminem teneri, neque eas quoad præmissa contrà quemcunque locum habere similiter declaramus, aliisque indultis, & litteris Apostolicis generalibus, vel specialibus, cujuscunque tenoris existant, per quæ præsentibus non expressa, aut omninò non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet,

libet, vel differri, & de quibus eorumque totis tenoribus habenda sit in Nostris Litteris mentio specialis. Quæ omnia contrà præmissa nolumus cuiquam in aliquo suffragari. Nec non aliis hujusmodi impositionibus, & concessionibus ad tempus nondum elapsum, si quæ sint, factis, cæterisque contrariis quibuscunque. Ut verò subsidia hujusmodi magis prompta haberi possint, & decimas prædictas solvere debentes ad compositionem cum dictâ Camera Apostolica deveniendum per ampliùs invitentur, statuimus, & decernimus, quod si ante quinquennii prædicti terminationem decimarum solutio, ut infrà, cessaverit, eadem Camera Apostolica ad restitutionem, & refectionem pecuniarum, ab eisdem decimis provenientium, illis qui, ut præfertur, cum eâ concordaverint, faciendam, pro ratâ tamen temporis ante dicti quinquennii lapsum decursi, & summæ per eos solutæ omninò teneatur. Et insuper volumus, quod si favente Deo, causæ propter quas decimarum prædictarum impositio emanavit, ante quinquennium hujusmodi cessaverint, etiam decimarum hujusmodi solutio cesset, & cessasse censeatur eo ipso. Insuper in percipiendis decimis prædictis, Constitutionem rec. mem. Clementis Papæ V. similiter Prædecessoris Nostri in Concilio Viennen. editam, quod decimæ ad monetam currentem communiter levari, nec Calices, libri, cæteraque Ecclesiarum ornamenta Divino cultui dicata ex causâ pignoris capi, percipi, vel distrahi, aut aliàs quomodolibet occupari debeant, ubique volumus observari. Quin etiam præcipimus, ne quisquam etiam plura quanticunque valoris Beneficia Ecclesiastica, seu plures pensiones, aut fructus, seu talia mixtim obtinens pro Litterâ, & sigillo quietantiæ universalis, si illam habere voluerit, ultrà unum Carolenum conficientem quatrenos triginta septem monetæ Romanæ solvere teneatur, nec ad aliud onus, etiam prætextu Cambii uspiam compellatur. Volumus autem, imò jubemus, quòd decimæ præfatæ integrè tàm hic in Urbe, quàm extrà, absque ullâ ratæ deductione, præterquàm ratam competentis salarii in Subcollectorum in partibus deputandorum Litteris patentibus, ut præfertur, designandam, quæ summam quatuor pro centenario non excedat, penes ejusdem Cameræ Apostolicæ Depositarium deponantur, non obstante quâcunque consuetudine in similibus impositionibus, & exactionibus, hactenùs in favorem quarumcunque personarum, de quibus specialis, specifica, expressa & individua mentio facienda esset, tàm ratione officiorum, quàm laborum, quamdam ratam ex eisdem decimis exactis percipiendi observatâ. Cæterùm volentes, illos quos Dei timor à malo non revocat, saltem formidine pœnæ, & publicâ disciplinâ compescere, omnes & singulos cujuscunque dignitatis, status, gradus, Ordinis, vel conditionis fuerint, etiamsi Pontificali dignitate potiantur, qui de hujusmodi exigendis decimis aliquid usurpare, seu subtrahere, aut sibi ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, Beneficiorum, seu pensionum per eos obtentorum, ut præfertur, retinere, aut aliàs exigendo, colligendo, vel conservando fraudem, vel deceptionem aliquam committere malitiosè præsumpserint, suspendimus, nec non interdicimus à Divinis, ac majoris excommunicationis, & etiam privationis Ecclesiarum, Monasteriorum, & Beneficiorum, quæ obtinent, & pensionum, quas percipiunt, nec non inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda, sententias, censuras, & pœnas incurrere volumus ipso facto, ita ut ab eâdem excommunicatione ab alio quàm Romano Pontifice, præterquàm in mortis articulo, absolutionis beneficium nequeant obtinere. Quia verò difficilè nimis esset præsentes Litteras ad singula quæque loca, & quocunque illis opus fuerit perferre, volumus, ut illarum exemplis, etiam impressis, & Notarii publici manu subscriptis, & Palutii Cardinalis Camerarii præfati, seu alterius ab eodem deputati Collectoris, seu Prælati Ecclesiastici ejusque Curiæ sigillo obsignatis, eadem prorsùs fides in judicio, & extrà illud ubique locorum adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Ut autem præsentes ad communem notitiam deducantur, eas valvis Ecclesiæ S. Joannis Lateranen. Basilicarum Principis Apostolorum, & S. Mariæ Majoris de Urbe, & Cancellariæ Apostolicæ affigi, seu appendi faciemus, quæ se suo quasi sonoro præconio, & patulo indicio publicabunt, ut ii, quos præmissa contingunt, quòd ad ipsos non pervenerint aut ea ignoraverint, nullam possint excusationem prætendere, seu ignorantiam allegare, cùm non sit verisimile quoad ipsos remanere incognitum, quod tàm patenter omnibus publicatur. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam indictionum, impositionum, suspensionis, suppositionis, innodationis, Decreti, concessionis, impertitionis, prorogationis, Constitutionis, deputationis, tributionis, declarationis, voluntatis, & præcepti Nostrorum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, ac Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo octuagesimo tertio. Quinto Kal. Octobris, Pontificatus Nostri anno septimo.

Causæ propter quas illæ decimæ impositæ fuerunt adhuc subsistunt.

§. 2. Nunc verò Nos pro eâ quam de totius Dominici gregis divinitùs Nobis crediti salute præcipuam gerimus sollicitudinem, providè considerantes causas, propter quas tres integræ decimæ hujusmodi à Nobis, ut præfertur, impositæ fuerunt, adhuc perdurare, officii Nostri partes esse duximus in præsenti rerum calamitoso statu impositionem decimarum hujusmodi modo, & formâ infrascriptis extendere & ampliare.

Quamobrem impositio prorogatur.

§. 3. Motu itaque proprio, & ex certâ scientiâ, ac maturâ deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, indictionem, & impositionem trium integrarum decimarum prædictarum, per Nos, ut præfertur, factas, Litterasque hujusmodi, cum omnibus, & singulis in eis contentis ad aliam unam similem integram decimam, & quatuor ex quinque partibus alterius decimæ, percipiendas, exigendas, & levandas, ab omnibus & singulis, in eisdem præinsertis Litteris nominatis, quos omnes ad hoc obligatos, intrà triennium proximum tribus æqualibus solutionibus, pro primâ videlicet intrà proximum diem festum apparitionis S. Michaelis Archangeli mensis Maji anni proximi venturi 1689. & successivè pro reliquis duabus solutionibus singulo quoque anno ratam partem infrà festum hujusmodi cujuslibet anni immediatè usque ad totalem solutionem, servatâ aliàs in omnibus, & per omnia earumdem Nostrarum Litterarum formâ & tenore, omninò volumus persolvisse, tenore præsentium indicimus, & imponimus.

Solutionis termini.

Derogatio contrariis.

§. 4. Non obstantibus omnibus illis, quæ in præfatis Nostris Litteris voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transsumptorum fides.

§. 5. Volumus autem, ut ipsarum præsentium Litterarum transsumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & Palutii Camerarii Cardinalis prædicti, seu alterius ab eodem deputati Collectoris, vel Prælati Ecclesiastici, ejusque Curiæ sigillo obsignatis, eadem prorsùs fides in judicio, & extra illud ab omnibus, & ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 25. Novembris 1688. Pontificatus Nostri anno decimo tertio.

D. 25. Novembris 1688. P. A. decimo tertio.

Visa de Curia Ferdinandus Nuptius.

Loco † Plumbi.

J. F. ALBANUS.

D. Campianus.

Registrata in Secret. Brevium.

Con-

XXI.

Confirmantur duo Decreta Congregationis S. Ritibus præpositæ, quæ Ecclesiæ S. Georgii præcedentiam jure Matricitatis præ Ecclesiâ S. Petri Civitatis Modicæ adjudicant.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Primum S. Congregationis Decretum sub datum d. 24. Martii. 1636. Ecclesiæ S. Georgii præcedentiam tribuit.

§. 1. ALiàs emanarunt à Congregatione tunc existentium S. R. E. Cardinalium S. Ritibus præpositorum duo Decreta, tenoris, qui sequitur, videlicet, Syracusana Eminentissimo Cæsarino referente articulum super Matricitate prætensa, inter Ecclesias S. Georgii, & S. Petri Civitatis Modicæ: Sacra Congregatio respondit; Ecclesiam S. Georgii esse Matricem, eique propterea competere præcedentiam. Die 24. Maji 1636. Ita reperitur in Regiſtris Congregationis Sacrorum Rituum. In quorum fidem hac die 18. Syracusana. Cum Sacra Rituum Congregatio sub die Maji 1636. ad relationem Eminentissimi & Reverendissimi Domini Cardinalis Cæsarini declaraverit, Ecclesiam S. Georgii Civitatis Modicæ Syracusanæ Diœcesis esse Collegiatam insignem, & Matricem, eique uti tali deberi præcedentiam suprà omnes alias Collegiatas ejusdem Civitatis, institutum fuit pro bono pacis declarari, quænam sint hujusmodi præeminentiæ, & Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Eminentiss. & Reverendissim. D. Cardinalis Sacchetti, censuit esse infrascriptas, videlicet. Primò quod in solemnitate Corporis Christi Processio incipere debeat ab ipsa Ecclesia Matrice, ad quam convenire debeant Archipresbyter S. Petri cum suo Clero, & omnes alii interesse debentes enumerati in Ceremoniali Episcoporum libro secundo cap. 33. & nullo modo per vias expectare. Secundò quod in eâdem festivitate delatio Sanctissimi Corporis Christi spectet ad Præpositum S. Georgii, uti primam dignitatem, & eo absente ad aliam dignitatem ejusdem Matricis, ordine successivo, dummodo ipsa dignitas quæ Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum deferre debet, illo die solemniter celebraverit. Tertiò, quod omnes aliæ Processiones publicæ, puta S. Marci, Rogationum, pro pluvia petenda, serenitate impetrandâ, & similes incipere debeant ab ipsa Matrice. Quartò, quod in die Ascensionis Domini, & processionibus S. Marci, nec non Rogationum tam intra, quam extra Civitatem, Præpositus Sancti Georgii, seu alia dignitas, quæ succedit, deferendo stolam officium faciat, benedicendo segetes, & similia. Quintò quod in omnibus actibus, in quibus intervenit Clerus S. Georgii, & Clerus S. Petri, Præpositus S. Georgii præcedentiam habeat, & votum supra Archipresbyterum, & Canonicos S. Petri. Sextò quod accedente Clero S. Georgii ad Ecclesiam S. Petri pro exercendâ publica functione, spectet, & pertineat ad Præpositum S. Georgii, & hoc casu præcedentiam deberi eidem Clero S. Georgii; in functionibus autem privatis, puta ex devotione, vel simili præcedentiam competere Clero S. Petri in propria Ecclesia. Septimò, quod in Sabbato Sancto pulsatio campanarum spectat, & pertineat privativè quoad omnes alios, ad Matricem S. Georgii. Octavò, quod Indulgentiæ, seu Excommunicationes publicandæ nullibi publicari valeant, nisi prius publicatæ fuerint in Ecclesia Matrice S. Georgii. Nonò, quod fideles in die Paschatis recipientes Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in Ecclesiâ Matrice Sancti Georgii, satisfaciant obligationi de recipiendo Communionem in Parochiali. Decimò, quod quando aliquis Parochianus S. Petri eligit sepulturam in Ecclesia S. Georgii, Præpositus S. Georgii officium faciat super cadavere, etiam præsente Archipresbytero, & Clero S. Petri. Undecimò quod in associatione cadaveris, quando intervenit Clerus S. Georgii, & Clerus S. Petri, semper præcedentia debeatur Præposito, & Clero S. Georgii, etiamsi cadaver deferatur in Ecclesia Sancti Petri, quo casu erit deferenda Crux Sancti Georgii, sub cujus Cruce omnes funus associantes incedere debeant. Officium verò super cadavere spectet, & pertineat ad Curatum, vel Sacerdotem illius Ecclesiæ, in quâ cadaver tumulari debet. Duodecimò quòd Archipresbyter S. Petri nullo modo ministrare valeat Sacramenta suis Parorochianis extra propriam Parochiam. Die 6. Septembris 1636. Ita reperitur in Regiſtris Sacræ Rituum Congregationis in folio impresso. In quorum fidem hâc die 18. Maji 1689. Loco † Sigilli A. Cardinalis Cybo. Bernardinus Casalius Sacræ Rituum Congregationis Secretarius.

Alterum de die 6. Septembr. 1636. quænam sint ejus modi præeminentiæ declarat.

Desideratur eorum confirmatio.

§. 2. Cum autem, sicut pro parte Dilectorum Filiorum Capituli, & Canonicorum secularis, & Collegiatæ S. Georgii Oppidi Modicæ Civitatis nuncupat. Syracusanæ Diœcesis Nobis nuper expositum fuit, ipsi Decreta hujusmodi, quo firmius subsistant, Apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri plurimùm desiderent. Nos specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure vel ab homine, quâvis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decreta præinserta auctoritate Apostolicâ tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salvâ tamen semper in præmissis autoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Et à Sanctitate Sua fit cum absolutione ad effectũ.

Decretum roborans & irritans

§. 3. Decernentes eâdem præsentes Litteras semper firmas, validas, & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariis.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transsumptorum fides.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium transsumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiasticâ dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tàm in judicio, quàm extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 4. Junii 1689. Pontificatus Nostri Anno Decimotertio.

D. 4. Junii 1689. P. A. decimotertio.

J. F. ALBANUS.

XXI.

Concessio Indulgentiarum pro Fratribus & Monialibus Ordinis Prædicatorum, spiritualibus exercitiis per quadraginta dies quotannis incumbentibus.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exercitia quibus in memoriâ jejunii Salvatoris vacant.

§. 1. EXponi Nobis nuper fecit Dilectus Filius Antonius Cloche Magister Generalis Ordinis Prædicatorum, quòd in multis Conventibus, & Monasteriis dicti Ordinis consuetum est, ut tàm Fratres, quàm Moniales eorundem Conventuum, & Monasteriorum quotannis in aliquod cubiculum sibi à Superioribus assignatum secedant, ubi per quadragin-

ta dies diversis exercitiis spiritualibus alternativè, nempè orationibus, mortificationibus corporis, flagellationibus, seu disciplinis, & aliis in memoriam quadraginta dierum, quibus Dominus Noster Jesus Christus in deserto fuit, magnâ cum devotione & silentio vacant.

In quorum gratiam conceduntur Indulgentiæ.

§. 2. Nos igitur devotionem hujusmodi cœlestibus Ecclesiæ thesauris, dispositioni Nostræ à Domino commissis confovere volentes, ac supplicationibus ejusdem Antonii Magistri Generalis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus, & singulis, tam Fratribus, quàm Monialibus dicti Ordinis, qui per dictos quadraginta dies piis hujusmodi exercitiis semel quotaniis se dederint, qua vice id egerint, easdem Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes, quas fel. rec. Paulus PP. V. Prædecessor Noster Fratribus, & Monialibus prædictis, & aliorum Ordinum, qui per spatium decem dierum spiritualibus exercitiis incumbunt, concessit, Apostolicâ auctoritate tenore præsentium misericorditer in Domino concedimus.

Derogatio contrariis.

§. 3. Non obstant. Nostrâ, & Cancellariæ Apostolicæ Regulâ, de non concedendis Indulgentiis, ad instar, cæterisque in contrarium facientibus quibuscumque. Præsentibus ad septennium tantum valituris.

Pro præsentibus ad septennium duraturis impetrandis nihil offerendũ.

§. 4. Volumus autem, quod si pro impetratione, præsentatione, admissione, seu publicatione præsentium, aliquid, vel minimum detur, aut spontè oblatum recipiatur, præsentes nullæ sint, quòdque præsentium transsumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiasticâ dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 16. Junii 1689. Pontificatus Nostri decimotertio.

Et transsumptis fides habenda.

D. 4. Junii 1689. P.A. decimotertio.

J. F. ALBANUS.

Decretum Generale.

Cùm Sabbato sancto proximè futuro occurrat festum Annuciationis B. M. V. dubitatum fuit, an debeant celebrari Missæ privatæ, ad effectum, ut Christi fideles commodè satisfacere possint præcepto audiendi Missam; Et Sacrorum Rituum Congregatio ad relationem Eminentissimi, & Reverendissimi D. Cardinalis Colloredi, re maturè perpensâ, censuit prædictum festum Annunciationis, una cum præcepto audiendi Missam, & vacandi ab operibus in Ecclesiâ universali transferri debere ad feriam secundam post Dominicam in Albis, protractis omnibus aliis festis, quæ non sint altioris ritus, ad aliam diem juxtà rubricas Breviarii Romani. Celebrationem quoque Missarum dictâ die Sabbati sancti omninò prohibendam in quibuscunque Ecclesiis, & Oratoriis privatis, non obstante quacunque consuetudine in contrarium, & unicam Missam Conventualem, una cum Officio ejusdem Sabbati sancti celebrandam fore præcepit; Si Sanctissimo Domino Nostro placuerit. Hâc die 11. Februarii 1690.

Et facto de prædictis per me Secretarium verbo cum Sanctissimo, Sanctitas Sua benignè annuit, sensum Sacræ Congregationis approbavit: ac præsens Decretum edi, & imprimi mandavit. Hac die 12. Februarii 1690.

A. CARDINAL. CYBO.
Locus † Sigilli.

XXIII. Confirmatio & ampliatio Decretorum Congregationis reformationis Tribunalium.

INNOCENTIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exorditur à Romani Pontificis officio totius Dominici gregis utilitatibus indefinenter incumbit, ita Almæ Urbis, ac in ea litigantium, nec non suorum, & Apostolicæ Sedis etiam quoad temporalia subditorum commodis circa ea præsertim, quæ meliorem, ac celeriorem justitiæ administrationem, resecatis superfluis circuitibus, sublatis subterfugiis, reformatisque litigantium expensis concernunt, solicitis studiis intendat, ut si quæ per suos Prædecessores pro felici Reipublicæ statu providè sancita lapsu temporis in desuetudinem abiisse, visa, seu deformata, vel depravata fuerint, congruæ declarationis, seu reformationis ope, pristino nitori, ac vigori restituantur; Si quæ autem de novo emerserint, quæ ut temporum fert conditio, novo auxilio indigere noscantur, opportunæ sanctionis, seu provisionis remedio reparentur, & muniantur.

circà Reformationem Tribunalium urbis Romæ & S. Sedis quoad temporalia subditorum officio.

Congregationem eũ in finem à se institutã ejusque Decreta confirmata & ampliata commemorat.

§. 1. Hinc est, quod Nos ab ipso suscepti, meritis licèt imparibus, Universalis Ecclesiæ Regiminis primordio felicis recordationis Pauli Papæ Quinti Prædecessoris Nostri super Reformatione Tribunalium Urbis præfatæ, ejusque Officialium editam Constitutionem inconcussè servari, omnes, qui in contrarium irrepsissent abusus aboleri, opportunasque declarationes, reformationes, & provisiones, quæ ad rectam, magis expeditam, minusque dispendiosam justitiæ administrationem conferrent, expleri cupientes, Congregationem Reformationis Tribunalium dictæ Urbis singulis mensibus haberi præcepimus; Factaque Nobis postmodum die 3. Junii 1679. duplici relatione, Decreta ab eadem Congregatione eousque emanata approbavimus, nonnullaque ex illis ad universum statum Nostrum Ecclesiasticum Italiæ extendimus, & ampliavimus: Illaque omnia publicari, ac sub pœnis in præfatâ memorati Pauli Prædecessoris Constitutione contentis, nec non aliis, quæ in iisdem Decretis imposita fuerant, cæterisque Nostro, vel Romani Pontificis pro tempore existentis arbitrio injungendis, in Urbe, & statu præfatis respectivè exactè observari mãdavimus.

Quæ certis ex causis insequentem novâ formam redacta.

§. 2. Subindè autem supradicta Congregatio, cum de eadem Reformatione seriò agere non destiterit, ac quædam ex memoratis Decretis, eaque signanter super subhastationibus edita, rationabilibus ex causis, ac experientiâ ita suadente delenda, seu revocanda: alia similiter declaranda, seu reformanda: nonnulla demùm etiam addenda censuerit, post novum multiplex, & exactum examen Decreta hujusmodi in sequentem formam redegit, videlicet.

De Capitolio, ejusque Officialibus.

Pluries examinatâ directione fori, seu Tribunalis Capitolini, & quomodo occurrendum sit aliquibus inconvenientibus, quæ circa mentem, & sensum statuentium, & calumniatorum malitiâ irrepsisse videntur, deventum est ad sequentes resolutiones, & provisiones.

De partibus quas Senator & Assettamẽtum circà appellationes gerere debeat.

Primò, ut in causis in quibus ex dispositione Statutorum omninò tollitur, ac denegatur appellatio, sive quod illa respectivè conceditur ad solum effectum devolutivum, non autem suspensivum, vel non nisi facto depositio, sive sub alia forma per eadem Statuta præscriptâ, & demandatâ, Senator, quando non judicavit tanquam Judex primæ instantiæ, tanquam Caput Tribunalis, & cui per Statutum commissum, ac injunctum est, ut observet, atque ab illis observari faciat Statuta, & jura communia, gerat omnes illas partes, quas in Tribunali Auditoris Cameræ, aliisque Tribunalibus appellationum, & ulterioris instantiæ post primam gerit D. Cardinalis Signaturæ Justitiæ Præfectus in recognoscendo, & declarando: An per Judicem appellationis admitti, vel respectivè rejici debuerit appellatio, sivè an iste moderari, vel respectivè reintegrare debeat suam inhibitionem, aliaque similia peragere eo modo, quo per dictum Cardinalem Præfectum Signaturæ Justitiæ practicatur. Ubi verò partes, vel earum altera judicio Senatoris non acquiescant, tunc Assettamentum gerat, ac impleat illas partes su-

per

per præmissis, quas gerit, & implet plena Signatura Justitiæ. In illis verò casibus, in quibus Senator judicavit tanquam Judex primæ instantiæ, directè, ac immediatè recurri debeat ad Assettamentum, quod super præmissis provideat, ac rescribat, ad tollendos inanes circuitus sequi solitos super electione Consultoris ob Senatoris suspicionem, ut citiùs, quo fieri potest, negocia terminarentur.

Assettamentum in primâ instantiâ nullo modo se ingerat.

Secundò, ut pro declaratione, seu clariori observantiâ ejus, quod Statuta jam disponunt, votum, seu judicium Assettamenti super præmissis esse debeat novum, & integrum, absque eo quod illud propalatum fuerit in prima instantia: Ideoque in præfatis causis, quæ non sint de sui natura simpliciter ad utrumque effectum appellabiles, Assettamentum in prima instantia nullo pacto se ingerat, suumque votum non præstet, etiamsi Judex petat, nisi utraque partium consentiat cum renunciatione cuicunque appellationi, vel restitutioni in integrum, & cuicunque alteri recursui, adeò, ut cupiant partes in eadem prima instantia causæ cum hoc voto finem dare.

Quomodò se gerèdum in casu quo unus vel plures ex Curiæ Judicibus defecerint.

Tertiò, licet per Constitutionem Pii IV. disponatur, quod si unum ex Judicibus Curiæ abesse vel ægrotare contingat, aut suspectum jurari, Assettamentum per alios tres præsentes fieri possit; Attamen, quia dari potest casus, quod impedimentum, vel suspicio verificetur, etiam in aliquo ex tribus, vel quod qualitas causæ exigat, ut Assettamentum sit plenum & non constituatur minori numero quam quatuor; Idcircò Senator ad eorumdem Statutorum præscriptum, alium, seu alios in locum illorum, qui impediti sint subrogare poterit, & quatenus partes, vel una earum suspectum habeat Senatorem in hac deputatione, tunc supplebit Auditor Sanctissimi.

De ratione versandi in causis restitutionis in integrũ.

Quartò, quod in causis restitutionis in integrum, sivè ista petatur incidenter, sivè principaliter, pronunciari non valeat, nec debeat, sed servari debeat id, quod practicatur in Tribunali A. C. aliisque Tribunalibus Urbis, quòd scilicet, ubi agitur de Decretis interlocutoriis, ac aliis à quibus reponi potest, si Judex credit esse locum restitutioni, reponat à Decreto facto in negocio principali; Ubi verò agitur de sententiis non appellabilibus, à quibus reponi non potest, abstineat ab executione, sivè infirmet ipsam sententiam in illis casibus in quibus de jure infirmare potest, & è converso, ubi credat, non esse locum restitutioni, procedat ad ulteriora in exequutione, adeò ut nunquam detur pronunciatio particularis super ipsa restitutione concedenda, vel respectivè deneganda, sed illa solum sit causa, ut pronuncietur vel provideatur in negocio principali, ne alias sequatur illa magna multiplicatio sententiarum, quæ aliquando sequi consuevit.

In controversiis circà restitutionem idem quod in casu appellationis servandum

Quintò, quod ubi super eadem restitutione tam incidenter, quam principaliter petità, aliquam controversiam oriri contingat tàm circa recusationem Judicis, coràm quo petitur, quàm circa suspensionem exequutionis, ac alia (cum restitutio, & appellatio parificentur:) idcirco etiam in isto casu servetur idem, quod supra in casu appellationis provisum est, quòd scilicet detur recursus ad Senatorem eo modo, quo in aliis Tribunalibus datur ad Cardinalem Præfectum Signaturæ Justitiæ, & successivè ad Assettamentum eodem modo, quoad signaturam plenam, ut supra.

De observandis circà nullitates.

Et sextò demum, quod etiam in hoc Tribunali circa nullitates observetur, quod in aliis Tribunalibus dispositum est per reformationem Pauli V. ut non attendantur nullitates nisi sint ex tribus &c. prout etiam disponitur in motu proprio Pii IV.

Pauli V. super illis dispositio.

De Sportulis, vel Propinis.

CUM Inter cætera, quæ disponuntur per Constitutionem S. Mem. Pauli V. super Reformatione Tribunalium, illud præsertim enixè præcipiat, ut nullus Judicum Ordinariorum Urbis, & Romanæ Curiæ cujuscunque dignitatis, etiam speciali notâ dignus in causis civilibus ratione sportularum, seu propinarum aliquid prorsùs accipiat etiam à sponte dare volentibus; in Commissariis autem pariter civilibus, ubi de summâ scutorum viginti quinque agitur & nisi, nihil prorsùs, à viginti quinque suprà usque ad centum inclusivè scuta tria, à centum usque ad quamcunque summam scuta decem, & non ultra.

Quæ exactè ab omnibus Judicibus observanda & quinam sint Judices Ordinarii, qui Commissarii.

Cùm aliquæ verò litigantiũ querelæ ad aures Sanctissimi pervenerint adversùs ejusdem Constitutionis in hac parte inobservantiam; Idcircò de ejus mandato re maturè, ac pluries examinatâ decretum, & declaratum fuit, præfatam Constitutionem prohibentem sportulas Judicibus Ordinariis ab omnibus Judicibus, qui non sint verè Commissarii, observari debere juxtà universalitatem litteræ, ac verborum, quacunque limitatione, vel interpretatione, sive argumento, aut contrariâ consuetudine sublatis, ac rejectis: Judices verò Ordinarios esse omnes illos, qui sint deputati ad aliquam universitatem, vel aliquod genus causarum, adeò ut Commissarii sint solùm illi, qui per commissionem specialem deputati sunt ad certas, & particulares causas, istosque teneri pariter observare dictam Constitutionem, ut summas propinarum per eam taxatas nullatenus excedere, atque plus exigere valeant.

Illæsis sportulis Judicibus expresè concessis.

Ut autem omnis dubitandi, vel contraveniendi occasio, tollatur censuit Congregatio exprimere, ac recensere, quinam sint Judices Ordinarii Urbis, & Romanæ Curiæ, iique sunt infrascripti, aliis non exclusis, quatenus adsint; Eis tamen nullatenùs præjudicatum censeatur quoad illas sportulas, vel propinas, quæ expresè, ac litteraliter, non autem per argumenta, vel illationes, & interpretationes, aut subauditos intellectus eis defertur, ac tribuuntur per eandem Constitutionem Pauli V. sivè per privilegia, & concessiones Apostolicas particulares, non autem consuetudinem, iique sunt sequentes, cum declaratione, quod per descriptionem non censeatur statutus ordo aliquis, nec alicui præjudicatum.

Nominatim Judices Urbis Ordinarii recensentur.

D. Cardinalis Camerarius, ejusque Auditor, Judices deputati etiam in criminalibus.
D. Cardinalis Vicarius, ejusque Vicesgerens, & Locumtenens aliique Judices ab eo deputati.
D. D. Cardinales Archipresbyteri trium Basilicarum Patriarchalium eorumque Vicarii & Auditores aliique deputati.
D. D. Cardinales Titulares in eorum titulis Urbis, & in sex Episcopatibus Cardinalitiis; eorumque Vicarii, Auditores, & alii deputati.
D. D. Cardinales Protectores Collegiorum, Monasteriorum, Hospitalium, & Locorum Piorum, eorumque Auditores, & alii Judices & deputati.
D. Gubernator Urbis ejusque Locumtenentes, ac Judices civiles, unus, vel plures.
D. Auditor Cameræ, ejusque Locumtenentes, & Judices deputati.
D. Senator Urbis, ejusque Collaterales, & Capitaneus appellationum, & alii deputati.
D. Thesaurarius Generalis, ejusque Auditor, aliique Judices ab eo deputati etiam in criminalibus.
D. D. Præsides & præfati respectivè Viarum, Grasciæ, Zecchæ, Riparum, Annonæ, Archivii, & carcerum, eorumque Auditores, aliique deputati.
D. Præfectus Sacri Palatii Apostolici, ejusque Auditor, & Locumtenentes, ac alii deputati, tàm quoad Palatinos, quam quoad Tusculum, & Arcem Gandulphi, & Villas.
D. Commissarius Armorum, ejusque Auditor, vel alii deputati.
D. Judex, vel Auditor Confidentiarum.
Judex Fabricæ Sancti Petri.
Judex Militum.
Judex Castri Sancti Angeli.
Judex Tritemium seu Maritimæ.
Assessores Ædilium, seu Magistrorum Viarum, Consulum Agriculturæ, Camerarii Riparum, Protomedici, & Consulum Artium, vel Mercatorum, & Dohanarum.

Etiam in gradu recursus præ-

Eâ declaratione adjectâ quod hujusmodi dispositio locum habeat, etiamsi dicti Judices, seu deputa-

dicta Dispositio locum habet. Deputatio Generalis non facit Commissarium.

ti procedant in gradu recursus, seu in secundis, vel aliis instantiis, quæ præfatis Tribunalibus competerent.

Omnesque præfatos, & alios Judices Ordinarios, ad normam ejusdem Constitutionis adhuc esse tales, atque in præfata prohibitione comprehensos esse, quamvis eis Commissio superveniat, vel quod eis injungatur ut procedant de, vel cum voto Rotæ, sive alterius Tribunalis, vel personæ, aut quod procedere profiteantur pro Exequatur Litterarum Apostolicarum, sivè in vim cujuscunque deputationis generalis, & quoties non sit expressa, & specialis deputatio, ad certas, & particulares causas, undè dici valeant veri Commissarii, ut supra, salva tamem quoad A. C. dispositione dictâ Constitutionis Pauli V. in titulo de A. C. §. Permittimus tamen.

Pœna in contravenientes & repetitio solventibus concessa.

Atque aliàs quidquid etiam spontè solutum esset, illicitum censeri debeat; Ideoque tam Judices, quam Notarii recipientes incurrere censeantur in pœnas inflictas per Constitutiones Apostolicas, neque ita solutum veniat sub condemnatione, & taxa expensarum, quinimo, ut eisdem, qui solverunt, competat repetitio tàm à Judice, quam à Notario ad eorum electionem, absque eo, quod aliqua consuetudo, in contrarium ullo unquam tempore induci valeat, & quam irritam, cassam, ac reprobatam esse decretum, & declaratum fuit.

In unâ causa una tantùm propina exigenda.

Quodque illi Judices tàm Ordinarii, quàm Commissarii, quibus per eandem Constitutionem Pauli V. vel per speciale indultum conceditur, posse exigere sportulas, ut supra, non possint in totâ causâ exigere nisi unicam propinam juxta taxam ut supra, quamvis plures essent personæ in causâ, adeò ut si victoria ambas, vel plures partes tangat, omnes proportionabiliter, & pro ratâ concurrant ad dictam unicam propinam solvendam, neque divisio sententiarum, vel punctorum, eorumque reservatio in hoc quicquam suffragari valeat, adeò ut idem Judex in eadem causa unicam tantum propinam percipiat.

De Advocatis, & Procuratoribus, aliisque Causidicis, & Negotiorum gestoribus.

Taxantur solvenda pro originalibus.

Ad sublevandum litigantes ab excessivitate expensarum, quas patiuntur in Curia, pro nunc decretum fuit, quòd originalia informationum tam juris, quam facti, & tam Advocatorum, quam Procuratorum, aliorumque Curialium, & Defensorum, non debeant excedere scutum unum monetæ, etiamsi fuerint plurium foliorum, pro brevioribus vero fiat solutio pro quanti importabunt juxta stylum.

Advocatorum, Procuratorum &c. salaria

Advocati, Procuratores, & Sollicitatores, & quicunque alii Causidici, & Defensores atque Judicialium, vel aulicorum negotiorum gestores pro eorum honorariis, seu salariis etiam conventis non habeant actionem in posterum, nisi pro salario, vel mercede ultimi biennii tàm citrà, quam ultra montes, quibus elapsis remaneat præscripta & perempta omnis actio ad agendum, quocunque ordinario, & extraordinario remedio denegato, si contigerit per dictos Advocatos, Procuratores, Sollicitatores, & alios, de quibus suprà, fieri expensas in causis ab eisdem patrocinatis, vel negotiis, ut supra ab eis gestis, non possint ab eorum Principalibus illa prætendere ultra summam scutorum quinquaginta, nisi legitimè, & sincerè citra omnem suspicionem fraudis, & concussionis constet de recognitione veritatis & debiti in majori summâ facta de ordine sui Principalis.

Expensæ in causis patrocinatis factæ.

De Notariis.

Merces instrumentorum.

Ad tollendas controversias, quæ solent occurrere inter partes, & Notarios super mercede Instrumentorum Tutelæ, vel Curæ cum Inventario tutelari, & fidejussionis præstatione, ac Instrumentorum additionis hæreditatis etiam cum Inventario solemni, & prorogitu susceptionis Tutelæ, & obligatione fidejussoris, aut fidejussorum, nec non aditionis hæreditatis, & confectionis Inventarii, decretum & declaratum fuit, quòd Notarii quorumvis Tribunalium non possint exigere aliam mercedem, nisi ad formam Statuti Urbis lib. 3. cap. 93.

Taxa Instrumenti sententiæ.

Pro mercede Instrumenti sententiæ Notarii A. C. non possint exigere à partibus, nisi summam Juliorum quindecim juxtè taxam præscriptam eisdem Notariis in reformatione fel. mem. Pauli Quinti, etiamsi in ipsa sententia fuerit concessum mandatum executivum, vel de associando, manutenendo, & immittendo, possint tamen Notarii apponere in Instrumento, si volunt, quòd sententia deserviat ad probationem, sed non ad exequutionem quæ fieri non possit, nisi vigore mandati ad partes expediendi, aliàs exequutio sit nulla.

Sessionum in examine Testiù.

In examine Testium cum interrogatoriis, tàm in criminalibus quàm in civilibus in quocunque Tribunali & Curia, quælibet sessio durare debeat spatio duarum horarum, verè & effectivè continuando exercitium, nec aliquid amplius, nec ultrà Julios quinque pro qualibet sessione accipiatur ab Interprete, sub prætextu, quòd examen fiat extra Officium Notarii.

De executione contrà Notarios.

Item pariter mandatum, & decretum est, quòd si contigerit expediri mandata executiva contra Notarios, illa exequi non possit super Protocollis, & aliis scripturis, sub pœnis partibus nullitatis executionis, & Exequutoribus privationis officii, & aliis arbitrio Judicis.

De illis, quæ habentibus privilegiù creandi Notarios. circà illorum requisita, observanda sunt

Et quoniam magna est fides, quæ Notariis præstatur, ideoque omnis ratio postulat, ut illi sint viri sufficienti peritia, morum probitate, ac honestis natalibus prædíti: Hinc proviùm, ac decretum est (si Sanctissimo placuerit) ut omnes habentes privilegia, & facultates creandi Notarios, cujuscunque sint status conditionis & dignitatis, quamvis expressâ, & speciali notâ digni, & sivè sint personæ singulares, sivè Collegia, & Universitates, firmis remanentibus eorum privilegiis, & facultatibus, eo modo, quo competunt, atque hactenùs competere consueverunt, non possint in Urbe, & districtu dicta privilegia, & facultates exercere, atque Notarios creare, nisi priùs modo, quo infra legitimè eis constiterit, quod illi, qui creandi sunt Notarii, legitimis, honestisque natalibus, bonisque moribus prædíti sint, adeo ut non sint inquisiti, neque contumaces, ac etiam in ætate saltem annorum viginti quinque constituti. Nec non quòd saltem per sex menses continuos, & non interruptos in Urbe apud aliquem ex Notariis publicis Auditoris Cameræ, vel Rotæ, vel Cameræ Apostolicæ, seu Vicarii, aut Capitolii verè fuerint versati pro addiscenda praxi, & peritia conficiendi Instrumenta, dictoque termino sex mensium completo, cum verò, & effectivo, ac rigoroso examine tenendo coram Decano, vel alio deputato illius Collegii, qui Notarium creare debet, aut coram Auditore Cameræ, seu Camerario cum interventu duorum Procuratorum de Collegio, ac duorum publicorum Notariorum Urbis habentium Officium proprium, dummodo non sint illi Notarii, apud quos ipsi examinandi versati sint, approbati fuerint tanquam idonei, dictaque approbatio debeat subscribi ab iis, qui ut supra interveniunt in examine, atque aliàs actus habeatur pro invalido, perinde, ac si gestus non esset, illeque aliàs creatus nullatenus pro Notario habeatur, atque tàm illi, qui Notarios circa istam formam creaverint, quàm ipsi creati pœnas incurrant arbitrio Sanctissimi, etiam amissionis privilegii.

De Cursoribus, & Mandatariis, aliisque Executoribus, & de citationibus, exequutionibus, & subhastationibus.

Mandatariis non licet facere citationes & intimationes extrajudiciales.

Exortâ differentiâ inter Cursores Sanctissimi ex una, & Mandatarios D. Cardinalis Vicarii, omniumque aliorum Tribunalium, & Curiarum Urbis ex altera partibus, super citationibus, & intimationibus præsertim extrajudicialibus, quæ solent fieri pro propositionibus causarum aliisque actibus in Tribunalibus Rotæ, Cameræ Apostolicæ, & utriusque Signaturæ, & in Congregationibus Eminentissimorum Cardinalium coram Dominis Præfecto Sacri Palatii, Auditore Sanctissimi, aliisque Judicibus extrà propria Tribunalia, & Curias eorumdem Mandatariorum prætendentium se illas tanquà actus extrajudiciales facere, & exequi posse: Congregatio

supra-

supradicta utrâque parte pluries auditâ declaravit, hoc ipsis non licere, sed etiam quoad ipsas servandas esse Constitutiones Apostolicas sub pœnis in eisdem Constitutionibus contentis, aliisque arbitrio ejusdem Congregationis infligendis.

De modo procedendi in processibus contumacialibus tempore Sedis vacantis.

Ad tollendas controversias quomodo procedendum sit tempore Sedis vacantis in processibus contumacialibus conficiendis in Curiâ, Congregatio declaravit, procedendum esse per edicta publica, non autem per contradictas.

Ministri & Officiales locorum nullũ executionibus impedimentum præstent.

Quoniam verò fertur, quod Ministri, & Officiales Civitatum, Oppidorum, & locorum in quibus DD. Clerici, & Commissarius Cameræ, ac etiam Domini Cardinales, aliique Prælati ratione Episcopatuum, vel Abbatiarum, & Commendarum, & Præfectus Sacri Palatii Apostolici exercent jurisdictionem temporalem, ac etiam Ministri, & Officiales Baronum, & Domicellorum, & aliorum quorumcunque de facto, indebitè quandoque præstare audent impedimentum, ne in dictis locis, eorumque territoriis exequantur per Cursores, & Mandatarios, alioſque Ministros, & Executores Tribunalium Urbis, & alios, quibus demandatum fuerit, citationes, & mandata, aliæque provisiones Judicum & Tribunalium Romanæ Curiæ, & præsertim Auditoris Cameræ absque eorum licentiâ, & beneplacito in scriptis, ut vulgo dicitur Exequatur; Idcircò declaratum, & decretum fuit, quod tàm citationes verbales, & Personales, vel domi sive in manibus domesticorum, aut per edicta, quàm etiam mandata quæcunque pariter tam in personis, quàm in bonis in quibuscunque causis civilibus, & criminalibus liberè possint fieri, & exequi absque alia licentia, beneplacito, vel Exequatur, aut requisitione Officialium, & Ministrorum loci, neque dictos Officiales & Ministros etiam ipsosmet Cardinales, & Prælatos, & Clericos, & Commissarium Cameræ, ac Barones, & Domicellos, & alios quoscunque posse in hoc aliquod directum, vel indirectum impedimentum præstare sub pœnis contantis in Constitutionibus Apostolicis contra usurpantes jurisdictionem Sedis Apostolicæ, vel illam, ejusque liberum exercitium impedientes, aut Curiæ resistentiam facientes, & inadvertenter, ac indebitè requisiti de aliquâ licentia, vel beneplacito nullatenus possint, nec debeant sub eisdem pœnis apponere Exequatur, vel aliàs in scriptis apponere manus in ipsis expeditionibus Tribunalium Romanæ Curiæ.

De executione contra personas privilegiatas.

In ipsâ verò Urbe quando mandata servatis servandis relaxata fuerunt contrà personas privilegiatas, quæ neglexerint allegare declinatoriam, & petere opportuno tempore remissionem causæ ad propriũ, & particularem Judicem, pariter illa exequi possint, nullumque Exequatur peti, vel respectivè concedi debeat, ut ita occurratur fraudibus, & inconvenientibus, quæ experientia docuit exinde sequi, sibi namque imputent, cur initio, & re integra forum declinare neglexerint.

Subhastationes bonorum stabilium ubi & qua ratione publicandæ.

In subhastationibus faciendis de bonis stabilibus, vel locis montium aut censibus in Urbe, affigantur edicta ad valvas domus Judicis, & in platea Bancorum, & extra Urbem in locis solitis per dies quindecim anteà, in quibus exprimatur distinctè situatio, & qualitas bonorum, & quoad loca montium exprimatur eorum species, ac etiam an sint libera, vel vinculata, & quatenus sint vinculata, explicetur qualitas vinculatorum contentorum in Litteris Patentibus, atque in censibus explicetur qualitas debitoris, & fundi censiti, ut ita oblatores meliùs informentur, atque ad offerendum allliciantur.

De modo procedendi in distractionibus locorum montium & officiorum.

In distractionibus judicialibus locorum montium vacabilium, & non vacabilium, ac officiorum vacabilium Romanæ Curiæ non procedatur, nisi prævia intimatione vel interpellatione facienda Procuratori seu Exactori fructuum dictorum locorum montium, seu officiorum.

De variis Provisionibus.

Decretum de spontaneis

Ad evitandas controversias, quæ quotidie oriri solent inter Tribunalia Romanæ Curiæ in causis criminalibus propter spontaneas Constitutiones, & monitoria quæ ejus vigore expediuntur in vim L. diffamari C. de ingen. & manum. Congregatio mandavit & decrevit, quòd in posterum Actor, seu querelans non possit trahi coram Judice, coram quo fuit facta spontanea Constitutio, & à quo monitorium obtinuit, quando præcedenter fuit porrecta querela coram alio Judice, & ab eo fuit formatus processus sufficiens ad citandum, vel præcesserit citatio ad informandam Curiam.

Constitutionibus & monitoriis in processibus criminalibus.

De non gravetur Exiliatis non concedendo.

Ad expellendos ab Urbe delinquentes, decretum, & mandatum fuit, non licere in posterum Judicibus, & Superioribus quorumcunque Tribunalium eisdem condemnatis, & Bannitis concedere salvos conductus, vulgò, non gravetur nuncupatos, sublata eisdem Judicibus, & Superioribus Tribunalium facultate concedendi eosdem salvos conductus, seu non gravetur exiliatis, quando exilium fuerit per sententiam eisdem injunctum in pœnam patrati criminis, nisi ad formam Juris ad recolligendum sarcinulas.

De recusationibus ex causâ suspicionis

Ad tollenda subterfugia quibus nonnulli utuntur ad procrastinandas causas civiles, allegando Judices Romanæ Curiæ pro suspectis, Congregatio decrevit, quòd in posterum non admittatur allegatio suspicionis in causis, quibus ab allegante fuit informatum in scriptis super meritis, etiamsi nullus adsit actus judicialis inducens consensum; Et quod non admittantur nisi duæ recusationes ex causa suspicionis, nec liceat tertiò, & respectivè post triduum à die petitionis, seu productionis jurium recusare nisi ex justa causa, prout de jure.

De non gravetur ob præstationem alimentorum.

Quoad non gravetur ob præstationum alimentorum per debitores obtentum, & in posterum forsan obtinendum à quibusvis Judicibus, non afficiat, nisi legitimè citatos, non autem alios.

De taxa alimentorum, pauperibus carceratis præstandorum & paupertatis probatione.

Et quoad alimenta præstãda pauperibus carceratis, sublatâ taxâ uniformi unius Julii usque adhuc servata, solvatur arbitrio Sacræ Visitæ, & Judicum etiam infra, & supra dictam summam unius Julii, ad meram necessitatem naturæ tantùm; Et quoad probationem paupertatis, ubi etiam agitur de minori summa scutorum quinquaginta, nihilominùs probatio fieri debeat eodem modo, qui præscribitur in reformatione ultra summam scutorum quinquaginta, ita tamen, ut nihil pro tali probatione solvatur, quodque ad præscriptum Constitutionis Pii V. non solvantur per creditores pauperes, minùsque præstentur dolosis, vel calumniosis debitoribus, qui contra bonam fidem creditores diu defatigarunt cum injustis impedimentis, vel subterfugiis.

De taxâ congruæ.

Quoad congruam reservandam Clericis Debitoribus recurrentibus ad beneficium Capit. Odoardus, decretum est, ut excedere non debeat summam, quæ pro qualitate, & usu loci reputatur sufficiens in beneficio, vel patrimonio, ad cujus titulum fit promotio ad sacros Ordines; Ubi verò agitur de Beneficio residentiali, & servitorio, adeò ut pro decore, & servitio Ecclesiæ potius, quàm personæ aliqua major impensa pro Ecclesiasticis, & sacris Vestibus requiratur, eadem congrua augeri valeat in eo, quo ad dictum effectum necessarium reputabitur.

De cautionibus promissis in societatibus officiorum.

Quamvis in societatibus officiorum promittantur cautiones, non tamen illarum promissio, vel non implementum suffragentur ad impediendum lucrum, quod aliàs sequi deberet, perinde, ac si cautiones non fuissent promissæ.

De censibus perpetuis.

In censibus perpetuis quocunque tempore impositis, & imponendis, ad evitandas fraudes, & ne reddantur redimibiles pro libito creditorum, non præstatio fidejussionis promissæ neque directè, neque indirectè causare possit restitutionem sortis, etiam ad effectum deponendi, nisi agatur de cautione promissa in casu mortis, vel mutationis status.

De taxâ fructuum dotalium.

Fructus dotales per antea taxati per Statutum Urbis ad rationem septem cum dimidio pro centenario à die 3. Junii 1669. sint, & intelligantur reducti in Urbe ad rationem quatuor, extra verò Urbem in districtu ad rationem quinque, non obstante Statuto Urbis, vel alio Statuto, seu consuetudine loci, idque procedat in dotibus quocunque tempore constitutis, seu debitis, & in futurum respectivè constitu-

endis,

endis, seu debendis, ita tamen, ut creditoribus, quibus ex quacunque conventione etiam juratâ prohibita erat sortis exactio, adhuc liceat eamdem sortem quoad dotes ante diem 3. Junii 1679. constitutas, seu debitas exigere, nisi debitores velint in majori taxa conventionali etiam jurata continuare.

Fructuum societatum officiorum

Fructus societatum officiorum quocunque tempore contractarum, & in futurum contrahendarum non possint à die 3. Junii 1679. & in posterum excedere octo pro centenario.

Et facultatum Cardinalis Camerarii & Præfecti Archiviorum.

Facultates Cardinali Camerario, & Præfecto Archiviorum competentes super sanatione defectus Archiviationis, etiam post acceptatam nullitatem usque ad summam scutorum viginti quinque (si Sanctissimo placuerit) ad occurrendum calumniis, & subterfugiis, quæ ob istam causam practicari solent, extenduntur usque ad summam scutorum mille cum clausulis apponi solitis in sanationum commissionibus Signaturæ Gratiæ.

Ob defectum Archiviationis causæ nec avocandæ nec inhibendæ

Non possint autem à Judicibus coram quibus causæ introductæ sunt, atque productæ, vel repetitæ scripturæ, quas prætenditur hoc defectu laborare, avocari, vel inhiberi, ne in eis procedatur, sed talis defectus opponatur coram Judice causæ tanquam nullitas, vel exceptio ad tollendam fidem.

Injungitur Decretorũ sequentiũ de inhibitionibus & non gravetur, observantia.

Et quoniam ad occurrendum calumniis, & subterfugiis debitorum, & reorum super inhibitionibus, & non gravetur, aliisque cautelis S.M. Urbanus Octavus deputavit particularem Congregationem, à quâ plura prodierunt decreta & provisiones inferius registranda, decretum, & provisum fuit, quòd eadem decreta, & provisiones in aliquibus modificata eo modo, quo proximè infra registrata sunt, servari debeant.

Decreta S. Congreg. super inhibitionibus, & non gravetur per Debitores extortis à San. Mem. Urbano VIII. deputatæ, ab omnibus, & quibuscunque Tribunalibus, & Judicibus Urbis observanda.

De inhibitionibus Agriculturæ.

Inhibitiones Agriculturæ serentibus hordea, & alia blanda, vel Legumina non concedantur, sed solummodo unicuique serenti saltem rubra octo tritici quolibet Anno.

Et earum tempore.

Et quoad tempora serventur respectu seminũ à die prima Octobris usque, per totum mensem Novembris Respectu vero mensium, à die prima Junii usque ad diem 15. Augusti tantum juxta Decretum alias emanatum tempore fel. rec. Pauli Papæ V.

Quod super bonis agriculturam non concernentibus locum non habet.

Quo verò ad personas debitorum, etiamsi aliunde habeant, unde solvant, suffragentur utroque tempore, videlicet messium, & seminum. Super bonis autem quibuscunque ex Agricultura non provenientibus, vel non inservientibus pro Agricultura, executiones fieri possint quocunque tempore etiam messium, & seminum non obstantibus inhibitionibus.

Notariorum circa inhibitiones officium.

Notarii, per acta quorum conceduntur dictæ inhibitiones, teneantur retinere librum examinũ Testium pro obtinendis inhibitionibus examinandorum, qui Testes debeant esse cogniti Notario, vel saltem duobus Testibus Notario notis; sin minus præstetur juramentum petenti inhibitionem, ac inducenti Testes, quatenus sit præsens: Et rursus teneatur Notarius habere, ac retinere matriculam, in qua describat omnes inhibitiones cum nominibus illorum, quibus conceduntur.

Item Judicum & Assessorum.

Judices, seu Assessores dum inhibitiones prædict. s concedunt, teneantur discutere relevantiam probationum, & non admittant probationes irrelevantes, neque quicquam recipiant pro provisione, & subscriptione inhibitionum.

Nec admittant fidas Comunitatum nisi prævio examine Testium coram superiore Loci servatâ formâ suprascriptâ facto, & de verbo ad verbũ insertâ societates quoque, venditiones, comuniones, admissiones ad participandum, cessiones, declarationes, & recognitiones similiter non admittant nisi causâ cognitâ.

Comminatio pœnalis in supradicta non servantes.

Inhibitiones supradictis omnibus non servatis partibus obtinentibus nullatenus suffragentur, & Notarii qui illas in posterum concedent, ultra damna, & interesse Partium, prout de jure, subjaceant pœnis etiam corporalibus arbitrio Congregationis.

Fidarum solutio quousque suffragetur

Quoad ficas, quibuscunque solventibus fidam grossam, habentibus tamen requisita necessaria, serventur solitæ inhibitiones, omnibus verò aliis fidæ, & inhibitiones non suffragentur, nisi respectu rerum fidam concernentium.

De inhibitionibus Præsidis Graſciæ.

Non gravetur, & inhibitiones Eminentissimi Camerarii, & Præsidis Grasciæ non suffragentur, nisi quoad personas Lanionum in matricula descriptorum, & res illorum ad Grasciam pertinentes.

Reservata tamen facultate Eminentissimo Domino dictas inhibitiones quandocunque revocandi & moderandi.

Salsamentariis autem, & fructuum, piscium, candelarum, & olei venditoribus, vaccinariis omnibusque aliis similibus non concedantur, & concessæ non suffragentur.

Præsidis Annonæ.

Possit etiam Grasciæ Præses mandare exequi mandata aliorum Judicum contra personas Lanionum & res grasciam concernentes etiam absque citatione, sed abstineat à cognitione meritorum causæ principalis.

Inhibitiones per Eminentissimum Camerarium, & Præsidem Annonæ non concedantur nisi pistoribus, seu furnariis, molitoribus, vel molendinariis, quoad eorum personas, res, & bona ad artem pertinentia.

Præsidis Riparum.

Inhibitiones à Præside Riparum non concedantur, & concessa non suffragentur, nisi occasione rerum ripalium, & contractuum super rebus ripalibus.

Ac pro personis, belluis, barchis, curribus, & aliis instrumentis actu inservientibus corrigio, & conductioni ad Urbem tàm per flumen, quàm per terram.

Ac in illarum concessione serventur superiùs dispositа circa inhibitiones Agriculturæ.

Præsidis Carcerum.

Præses Carcerum non concedat inhibitiones & non gravetur, debitoribus nondum carceratis vigore memorialium, nisi in illis adsit specialis ordo Sanctissimi.

Certæ quædam res ab Exequutionibus eximuntur.

Non decernantur, neque fiant ab aliquo Judice exequutiones super belluis inservientibus pro confectione pulveris, & salnitri, vel caldariis, aut aliis instrumentis nisi pro debitis particularibus Appaltus, vel Ministrorum juxtà formam Bannimentorum.

De Inhibitionibus ad favorem textorum Lanæ.

Inhibitiones ad favorem Textorum artis Lanæ in posterum non concedantur, nisi de ordine Eminentissimi.

Ministrorum & Operariorum Fabricæ Principis Apostolorum.

Inhibitiones Venerabilis Fabricæ Principis Apostolorum Procuratoribus, Notario, Ministris, Operariis, & quibuscunque aliis in posterum non concedantur, & hucusque concessæ nullo modo suffragentur, nisi pro rebus eandem Fabricam concernentibus.

Quasnam Inhibitiones S. Joan Lateran. S. Petri & S. Mariæ Maj. Archipresbyteri cõcedere possint.

Eminentissimi Cardinales Archipresbyteri Sancti Joannis Lateranensis, Sancti Petri, & Sanctæ Mariæ Majoris non concedant inhibitiones generales, seu particulares, tantummodo citata Parte, & juxta terminos privilegiorum Apostolicorum dumtaxat, & aliàs concessæ non serventer, & liberè eis non obstantibus fiat executio.

Quinam extra Ecclesiæ interesse supradictis privilegiis non gaudeant.

Emphyteutæ, Inquilini, Coloni, Affictuarii, & Conductores non gaudeant privilegiis supradictis, nisi quando agitur de interesse Ecclesiæ, & Ecclesia est in causa.

Inhibitiones quando concedendæ.

Inhibitiones Hospitalis Sancti Sixti Neophytorum, & Catechumenorum, Annunciatæ Sancti Marcelli, Orphanorum Sanctissimæ Trinitatis, Sancti Hieronymi Charitatis, & quorumcunque Locorum Piorum, etiam sub protectione Eminentissimorum Cardinalium non dentur, nisi parte citata, & quando agitur de rebus, vel interesse dictorum Locorum Piorum, & ad favorem Ministrorum actu, & mercede illis inservientium.

Eximuntur ab exequutione Bona à Conductore in ædes invectis.

Ad instantiam Locatorum ædium ne fiat aliqua exequutio super bonis à conductore invectis.

Bona filii in domo communi existentia.

Ad instantiam Patris ne fiat exequutio pro debitis filii super bonis in domo communi habitata existentibus. Item ne fiat super pallio, quod filius gestat.

Domus propria vel conducta.

Ad instantiam Domini Domus, vel Conductoris ne fiat exequutio in Domo sua, vel ab eo conducta pro debito cujusvis personæ etiam cohabitantis.

Vigore Testium examinatorum, quibus in actis

quis

De Exequutionibus contra filium familias.

quis probaverit talia bona esse instantis, ad impediendas executiones cujusvis alterius.

Ad instantiam filii familias ad impediendas exequutiones contra eum relaxatas, vel relaxandas sub prætextu statuti annullantis contractus filiorum familias.

Eximuntur Bona in Domo à viro conjunctim cum Uxore habitatâ existentia.

Ad instantiam viri, ne fiat exequutio super bonis in Domo per eum conjunctim cum uxore habitatâ existen. vigore mandatorum contra uxorem relaxatorum.

De Inhibitione Dotali.

Vigore statuti pro mulieribus obligatis absque decreto, & solemnitatibus.

Eximitur res vendita pro debito emptoris.

Inhibitio Dotalis propter hypothecam Uxoris in bonis viri, nisi expresso Notario, die, & anno, quo Instrumentum Dotis fuit rogatum.

Res commodata pro debito Commodatoris.

Ad instantiam venditoris vigore reservationis domini super re vendita, ne in ea fiat exequutio pro debito emptoris, aut alio quopiam.

Ad instantiam Commodantis, ne fiat exequutio super recommodata pro debito Commodatarii.

De suspicione fugæ.

Vigore captæ possessionis de Judicis mandatione nealter audeat ejusdem rei possessionem capere, nisi citato eo, qui fuit à Judice vel immissus, vel manutentus, vel ex quacunque causa associatus.

Adversus mandata suspicionis fugæ, nisi parte citata petens inhibitionem probaverit se possidere in Urbe, vel districtu bona stabilia, vel mobilia quæ de facili emoveri non possunt, vel saltem dederit cautionem de non discedendo donec parte citata probaverit se possidere, ut supra.

Adversus mandata suspicionis fugæ stante cautione in actis præstita de stando jure, nisi tantum pro summa contenta in cautione, & adversus creditorem nominatum.

De Non gravetur gratioso.

Non gravetur gratiosum, vel ad effectum concordandi, vel aliquando iterum audiendi, vel aliis de causis, nisi semel tantum, & pro quinque diebus ad summum.

De non concedendis Inhibitionibus generalibus.

Inhibitiones generales quibuscunque personis etiam privilegiatis, per quoscunque Judices in posterum non dentur, sed tantum speciales vigore reassumptionum, & appellationum in forma.

Contra supradicta Decreta concessæ nullæ sunt.

Cæterum inhibitiones datæ contrà formam præsentium Decretorum non afficiant, & illis non obstantibus facta executio valeat.

Præfecto reservatur facultas quascumque Inhibitiones revocandi, & moderandi.

Reservatâ, & semper remanente Eminentissimo Præfecto facultate, & auctoritate omnes, & singulas supradictas, & quascunque alias inhibitiones, & non gravetur, à quocunque Judice, & ex quacunque causa, & capite, tàm in præsentibus expressis, quàm non expressis pro ejus arbitrio, & libito voluntatis revocandi, & moderandi, & illis non obstantibus quæcunque exequatur, seu executiones sibi bene visas concedendi.

Pœnasque pro arbitrio contravenientibus infligendi.

Nec non omnes & quoscunque Judices, Notarios, & Executores, ac alias quavis personas suprascripta Decreta non observantes, vel illis quomodolibet, & qualitercunque directè, vel indirectè sub quovis prætextu, vel quæsito colore contravenientes & contrafacientes corrigendi, mulctandi, ac quibusvis pœnis, etiam corporalibus ejus arbitrio infligendis, & moderandis manu regia plectendi. & puniendi.

Quædam ex prædictis Decretis ampliata.

§. 3. Porro cum ex relatione nuper nobis facta, nonnulla ex hujusmodi Decretis ejusdem Nostri status Ecclesiastici Italiæ felici regimini, ejusdemque etiam quoad temporalia subditorum commodis conferre compertum habuerimus, ad eundem statum sequentia ampliare, & extendere decrevimus, prout ampliamus & extendimus, nimirum.

Primò, Decretum super libertate exequutionum, & citationum, contentum sub titulo de Cursoribus, & Mandatariis, aliisque Exequutoribus.

Secundò, Decreta relata sub titulo de Advocatis, & Procuratoribus.

Tertiò, Decretum sub titulo de Notariis super forma creandi Notarios cum declaratione: Quod ea, quæ circa praxim, & examen in Urbe inibi statuuntur in Legationibus Bononiæ, Ferrariæ, Aemiliæ, seu Romandiolæ, & Urbini, ac etiam in Provincia, seu Gubernio Marchiæ, seu Maceratæ, expleantur in ipsa Civitate Metropoli, seu Residentiali Cardinalis Legati, & Gubernatoris respectivè, ibique habeatur examen coram ipso Legato vel Gubernatore, seu alio per eum deputando, & coram duobus probatis Curialibus, totidemque probatis Notariis ab eodem Legato, vel Gubernatore pariter deputandis, adeo ut in reliquis eadem forma servetur.

Addita restrictio Decretis quibusdam sub tit. De variis provisionibus.

Quartò, Decreta contenta sub titulo de variis provisionibus. Ita tamen respectu, ut fructus Dotales, quinque; fructus vero Societatum Officiorum novem pro centenario in dicto nostro statu ex nunc in posterum non possint excedere.

Præinserta Decreta Apostolica Autoritate confirmantur.

§. 4. Nunc vero omnia, & singula Decreta præinserta, tali tantaque maturitate digesta, ac sicut præmittitur immutata, declarata, & aucta, nec non à Nobis extensa, & ampliata, nullatenus attento eorundem decretorum aliàs oretenus approbatorum, jussuque Nostro publicatorum, ut præfertur, ac etiam impressorum aliqualiter diverso tenore, perpetuò, inviolabiliterque observari, & Constitutionis Nostræ munimine roborare volentes: Motu proprio, non ad cujusquam Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, & matura deliberatione, deque Apostolicæ potestatis plenitudine præinserta decreta, omniaque, & singula in eis contenta tenore præsentium auctoritate Apostolica confirmamus, & approbamus, necnon illis inviolabilis, & irrefragibilis Apostolicæ firmitatis robur, & efficaciam adjicimus; quinimo motu, scientia, deliberatione, ac potestatis plenitudine similibus, omnia, & singula in supradictis Decretis contenta de novo statuimus, & ordinamus, & tàm illa, quàm præfatam Pauli Prædecessoris in iis, quæ præmissis non adversantur, Constitutionem ab omnibus, & quibuscunque, etiam speciali, & individuâ notâ dignis, eodem modo, quo in memorata Pauli Prædecessoris Constitutione cavetur, cujus tenorem præsentibus pro plenè, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, nec non sub pœnis, quæ in eadem Constitutione, & in præmissis Decretis continentur, cæterisque nostro, vel Romani Pontificis pro tempore existentis arbitrio injungendis, exactissimè perpetuóque servari volumus, sancimus, & mandamus.

Et in eis contenta de novo statuuntur

§. 6. Decernentes omnia, quæ contra hujusmodi Constitutionis, omniumque, & singulorum in ea contentorum formam, & tenorem decreta, acta, vel quocunque modo, vel tempore gesta fuerint, nulla, invalida, & extorta, nulliusque roboris, efficaciæ, vel momenti fore, & censeri; neminique propterea ullatenus suffragari posse, vel debere, & ita per quoscunque Judices, tàm ordinarios, quàm legatos quavis auctoritate fungentes, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Causarum Palatii Apostolici Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate judicari, & definiri debere; Irritum quoque, & inane quidquid secus super omnibus & singulis præmissis, vel circa ea à quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Anullantur omnia contra eorum tenorem admissa.

Clausula sublata & Decretum irritans.

§. 7. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, ac Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, nec non legibus, etiam Imperialibus, & Municipalibus, ac dictæ Urbis, & Provinciarum, Civitatum, Oppidorum, Terrarum, Locorum, ac Basilicarum, aliarumque Ecclesiarum, Tribunalium, Collegiorum, Monasteriorum, Societatum, Congregationum, Institutorum, Confraternitatum, Hospitalium, & Locorum Piorum quorumcumque, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmi-

Derogatio contrariis.

tate

tate roboratis ſtatutis, eorumque reformationibus, & novis additionibus, uſibus, ſtylis, etiam inveteratis, & conſuetudinibus, quantumvis immemorabilibus, privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apoſtolicis ſub quibuſcunque verborum tenoribus, & formis, & cum quibuſvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis Decretis in genere, vel in ſpecie, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus, ac conſiſtorialiter, & aliàs quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, confirmatis, & approbatis, ac pluries, & quantiſcunque vicibus innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum non autem per clauſulas generales idem importantes mentio ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret; illorum omnium, & ſingulorum tenores, formas, cauſas, & occaſiones præſentibus pro plenè, & ſufficienter, ac exactiſſimè, & accuratiſſimè expreſſis, inſertis, ſervatis, & ſpecificatis reſpectivè habentes: illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum ſpecialiter, expreſſè, pleniſſimè, & ampliſſimè derogamus, & derogatum eſſe volumus, cæteriſque contrariis quibuſcumque, aut ſi præfatis perſonis, vel quibuſvis aliis, communiter vel diviſim, ab eadem ſit Sede indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per Litteras Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo, ad verbum de Indulto hujusmodi mentionem.

Præſentium poſt publicationem obligatio.

§. 8. Volumus autem quod præſentes, poſtquam valvis Eccleſiæ Lateranenſis, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, nec non in acie Campi Floræ affixæ, & publicatæ fuerint, omnes, & ſingulos, tàm in Romana Curia, quàm extrà eam exiſtentes, quorum intereſt, vel intereſſe poterit, perindè obligent, & arctent, ac ſi unicuique eorum perſonaliter, & nominatim intimatæ fuiſſent; quòdque illarum exemplis, etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in Judicio, & extra ubique locorum adhibeatur, quæ ipſiſmet præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Tranſumptorum fides.

Sanctio pœnalis.

§. 9. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc noſtrarum Confirmationis, approbationis, reformationis, ſtatuti, Decreti, ordinationis, mandati, extenſionis, ampliationis, voluntatis, derogationis, & irritationis infringere, vel ei auſu temerario contraire; ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

D. 28. Junii 1689. P. A. decimo tertio.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo octuageſimo nono: Quarto Kalend. Julii Pontificatus noſtri Anno Tertiodecimo.

F. Datarius.

J. F. ALBANUS.

Viſa de Curia J. Sacripantes.

Loco † Plumbi.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

ALEXANDER OCTAVUS, PONTIFEX CCXLV. ANNO DOMINI MDCLXXXIX.

ALEXANDER OCTAVUS, Venetus, Petrus Vitus antea dictus Marci Ottoboni Magni Cancellarii Filius: S. R. E. Presbyter Cardinalis Tit. S. Salvatoris in Lauro, poſtea S. Marci, ac demum Epiſcopi Tuſculani. Romæ die 6. Octobris an. 1689. ſummus Pontifex renunciatus; Coronatus die 6. ejuſdem menſis. Creavit Cardinales 14. Obiit die 1. Februarii 1691. ſepultuſque fuit in Baſilica Vaticana. Vacavit Sedes menſis quinque, dies duodecim.

Excommunicatio Anniverſaria in die Commemorationis Cœnæ Dominicæ.

ALEXANDER EPISCOPUS, I.

Servus Servorum Dei. Ad futuram rei memoriam.

Unitas fidei Chriſtianæ, Excommunicationis anniverſariæ motivum.

PAſtoralis Romani Pontificis vigilantia, & ſollicitudo, cum in omni Chriſtianæ Reipublicæ pace, & tranquillitate procuranda, pro ſui muneris officio aſſiduè verſatur, tum potiſſimum in Catholicæ fidei, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, unitate, atque integritate retinenda, & conſervanda maximè elucet, Nimirum ut fideles Chriſti non ſint parvuli fluctuantes, neque circumferantur omni vento doctrinæ in nequitia hominum ad circumventionem erroris, ſed omnes occurrant in unitatem fidei, & agnitionis Filii Dei in virum perfectum, neque ſe in hujus vitæ ſocietate & communione lædant, aut inter ſe alter alteri offenſionem præbeant: ſed potius in vinculo charitatis conjuncti, tanquam unius corporis membra, ſub Chriſto capite, ejusque in terris Vicario Romano Pontifice Beatiſſ. Petri ſucceſſore, à quo totius Eccleſiæ unitas dimanat, augeantur in ædificationem, atque ita divinâ gratiâ adjutrice, ſic præſentis vitæ quiete gaudeant, ut futura quoque beatitudine perfruantur. Ob quas ſane cauſas Rom. Pontifices Prædeceſſores noſtri, hodierna die, quæ anniverſariâ Dominicæ Cœnæ commemoratione ſolemnis eſt, ſpiritualem Eccleſiaſticæ diſciplinæ gladium, & ſalutaria juſtitiæ arma per Miniſterium ſummi Apoſtolatus ad Dei gloriam, & animarum ſalutem ſolemniter exercere conſueverunt. Nos igitur, quibus nihil optabilius eſt, quam fidei inviolatam integritatem, publicam pacem & juſtitiam, Deo auctore tueri, vetuſtum & ſolemnem hunc morem ſequentes.

Excommunicantur hæretici & hæreticorum fautores.

§. 1. Excommunicamus, & anathematizamus ex parte Dei Omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, auctoritate quoque Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac noſtra, quoſcumque Huſſitas, Wuicleſiſtas, Lutheranos, Zuinglianos, Calviniſtas, Hugenottos, Anabaptiſtas, Antitrinitarios, & à Chriſtiana Fide Apoſtatas, ac omnes, & ſingulos alios Hæreticos, quocunque nomine cenſeantur, & cujuſcunque ſectæ exiſtant, ac eis credentes, eorumque receptatores, fautores, & generaliter quoslibet illorum defenſores, ac eorundem libros hæreſim continentes, vel de Religione tractantes ſine auctoritate noſtra, & Sedis Apoſt. ſcienter legentes, aut retinentes, imprimentes, ſeu quomodolibet defendentes ex quavis cauſa publicè, vel occultè, quovis ingenio, vel colore, nec non ſchiſmaticos, & eos, qui ſe à noſtra, & Romani Pontificis pro tempore exiſtentis obedientia pertinaciter ſubtrahunt, vel recedunt.

A Romani Pontificis mandatis ad Concilium univerſale appellantes.

§. 2. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & ſingulos, cujuſcunque ſtatus, gradus, ſeu conditionis fuerint; Univerſitates verò, Collegia, & Capitula quocunque nomine nuncu-

pentur

pentur, interdicimus, ab ordinationibus, seu mandatis nostris, ac Romanorum Pontificum pro tempore existentium ad universale futurum Concilium appellantes: nec non eos, quorum auxilio, consilio, vel favore appellatum fuerit.

Piratæ & Latrones maritimi qui mare sanctitatis siæ infestant.

§. 3. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes Piratas, Cursarios, ac Latrunculos maritimos, discurrentes Mare Nostrum, præcipuè Monte Argentario usque ad Terracinam, ac omnes eorum fautores, receptores & defensores.

Surripientes bona Christianorum per naufragium amissa.

§. 4. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes & singulos, qui Christianorum quorumcumque navibus, tempestate, seu in transversum (ut dici solet) jactatis, vel quoquomodo naufragium passis, sive in ipsis navibus, sive ex eisdem ejecta in mari, vel in littore inventa, cujuscunque generis bona, tam in nostris Tyrrheni, & Adriatici, quam in cæteris cujuscunque maris Regionibus, & littoribus, surripuerint; ita ut nec ob quodcunque privilegium, consuetudinem, aut longissimi, & immemorabilis temporis possessionem, seu alium quemcunque prætextum excusari possint.

Sine jure gabellas imponentes vel augentes.

§. 5. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, qui in Terris suis nova Pedagia, seu Gabellas, præterquam in casibus sibi à jure, seu ex speciali Sedis Apostolicæ licentia permissis imponunt, vel augent, seu imponi, vel augeri prohibita exigunt.

Litterarum aut signationum Apostolicarum falsarii.

§. 6. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes falsarios Litterarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis, ac supplicationum gratiam, vel justitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel S. R. E. Vicecancellarios, seu gerentes vices eorum, aut de mandato ejusdem Rom. Pontificis signatarum, nec non falsò publicantes Litteras Apostolicas, etiam in forma Brevis, & etiam falsò signantes supplicationes hujusmodi sub nomine Romani Pontificis, seu Vicecancellarii, aut gerentium vices prædictorum.

Deferentes ad Religionis Christianæ hostes equos, arma &c. vel eos in Christianorum damnum de aliqua re certos facientes.

§. 7. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Saracenos, Turcas, & alios Christiani nominis hostes, & inimicos: vel Hæreticos per nostras sive hujus Sanctæ Sedis sententias expresse, & nominatim declaratos deferunt seu transmittunt equos, arma, ferrum, filum ferri, stannum, chalybem, omniaque alia metallorum genera, atque bellica instrumenta, lignamina, cannabem, funes, tam ex ipso cannabe, quam alia quacunq; materia & ipsam materiam, aliaque hujusmodi, quibus Christianos, & Catholicos impugnant, nec non alios, qui per se, vel alios de rebus statum Christianæ Reipublicæ concernentibus in Christianorum perniciem, & damnum, ipsos Turcas, & Christianæ Religionis inimicos, nec non Hæreticos, in damnum Catholicæ Religionis, certiores faciunt, illisque ad id auxilium, consilium, vel favorem quomodolibet præstant. Non obstantibus quibuscumque privilegiis quibusvis personis, Principibus, Reipublicis, per Nos, & Sedem prædictam hactenus concessis, de hujusmodi prohibitione expressam mentionem facientibus.

Impedientes eos qui victualia Romanæ Curiæ adducunt.

§. 8. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes impedientes, seu invadentes eos, qui victualia, seu alia ad usum Rom. Curiæ necessaria adducunt, ac etiam eos, qui ne ad Rom. Curiam adducantur, vel afferantur, prohibent, impediunt, seu perturbant, seu hæc facientes defendunt per se, vel alios, cujuscunque fuerint ordinis, præeminentiæ, conditionis, & status, etiamsi Pontificali, seu Regali, aut alia quavis Ecclesiastica, vel mundana præfulgeant dignitate.

Interficientes vel infestantes eos qui à S. Sede discedunt, ad eam veniunt, vel in ea morantur.

§. 9. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Sedem Apostolicam venientes, & recedentes ab eadam, suâ, vel aliorum operâ interficiunt, mutilant, spoliant, capiunt, detinent, nec non alios omnes, qui jurisdictionem ordinariam, vel delegatam à Nobis, vel nostris Judicibus non habentes, illam sibi temere vendicantes, similia contra morantes in eadem curia, audent perpetrare.

§. 10. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes, seu deprædantes Romipetas, seu Peregrinos ad Urbem causâ devotionis, seu peregrinationis accedentes, & in ea morantes, vel ab ipsa recedentes, & in his dantes auxilium, consilium, vel favorem.

Infestantes Romipetas, vel causa devotionis Peregrinos.

§. 11. Item excommunicamus & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicæ Legatos vel Nuncios, aut eos à suis Diœcesibus, Territoriis, Terris, seu Dominiis ejicientes; Nec non ea mandantes, vel rata habentes, seu præstantes in eis auxilium, consilium, vel favorem.

Infestantes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, &c.

§. 12. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per se, vel per alios, personas Ecclesiasticas quascunque, vel seculares ad Romanam Curiam super eorum causis, & negotiis recurrentes, ac illa in eadem curia prosequentes, aut procurantes, negotiorumque gestores, Advocatos, Procuratores, & Agentes, seu etiam Auditores, vel Judices super dictis causis, vel negotiis deputatos, occasione causarum, vel negotiorum hujusmodi, occidunt, seu quoquomodo percutiunt, bonis spoliant, seu qui per alios directè, vel indirectè, delicta hujusmodi committere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel favorem præstare non verentur, cujuscumque præeminentiæ, & dignitatis fuerint.

Infestantes eos qui super causis ad Curiam Romanam recurrunt, vel negotiorum gestores, qui easdem causas patrocinantur.

§. 13. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes tàm Ecclesiasticos, quàm Seculares cujuscunque dignitatis, qui prætexentes frivolam quandam appellationem à gravamine, vel futurâ executione Litterarum Apostolicarum etiam in formâ Brevis, tàm gratiam, quàm justitiam concernentium: Nec non citationum, inhibitionum, sequestrorum, monitoriorum, processuum executorialium, & aliorum Decretorum à Nobis, & à Sede prædictâ, seu Legatis, Nunciis, Præsidentibus, Palatii Nostri, & Cam. Apost. Auditoribus, Commissariis, aliisque Judicibus, & Delegatis Apostolicis emanatorum, & quæ pro tempore emanaverint, aut aliàs, ad Curias Seculares, & Laicam potestatem recurrunt, & ab eâ instante etiam Fisci Procuratore, vel Advocato, appellationes hujusmodi admitti, ac Litteras, citationes, inhibitiones, sequestra, monitoria, & alia prædicta capi, & retineri faciunt, quive illa simpliciter, vel sine eorum beneplacito, & consensu, vel examine exequutioni demandari, aut ne Tabelliones, & Notarii, super hujusmodi Litterarum, & processuum exequutione, instrumenta, vel acta conficere, aut confecta, parti, cujus interest, tradere debeant, impediunt, vel prohibent, ac etiam partes, seu eorum agentes, consanguineos, affines, familiares, Notarios, exequutores, & subexequutores Litterarum, citationum, monitorum, & aliorum prædictorum capiunt, percutiunt, vulnerant, carcerant, detinent, ex Civitatibus, locis, & Regnis ejiciunt, bonis spoliant, perterrefaciunt, concutiunt, & cominantur per se, vel alios, publicè vel occultè, quive aliàs quibuscunque personis, in genere, vel in specie ne pro quibusvis eorum negotiis prosequendis, seu gratiis vel Litteris impetrandis ad Rom. Cur. accedant, aut recursum habeant, seu gratias ipsas, vel Litteras à dictâ Sede impetrent seu impetratis utantur, directè, vel indirectè prohibere, statuere, seu mandare, vel eas apud se, aut Notarios, seu Tabelliones, vel aliàs quomodolibet retinere præsumunt.

Impedientes Executionem quarumvis Litterarum à Curia Romana emanatarum.

§. 14. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & quoscunque, qui per se, vel alios, auctoritate propriâ, ac de facto, quarumcunque exemptionum, vel aliarum gratiarum, & Litterarum Apostolicarum

Interponentes se in causis spiritualibus, earumque cursum quomodolibet inhibentes.

licarum prætextu beneficiales, & decimarum, ac alias causas spirituales, & spiritualibus annexas, ab Auditoribus, & Commissariis Nostris aliisque Judicibus Ecclesiasticis avocant, illorumve cursum, & audientiam, ac personas, Capitula, Conventus, Collegia, causas ipsas prosequi volentes impediunt, ac se de illarum cognitione tanquam Judices interponunt; Quive partes actrices, quæ illas committi fecerunt, & faciunt, ad revocandum, & revocari faciendum citationes, vel inhibitiones, aut alias Litteras, in eis decretas, & ad faciendum, vel consentiendum eis, contrà quos tales inhibitiones emanarunt, à censuris, & pœnis in illis contentis absolvi, per Statutum, vel aliàs, compellunt, ad exequutionem Litterarum Apostolicarum, seu exequtorialium processuum, ac Decretorum prædictorum, quomodolibet impediunt, vel suum ad id favorem, consilium, aut assensum præstant, etiam prætextu violentiæ prohibendæ, vel aliarum prætensionum, seu etiam donec ipsi ad Nos informandos, ut dicunt supplicaverint, aut supplicari fecerint, nisi supplicationes hujusmodi coram Nobis, & Sede Apostolicâ legitimè prosequantur, etiamsi talia committentes fuerint Præsidentes Cancellariarum, Consiliorum, Parlamentorum, Cancellarii, Vice Cancellarii, Consiliarii ordinarii, vel extraordinarii, quorumcunque Principum Secularium, etiamsi Imperiali, Regali, Ducali, vel aliâ quâcunque præfulgeant dignitate, aut Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Commendatarii, seu Vicarii fuerint.

Avocantes personas Ecclesiasticas ad suum Tribunal vel facientes Statuta S. Sedis & Ecclesiarum juribus contraria.

§. 15. Quive ex eorum prætenso officio, vel ad instantiam partis, aut aliorum quorumcunque, personas Ecclesiasticas, Capitula, Conventus, Collegia Ecclesiarum quarumcunque coràm se ad suum Tribunal, Audientiam, Cancellariam, Consilium, vel Parlamentum, præter Juris Canonici dispositionem trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant directè, vel indirectè, quovis quæsito colore? Nec non qui Statuta, Ordinationes, Constitutiones pragmaticas, seu quævis alia Decreta in genere, vel in specie, ex quâvis causa, & quovis quæsito colore, ac etiam prætextu cujusvis consuetudinis, aut privilegii, vel aliàs quomodolibet fecerint, ordinaverint, & publicaverint, vel factis, & ordinatis usi fuerint, undè libertas Ecclesiastica tollitur, seu in aliquo læditur, vel deprimitur, aut aliàs quovis modo restringitur, seu Nostris, & dictæ Sedis, ac quorumcunque Ecclesiarum juribus quomodolibet, directè vel indirectè, tacitè vel expressè præjudicatur.

Molestantes propterea quavis ratione Judices Ecclesiasticos, vel ab eis ad curias seculares recurrentes.

§. 16. Nec non qui Archiepiscopos, Episcopos aliosque Superiores, & inferiores Prælatos, & omnes alios quoscunque Judices Ecclesiasticos ordinarios quomodolibet hâc de causâ directe, vel indirectè carcerando vel molestando eorum Agentes, Procuratores, familiares, nec non consanguineos, & affines, aut alios impediunt, quo minùs suâ jurisdictione Ecclesiasticâ contrà quoscunque utantur, secundùm quod Canones, & Sacræ Constitutiones Ecclesiasticæ, & Decreta Conciliorum generalium, & præsertim Tridentini, statuunt; ac etiam eos qui post ipsorum Ordinariorum, vel etiam ab eis delegatorum quorumcunque sententias, & Decreta, aut aliàs fori Ecclesiastici judicium eludentes, ad Cancellarias, & alias curias seculares recurrunt, & ab illis prohibitiones, & mandata etiam pœnalia, ordinariis, & delegatis prædictis decerni, & contrà illos exequi procurant, eos quoque qui hæc decernunt, & exequuntur, seu dant auxilium, consilium, patrocinium, & favorem in eisdem.

Redituum Ecclesiasticorum usurpatores.

§. 17. Quivè jurisdictiones, seu fructus, reditus, & proventus ad Nos, & Sedem Apostolicam, & quascunque Ecclesiasticas personas ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum pertinentes usurpant, vel etiam quâvis occasione, vel causâ, sine Romani Pontificis, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium expressâ licentiâ sequestrant.

Iisque diversa onera sine speciali Romani Pontificis licentiâ imponentes.

§. 18. Quive collectas, decimas, talleas, præstantias, & alia onera Clericis, Prælatis, & aliis personis Ecclesiasticis, ac eorum & Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum bonis, illorumque fructibus, reditibus, & proventibus hujusmodi absque simili Rom. Pont. speciali, & expressâ licentiâ imponunt, & diversis etiam exquisitis modis exigunt, aut sic imposita etiam à sponte dantibus, & concedentibus, recipiunt. Nec non qui per se, vel alios directè vel indirectè prædicta facere, exequi, vel favorem præstare non verentur, cujuscumque sint præeminentiæ, dignitatis, Ordinis, conditionis, aut status, etiamsi Imperiali, aut Regali præfulgeant dignitate, seu Principes, Duces, Comites, Barones, & alii Potentatus quicunque etiam Regnis, Provinciis, Civitatibus, & Terris quoquo modo Præsidentes, Consiliarii, & Senatores, aut quâvis etiam Pontificali dignitate insigniti. Innovantes Decreta super his per sacros Canones, tam in Lateranensi novissimè celebrato, quàm aliis Conciliis generalibus edita, cum censuris, & pœnis in eis contentis.

Magistratus se interponentes in causis criminalibus contrà Personas Ecclesiasticas.

§. 19. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & quoscunque Magistratus, & Judices, Notarios, Scribas, Exequutores, Subexequutores quomodolibet se interponentes in causis capitalibus, seu criminalibus contrà personas Ecclesiasticas, illas processando, banniendo, capiendo, seu sententias contrà illas proferendo, vel exequendo, sine speciali, specificâ, & expresâ hujus Sanctæ Sedis Apostolicæ licentiâ, quique hujusmodi licentiam ad personas, & casus non expressos extendunt, vel aliàs illâ perperàm abutuntur, etiamsi talia committentes fuerint Consiliarii, Senatores, Præsidentes, Cancellarii, Vicecancellarii, aut quovis alio nomine nuncupati.

Terras & loca ad Romanam Ecclesiam pertinentia infestantes, vel jurisdictionem Ecclesiæ in illis usurpantes.

§. 20. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per se, seu alios, directè vel indirectè, sub quocunque titulo vel colore invadere, destruere, occupare, & detinere præsumpserint, in totum, vel in partem Almam Urbem, Regnum Siciliæ, Insulas Sardiniæ, & Corsicæ, Terras citrà Pharum, Patrimonium Beati Petri in Thuscia, Ducatum Spoletan., Comitatum Venayssinum, Sabinen. Marchiæ Anconitanæ, Massæ Trebariæ, Romandiolæ, Campaniæ, & maritimas Provincias, illarumque Terras, & loca, ac Terras specialis commissionis Arnulforum, Civitatesque Nostras Bononiam, Cæsenam, Ariminum, Beneventum, Perusium, Avenionem, Civitatem Castelli, Sudertum, Ferrariam, Comaclum, & alias Civitates, Terras, & loca, vel jura ad ipsam Romanam Ecclesiam pertinentia, dictæque Rom. Eccl. mediatè subjecta, nec non supremam jurisdictionem in illis Nobis, & eidem Romanæ Ecclesiæ competentem de facto usurpare, perturbare, retinere, & vexare variis modis præsumunt: nec non adhærentes, fautores, & defensores eorum, seu illis auxilium, consilium, vel favorem quomodolibet præstantes.

Præsentes processus usque ad aliorum similium emanationem duraturi.

Volentes præsentes Nostros processus, ac omnia, & quæcunque in his Litteris contenta, quousque alii hujusmodi processus à Nobis, aut Rom. Pont. pro tempore existente fiant, aut publicentur, durare, suosque effectus omninò sortiri.

Absolutio reservata.

§. 21. Cæterùm à prædictis sententiis nullus per alium quàm per Rom. Pont. nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc de stando Ecclesiæ mandatis, & satisfaciendo cautione præstitâ, absolvi possit, etiam prætextu quarumvis facultatum, & indultorum quibuscunque personis Ecclesiasticis Secularibus, & quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium, ac Militiarum Regularibus, etiam Episcopali, vel aliâ majori dignitate præditis, ipsisque Ordinibus, & eorum Monasteriis, Conventibus, & Domibus, ac Capitulis, Collegiis, Confraternitatibus, Congregationibus, Hospitalibus, & locis piis, nec non Laicis, etiam Imperiali, Regali, & aliâ mundanâ excellentiâ fulgentibus, per Nos, & dictam

Sedem,

Sedem, ac cujusvis Concilii Decreta, verbo, Litteris, aut aliâ quâcunque scripturâ in genere, vel in specie concessorum, & innovatorum, aut concedendorum, & innovandorum. Quod si fortè aliqui contrà tenorem prædictum talibus excommunicatione, & anathemate laqueatis, vel eorum alicui absolutionis beneficium impendere, de facto præsumpserint, eos excommunicationis sententiâ innodamus, gravius contrà eos spiritualiter, & temporaliter, prout expedire noverimus, processuri.

Sub pœnâ excommunicationis sententiæ.

§. 22. Declarantes, ac protestantes, quamcunque absolutionem, etiam solemniter per Nos faciendam, prædictos excommunicatos, sub præsentibus comprehensos, nisi priùs à præmissis cum vero proposito ulteriùs similia non committendi destiterint; ac quoad eos, qui contrà Ecclesiasticam Libertatem, ut præfertur, Statuta fecerint, nisi priùs Statuta, Ordinationes, Constitutiones, Pragmaticas, & Decreta hujusmodi publicè revocaverint, & ex Archiviis, seu capitularibus locis, aut libris, in quibus annotata reperiuntur deleri, & cassari, ac Nos de revocatione hujusmodi certiores fecerint, eos non comprehendere, nec eis aliter suffragari, quin etiam per hujusmodi absolutionem, aut quoscunque alios actus contrarios, tacitos, vel expressos, ac etiam per patientiam, & tolerantiam Nostram, vel Successorum Nostrorum quantocunque tempore continuatam, in præmissis omnibus, & singulis, ac quibuscunque juris Sedis Apost. ac S.R.E. undecunque, & quandocunque quæsitis, vel quærendis nullatenùs præjudicari posse, aut debere.

S. Sedis absolutio ante restitutionem & revocationem nemini suffragetur.

§. 23. Non obstantibus privilegiis, Indulgentiis indultis, & Litteris Apostolicis generalibus, vel specialibus suprà dictis, illis vel eorum alicui, seu aliquibus aliis cujuscunq; ordinis, status, vel conditionis, dignitatis, & præeminentiæ, etiamsi, ut præfertur Pontificali, Imperiali, Regali seu quâvis ecclesiasticâ, & mundanâ præfulgeant dignitate, vel eorum Regnis, Provinciis, Civitatibus, seu locis, à prædicta Sede, ex quavis causa, etiam per viam contractus, aut remunerationis, & sub quavis alia forma, & tenore, ac cum quibusvis clausulis, etiam derogatariarum derogatoriis concessis, etiam continentibus, quòd excommunicari, anathematizari, vel interdici non possint, per Litteras Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de privilegiis, Indulgentiis, & indultis hujusmodi, ac de ordinibus, locis, nominibus propriis, cognominibus, & dignitatibus eorum mentionem, nec non consuetudinibus, etiam immemorabilibus, ac præscriptionibus quantumcunque longissimis, & aliis quibuslibet observantiis, scriptis, vel non scriptis, per quæ contrà hos Nostros processus, ac sententias, quò minùs includantur in eis, se juvare valeant vel tueri. Quæ omnia quoad hoc, eorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitùs omisso, insererentur, præsentibus pro expressis habentes, penitùs tollimus, & omninò revocamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Derogatio contrariis.

§. 24. Ut verò præsentes Nostri processus ad publicam omnium notitiam faciliùs deducantur, chartas, seu membranas Processus ipsos continentes, Basilicæ S. Jo. Lateran. & Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe appendi faciemus, ut ii, quos processus hujusmodi concernunt, quòd ad ipsos non pervenerint, aut quòd ipsos ignoraverint, nullam possint excusationem prætendere, aut ignorantiam allegare, cum non sit verisimile, id remanere incognitum, quod tàm patenter omnibus publicatur. Insuper, ut processus ipsi, & præsentes Litteræ, ac omnia, & singula in eis contenta eò fiant notiora, quò in plerisque Civitatibus, & locis fuerint publicata, universis, & singulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & locorum Ordinariis, & Prælatis, ubilibet constitutis, pe. hæc scripta committimus, & in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, ut per se, vel alium, seu alios præsentes Litteras, postquàm eas receperint, seu earum habuerint notitiam, semel in anno, aut si expedire viderint, etiam pluries in Ecclesiis suis, dum in eis major populi multitudo ad Divina convenerit, solemniter publicent, & ad Christi fidelium mentes reducant, nuncient, & declarent.

Præsentes & nunc & posthac quotannis solenniter publicandæ.

§. 25. Cæterùm Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, aliique locorum Ordinarii, & Ecclesiarum Prælati, nec non Rectores, cæterique curam animarum exercentes, ac Presbyteri Seculares, & quorumvis Ordinum Regulares ad audiendas peccatorum confessiones, quâvis autoritate deputati, transsumptum præsentium Litterarum penes se habeant, easque diligenter legere, & percipere studeant.

Personæ Ecclesiasticæ præsentium transsumptum penes se habeant.

Volentes earumdem præsentium transsumptis, etiam impressis, Notarii publici manu subscriptis, & sigillo Judicis Ordinarii Romanæ Curiæ, vel alterius personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ munitis, eandem prorsus fidem in judicio, & extrà illud ubique locorum adhibendam fore, quæ ipsis præsentibus adhiberetur si essent exhibitæ, vel ostensæ.

Transsumptorum fides.

§. 27. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam Nostræ excommunicationis, anathematizationis, interdicti, innovationis, innodationis, declarationis, protestationis, sublationis, commissionis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicæ Millesimo sexcentesimo octuagesimo nono decimo Kal. Aprilis, Pontificatus Nostri anno primo.

Sanctio pœnalis.

D. 23. Martii 1689. P. A. primo.

II.

Regulæ, Ordinationes, & Constitutiones Cancellariæ Apostolicæ SS. D. N. ALEXANDRI PAPÆ VIII. Editæ Anno 1689.

SAnctissimus in Christo Pater, & D. N. D. Alexander Divinâ Providentiâ Papa VIII. suorum Prædecessorum vestigiis inhærendo, normam, & ordinem rebus gerendis dare volens, in crastinum suæ Assumptionis ad summi Apostolatus apicem, videlicet, die septimâ mensis Octobris anno ab Incarnatione Domini Millesimo Sexcentesimo octogesimo nono, Reservationes, Constitutiones, & Regulas infrascriptas fecit, quas etiam ex tunc, licet nondùm publicatas, & suo tempore duraturas observari voluit, ac quas Nos Alderanus Episcopus Hostiensis Cardinalis Cybo de mandato Sanctitatis Suæ die decimâ octavâ ejusdem mensis in Cancellariâ Apostolicâ publicari fecimus.

Reservationes Generales & Speciales.

I. In primis fecit easdem Reservationes, quæ in Constitutione fel. rec. Benedicti PP. XII. quæ incipit, Ad regimen, continentur, & illas innovavit, ac locum habere voluit, etiamsi Officiales in eadem Constitutione expressi Apostolicæ Sedis Officiales ante obitum eorum esse desierint, quoad Beneficia, quæ tempore quo Officiales erant, obtinebant. Declarans nihilominus Beneficia, quæ dictæ Sedis Officiales, qui ratione Officiorum suorum hujusmodi ejusdem Sedis Notarii erant, etiam dimissis ipsis Officiis, & quandocunque assecuti fuerint, sub hujusmodi Reservationibus comprehendi. Ac reservavit Beneficia, quæ per Constitutionem piæ mem. Joannis PP. XXII. Quæ incipit, Execrabilis, vacant, vel vacare contigerit. Quam Constitutionem, & Reservationem S. S. tàm ad Beneficia obtenta, quàm alia quæcunque, de quibus Ordinarii, & alii Collatores contrà Concilii Tridentini Decreta disposuerunt, & disponent in futurum extendit, & ampliavit, & ea etiam Beneficia omnia dispositioni suæ reservavit, de quibus per dictos Ordinarios, aut alios Collatores contrà ejusdem Concilii Decretorum formam dispositum fuerit, Decernens irritum. &c.

Reservatio Cathedralium Ecclesiarum, & Monasteriorum, ac de tempore vacationis Episcopatuum, vacaturorum Beneficiorum.

II. Item reservavit generaliter omnes Ecclesias Patriarchales, Primatiales, Archiepiscopales, Episcopales, nec non omnia Monasteria Virorum, valorem annuum ducentorum florenorum auri communi æstimatione excedentia, nunc quomodocunque vacantia, & imposterùm vacatura. Et voluit, quod excessus hujusmodi in Litteris exprimatur. Ac etiam reservavit Dignitates, & Beneficia omnia ad collationem, præsentationem, electionem, & quamcunque aliam dispositionem Patriarcharum, Primatum, Archiepiscoporum, & Episcoporum, nec non Abbatum, ac aliorum quorumcunque Collatorum, & Collatricium Secularium, & Regularium quomodolibet (non tamen ad Collationem cum alio, vel aliis, aut etiam ad alterius præsentationem, vel electionem pertinentia) quæ post illorum obitum, aut Ecclesiarum, seu Monasteriorum, vel aliarum Dignitatum suarum dimissionem, seu amissionem, vel privationem, seu translationem, vel aliàs quomodocunque vacaverint, usque ad provisionem Successorum ad easdem Ecclesias, aut Monasteria, vel Dignitates Apostolicâ auctoritate faciendam, & adeptam ab eisdem Successoribus pacificam illorum possessionem quomodolibet vacaverint, & vacabunt in futurum, Decernens irritum. &c.

Extensio Reservationis Beneficiorum per assecutionem pacificam vacaturorum.

III. Item, si qui de Beneficiis Ecclesiasticis præsertim curam animarum habentibus, seu aliàs personalem residentiam requirentibus, dùm pro tempore vacant, Apostolicâ auctoritate provisi, seu providendi, ante illorum assecutionem, alia cum eisdem incompatibilia Beneficia Ecclesiastica, per eos tunc obtenta in fraudem reservationis suæ, resignarent, seu dimitterent, voluit, decrevit, & declaravit, quòd si imposterum quibusvis personis de aliquibus Beneficiis Ecclesiasticis, tunc vacantibus, seu vacaturis, per Sanctitatem Suam, aut ejus auctoritate providendos intrà vacationis, & provisionis, seu assecutionis eorumdem Beneficiorum tempora quæcunque alia cum illis incompatibilia Beneficia Ecclesiastica Secularia, vel quorumvis Ordinum, ac etiam Hospitalium Regularia per eos tunc obtenta, nullâ speciali, & expressâ de eisdem in provisionibus prædictis factâ mentione, simpliciter, vel causâ permutationis, ac aliàs quomodolibet, sivè in Sanctitatis suæ, vel alterius Romani Pontificis pro tempore existentis, aut Legatorum, vel Nunciorum dictæ Sedis, sivè Ordinariorum, vel aliorum Collatorum quorumcunque manibus resignare, seu dimittere, aut juribus sibi in illis, vel ad illa competentibus cedere contigerit, omnes, & singulæ concessiones, collationes, provisiones, & quævis aliæ dispositiones de Beneficiis, seu juribus sic resignandis, dimittendis, & cedendis pro tempore faciendæ, cum indè sequutis quibuscunque, cassæ, & irritæ, nullíusque roboris, vel momenti existant, nec cuiquam suffragentur, sed beneficia, & jura, ut præfertur, resignata, dimissa, & cessa eo ipso vacent; ac sub Reservatione prædictâ, quam Sanctitas Sua, etiam quoad hoc extendit, & ampliavit comprehensa censeatur. Ita quòd de illis per alium, quàm per eamdem Sanctitatem Suam, vel pro tempore existentem Romanum Pontificem nullatenus disponi possit, in omnibus, & per omnia perinde, ac si per pacificam assecutionem Beneficiorum aliorum hujusmodi verè, ac realiter vacavissent. Ac ulterius voluit, Beneficium de quo resignans fuerit auctoritate Apostolicâ provisus, ac per cujus assequutionem Beneficia vacare debeant, ut prius vacare, perinde, ac si collatio favore resignantis facta non fuisset, salvis tamen quibuscunque juribus competentibus alteri parti, ad cujus favorem facta esset resignatio, etiam ex causâ permutationis, summariè, simpliciter, & appellatione remotâ exercendis. Decernens irritum &c. attentari.

Reservatio Dignitatum, nec non suorum, & S. R. E. Cardinalium familiarium, beneficiorum.

IV. Item reservavit generaliter dispositioni suæ omnes Dignitates majores post Pontificales, in Cathedralibus etiam Metropolitanis, & Patriarchalibus, nec non valorem decem florenorum auri communi æstimatione excedentes principales in Collegiatis Ecclesiis. Reservavit etiam Prioratus, Præposituras Præpositatus, ac alias Dignitates Conventuales, & Præceptorias generales Ordinum quorumcunque (sed non Militiarum) ac quæcunque Beneficia, quæ sui, etiam dùm Cardinalatus fungebatur honore existentes, ac S. R. E. viventium nunc, & qui erunt pro tempore Cardinalium familiares continui commensales obtinent, & in posterum obtinebunt, eorum familiaritate durante, ac in quibus, seu ad quæ jus eis competit, aut competierit, etiamsi ab ipsâ familiaritate per obitum Cardinalium eorumdem, vel aliàs recesserint. Declarans Dignitates, quæ in Cathedralibus, etiam Metropolitanis, post Pontificales non majores existunt, & quæ ex Apostolicæ Sedis Indultgentiâ, vel ordinariâ auctoritate aut consuetudine præscripta, vel aliàs quovis modo in quibuscunque Collegiatis Ecclesiis principalem præeminentiam habere noscuntur, sub Reservatione prædictâ comprehendi debere. Decernens irritum &c.

Reservatio Beneficiorum Collectorum, & Subcollectorum.

V. Item reservavit generaliter omnia, & singula Beneficia Ecclesiastica quorumcunque Collectorum, & Unicorum in quâcunque Civitate, vel Diœcesi, qui suo tempore Officia exercuerint, Subcollectorum fructuum, & proventuum Cameræ Apostolicæ debitorum, illa videlicet Beneficia dumtaxat, quæ durante eorum Officio obtinebant, & in quibus, seu ad quæ jus eis competebat. Decernens irritum, &c.

Reservatio Beneficiorum Curialium dùm Curia transfertur.

VI. Item reservavit omnia & singula Beneficia Ecclesiastica quorumcunque Curialium, quos, dùm Curia Romana de loco ad locum transfertur eam sequendo, decedere contigerit in quovis loco, quantumcunque etiam à dictâ Curiâ remoto. Decernens irritum, &c.

Reservatio Beneficiorum Cubiculariorum, & Cursorum.

VII. Item reservavit generaliter idem D. N. PP. dispositioni suæ omnia Beneficia Cubiculariorum, etiam honoris nuncupatorum, ac Cursorum suorum, declarans in Prædecessorum suorum Romanorum Pontificum Constitutionibus, & Regulis reservatoriis Beneficiorum Cubiculariorum, etiam Cubicularios honoris nuncupatos, etiam à die earum editionis, & publicationis intelligi, & comprehendi, ac comprehensos fuisse, & esse. Irritum &c. attentari decernens.

Reservatio Beneficiorum Ecclesiarum S. Joannis Lateranen. & S. Petri, ac Beatæ Mariæ Majoris de Urbe, & Beneficiorum titulorum Cardinalium à Curiâ absentium.

VIII. Item reservavit dispositioni suæ generaliter quoscunque Canonicatus, & Præbendas, ac Dignitates, Personatus, & Officia in S. Jo. Lateranensis, & Principis Apostolorum, ac Beatæ Mariæ Majoris de Urbe Ecclesiis, nec non ad collationem, provisionem, & præsentationem, seu quamvis aliam dispositionem S. R. E. Cardinalium à Romanâ Curiâ absentium, ratione suorum Episcopatuum, Cardinalatus, ac ipsorum Cardinalium titulorum, & Diaconiarum spectantia, quamdiu absentia hujusmodi duraverit, Cano-

nicatus

nicatus & Præbendas, Dignitates, Perſonatus, Adminiſtrationes, & Officia, cæteraque Beneficia Eccleſiaſtica cum curâ, & ſine curâ vacantia, ac in anteà vacatura, tàm in eadem Urbe, quàm in Eccleſiis, Civitatibus, ac Diœceſibus dictorum Epiſcopatuum conſiſtentia, ac decrevit irritum &c.

Reſervatio menſium Apoſtolicorum & Alternativa pro Epiſcopis reſidentibus.

IX. Item cupiens SS. D. N. PP. pauperibus Clericis, & aliis benemeritis perſonis providere, omnia Beneficia Eccleſiaſtica cum curâ, & ſine curâ ſecularia, & quorumvis Ordinum regularia qualitercunque qualificata, & ubicunque exiſtentia, in ſingulis Januarii, Februarii, Aprilis, Maji, Julii, Auguſti, Octobris, Novembris menſibus, uſque ad ſuæ voluntatis beneplacitum extrà Romanam Curiam aliàs quàm per reſignationem quocunque modo vacatura, ad collationem, proviſionem, præſentationem, electionem, & quamvis aliam diſpoſitionem quorumcunque Collatorum, & Collatricum Secularium, & quorumvis Ordinum Regularium (non tamen S. R. E. Cardinalium, aut aliorum ſub Concordatis inter Sedem Apoſtolicam, & quoſcunque alios initis, & per eos, qui illa acceptare, & obſervare debuerant acceptatis, & obſervatis, quæ lædere non intendit, comprehenſorum) quomodolibet pertinentia, diſpoſitioni ſuæ generaliter reſervavit. Volens in ſupplicationibus, ſeu conceſſionibus gratiarum, quæ de dictis Beneficiis tunc vacantibus, etiam motu proprio fient, de menſe, in quo vacaverint diſpoſitivè mentionem fieri; alioquin gratias nullas eſſe. Ac conſuetudines etiam immemorabiles, optandi majores, & pinguiores Præbendas, nec non privilegia etiam in limine erectionis conceſſa, & indulta Apoſtolica circà ea, ac etiam diſponendi de hujuſmodi Beneficiis, aut quod illa ſub hujuſmodi reſervationibus nunquam comprehendantur, etiam cum quibusvis derogatoriarum derogatoris, & fortioribus, efficacioribus, & inſolitis clauſulis, nec non irritantibus, & aliis Decretis, quorum tenores pro expreſſis haberi, & latiſſimè extendi voluit, quibusvis perſonis, & Collegiis, cujuſcunque Dignitatis, ſtatus, gradus, Ordinis, & conditionis exiſtentibus, quomodolibet conceſſa, adverſus Reſervationem hujuſmodi minimè ſuffragari; Inſuper Sanctitas Sua ad gratificandum Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis intenta ipſis quamdiu apud Eccleſias, aut Diœceſes ſuas verè, & perſonaliter reſederint, dumtaxat de omnibus, & quibuſcunque Beneficiis Eccleſiaſticis cum curâ ſecularibus, & regularibus (ad liberam ipſorum dumtaxat, non autem aliorum cum eis diſpoſitionem, ſeu præſentationem, vel electionem, nec etiam cum conſilio, vel conſenſu, ſeu interventu Capitulorum, vel aliorum, aut aliàs pertinentibus) quæ in anteà in menſibus Februarii, Aprilis, Junii, Auguſti, Octobris, & Decembris extrà curam ipſam vacare contigerit (dummodò aliàs diſpoſitioni Apoſtolicæ reſervata, vel affecta non fuerint) liberè diſponendi facultatem tempore ſui Pontificatus tantùm duraturam conceſſit. Ac etiam voluit, ut ſi ipſi in collatione, aut aliâ diſpoſitione Beneficiorum in aliis ſex menſibus, videlicet Januarii, Martii, Maji, Julii, Septembris, & Novembris vacaturorum (quæ etiam diſpoſitioni ſuæ, ut præfertur, reſervavit) ſeu etiàm aliorum, diſpoſitioni ſuæ & dictæ Sedis aliàs quomodolibet reſervatorum, vel affectorum ſeſe intromiſerint, aut quo minus proviſiones & gratiæ Sanctitatis Suæ de illis debitum effectum conſequantur, impedimentum quoquomodo præſtiterint, uſu, & Beneficio prædictæ facultatis eo ipſo privati exiſtant, ac collationes, & aliæ diſpoſitiones de Beneficiis illius prætextu deinceps faciendæ nullius ſint roboris, vel momenti. Illi verò qui gratiam alternativæ prædictæ acceptare voluerint, acceptationem hujuſmodi per patentes Litteras manu propriâ ſubſcriptas, ſuoque ſigillo munitas & in ſuâ quiſque Civitate, vel Diœceſi datas declarare, & Litteras ipſas huc ad Datarium Sanctitatis Suæ tranſmittere teneantur, quibus ab eo receptis, & recognitis, ac in libro ad id deputato regiſtratis, tunc demùm, & non anteà, uti incipiant gratiâ ſupradictâ. Inſuper declaravit, quòd ſi idem Epiſcopus pluribus Eccleſiis quomodocunque unitis ex Apoſtolicâ conceſſione, & diſpenſatione quomodocunque præſit, teneatur hujuſmodi alternativæ gratiam, quatens eâ potiri velit, utriuſque Eccleſiæ nomine explicitè acceptare, aliàs illi non ſuffragetur. Et poſt factam acceptationem, & admiſſionem in Datario neutri parti liceat niſi concordi conſenſu ab eâ recedere. Declarans præterea exceptionem poſitam in Regulâ favore S.R.E. Cardinalium, & indultum conferendi Beneficia reſervata conceſſum Cardinali Epiſcopo, non ſuffragari Capitulo ratione communionis, & conſortii juxtà declarationem fel. recor. Urbini PP. VIII. Prædeceſſoris ſui editam die decimâ Septembris anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo ſexto, quam Sanctitas Sua in omnibus, & per omnia approbat. Decernens ſic in præmiſſis omnibus per quoſcunque &c. judicari debere ac irritum &c.

De Litteris in formâ, Rationi congruit expediendis.

X. Item voluit idem D. N. Papa quòd, conceſſa per fel. rec. Innocentium Undecimum Prædeceſſorum ſuum, & de ejus mandato expediantur in formâ, Rationi congruit, &c. ſub die Coronationis ſuæ, ut moris eſt, & idem quoad conceſſa per piæ memoriæ Clem. X. etiam Prædeceſſorem ſuum ad ſex menſes dumtaxat ab ipſo die Coronationis incipiendo, obſervari voluit.

Declaratio reſervationis Eccleſiarum, & Beneficiorum per Prædeceſſores reſervatorum.

XI. Item declaravit omnium & ſingularum Eccleſiarum Cathedralium, & Monaſteriorum proviſiones, quas prædicti Prædeceſſores ſui, ordinationi, & diſpoſitioni eorum, nec non omnia, & ſingula Beneficia Eccleſiaſtica, quæ dicti Prædeceſſores etiam prædictæ diſpoſitioni cum interpoſitione Decreti reſervaverant (quæ quidem Eccleſiæ, Monaſteria, nec non ſic reſervata Beneficia tempore obitus eorundem Prædeceſſorum vacabant, aut Eccleſiæ ipſæ, vel Monaſteria hujuſmodi, ſi commendata, vel eis Adminiſtratores deputati non fuiſſent, etiam tunc vacaſſent) remanſiſſe, & remanere per hujuſmodi Reſervationem, & Decretum affecta, nullumque de illis præter Romanum Pontificem eâ vice ſe intromittere, vel diſponere potuiſſe, ſivè poſſe, quoquo modo. Decernens irritum, & inane, ſi ſecùs ſuper illis attentatum forſan erat tunc, vel impoſterum contingeret attentari.

Revalidatio Litterarum Prædeceſſoris gratiæ, & juſtitiæ infrà annum conceſſarum.

XII. Item prædictus D. N. omnes, & ſingulas ab Innocentio XI. Romano Pontifice Prædeceſſore ſuo infra annum ante diem ejus obitus conceſſas gratiæ vel juſtitiæ Litteras temporibus debitis earum Executoribus, ſeu Judicibus non præſentatas omninò revalidavit, & in ſtatum priſtinum, in quo videlicet anteà fuerant, vel pro quibus erant obtentæ, quoad hoc plenariè reſtituit, ac decrevit per Executores, ſeu Judices prædictos, vel ab eis ſubdelegandos ad expeditionem negotiorum in eis contentorum procedi poſſe, & debere juxtà illarum formam.

Revocatio Unionum.

XIII. Item rationalibus suadentibus causis ipse D. N. omnes uniones, annexiones, incorporationes, suppressiones, extinctiones, applicationes, & dismembrationes, etiam perpetuas, de quibusvis Cathedralibus, nec non aliis Ecclesiis, Monasteriis, Dignitatibus, Personatibus, Officiis, & Beneficiis Ecclesiasticis, eorumve domibus, prædiis, & locis per cessum, vel decessum, aut aliam quamvis dimissionem, vel amissionem, qualiacumfuerint, invicem, vel aliis Ecclesiis, Monasteriis, & Mensis etiam Capitularibus, Dignitatibus, Personatibus, Officiis, Beneficiis, ac piis, & aliis locis, Universitatibus etiam studiorum generalium, & Collegiis, etiam in favorem S. R. E. Cardinalium, seu Ecclesiis, Monasteriis, & Beneficiis per eos obtentis quomodolibet Apostolica, vel aliâ quavis (non tamen Concilii Tridentini auctoritate, nec non pro fundatione, seu dotatione, augmento vel conservatione Collegiorum, & aliorum piorum, & religiosorum locorum ad Fidei Catholicæ defensionem, & propagationem, bonarumque artium cultum institutorum) factas, quæ suum non sunt sortitæ effectum: Ac quascumque concessiones, & mandata super unionibus, annexionibus, incorporationibus & aliis præmissis taliter faciendis, cassavit & irritavit, nulliusque decrevit existere firmitatis. Nec alicui quascunque clausulas, vel adjectiones, aut Decreta, quæ Sanctitas Sua pro expressis haberi voluit in quibusvis Apostolicis, etiam quæ motu proprio, aut ex certâ scientiâ, & consistorialiter processerunt, & emanarunt Litteris; etiamsi in eis decretum esset, illas ex tunc effectum sortitas esse, aut jus quæsitum fore quomodolibet contentæ adversùs revocationem, & irritationem hujusmodi voluit aliquatenùs suffragari. Decernens irritum &c.

Revocatio facultatum quibusvis concessarum.

XIV. Item revocavit quascumque facultates concessas quibusvis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Prælatis, & Personis, nec non Apostolicæ Sedis Nunciis, ac fructuum, & proventuum Cameræ Apostolicæ debitorum Collectoribus, de dispensando cum quibusvis personis super matrimonio contracto, vel contrahendo in gradu prohibito, ac natalium, & ætatis defectibus, & de incompatibilibus Beneficiis Ecclesiasticis insimul retinendis, nec non de Notariis publicis creandis, ac de disponendo quomodolibet de quibusvis Beneficiis Ecclesiasticis, & aliàs à præmissis officia ipsorum Nunciorum, & Collectorum directè non concernentes, etiamsi in Litteris desuper confectis sint clausulæ restitutoriæ, & derogatoriæ, & aliæ efficaciores, quas pro expressis haberi voluit quoad omnia, in quibus facultates ipsæ non sunt sortitæ effectum, etiamsi Nunciis eisdem, dictæ Sedis Legatis de Latere competens sit concessa potestas. Decrenens irritum &c.

Revocatio facultatum conferendi Beneficia reservata.

XV. Item revocavit quascunque facultates, & Litteras desuper confectas, per quas quicunque sui Prædecessores Romani Pontifices quibusvis personis ordinariam collationem, seu aliam dispositionem Beneficiorum Ecclesiasticorum de jure, vel consuetudine habentibus, & quâvis etiam Patriarchali, Archiepiscopali, Episcopali, vel alia dignitate, vel alio, non tamen Cardinalatus honore fulgentibus, quavis consideratione, vel intuitu, etiam motu proprio, & ex certâ scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine cum quibusvis clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, ac irritantibus, & aliis Decretis, quorum tenores haberi voluit pro expressis, concesserant, ut quamdiu viverent, vel suis Ecclesiis, seu Monasteriis præessent, aut ad illud tempus de Beneficiis Ecclesiasticis generaliter reservatis, seu affectis ad eorum collationem, provisionem, præsentationem, electionem & quamvis aliam dispositionem communiter, vel divisim spectantibus, disponere liberè, & licitè valerent, aut etiam ad id per eosdem Prædecessores Vicarii perpetui, vel ad tempus constituti forent. Decernens irritum, & inane &c.

De dictionibus numeralibus.

XVI. Item ut in Apostolicis Litteris committendi crimen falsi per amplius tollatur occasio, voluit & ordinavit, quod dictiones numerales, quæ in dictis Litteris ante Nonas, Idus, & Kalendas, immediatè poni consueverunt, per litteras, & syllabas extensè describantur, & illæ ex prædictis Litteris, in quibus hujusmodi dictiones aliter scriptæ fuerint, ad Bullariam nullatenus mittantur.

De concurrentibus in data,

XVII. Item voluit quod de concurrentibus in data ejusdem diei super vacantibus seu certo modo vacaturis Beneficiis, illi, quibus gratiæ, motu proprio conceduntur, cæteris simili modo gratias non habentibus, aliàs graduati non graduatis, aut inter graduatos priùs graduati, nec non colorato titulo possessores non possessoribus, ac inter personas alias in Curia præsentes, absentibus ab ea, ac inter præsentes non beneficiati beneficiatis, & similiter inter absentes, cæteris paribus, oriundus non oriundo, & Diœcesanus non Diœcesano, in reliquis verò singuli, qui prius Apostolicas desuper litteras eorum Executoribus præsentaverint, aliis in ipsorum, de quibus agi contigerit, Beneficiorum assecutione præferantur.

De non tollendo jus quæsitum.

XVIII. Item ne per varias, quæ pro commissionibus, seu mandatis, & declarationibus habendis in causis plerumque fiunt suggestiones, justitia postponatur, Idem D. N. decrevit, & declaravit, suæ intentionis fore, quòd deinceps per quamcumque signaturam seu concessionem, aut gratiam, vel Litteras Apostolicas pro commissionibus, seu mandatis, aut declarationibus hujusmodi, etiamsi motu proprio, & ex certâ scientiâ, ac etiam ante motam litem à Sanctitate Suâ emanaverint, vel de ejus mandato faciendas nulli jus sibi quæsitum quomodolibet tollatur.

Regula de Viginti.

XIX. Item voluit, quod si quis in infirmitate constitutus resignaverit, sivè in Romanâ Curiâ, sivè extrà illam, aliquod Beneficium, sivè simpliciter, sivè ex causa permutationis vel aliàs dimiserit, aut illius commendæ cesserit, seu ipsius Beneficii unionis dissolutioni consenserit, etiam vigore supplicationis, dum esset sanus, signatæ, & postea infra viginti dies à die per ipsum resignantem præstandi consensu computandos de ipsâ infirmitate decesserit, & ipsum Beneficium, quavis auctoritate conferatur per resignationem sic factam, collatio hujusmodi sit nulla, ipsumque Beneficium nihilominùs per obitum censeatur vacare.

De Idiomate.

XX. Item voluit quod si contingat tàm in Curiâ quam extrà alicui personæ de Parochiali Ecclesiâ, vel quovis alio Beneficio exercitium curæ animarum Parochianarum quomodòlibet habente provideri, nisi ipsa persona intelligat, & intelligibiliter loqui sciat idioma loci, ubi Ecclesia, vel Beneficium hujusmodi consistit, provisio, seu mandatum, & gratia desuper quoad Parochialem Ecclesiam, vel Beneficium hujusmodi nullius sint roboris, vel momenti. Decernens, irritum &c.

De non impetrando Beneficium per obitum viventis.

XXI. Item si quis supplicaverit sibi de Beneficio quocunque tanquam per obitum alicujus, licèt tunc viventis, vacante provideri, & posteà per obitum ejus vacet, provisio & quævis dispositio etiam vigore alterius novæ supplicationis, vel gratiæ dicto supplicanti per obitum hujusmodi denuò faciendæ, nullius sint roboris, vel momenti.

De unionibus, & unionum confirmatione.

XXII. Item voluit quod petentes Beneficia Ecclesiastica aliis uniri, teneantur exprimere verum annuum valorem secundùm communem æstimationem,

nem, tam Beneficii uniendi quàm illius, cui uniri petitur; alioquin unio non valeat, & semper in unionibus commissio fiat ad partes, vocatis quorum interest: Et idem voluit observari in quibusvis suppressionibus, perpetuis concessionibus, dismembrationibus, & applicationibus, etiam de quibuscunque fructibus, & bonis Ecclesiasticis, ac etiam in confirmationibus unionum, singularumque dispositionum hujusmodi.

De Mendicantibus transferendis.

XXIII. Item de Mendicantibus transferendis, qui ad alios Ordines transierint pro tempore, voluit Constitutionem fel. record. Martini Papæ V. Prædecessoris sui desuper factam, & in Libro Cancellariæ Apostolicæ descriptam, quæ incipit; Viam ambitiosæ cupiditatis &c. firmiter observari.

De malè promotis.

XXIV. Item de Clericis extra tempora à jure statuta, sivè ante ætatem legitimam, aut absque dimissoriis Litteris ad sacros Ordines se promoveri facientibus pro tempore, etiam voluit Constitutionem piæ mem. Pii Secundi similiter Prædecessoris sui desuper editam, & in dictæ Cancellariæ Apostolicæ Libro descriptam, quæ incipit, Cum ex Sacrorum Ordinum &c. pari modo observari.

De monetâ.

XXV. Item declaravit idem Dominus Noster, quòd Libra Turonensium parvorum, & florenus auri de Camerâ pro æquali valore in concernentibus Litteras, & Cameram Apostolicam computari, & æstimari debeant.

De Beneficiis vacaturis per promotionem ad Ecclesias, & Monasteria.

XXVI. Item prædictus D. N. Papa voluit, decrevit, & ordinavit, quòd quæcunque concessiones, gratiæ, & mandata, etiam motu proprio, & cum derogatione hujus Constitutionis, quæab eo pro quibusvis personis emanaverint de providendo eis de quibusvis Beneficiis vacaturis per promotionem quarumcunque ad Ecclesiarum, & Monasteriorum regimina, si hujusmodi concessiones, & mandata diem promotionis promovendorum ipsorum præcesserint, nec non quæcunque collationes, provisiones, & dispositiones pro tempore faciendæ de præmissis, & quibusvis aliis Beneficiis Ecclesiasticis secularibus, & regularibus, quæ per promovendos, vel assumendos ad quascunque Prælaturas inter illarum vacationis, & hujusmodi promotionis, vel assumptionis tempora simpliciter, vel ex causa permutationis ubicunque resignari, vel aliàs dimit ticontigerit, cum inde sequutis pro tempore sint cassæ, & irritæ, nulliusque roboris, vel momenti.

De non judicando juxtà formam supplicationum, sed Litterarum expeditarum.

XXVII. Item cùm ante confectionem Litterarum gratia Apostolica sit informis, voluit, statuit, & ordinavit idem Dominus Noster, quod Judices in Romanâ Curiâ, & extra eam pro tempore existentes, etiamsi sint S. R. E. Cardinales, causarum Palatii Apostolici Auditores, vel quicumque alii, non juxta supplicationum signaturam super quibusvis impetrationibus (nisi in dictâ Curiâ dumtaxat sint commissiones justitiam concernentes per Placet, vel per S. R. E. Vicecancellarium juxtà facultatem super hoc sibi concessam signatæ) sed juxtà Litterarum super eisdem impetrationibus, & concessionibus confectarum tenores, & formas judicare debeant. Decernens irritum &c. Et si Litteræ ipsæ per præoccupationem, vel aliàs minùs benè expeditæ reperiantur, ad illorum quorum interest instantiam, ad Apologicam Cancellariam remitti poterunt per ejus Officiales, quibus hujusmodi tenores, & formas restringere convenit, ad formas debitas reducendæ.

De Regulis Cancellariæ producendis.

XXVIII. Item attendens D. N. Papa quod super habendis de Cancellaria Apostolica Regulis, & Constitutionibus inibi descriptis faciliter per eos qui in Romana Curia indiguerint, ad ipsam Cancellariam recursus dirigi potest, nec consultum foret quod super earumdem Regularum, & Constitutionum (quæ juxtà varietatem concurrentium causarum, & negotiorum aliquoties immutari convenit) probando tenore, vel effectu testium plerumque tenacem desuper memoriam non habentium depositionibus stari deberet, voluit, statuit, & ordinavit, quòd deinceps quilibet ex Auditoribus causarum Palatii Apostolici, & aliis (etiamsi S. R. E. sint Cardinales) in ipsa Curia pro tempore deputatis auctoritate Apostolica Judicibus, etiam in causis actu pendentibus super hujusmodi tenore, vel effectu probando dumtaxat stet, fidemque adhibeat cedulæ, seu scripturæ desuper à duobus majoris Præsidentiæ, quod danda sit à tergo signatæ, & etiam à duobus aliis Litterarum Apostolicarum Abbreviatoribus in ipsa Cancellaria auscultatæ, & Vicecancellarii seu dictam Cancellariam Regentis manu subscriptæ, ut moris est, quidquid autem secùs fieri contigerit, nullius sit roboris vel momenti.

De subrogandis collitigantibus.

XXIX. Item D. N. cupiens litium succidere anfractus, & ne novi collitigantibus adversarii dentur, providere, voluit, statuit, & ordinavit, quod quoties deinceps aliquem super quovis Beneficio Ecclesiastico collitigantem in jure, vel ad jus, si quod forsan ejus adversario in dicto Beneficio competierit, subrogari contigerit (dummodò prædictus collitigans in dicto Beneficio intrusus non fuerit, nec super eo contrà dictum adversarium postquàm illud per triennium pacificè possederit, lis tunc mota fuerit) aliorum quorumlibet de præmisso jure, sivè tunc vacet, vel cùm vacaverit impetrationes: vel concessiones etiam motu proprio infra mensem ante concessionem hujusmodi factæ, nullius sint roboris, vel momenti. Et nihilominùs cupiens eorum fraudibus obviare, qui viventium Beneficia illrum præfertim, quibus, aut propter senium, aut propter infirmitatem immineret vitæ periculum impetrant, ut illis decedentibus tanquam collitigantes in eorum juribus faciliùs subrogentur; Voluit, ut deinceps nullus in jure, vel ad jus in Beneficio defuncti, quod illo vivente in casibus præmissis, vel similibus impetraverit, aliquo modo subrogetur, ac subrogatio, vel gratia, si neutri, si nulli, seu novæ provisionis, aut perindè valere, taliter impetranti nullatenus suffragetur. Quod etiam, strictissimè observari mandavit in impetrationibus Beneficiorum per privationem, amotionem ex quibusvis criminibus, & excessibus forsan perpetratis, etiamsi usque ad definitivam sententiam, quæ tamen in rem non transiverit judicatam, processum foret.

De verisimili notitiâ.

XXX. Item voluit, & ordinavit, quòd omnes gratiæ, quas de quibusvis Beneficiis Ecclesiasticis cum curâ, vel sinè curâ secularibus, vel regularibus per obitum quarumcumque personarum vacantibus, in anteà fuerit, nullius roboris, vel momenti sint, nisi post obitum, & ante datam gratiarum hujusmodi tantum tempus effluxerit, quòd interim vacationes ipsæ de locis, in quibus personæ prædictæ decesserint, ad notitiam ejusdem S. D. N. verisimiliter potuerint pervenisse.

Non valeant commissiones causarum, nisi Litteris expeditis.

XXXI. Item quòd omnes, & singulæ commissiones causarum, quas in anteà fieri contigerit, obtentæ, vel occasione concessionum dumtaxat Apostolicarum, de beneficiis Ecclesiasticis gratiarum, super quibus Litteræ Apostolicæ confectæ non fuerint, ac processus desuper habendi, nullius sint roboris vel momenti.

De impetrantibus Beneficia per obitum familiarium Cardinalium.

XXXII. Item voluit, quod impetrans Beneficium vacans per obitum familiaris alicujus Cardinalis, teneatur exprimere nomen, & titulum ipsius Cardinalis, si ille in Curia fuerit, ipsius ad id accedat assensus, aliàs desuper gratia sit nulla, &

idem

idem ſervari voluit, ſi Cardinales quomodolibet ab ipſa Curia abſentes, & ubilibet etiam in locis infrà duas dietas vicinis degentes, familiamque, & lares in eadem Curia retinentes, ab ipſa Curia receſſerint, ad eamdem illicò reverſuri, & infrà decem, vel ad ſummam quindecim dies verè, & perſonaliter reverſi fuerint. Ita quòd Cardinalibus aliàs quàm, ut præfertur, ex quacunque cauſa, quantumlibet neceſſaria, & hic neceſſario exprimenda abſentibus, facultas præſtandi conſenſum hujuſmodi, non competat, ſed Beneficia hujuſmodi ad liberam Sanctitatis Suæ, & Sedis Apoſtolicæ proviſionem, & diſpoſitionem pertineant. Declarans Regulas, & Conſtitutiones ſuorum Prædeceſſorum, etiam à die earum editionis, & publicationis ſuper aſſenſu hujuſmodi præſtando ſic intellectas, & intelligendas fuiſſe. Irritumque &c. attentari decernens. Quòdque ſi prædicti familiares eorumdem Cardinalium familiares eſſe deſierint, ſeu ad aliorum Cardinalium familiaritatem ſimilem tranſierint, quoad Beneficia, quæ familiaritate priori durante obtinuerint, & in quibus, vel ad quæ priori ipſa familiaritate durante jus eis competierit, Cardinales, quorum priùs familiares fuerint, ſuum debeant adhibere conſenſum. Declarans præſentem Conſtitutionem locum non habere in aliis Beneficiis, quæ familiares ipſi, tempore obitus eorum in dicta Curiâ, vel extrà eam obtinerent, aut anteà obtinuiſſent, & ratione Officiorum per eos obtentorum dictæ diſpoſitioni generaliter reſervata, vel affecta fuiſſe apparerent. Nec non illos quoad effectum dictæ Conſtitutionis familiares eorumdem Cardinalium cenſeri, qui ipſorum Cardinalium familiares, continui commenſales ad minus per quatuor menſes, computato etiam tempore ante promotionem ad Cardinalatum, fuiſſe probarentur. Decernens irritum &c.

Super eâdem familiaritate.

XXXIII. Item D. N. ad evitandas lites & contentiones, quæ ex præcedenti ſua Conſtitutione exoriri poſſent, veſtigiis Prædeceſſorum ſuorum inhærendo, voluit, ſtatuit, & ordinavit, quòd ſi beneficia, quæ per obitum familiarium, continuorum commenſalium eorumdem Cardinalium, in futurum vacabunt, ceſſantibus Apoſtolicis reſervationibus ad alterius Cardinalis collationem, vel aliam diſpoſitionem pertinere deberent, in dicta præcedenti Conſtitutione non comprehendantur, quoad hoc, ut in proviſionibus talium Beneficiorum ſuper expeditione Litterarum illius Cardinalis, cujus familiaris defunctus ille extitit, conſenſus requiri debeat; Sed Beneficia hujuſmodi ad collationem, ſeu quamvis diſpoſitionem Cardinalis ordinarii Collatoris, ut præfertur, liberè ſpectare cenſeantur. Et ſi apud Sedem Apoſtolicam Beneficia hujuſmodi per obitum dictorum familiarium vacaverint, tunc in proviſione talium Beneficiorum, ſuper expeditione Litterarum, illius Cardinalis, exigatur conſenſus, ſi in Romanâ Curiâ præſens fuerit, ad quem eorumdem collatio, & diſpoſitio, ut præfertur, pertinere deberet. Ita ut Cardinalis ordinarius Collator, in concurſu cum Cardinali Patrono ſemper præferri debeat, ſalvis tamen ſemper indultis conceſſis, & concedendis eiſdem S. R. E. Cardinalibus. Decernens irritum &c.

Signatura per Fiat præferatur alteri per conceſſum.

XXXIV. Item voluit idem D. N. quòd concurrentibus eadem die ſuper quocunque Beneficio per Fiat, & conceſſum, ſignaturis, ex eis per Fiat etiam, ut petitur, habens, alteri per conceſſum etiam motu proprio habenti præferatur, etiamſi in illa per conceſſum prægnantiores, & quantumlibet privilegiativæ eſſent clauſulæ.

De annali Poſſeſſore.

XXXV. Item S. D. N. ut improbi lites exquirentium motus reprimantur, voluit, ſtatuit, & ordinavit, quòd quicunque Beneficium Eccleſiaſticum tunc per annum immediatè præcedentem pacificè poſſeſſum, & quod certo modo vacare præ-

tenditur, deinceps impetraverit, nomen, gradum, & nobilitatem poſſeſſoris ejuſdem, & quot annis ipſe illud poſſederit, ac ſpecificam, & determinatam, ex qua clarè poterit conſtare, quòd nullum ipſi poſſeſſori in dicto Beneficio jus competat, cauſam in hujuſmodi impetratione exprimere, & infra ſex menſes ipſum poſſeſſorem ad judicium evocari facere, cauſamque ex tunc deſuper infrà annum uſque ad ſententiam definitivam incluſivè proſequi debeat, & teneatur. Alioquin impetratio prædicta, & quæcunque indè ſequuta nullius exiſtat firmitatis. Et idem impetrans de damnis, & intereſſe poſſeſſorem prædictum propterea contingentibus ei ſatisfacere, & ſi poſſeſſorem ipſum injuſtè, frivolè, & indebitè moleſtare repertus extiterit, quinquaginta florenos auri perſolvere Cameræ Apoſtolicæ ſit adſtrictus, nec alius quàm præmiſſæ vocationis modus etiam per Litteras ſi neutri, aut ſubrogationis, aut aliàs ſibi quoad hoc, ut Beneficium hujuſmodi eâ vice conſequi, aut obtinere valeat, quomodolibet ſuffragetur, illudque nullatenùs in anteà litigioſum propterea cenſeatur. Quod etiam extendi voluit ad impetrantes Beneficia Eccleſiaſtica cujuſcunque qualitatis per privationem, & amotionem, vel aliàs propter commiſſa exceſſus, & crimina vacantia, vel vacatura, & ſimiliter ad impetrantes Beneficia tamquam vacantia per devolutionem.

De Triennali.

XXXVI. Item ſtatuit, & ordinavit idem D. N. quòd ſi quis quæcunque Beneficia Eccleſiaſtica qualiacunque ſint abſque ſimoniaco ingreſſu, ex quovis titulo, Apoſtolicâ, vel ordinariâ collatione, aut electione, & electionis hujuſmodi confirmatione, ſeu præſentatione, & inſtitutione illorum, ad quos Beneficiorum hujuſmodi collatio, proviſio, electio, & præſentatio, ſeu quævis alia diſpoſitio pertinet, per triennium pacificè poſſederit (dummodo in Beneficiis hujuſmodi, ſi diſpoſitioni Apoſtolicæ reſervata fuerint, ſe non intruſerint) ſuper eiſdem Beneficiis taliter poſſeſſis moleſtari nequeat, nec non impetrationes quaſlibet de Beneficiis ipſis ſic poſſeſſis factas, irritas, & inanes cenſeri debere decrevit, antiquas lites ſuper illis motas penitùs extinguendo.

De non appellando ante ſententiam definitivam.

XXXVII. Item idem D. N. ut finis litibus celeriùs imponatur, & litigantium parcatur ſumptibus & expenſis, ſuorum Prædeceſſorum Conſtitutionibus, & Statutis inhærendo, ſtatuit & ordinavit, quòd in cauſis pendentibus, & quas impoſterum contigerit agitari, nulli ante definitivam ſententiam liceat appellare, nec appellatio, ſi fuerit emiſſa, debeat admitti, niſi ab interlocutoriâ, quæ vim habeat definitivæ, vel à gravamine minimè concernente negotium principale, quod non poſſit per appellationem à definitivâ ſententia reparari. Nullæque cauſæ appellationum committentur, niſi in commiſſione exprimatur, quòd interlocutoria vim definitivæ habeat, vel gravamen ſit tale, quod in appellatione à definitivâ non valeat reparari. Alioquin appellationes, & commiſſiones impoſterum, & quicquid indè ſequutum fuerint, nullius ſint roboris, vel momenti, commiſſionibus appellationum jam Judicibus præſentatis, & exhibitis in ſuo robore permanſuris, in quibus latis ſuper eiſdem ſententiis ſecundò, vel ulteriùs ab eis non liceat appellare. Appellantes verò, & appellationes etiam ab interlocutoriis & gravaminibus hujuſmodi, ſuo, vel alterius nomine proſequentes, ſi ſuccubuerint, ultra expenſas, & damna, ad quæ reficienda de jure condemnatus compellitur, viginti florenorum auri pœnâ mulctentur.

Non ſtetur Commiſſioni poſt concluſionem.

XXXVIII. Item ſtatuit, & ordinavit, quòd in Commiſſionibus de juſtitiâ, ſeu mandatis, etiam Conſiſtorialibus, per eum, ſeu de ejus mandato, vel

auctori-

auctoritate in causis, in quibus concluſum exiſtat impoſterum concedendis, etiamſi in eis de concluſione hujuſmodi implicitè, vel explicitè mentio facta fuerit, nihil cenſeatur eſſe conceſſum niſi per conceſſionem hujuſmodi Commiſſionis, eidem concluſioni, ac præſenti Regulæ derogetur expreſſè.

De Litteris Religioſorum expediendis.

XXXIX. Item voluit, & ordinavit, quòd ſi aliqui Religioſi petunt aliquod Beneficium ad nutum amoribile cum clauſulâ, quòd exindè pro ſolo nutu Abbatis, vel Superioris amoveri non poſſint, Litteræ quoad ipſam clauſulam nullatenùs expediantur, niſi idem D. N. ponat in ſignatura, quod non poſſit amoveri, vel ad partem clauſulam ipſam concedat.

De clauſula ponendâ in Litteris permutationis Beneficiorum.

XL. Item ſi committatur alicui Beneficii reſignationis receptio ponatur clauſula; *attentè quoque provideas.* Et ſi ex cauſa permutationis reſignationes fiant, ponatur clauſula, *quod neuter permutantium jus acquirat*, niſi quilibet ipſorum jus habuerit in beneficio per ipſum reſignato.

De ſupplendis defectibus.

XLI. Voluit, quòd ſi petatur ſuppleri defectus in genere, nullatenus Litteræ deſuper concedantur, niſi in petitione deſuper hujuſmodi defectus exprimantur, vel per, Fiat, ut petitur, ſupplicatio ſignata fuerit.

De derogatione Juriſpatronatus.

XLII. Item voluit, quòd ſuper quovis beneficio Eccleſiaſtico de Jurepatronatus Laicorum non expediantur Litteræ, niſi ponatur expreſſè, quòd tale Beneficium tanto tempore vacavit, quòd ejus collatio ad Sedem Avoſtolicam legitimè eſt devoluta, vel quia tempus Patronis Laicis ad præſentandum à Jure præfixum lapſum exiſtat, aut ad id Patronorum ipſorum accedat aſſenſus. Et ſi per ipſum Juri Patronatus huiuſmodi derogari contigerit, Juriſ Patronatus hujuſmodi mentio, diſpoſitivè, ac ſpecificè, & determinatè, non autem conditionaliter fiat, ſi illud ad aliquem Regem, Ducem, Marchionem, vel alium Principem pertineat. Et ſi de hoc in Litteris proviſionis, vel mandato de providendo de dicto Beneficio, ſimilis mentio facta non fuerit, non cenſeatur quomodolibet derogatum.

De Commendis.

XLIII. Item voluit, quòd nulli Seculari de regulari, nec Religioſo de ſeculari Beneficiis Commenda detur, niſi in ſignaturâ per clauſulam ad partem ſuper petitione Commendæ hujuſmodi, de Commendâ ipsâ mentio fiat.

De Reformationibus.

XLIV. Item voluit, ſtatuit, & ordinavit, quòd ſuper quibuscunque Reformationibus ſignatis ſuper impetrationibus quorumcumque Beneficiorum vacantium, vel certo modo vacaturorum, in quibus petitur, quòd Litteræ ſuper primâ datâ expediri poſſint, ſi ex hujuſmodi expeditione ſub tali datâ cuiquam videatur poſſe fieri præjudicium, Litteræ hujuſmodi ſub ipſa primâ datâ nullatenùs expediantur niſi Reformationes hujusmodi per Fiat, ſub primâ datâ ſignatæ fuerint.

De conſenſu in reſignationibus, & penſionibus.

XLV. Item voluit, & ordinavit, quòd ſuper reſignatione cujuſcunque Beneficii Eccleſiaſtici, ſeu ceſſione juris in eâ, quam in manibus ſuis, vel in Cancellaria Apoſtolica fieri contigerit, Apoſtolicæ Litteræ nullatenùs expediantur, niſi reſignans, vel cedens, ſi præſens in Romanâ Curiâ fuerit perſonaliter, alioqui per Procuratorem ſuum ad hoc ab eo ſpecialiter conſtitutum expeditioni hujuſmodi in eadem Cancellaria expreſſè conſenſerit, & juraverit, ut moris eſt. Et ſi ipſum reſignantem, ſeu cedentem pluries ſuper uno, & eodem Beneficio in favorem diverſarum perſonarum ſucceſſivè conſentire contigerit, voluit Sanctitas Sua, quòd primus conſenſus tenere debeat, & alii poſteriores conſenſus, ac Litteræ eorum prætextu, etiam ſub priori data expeditæ, pro tempore nullius ſint roboris, vel momenti, nec Litteræ reſervationis, vel aſſignationis, etiam motu proprio cujuſvis penſionis annuæ, ſuper alicujus Beneficii fructibus expediri poſſint, niſi de conſenſu illius qui penſionem perſolvere tunc debebit.

De ingreſſu Religionis.

XLVI. Item non dentur Litteræ ſuper Beneficiis vacaturis per ingreſſum Religionis, niſi profeſſio præceſſerit datam deſuper petitionis.

Non valet impetratio facta per modum in Cancellariâ exprimendum.

XLVII. Item voluit, quòd ſi petatur aliquod Beneficium vacans per modum in Cancellaria Apoſtolicâ exprimendum, talis impetratio non valeat, nec Litteræ deſuper expediantur.

De executione facienda.

XLVIII. Item voluit, ſtatuit, & ordinavit, quòd quotieſcunque per ſignaturam ſuam, vel de ejus mandato factam, ſuper exequendis aliquibus, cum adjectione proprii nominis, vel dignitatis cujuſvis, Judex datur, Litteræ deſuper expediantur, cum expreſſione, quòd idem Judex executionem faciat pel ſe ipſum.

De diſpenſationibus in gradibus conſanguinitatis.

XLIX. Voluit, quòd in Litteris diſpenſationum ſuper aliquo gradu conſanguinitatis, vel affinitatis, aut aliàs prohibito, ponatur clauſula, ſi mulier rapta non fuerit; Et ſi ſcienter, ponatur clauſula addita in quaterno,

Super defectu natalium.

L. Voluit, quòd in diſpenſationibus ſuper defectu natalium, quòd poſſit ſuccedere in bonis temporalibus, ponatur clauſula, Quòd non præjudicetur illis, ad quos ſucceſſio bonorum ab inteſtato pertinere debeat.

Super diſpenſationibus.

LI. Item quòd per quamcunque ſignaturam in quavis gratiâ, nullatenus diſpenſatio veniat, niſi ſpecialiter exprimatur, vel data gratia totaliter effectum hujuſmodi diſpenſationis concernat, vel aliàs nihil conferat, aut operetur.

Nulli ſuffragetur diſpenſatio, niſi Litteris confectis.

LII. Item, cum conceſſiones ſub gratiis diſpenſationum quarumcunque quibuſvis per ipſum D. N. conceſſerum vel concedendarum per Regulas Cancellariæ Apoſtolicæ ſint providè limitatæ, licèt aliquando in petitionibus ſuper hujuſmodi conceſſionibus oblatis, multa ſint petita, ne quis talium conceſſionum prætextu, id diſpenſativè tenere, aut facere præſumat, ad quod conceſſiones hujuſmodi ſe non extendant, voluit idem D. N. quòd nulla talis diſpenſatio cuiquam in judicio, vel extrà ſuffragetur, antequàm ſuper eâ Litteræ Apoſtolicæ ſint confectæ.

De clauſulis ponendis in Litteris Indulgentiarum.

LIII. Item voluit, quod in Litteris Indulgentiarum ponatur, quod ſi Eccleſiæ, vel Cappellæ, aut aliàs aliqua Indulgentia fuerit conceſſa, de quâ inibi ſpecialis mentio facta non ſit, hujuſmodi Litteræ ſint nullæ.

De Indulgentiis conceſſis ad inſtar.

LIV. Item voluit, idem D. N. quod Litteræ ſuper Indulgentiis non expediantnr ad inſtar, niſi ſpecificentur.

De exprimendo valore Beneficiorum in impetrationibus.

LV. Item voluit quod in gratiis, quas quibuſvis perſonis, de Beneficiis vacantibus, ſeu certo modo vacaturis fieri contigerit, illorum, & aliorum quorumcunque Beneficiorum, quæ dictæ perſonæ tunc obtinuerint, ſeu de quibus eis fuerit proviſum, vel conceſſum, aut mandatum provideri, verus annuus valor per marcas argenti, aut ſterlingorum, vel libras Turonen. parvorum, ſeu florenos auri, aut ducatos, vel uncias auri, ſeu aliam monetam ſecundùm communem æſtimationem exprimatur, niſi perſonæ prædictæ Beneficia, quæ tunc obtinuerint, aut in quibus, vel

ad quæ jus eis competit, juxtà ipſarum oblationes, aut aliàs dimittere teneantur, alioquin gratiæ prædictæ ſint nullæ. Et idem ſervetur in gratiis, quas à Sanctitate Suâ motu proprio emanare contigerit; quoad Beneficia tamen, de quibus per Sanctitatem Suam pro tempore providetur ſeu provideri mandatur, aut aliàs diſponitur, ac Litteris per quas pro tempote ad Eccleſiarum Patriarchalium, & Cathedralium, ac Monaſteriorum regimina promotis conceditur, ut Monaſteria, & alia Beneficia Eccleſiaſtica ſecularia & regularia per eos obtenta, & in quibus, & ad quæ jus eis competit, retinere poſſint.

De Clauſulis in Beneficiis vacantibus ponendis.

LVI. Voluit, & ordinavit quod quando providet, ſeu mandat provideri alicui de Beneficio Eccleſiaſtico vacante, tunc dari poterunt clauſulæ ſi petantur, etiamſi illud quovis modo &c. ſeu per Conſtitutionem Execrabilis vacet, & ſpecialiter reſervatum inter aliquos litigioſum ſit, & ejus collatio devoluta fuerit, & ſi p. o. collitigante vel ſubrogationem, aut ſi neutri, vel ſi nulli &c. petente, ſi tunc lis ſpecificè exprimatur, nec detur aliqua generalis reſervatio diſpoſitivè, niſi deſuper in conceſſione ſpecialis, & expreſſa, ac purè, & non ſub conditione mentio fiat, & tunc reliquæ reſervationes ibi contentæ locum habeant. Si verò tempore expeditionis indè Litterarum generalis reſervatio hujuſmodi probari non poſſit, aut in novis proviſionibus, ſeu pro collitigantibus, ſi neutri, vel ſi nulli &c. Sit expreſſum ſum, quòd ab aliquibus aſſeritur, illum, cujus Beneficium conceditur, Collectorem, vel unicum Subcollectorem, Abbreviatorem, vel familiarem, Notarium, aut dictæ Sedis Officialem fuiſſe, clauſula ponatur, etiamſi dictum Beneficium ex eo, quòd talis Collector, vel unicus Subcollector, Abbreviator, vel familiaris, Notarius, aut dictæ ſedis Officialis fuit, diſpoſitioni Apoſtolicæ generaliter reſervatum exiſtat, dummodo non ſit in eo alicui ſpecialiter jus quæſitum. In reliquis verò nulla clauſula detur, unde reſervatio generalis elici poſſit, niſi deſuper ſignatura per duplex Fiat ſignata ſit, aut reſervatio, vel aliàs ſpecialiter habeatur.

De expreſſione qualitatum Beneficiorum in impetrationibus.

LVII. Voluit quòd ſuper Beneficiis Eccleſiaſticis de qualitatibus illorum, videlicet, an Dignitates, Perſonatus, vel Officia ſint, eiſque immineat cura animarum, & ad illa conſueverint qui per electionem aſſumi, mentio fiat, aliàs gratiæ deſuper factæ ſint nullæ. Et ſi qualitates hujuſmodi affirmativè, vel conditionaliter non exprimantur, negativa expreſsè deſuper fiat in Beneficiis quæ tales qualitates, vel ex eis aliquas conſueverint habere.

De Beneficiis vacantibus per contractum matrimonii.

LVIII. Item ſi reſervetur Beneficium per contractum matrimonii, non dentur alii modi vacationum de futuro, nec cenſeatur beneficium reſervatum ſpecialiter, vel affectum, niſi ſequatur matrimonium, ſed in Beneficiis per promotionem, aut ingreſſum Religionis, vel affecutionem vacaturis, ponatur clauſula, etiamſi non petatur. Cum Beneficia hujuſmodi præmiſſo, vel aliàs quovis modo &c. præterquàm per obitum obtinentis vacare contigerit, etiamſi vacent. Decernens irritum &c.

De clauſulis ponendis in Litteris Religioſorum.

LIX. Item voluit, quòd ſi petatur aliquem in Religionem recipi, & ſibi de quovis Beneficio Eccleſiaſtico provideri, per ſimplicem ſignaturam Fiat, receptio hujuſmodi dumtaxat detur, adjecto, ſi petens idoneus ſit, aut aliud Canonicum non obſiſtat, & exprimatur, ſi certus numerus Regularium ſit ibidem, cui etiam non derogetur, niſi expreſsè concedatur, & ſi numerus iſte non exiſtat, ponatur, dummodò receptionis locus hujuſmodi nimiùm propterea non gravetur; poſſintque Executores proviſionis hujuſmodi, ad receptionem emiſſionis profeſſionis non expectato probationis anno procedere.

De translatione Religioſorum.

LX. Item, ſi Regularis petat ſibi de beneficio ab aliquo Monaſterio vel alio regulari loco dependente, provideri, & appareat ex petitione hujuſmodi, quòd alterius Monaſterii, vel loci Religioſus ſit, licèt ibi translatio non petatur, nihilominùs illa veniat.

De clauſula, ſi eſt ita.

LXI. Item, quòd in Litteris ſuper beneficiis per Conſtitutionem Execrabilis, vacantibus ponatur clauſula, ſi eſt ita, ſimiliter, de quibuſcunque narratis informationem facti requirentibus.

Petenti provideri de vacaturo, dentur Litteræ de vacanti.

LXIII. Item petenti ſibi provideri de vacaturo, dentur Litteræ de vacanti, prout expedierit impetranti.

Revocatio decimarum, & aliarum impoſitionum.

LXIII. Item revocavit quaſcunque decimarum, nec non ſubſidiorum vigeſimæ & aliorum onerum impoſitiones, ex quâvis cauſa emanatas (non tamen decimarum per fel. recor. Innocentium XI. Prædeceſſorem noſtrum impoſitarum quarto Kal. Octobris Pontificatus ipſius anno ſeptimo, & per eundem extenſarum ſeu indictarum ad illud triennium per Litteras in formâ Brevis ſub die vigeſimâ quintâ Novembris anno milleſimo ſexcenteſimo octuageſimo octavo, Pontificatus ipſius anno tertio decimo, nec non aliarum decimarum, ſubſidiorum, & onerum impoſitorum in ſubſidium expeditionis contrà Turcas, & Orthodoxæ Fidei hoſtes) & quaſcunque facultates ſuper decimarum, vigeſimæ, & onerum hujuſmodi exactione, quibuſvis fructuum, & proventuum Cameræ Apoſtolicæ debitorum Collectoribus, & Apoſtolicæ Sedis Nunciis ab eiſdem Prædeceſſoribus conceſſas. Suſpendit quoque ad Suæ Sanctitatis, & Sedis Apoſtolicæ beneplacitum quaſcunque plenarias Indulgentias ab eiſdem Prædeceſſoribus ex quavis cauſa etiam expeditionis hujuſmodi, ſi quæ per Nuncios, vel Quæſtores deferebantur, non tamen ab eodem Innocentio Prædeceſſore, per Litteras in formâ Brevis, ſub die tertiâ Decembris anno milleſimo ſexcenteſimo octuageſimo quinto Pontificatus ipſius anno decimo conceſſas, nec non deputandi, & eligendi Confeſſores, qui plenariè abſolvant, & alia faciant ad earumdem Indulgentiarum ſuſpenſarum effectum, reliquaſque facultates, ipſas Indulgentias quomodolibet concernentes, præterquàm quoad ea, in quibus Indulgentiæ, & facultates in aliquâ ſui parte ſint ſortitæ effectum. Ita ut illi, qui implentes injuncta eis in Litteris Indulgentiarum hujuſmodi, jàm conſequuti ſunt facultatem eligendi Confeſſores, qui abſolvant eos plenariè in mortis articulo, per hujuſmodi ſuſpenſionem non præjudicetur, quin facultate ipſa uti poſſint in futurum: Decrevit quoque irritum, & inane quicquid, facultatum revocatarum earumdem prætextu, impoſterum contigerit attentari.

Revocatio facultatum percipiendi pretium Officiorum.

LXIV. Item revocavit, caſſavit, & annullavit, ac irritas declaravit quaſcunque facultates percipiendi pretium Officiorum Romanæ Curiæ pro tempore vacantium in toto, vel in parte, & quaſvis conceſſiones, & collationes, aliaſque diſpoſitiones per fel. rec. Innocentium XI. alioſque Prædeceſſores de dictis Officiis, etiam ex die collationum, conceſſionum, & diſpoſitionum earumdem in anteà vacaturis in favorem quarumcunque Perſonarum, Eccleſiarum, Monaſteriorum,

piorum

piorum locorum, Collegiorum, seu eorum mensarum, etiam perpetuò, etiam in vim contractus ex titulo oneroso, & sub quâvis aliâ verborum formâ, quam, & præmissorum tenores pro expressis haberi voluit, concessas, & factas, quoad officia, quæ post obitum dictorum Prædecessorum vacarunt, & imposterùm quomodolibet vacabunt. Item revocavit quoque, cassavit, & annullavit, ac irritas declaravit quascunque infeudationes, investituras, gratias, concessiones, quoquomodò etiam in Emphiteusim, ad tempus, seu in perpetuum, etiam motu proprio, & de plenitudine potestatis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis (extrà tamen Consistorium, & sine S. R. E. Cardinalium consilio, & consensu) à die Constitutionis fel. record. Pii PP. V. Prædecessoris sui super prohibitione alienandi & infeudandi Civitates, & loca S. R. E. sub datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, quarto Kalend. Aprilis Pontificatus sui anno secundo, usque in præsentem diem, per quoscunque Romanos Pontifices suos Prædecessores, aut mandato, vel auctoritate eorum, quomodocunque, ac qualitercumque, & quovis colore factas, & concessas de Civitatibus, Terris, Oppidis, Castris, Arcibus, & locis, S. R. E. & Sanctæ Sedi Apostolicæ, tàm mediatè quàm immediatè subjectis, tunc videlicet de tempore dictarum infeudationum, investiturarum, gratiarum, & concessionum nondùm devolutis, nec non quascunque prorogationes, & extensiones quarumcunque infeudationum, investiturarum, gratiarum, & concessionum de dictis Civitatibus, Terris, Oppidis, Castris, Arcibus, & locis, tunc videlicet de tempore dictarum prorogationum, & extensionum nondùm finitarum quibusvis personis, cujuscunque gradus, status, & conditionis, & præeminentiæ, etiamsi Imperiali, Regali, Ducali, aut aliâ quâvis præfulgeant Dignitate, etiam in vim contractus, & ex quocunque titulo, etiam oneroso, & per quascunque tàm sub plumbo, quàm in formâ Brevis sub Annulo Piscatoris, aut etiam aliàs quomodocunque, & qualitercunque expeditas Litteras, ac sub quâvis verborum formâ, quam, & præmissorum omnium tenores Sanctitas Sua pro expressis haberi voluit, latissimè extendendos.

Quod fructus in tertiâ parte augeri possint vigore clausulæ.

LXV. Item, cùm nonnulli impetrationibus Beneficiorum Ecclesiasticorum pro tempore vacantium, & certo modo vacaturorum asserendo illorum fructus &c. certum per eos expressum annuum valorem non excedere, nonnunquàm obtineant, à Sanctitate Suâ, ut hujusmodi valorem annuum augere possint, ut veriùs possit in confectione Litterarum, super hujusmodi impetrationibus summa, aut valor annuus exprimi, aliter desuper non specificato, ne de veritate hujusmodi concessionis imposterùm hæsitari contingat, declaravit prætextu concessionis hujusmodi valorem ipsum usque ad tertiam partem valoris expressi, & in primâ, quæ desuper fiet, Litterarum expeditione dumtaxat augeri posse, & eas quas Litteris jàm expeditis cum expressione valoris specificati aut non integro augmento prædicto, denuò desuper expediri contigerit Litteras, cum aliquo augmento valoris hujusmodi nullius esse roboris, vel momenti, etiamsi motu proprio beneficiales gratiæ, & dispositiones quæcunque à Sanctitate Suâ emanaverint.

De insordescentibus.

LXVI. Item, ne personis, pro quibus Litteræ Suæ Sanctitatis emanabunt ob generalem absolutionem à censuris Ecclesiasticis, quibus ligati forent, ad eorum effectum indifferenter concedi, & in Litteris Apostolicis apponi solita, præstetur occasio censuras ipsas vilipendendi, & insordescendi in illis, statuit, & ordinavit, hujusmodi absolutionem, & clausulam in Litteris, quas in futurum cum illâ concedi continget, non suffragari non parentibus rei judicatæ, incendiariis, violatoribus Ecclesiarum, falsificatoribus & falsificari procurantibus Litteras, & supplicationes Apostolicas, & illis utentibus, receptatoribus, & fautoribus eorum, ac res veritas ad infideles deferentibus; violatoribus Ecclesiasticæ libertatis, viâ facti ausu temerario Apostolicis mandatis non obtemperantibus, & Nuncios, vel Executores Apostolicæ Sedis, & ejus Officialium, ejus commissa exequentes, impedientibus, qui propter præmissa, vel aliquod eorum excommunicati à jure, vel ab homine per quatuor menses scienter excommunicationis sententiam hujusmodi substinuerint. Et generaliter quibuscunque aliis, qui censuris aliquibus etiam aliàs, quàm, ut præfertur, quomodòlibet ligati in illis per annum continuum insorduerint.

Officiales nihil exigant ultrà debitum.

LXVII. Item idem D. N. exactionibus, quas Sanctitas Sua non sinè displicentiâ plerumque fieri intellexit per Officiales Romanæ Curiæ, qui constitutis sibi emolumentis pro exercitio Officiorum, quæ obtinent, non contenti, ultrà à prosequentibus negociorum quorumdam expeditionem in eâdem Curiâ exigere non verentur, obviare volens, districtè præcipiendo inhibuit omnibus, & singulis quævis officia in eâdem Curiâ obtinentibus, ne de cætero quicquam prætextu Officiorum, quæ obtinent, quovis colore, etiam celerioris expeditionis, ultrà emolumenta hujusmodi eorum, quæ eis incumbunt, malitiosè differre sub excommunicationis, & præter illam suspensionis à perceptione emolumentorum hujusmodi pro primâ ad semestre, & pro secundâ ad annum, & pro tertiâ vicibus, quibus sit excederent, privationis Officiorum per eos obtentorum, in quibus sic excesserint, pœnis. Ac voluit quod S. R. E. Vicecancellarius, & Camerarius excedentes ipsos respectivè, prout eis subsunt, per substractionem emolumentorum eorumdem, ac aliàs, ut præfertur compellant hujusmodi exactionibus abstinere, ac contrà eos per prædictas pœnas, & aliàs, prout meliùs expedire viderint, procedant.

Reservatio Beneficiorum vacantium Sede Apostolicâ vacante.

LXVIII. Item Sanctissimus D. N. providè considerans consuevisse quandoque Romanos Pontifices Prædecessores suos Beneficia, quæ vacante Sede Apostolicâ vacare contigerant, dispositioni suæ reservare, intendens de Beneficiis hujusmodi, tàm Conclavistis quàm pauperibus Clericis, & aliis benemeritis personis providere, omnia, & singula Beneficia per Regulas Cancellariæ Apostolicæ, aut quaslibet alias Apostolicas Constitutiones temporales Romani Pontificis pro tempore existentis dispositioni quomodolibet, & ex quâvis causâ servari solita, quæ die obitus fel. rec. Innocentii XI. Prædecessoris sui usque ad diem supradi-

ctam 6. Octobris vacaverint, & de quibus per quoscunque Ordinarios Collatores tunc dispositum non fuerat, seu minùs validè dispositum fuerat, suæ provisioni, ac dispositioni reservavit. Decernens irritum &c.

Revocatio indultorum supervenientia.

LXIX. Item, quia ad importunam nonnullorum suggestionem quandoque contigit Prædecessores Suos Romanos Pontifices pro tempore existentes sub contractorum debitorum, vel diversis aliis prætextibus concessisse, & indulsisse beneficiatis, ut fructus suorum Beneficiorum aut partem eorum anticipatis solutionibus ad tempus elocare, vel ergà creditores, aut quascunque alias personas obligare, vel hypothecare, in solutum dare, aut aliàs quomodolibet de eis disponere liceret ad tempus minimè restrictum, ad vitam supplicantium cum gravi Successorum præjudicio, & Ecclesiarum detrimento. Ideò indemnitati Ecclesiarum, & successorum in Beneficiis hujusmodi salubriter consulere volens, revocavit, cassavit, & annullavit omnia, & singula indulta, & facultates in eâ parte, quâ nec dùm verè, & realiter suum sortita sunt effectum, per quoscunque Romanos Pontifices Prædecessores suos hactenus ad favorem quarumcunque personarum concessas, quibus eis vel eorum singulis ullo modo, & ex quâvis causa, vel prætextu permittitur fructus certos, vel incertos, jura, obventiones, & emolumenta quæcunque quorumlibet Beneficiorum per eos obtentorum anticipatis solutionibus, ultrà unicum annum elocare, arrendare, ad firmam, vel responsionem concedere, vel eos ad favorem quarumcunque personarum quomodolibet obligare, vel hypothecare, in solutum dare, aut de eis quomodolibet, & ex quavis causa disponere pro tempore ad vitam beneficiatorum, & tempus quo Beneficia hujusmodi obtinuerunt, minimè restricto & coarctato, illorum tenores &c. Decernens irritum &c.

Quod Cardinales non comprehendantur sub Regulis faciendis.

LXX. Item, cùm S. R. E. Cardinales S. D. N. assistant, ac propterea debeant specialibus prærogativis & privilegiis gaudere, idem D. N. statuit, ordinavit, decrevit, & declaravit, quòd in quibuscunque Constitutionibus & Regulis per Sanctitatem Suam edendis non comprehendantur, neque comprehensi censeantur ipsi Cardinales, nisi illæ eorumdem Cardinalium favorem concernant, vel Constitutiones edendæ de eorumdem Cardinalium, vel majoris partis eorum consilio editæ fuerint, seu in eisdem Regulis, & Constitutionibus facta fuerit ipsorum Cardinalium expressa mentio.

Quòd Regulæ Cancellariæ non comprehendantur sub generalibus derogationibus.

LXXI. Item Sanctitas Sua statuit, & declaravit, quòd præmissis, & quibusvis aliis Regulis Cancellariæ suo tempore edendis, ac publicandis, nunquam censeatur derogatum in quibuscunque Constitutionibus, Litteris, Brevibus, Indultis, & aliis Ordinationibus Apostolicis, etiam motu proprio, & ex certa scientia emanatis per quæcunque verba, & Decreta derogatoria, irritantia, universalia, & amplissima, & clausulas quantùmvis efficacissimas, etiam derogatoriarum derogatorias, atque specialis, & individuæ expressionis vim habentes & habentia, nisi facta fuerit de illis expressa mentio, & non aliter, nec alio modo.

De potestate Reverendissimi D. Vicecancellarii, & Cancellariam Regentis.

LXXII. Primò, quòd possit committere absolutionem illorum, qui ignoranter in supplicationibus, vel in Litteris Apostolicis aliquid scriberent, corrigerent, vel delerent.

Item quòd possit corrigere nomina, & cognomina personarum, non tamen eorum, quibus gratiæ, & concessiones fiunt, ac Beneficiorum, dùm tamen de corpore constet.

Item, quòd possit omnes causas beneficiales, etiam non devolutas committere in Curia, cum potestate citandi ad partes.

Item, quòd processus Apostolica auctoritate decretos aggravare possit cum innovatione brachii secularis, & sententias executioni demandari facere contrà intrusos, & intrudendos per Litteras Apostolicas desuper conficiendas, & non aliàs.

Item, quòd possit signare supplicationes manibus duorum Referendariorum signatas de Beneficiis Ecclesiasticis secularibus, & regularibus, dispositioni Apostolicæ generaliter non reservatis, quorum cujuslibet valor centum Florenorum auri de Camera, vel totidem Librarum Turonen. parvorum, seu totidem in illa moneta secundùm communem æstimationem, valorem annuum non excedet.

Item quòd possit signare supplicationes, etiam duorum Referendariorum manibus signatas de novis provisionibus, si neutri, & subrogationibus pro collitigantibus, in quibus non detur clausula generalem reservationem importans.

Item quòd possit ad Ordines suscipiendos arctatis prorogare terminos de dictis suscipiendis Ordinibus, usque ad proxima tunc à jure statuta tempora, in quibus arctati successivè ad ipsos Ordines promoveantur.

Placet, publicentur, & describantur. P.

Privi-

Privilegia, exemptiones & indulta conceſſa Dapiferis, qui in Conclavi ſuæ aſſumptionis S. R. E. Cardinalibus inſervierunt.

ALEXANDER PAPA VIII.

Urbis.

Cauſa indulti.

§. I. MOtu proprio &c. Nos volentes Dilectos Filios Noſtros, dum Cardinalatus honore fungebamur, & Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Dapiferos, qui Conclavi, in quo Divinâ favente clementiâ ad Summi Apoſtolatus apicem aſſumpti fuimus, inſervierunt, quique eâ de causâ labores, vigilias & incommoda plura ſubierunt, habitâ ratione obſequiorum hujuſmodi, favoribus, gratiis, & privilegiis pro cujuſcunque meritis exornare, ac eoſdem Dapiferos, & eorum ſingulos motu proprio, non ad ipſorum Dapiferorum, vel alterius pro ipſis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de merâ liberalitate, certâque ſcientiâ Noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine in veros, indubitatos, & non fictos familiares & continuos commenſales Noſtros, & eos qui ex illis Clerici exiſtunt, ſeu Militiæ Clericali adſcribi deſiderant, quatenus tres ex præfatis Cardinalibus in quolibet Ordine antiquiores gradu, nobilitate, & aliis meritis dignos tali dignitate judicaverint, in Noſtros, & Apoſtolicæ Sedis Notarios, ſine tamen præjudicio Dilectorum Filiorum Notariorum, de numero participantium, tenore præſentium recipimus, & tam illos, quàm alios Dapiferos ſingulos, qui ſigillatim ab eiſdem tribus Cardinalibus digni tali honore approbati fuerint, S. Palatii & Aulæ Lateranen. Comites, & Milites, ac tàm illos, quàm alios omnes quoſcunque Dapiferos indiſtinctè, qui Nobiles non ſunt, Nobiles, quique Urbis, vel alicujus alterius ex Civitatibus, temporali dominio dictæ Romanæ Eccleſiæ mediatè, vel immediatè ſubjectis Cives eſſe voluerint, ſingulos in eâ ipsâ Civitate, quam ſigillatim quiſque eorum elegerit, & ad quam ab eiſdem Cardinalibus ſe admitti petierit, veros Cives ad inſtar, & nullâ prorsùs differentiâ inter eos, & ſingulos alios veros, originarios, & antiquiſſimos, & Nobiles participantes Cives ipſius Urbis, vel Civitatis; ita ut ipſum Jus Civitatis ad quoſcunque eorum hæredes eodem modo tranſeat, creamus, conſtituimus, & deputamus, ac Nobilitatis, & Civitatis titulo, & honore, & inſigniis decoramus, aliorumque familiarium, continuorum commenſalium Nobis actu in Palatio Noſtro Apoſtolico ſervientium, & in illius Tinello comedentium, & bibentium, Noſtrorum, & Sedis Apoſtolicæ Notariorum, Palatiique, & Aulæ præfatæ Comitum, Militum, & Nobilium, & Civium hujuſmodi originariorum numero, & conſortio favorabiliter aggregamus, & pro veris, indubitatis, & non fictis familiaribus, continuis commenſalibus, ac Notariis Noſtris, Comitibusque, Militibus, Nobilibus, ac Civibus deinceps haberi, & reputari volumus, & mandamus, eiſque in quibuſcunque impetrationibus, ac conceſſionibus, & literis, tàm gratiam, quàm juſtitiam ſeparatim, ſeu utramque mixtim concernen. ſe familiares continuos, commenſales Noſtros, & Comites, Milites, Nobiles, ac Cives originarios nominari, nec propterea impetrationes, conceſſiones, & Litteræ ipſæ ſubreptionis vitio ſubjaceant, ſed validæ, & efficaces exiſtant, ac ex nunc deinceps, & in perpetuum omnibus, & quibuſcunque, prorsùs ſimilibus antelationibus, antelationum prærogativis, privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, Decretis, declarationibus, derogationibus, mandatis, ſuſpenſionibus, favoribus, gratiis, privilegiis, indultis, ac juribus, alii noſtri familiares tempore dictæ aſſumptionis Noſtræ ad Summi Apoſtolatus apicem, ac quibus alii ejuſdem Sedis Notarii, etiam de numero participantes exiſtentes, etiamſi habitum, & Rocchettum Notariorum ipſius Sedis non deferant, Palatiique, & Aulæ prædictæ Comites, & Milites, ac Nobiles, originarii, & antiquiſſimi Cives ejuſdem Urbis, vel Civitatis, quam ut præfertur, elegerint quicunque ex utroque Parente verè Nobili, ac Cive originario antiquiſſimo procreati de jure, Statuto, conſuetudine, vel aliàs ex aliquo ſpeciali privilegio, ſeu aliàs, etiam per quaſcunque Litteras, ſeu Conſtitutiones Apoſtolicas pro tempore editas, utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere poſſunt, & poterunt quomodolibet in futurum, ubique locorum in judicio, & extrà, ſine tamen eorumdem Notariorum de numero participantium præjudicio uti, frui, potiri, & gaudere liberè, & licitè valeant realiter, & integrè in omnibus & per omnia, etiamſi in Urbe, & Civitate hujuſmodi non habitaverint perinde, ac ſi de vero nobili genere ex utroque Parente originario, & antiquiſſimo Cive procreati forent, & hujuſmodi prærogativæ, privilegia, exemptiones, gratiæ, favores, conceſſiones, indulta, & jura, quæ pro aliis Nobilibus & Civibus originariis emanarunt, & quæ ratione Nobilitatis, & Civitatis naturalis, & originariæ aliis competunt, pro eiſdem Dapiferis in ſpecie emanâſſent, ſeu emanarent, & eis naturaliter, de jure, ſtatuto, conſuetudine, fundatione, vel aliàs competerent, vigore præſentium indulgemus.

Dapiferi conſtituuntur familiares Papæ, Notarii Apoſtolici, Comites Palatini, Nobiles ac Cives Urbis ipſis benevisæ.

Eximuntur à ſolvendis decimis Eccleſiaſticis non tamen à jam impoſitis ab Innocentio XI.

§. 2. Ac ſingulos Dapiferos præfatos à ſolutione, & exactione decimarum Eccleſiaſticarum, ubique locorum, & ex quâcunque quantumvis urgentiſſimâ, & inexcogitabili causâ, & occaſione, etiam ad inſtantiam Imperatoris, Regum, Rerumpublicarum, etiam Venetorum, & quorumcunque aliorum Principum impoſitarum, & pro tempore imponendarum; non tamen decimarum per felicis recordationis Innocentium Papam XI. Prædeceſſorem Noſtrum impoſitarum Quarto Kalendas Octobris Pontificatus ſui anno ſeptimo, & per eundem extenſarum ſeu indictarum ad aliud triennium per Litteras in formâ Brevis ſub die vigeſimâ quintâ Novembris anno milleſimo ſexcenteſimo octuageſimo octavo, Pontificatus ſui anno tertiodecimo, nec non aliarum decimarum, ſubſidiorum & onerum impoſitorum in ſubſidium expeditionis contra Turcas, & Orthodoxæ Fidei hoſtes liberamus, & eximimus, liberoſque, & exemptos fore, & eſſe decernimus.

Condonantur fructus Eccleſiaſtici malè percepti.

§. 3. Nec non ipſis Dapiferis eorumque ſingulis quoſcunque fructus, & proventus Eccleſiaſticos tàm occaſione penſionum annuarum ipſis, vel eorum alicui reſervatarum, quàm ratione omiſſionis recitationis horarum Canonicarum indebitè perceptos, cujuſcunque quantitatis fuerint, gratioſè remittimus, & condonamus.

Abſolvuntur à cenſuris propterea & ſubſequutam celebrationem contractis.

§. 4. Ac cum eis ſuper inhabilitate per eos propterea quomodolibet contractâ, vel etiàm ex eo, quod cenſuris hujuſmodi ligati Miſſas, & alia Divina Officia, non tamen in contemptum Clavium celebraverint ſeu aliàs in Divinis ſe immiſcuerint, ut illâ & eiſdem præmiſſis non obſtantibus ad omnes etiam ſacros, & Presbyteratus Ordines, aliàs tamen ritè promoveri, & in illis etiam ſuſceptis aliàs ritè per eos Ordinibus etiam in Altaris Miniſterio

ministrare etiam liberè, & licitè valeant, dispensamus.

Illegitimi restituuntur natalibus, etiam ad effectum successionis ad dignitates, honores & officia.

§. 5. Ac eosdem Dapiferos, si qui eorum defectum natalium patiuntur ex quocunque damnato, & illicito coitu, etiamsi ex Nobilissimis parentibus, ac vilibus fœminis forsan procreati sint, etiamsi legitimati aliàs existant, legitimamus, omnemque ab illis genituræ hujusmodi maculam, sivè notam abstergimus, & abolemus, ac legitimis natalibus restituimus, ac cum eorum singulis, ut in quibuscunque bonis paternis, & maternis, & aliorum consanguineorum, seu cognatorum, vel aliorum quoruncunque, non tamen feudalibus, & emphyteuticis, aut Ecclesiasticis, vel ab Ecclesiâ acquisitis, ac sinè præjudicio venientium ab intestato, vel ex fideicommisso, seu aliàs de jure validâ dispositione, succedere, & illa donationis, seu alio quovis titulo consequi & habere, ac ad æquales portiones cum legitimis succedere, eos ad omnia jura legitima, & successiones ex Testamento vel ab intestato hæreditates, legata, libertates restituendo, & reintegrando realiter, & cum effectu, nec non ad dignitates, honores, & quæcunque alia officia secularia publica, vel privata, etiam assumi, illaque gerere, & exercere in omnibus, & per omnia perindè ac si de legitimo matrimonio procreati forent.

Cum eisdem dispensatur ad Ordines & Beneficia.

§. 6. Ac eodem defectu non obstante, si aliud Canonicum eis non obsistat impedimentum, ac Clericali charactere, qui illo nondum insigniti sunt, insigniri, & ad omnes etiam sacros, & Presbyteratus Ordines, si ad illos nondùm promoti sunt, promoveri, & postmodum charactere, & Ordinibus hujusmodi, illorumque privilegiis uti, ac in eisdem Ordinibus, etiam in Altaris ministrare, ac quæcunque, & qualiacunque cum curâ, & sine curâ Beneficia Ecclesiastica, etiamsi personatus, administrationes, & officia etiam curata, & electiva in Cathedralibus, & Metropolitanis, vel Collegiatis Ecclesiis: seu si Parochiales Ecclesiæ, vel earum perpetuæ Vicariæ, ac Canonicatus, & Præbendæ, non tamen in Cathedralibus post Pontificalem majores, nec principales in Collegiatis Ecclesiis hujusmodi fuerint, sibi aliàs Canonicè conferantur, aut ipsi eligantur, præsententur, vel aliàs assumantur ad illa, & instituantur in illis, recipere, & dummodò plura simul non sint, quàm quæ à Concil. Trident. permittuntur, quoad vixerint retinere liberè & licitè valeant, similiter dispensamus.

Eorundem provisiones ubiq; gratis expediendæ.

§. 7. Quodque omnes, & quæcunque gratiæ, provisiones, commendæ, ac præsentes, & quævis aliæ Litteræ Apostolicæ, ac etiam in formâ Brevis pro illis expediendæ gratis ubique expediantur, tàm de capiendâ possessione nomine Cameræ Apostolicæ, quàm in favorem Litterarum Apostolicarum: ubi illis super provisionibus quorumcunque Beneficiorum Ecclesiasticorum dari poterunt, prout Nostris familiaribus, & continuis commensalibus etiam gratis dantur, & conceduntur, ac dari, & concedi debent, præcipimus, & mandamus.

Indultum transferendi pensiones annuas usque ad centum Ducatos.

§. 8. Ac Dapiferis præfatis, & eorum singulis, ut quicunque loci Ordinarii, vel Canonici Metropolitanarum, aut aliarum insignium Ecclesiarum, aut personæ quæcunque Ecclesiasticæ, in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ, tàm in Romanâ Curiâ, quàm extrà eam, ad id per eos, & eorum singulos eligendi, seu eligendæ quascunque pensiones annuas eis, eorumque singulis super fructibus, reditibus, proventibus, juribus, obventionibus, & emolumentis universis, certis, & incertis, ac distributionibus quotidianis quarumcunque mensarum Episcopalium, Archiepiscopalium, & Abbatialium, ac Dignitatum, & Canonicatuum & Præbendarum, cæterorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum, non tamen per S. R. E. Cardinales obtentorum, & in posterum obtinendorum cum curâ, & sine curâ, secularium, aut quorumvis Ordinum regularium, seu fructus, reditus, & proventus, aliaque emolumenta, & distributiones hujusmodi reservatas, seu reservatos, ac reservandas, seu reservandos, etiamsi aliàs semel, vel pluries translatæ, seu translati fuerint usque ad summam centum ducatorum in toto vel in parte, ac etiam in mortis articulo cassare, & extinguere, ac postquàm cassatæ, & extinctæ fuerint, alias similes pensiones annuas, seu fructus, reditus, & proventus, & alia emolumenta, & distributiones hujusmodi usque ad summam prædictam, uni, vel pluribus aliis personis Ecclesiasticis per eosdem Dapiferos, & eorum singulos nominandis, quotcunque, quæcunque, & qualiacunque Beneficia Ecclesiastica obtinentibus, & expectantibus, aliàs tamen pensionum hujusmodi capacibus, similiter eis, quoad vixerint, vel eorum Procuratoribus legitimis eisdem modo, & formâ, quibus eisdem Dapiferis reservatæ, seu reservati erant, etiam absque Beneficia hujusmodi obtinentium consensu integrè persolvendas, seu persolvendos, & per eos percipiendas, exigendas, levandas, ac percipiendos, exigendos, levandos, reservare, constituere, & assignare valeant, ipsique Translatarii in possessionem dictas pensiones exigendi, in quâ ipsi Dapiferi tempore translationis per eos vigore præsentium faciendæ, existebant, in omnibus, & per omnia subrogati esse censeantur, etiam concedimus, & indulgemus, etiamsi similem gratiam à Prædecessoribus Nostris aliàs forsan obtinuerint, seu quilibet eorum obtinuerit, illius effectu cumulativè eos gaudere, & potiri volumus. Decernentes ipsas translationes, & novas reservationes, Constitutiones, & assignationes pensionum, seu fructuum, reddituum, & proventuum, aliorumque hujusmodi plenam roboris firmitatem obtinere, ipsosque Beneficia, super quorum fructibus, reditibus, & proventibus reservatæ fuerint, obtinentes ad illas persolvendas efficaciter obligatos fore.

Hoc indultum cumulativè cum aliis Beneficiis intelligendum.

Indultum retinendi pensiones pro ducatis ducentis, absque delatione habitus Clericalis & in statu conjugali.

§. 9. Ac eisdem Dapiferis, ut ratione quarumcunque pensionum eis, & eorum cuilibet, super quibuscunque Beneficiis Ecclesiasticis, ut præfertur, vel aliàs quomodolibet qualificatis, non tamen ultrà summam ducentorum ducatorum auri de Camerâ pro quolibet, nunc, & pro tempore reservatarum, ac reservandarum, habitum, & tonsuram Clericales gestare, & in illis dummodo ipsi habitum decentem, & honestum deferant, incedere minimè debeant; nec ad id à quoquam cogi, seu compelli, minúsque aliquas sententias, aut censuras, etiam privationis, seu cessationis ipsarum pensionum ad prædictam summam ducentorum ducatorum ascendentes, & reservatas, ut præfertur, etiamsi matrimonium contraxerint cum unicâ tantùm & virgine, recipere, & retinere.

Exemptio à spoliis.

§. 10. Postremo quòd bona quæcunque ad dictos Dapiferos, & eorum quemlibet spectantia, & per eos etiam ratione quorumcunque Beneficiorum Ecclesiasticorum, etiam Canonicatuum, & Præbendarum, ac Dignitatum quarumcunque per eos aliàs obtentorum & obtinendorum, aut aliàs quomodolibet, & quovis quæsito colore, vel ingenio, seu eorum industriâ, legitimè tamen, & licitè acquisita, & acquirenda, etiam in Urbe, ejusque districtu, ac ubicunque existentia spoliis minimè subjaceant.

Facultas testandi, etiam pro adscriptis Ordinibus Religionis militaris.

§. 11. Sed ipsi Dapiferi, etiamsi Religioni alicujus Militiæ, non tamen S. Joannis Hierosolymitani adscripti fuerint, de illis in favorem quarumcumque personarum, de jure tamen capacium, etiamsi Curiales esse desierint, & in quocunque loco, quantumvis remoto, eos decedere contigerit, testari, & aliàs disponere, eisque ab intestato decedentibus eorum hæredes, quicumque succedere liberè, & licitè valeant, simili modo concedimus, & indulgemus.

Inhibetur ad hunc effectum Officialibus Cameræ Apostolicæ.

§. 12. Præcipientes, & mandantes Dilectis Filiis nunc, & pro tempore existentibus. S. R. E. Camerario, Thesaurario, Præsidentibus, Clericis Cameræ Nostræ Apostolicæ, & quibuscunque aliis spoliorum hujusmodi Collectoribus, ac Militiarum

præ-

præfatarum Officialibus, aut Procuratoribus, ne in hujuſmodi bonis manus apponant, neque hæredes dictorum Dapiferorum deſuper moleſtare audeant, ſeu præſumant; ac etiam decernentes donationes, etiam per viam Teſtamenti, & Codicillorum per ipſos Dapiferos ſuper eorum bonis hujuſmodi, ſervatis de jure ſervandis, faciendas ſemper & perpetuò validas, & efficaces fore, nec eoſdem Dapiferos, eorumque aliquem ad Litteras ſuper præſentibus conficiendas in dictâ Camerâ inſinuandum, aut admitti, & regiſtrari petendum teneri, nec illas, etiamſi intrà tempus legitimum inſinuatæ, admiſſæ, ſeu regiſtratæ non fuerint, propterea minùs validas cenſeri, ſed ſuos plenarios effectus ſortiri debere, eaſdemque præſentes, & in eis contenta quæcunque ſub quibuſvis revocationibus, limitationibus, ſuſpenſionibus, modificationibus, Decretis, Conſtitutionibus Apoſtolicis, ſimilium gratiarum revocatoriis, vel quæ eas limitarent, aut moderarent, quæ à Nobis, & dictâ Sede pro tempore, & de quibuſvis cauſis, etiam urgentiſſimis, etiam in Divini cultus augmentum, etiam conſiſtorialiter, vel aliàs quâvis auctoritate hactenùs vel impoſterùm emanaverint, minimè comprehendi, ſed quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum ſtatum repoſitas, & reintegratas eſſe, & cenſeri.

Clauſula ſublata & Decretum irritans.

§. 13. Sicque per quoſcunque Judices etiam Commiſſarios quâvis auctoritate fungentes in quâvis cauſâ, & inſtantiâ, ſublatâ eis, & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique judicari, & definiri debere, irritum quoque & inane, ſi ſecùs ſuper his à quoquam quâvis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, & inſuper Dilectis Filiis Reſcribendario, & Computatori Collegii Scriptorum Litterarum Apoſtolicarum, & aliis ad quos earumdem Litterarum expeditio ſpectat, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœnâ indignationis Noſtræ, motu, ſcientiâ & poteſtatis plenitudine ſimilibus mandamus, ut eaſdem præſentes, & forſan aliàs Litteras ſuper præmiſſis omnibus, tàm conjunctim, quàm diviſim, ac pro ſingulis quibuſcunque derogationibus, Decretis, & clauſulis in eis contentis, gratis de mandato Noſtro ubique in omnibus Officiis, etiam Abbreviatorum, Sollicitatorum, Secretariorum, ſeu aliorum ſuppreſſorum loco Miniſtrorum Cameræ Apoſtolicæ Plumbi, & Regiſtri abſque aliquâ pecuniarum exactione, etiam per viam compoſitionis faciant, omni contradictione, & dilatione ceſſantibus, ſignent, expediant, & expediri faciant.

Derogatio contrariis.

§. 14. Non obſtantibus eiſdem præmiſſis, ac de certo Notariorum numero, etiamſi ad illum non ſit deventum, quibus aliàs per præſentes non intendimus derogare, ac Regulâ Noſtrâ de præſtando conſenſu in penſionibus, ac felicis recordationis Pii Papæ IV. Prædeceſſoris Noſtri, de ſimilibus, vel diſſimilibus gratiis in Camerâ Apoſtolicâ infrà tres menſes præſentandis, ac regiſtrandis, ac recolendæ memoriæ Pii Papæ V. etiam Prædeceſſoris Noſtri contrà illegitimos, ac Pictavien. Concilii, & aliis Apoſtolicis, ac etiam in Univerſalibus, Provincialibusque Conciliis editis ſpecialibus, vel generalibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, & Monaſteriorum, Eccleſiarum, Ordinum, ac etiam Urbis Romæ, & aliarum Civitatum, Oppidorum, & Terrarum, aut Cameræ prædictæ, ac quarumvis Univerſitatum, etiam juramento, confirmatione, vel quâvis firmitate aliâ roboratis Statutis, ſtabilimentis, uſibus, & naturis, Decretis, ac etiam novis reformationibus, ac etiam Legibus, tàm Pontificiis, quàm Imperialibus, Regiis, & Ducalibus, etiam ſacris Canonibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apoſtolicis ſuperioribus, ac perſonis, & locis quibuſcunque in genere, vel in ſpecie, ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibus, & aliis Decretis, etiam vim contractus, & Statuti perpetui continentibus, etiàm motu, ſcientiâ, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, ac etiam conſiſtorialiter, ac aliàs forſan in contrarium quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis, inter alia diſponen. quod Beneficia Urbis nonniſi perſonis certis, modo & formâ qualificatis, & oriundis ex certis locis, ac trium Ordinum Militiarum expreſsè profeſſis, conferri & commendari ſoleant; Quibus omnibus, etiamſi aliàs pro eorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales, idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda foret, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, eorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitùs omiſſo, & formâ in illis traditâ obſervatâ, inſerti forent, præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hâc vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè harum ſerie motu pari derogamus, cæterisque contrariis quibuſcunque, cum clauſulis opportunis.

Fiat motu proprio P.

Et cum abſolutione à cenſuris ad effectum, &c. & in caſibus Regulæ de inſordeſcentibus cum opportunâ illius, nec non alterius Regulæ de non tollendo jure quæſito, aliiſque neceſſariis & opportunis derogationibus, quatenùs opus ſit, & quod indultorum, conceſſionum, gratiarum, derogationum, aliorumque præmiſſorum omnium & ſingulorum major & verior ſpecificatio, & expoſitio fieri poſſit in Litteris, in quibus ſingulorum Dapiferorum nomina, & cognomina, ordines, qualitates, gradus, Diœceſes, Patriæ, & alia requiſita exprimi, & deſcribi, ſeu pro expreſſis, & deſcriptis haberi poſſint, juxtà notulam per ipſos, ſeu eorum Deputatos confectam ſimul, vel ad partem, etiam in unâ non factâ mentione de aliâ vel aliis, prout videbitur expedire, & expedien. &c.

Tranſſumptorum fides.

§. 15. Volumus autem, quod Litterarum ſuper præſentibus conficiendarum traſſumptis, etiam impreſſis, & ſigillo & manu alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſticâ conſtitutæ munitis, & ſubſcriptis, eadem fides, tàm in judicio, quàm extrà illud adhibeatur, quæ originalibus Litteris adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Volumus autem, quòd ſola præſentis motus proprii Noſtri ſignatura ſufficiat, & ubique fidem faciat in judicio, & extrà illud, Regulâ quâcunque contrariâ non obſtante.

Fiat P.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem octavo Id. Decembris anno primo.

6. Decembris 1689. P. A. primo.

Nihil J. de Laurentiis
Reg. Lib. primo Secretorum fol. 90.

Nomina Eminentiſſimorum D. D. Cardinalium, & Dapiferorum ſunt hæc quæ ſequuntur.

Petrus Ottobonus nunc Alexander VIII. Venetus.

Epiſcopi VI.

Alderanus Epiſcopus Oſtien. S. Collegii Decanus Cardinalis Cybo, Januenſis.

Flavius Epiſcopus Albanen. S. R. E. Card. Chiſius Bibliothecarius, & Signaturæ Juſtitiæ Præfectus, Senenſis.

Jacobus Epiſcopus Tuſculanus S. R. E. Cardinalis Franſonus, Epiſcopus Camerinen. Januenſis.

Palutius Epiſcopus Sabinen. S. R. E. Cardinalis de Alteriis ejuſdem S. R. E. Camerarius Romanus.

Presbyteri XXXIV.

Carolus tituli S. Laurentii in Lucinâ S. R. E. Presb. Cardinalis Barberinus, Romanus.

Gregorius tituli S. Marci S. R. E Presb. Card. Barbadicus Epiſcopus Patavinus, Venetus.

Joannes Nicolaus tit. S. Mariæ Tranſpontinæ S. R. E. Presb.

Card. de Comitibus Episcopus Anconitanus Romanus.
Julius tit. S. Mariæ Transtyberim, S. R. E. Presb. Card. Spinula Episcopus Lucensis Januensis.
Joannes tit. J. Viti, & Modesti S. R. E. Presbyter Cardinal. Bulionus Gallus.
Carolus tit. S. Adriani S. R. E. Presb. Card. Cerrus Episcopus Ferrarien. Romanus.
Gaspar tit. S. Silvestri in Capite S. R. E. Presb. Card. de Carpineo, Sanctiss. D. N. Vicarius Generalis, Romanus.
Joseph Tempestinus Romanus, dum Cardinalatus honore fungebamur.
Joannes Lutius, Tudertinus.
Frater Joannes Georgius de Castellis Eques Hierosolymitanus Interamnen.
Joseph Maradius, Faventinus.
Julius Perla Clericus Romanus.
Prosper Buccapadulius Romanus.
Franciscus Fonseca Romanus.
Eques Enricus Letus Scotus.
Carolus de Philippis, Cæsanaten.
Abbas Jacobus Maria Cenni de Serralonga.
Leonardus Severdus Romanus.
Joannes Baptista Gottifredus Clericus Conjugatus Romanus.
Cæsar tit. Sanctissimæ Trinitatis in monte Pincio S. R. E. Presb. Card. Destræus Gallus.
Petrus tit. S. Honufrii S. R. E. Presb. Card. Bonsius Archiepiscopus Narbonen. Florentinus.
Frater Vincentius Maria Ursinus Ordinis S. Dominici, tituli S. Sixti S. R. E. Presb. Card. S. Sixti nuncupatus Archiepisc. Beneventanus, Neapolitanus.
Federicus tit. S. Anastasiæ S. R. E. Card. Columna Perusinus Presb.
Franciscus tit. S. Matthæi in Merulana S. R. E. Presb. Cardinalis Nerlius Florentinus.
Hieronymus tit. SS. Nerei, & Achilei S. R. E. Presb. Card. Casanate, Neapolitanus.
Galeatius tit. Sanctorum Quirici, & Julitæ S. R. E. Presb. Card. Marescottus, Romanus.
Fabritius tit. S. Chrysogoni S. R. E. Presb. Card. Spada Romanus.
Frater Philippus Thomas Huvard. Ordinis Prædicatorum tituli S. Mariæ super Minervam S. R. E. Presb. Cardinalis de Norfolcia, Anglus.
Joannes Bapt. tit. S. Ceciliæ S. R. E. Presb. Card. Spinola Januen.
Antonius tit. S. Pancratii S. R. E. Presb. Card. Pignatellus Archiepiscopus Neapolis, Neapolitanus.
Janus tit. S. Mariæ de Populo S. R. E. Presb. Card. Millinus Episcopus Urbevetanus, Romanus.
Federicus tit. S. Alexii S. R. E. Presb. Card. Vicecomes Archiepiscopus Mediolani, Mediolanensis.
Frater Raymundus tit. S. Mariæ Angelorum S. R. E. Presb. Card. Capisucchus Ordinis S. Dominici Romanus.
Frater Laurentius Brancatus tit. SS. Duodecim Apostolorum S. R. E. Presb. Card. de Lauræa Ord. S. Francisci.
Jacobus tit. S. Mariæ in Aracæli S. R. E. Presb. Card. de Angelis. Pisanus.
Opitius S. R. E. P. Card. Pallavicinus Januensis.
Marcus Antonius tit. S. Susannæ S. R. E. Card. Barbadicus, Venetus.
Marchio Nicolaus de Penna Perusinus.
Frater Felix Sfortia Maidalchinus Eques Hierosolymitanus Viterbiensis.
Paulus Petrus Lamparinus de Terra Sancti Gemini Narnien. Diœc. J. U. D. Colleg. Patr. Causar. Sac. Pal. Apost. Clericus Conjugatus.
Flavius Cherubinus de Monte Bodio.
Marcus Antonius Aloysius, Assisiensis.
Abbas Aurelius Gazzinellus, J. Sac. Th. Doctor, Comensis.
Nicolaus Baleanus, Aiesinus.
Eques Bernardinus Castellinus, Forolivienſis.
Ludovicus Oddus Clericus, Romanus.
Stephanus Castaldus Clericus Conjugatus Romanus.
Ferdinandus Patronus Interamnensis.
Fr. Amerigus Capponus Eques Hierosolymitanus Roman.
Franciscus M. Alemanus Clericus, Mediolanensis.
Antonius Gabriellius Clericus Conjugatus Romanus.
Abbas Petrus Antonius Bazzantus, Senensis.
Abbas Thomas Mancinellus Narnienſis.
Hieronymus Pallavicinus Januensis.
Abbas Petrus Palazzius Presb. Brixianus.
Carolus tit. S. Augustini S. R. E. Presb. Card. Cicerus Episcopus Comi, Comensis.
Leopoldus S. R. E. Presb. Card. Kollonitz, Germanus.
Petrus Matthæus tit. S. Marcelli S. R. E. Presb. Card. Petruccius Episcopus Aiesinus.
Guilielmus S. R. E. Presb. Card. de Furstenberg Germanus.
Joannes Casimirus tit. S. Joannis ante Portam Latinam S. Romanæ Ecclesiæ Presb. Card. Denhoff Polonus.
Joseph tituli S. Balbinæ S. R. E. Presb. Card. de Aguirre Hispanus.
Leander tituli S. Petri in monte Aureo S. R. E. Presb. Card. Colloredus Venetus, Sanctissimi D. N. Pœnitentiarius major.
Fortunatus tit. SS. Joannis & Pauli S. R. E. Presb. Card. Caraffa Neapolitanus Archiep. Aversæ.

Diaconi XI.

Franciscus S. Mariæ in viâ latâ Primus Diaconus S. R. E. Card. Maidalchinus, Viterbiensis.
Nicolaus Sanctorum Cosmæ, & Damiani S. R. E. Diaconus Card. Acciaiolus, Florentinus.
Urbanus Sancti Nicolai in carcere Tulliano S. R. E. Diaconus Card. Sacchettus Episcopus Viterbien. Florentinus.
Joannes Franciscus Sancti Angeli in Foro Piscium S. R. E. Diaconus Card. Ginettus Romanus Archiepiscopus Firmanus.
Benedictus S. Agathæ S. R. E. Diac. Card. Pamphilius, Romanus.
Dominicus Maria S. Eustachii S. R. E. Diac. Cardinalis Cursius Florentinus.
Joannes Franciscus S. Cæsarei S. R. E. Diac. Card. Nigronus Episcopus Faventinus, Januensis.
Joseph Buccapadulius Clericus Conjugatus Romanus.
Marchio Fabritius Narus Clericus Conjugatus Romanus.
Franciscus Rutilius Sansedonius Eques Hierosolymitanus Senensis.
Marchio Nicolaus Tassonus Ferrarienſis.
Aurelius Rezzonius Comensis.
Franciscus Medicina Clericus, Civitatis Tortonæ.
Mutius Sinibaldus Auximanus.
Eques Thesier Gallus.
Christoforus Stavinscki Polonus ex Pro. Prussiæ Diœc. vero Varmi.
Josephus Ochoa de Aperrigui, y Ameiugo Calaguritanus, & Calceaten. Diœcesis.
Comes Gaietanus Tocellus Parmensis.
Frater Laurentius de Castellis Eques Hierosolymitanus Interamnen.
Joannes Philippus Razzolus Clericus Conjugatus Romanus.
Eques Carolus Enricus de S. Martino Pedemontanus.
Joannes Jacobus Chircher, Germanus.
Abbas Joseph Crucius J. U. D. Clericus Tiburtinus.
Abbas Aeneas Tassius Bergomen.
Abbas Jo. Philippus Salviatus Florentinus.
Abbas Felix Nigronus Januensis.
Fulvius S. Mariæ in Cosmedin. Diaconus Card. Astallius Romanus.

Gaspar S. Georgii S. R. E. Diac. Card. de Cavaleris Romanus.
Franciscus Maria Sanctæ Mariæ in Dominica S.R.E. Diaconus Cardinalis Medices Florentinus.
Raynaldus Sanctæ Mariæ de Scala Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconus Cardinalis Estensis Mutinensis.

IV.

SANCTISSIMI D. N. D. ALEXANDRI Divinâ Providentiâ Papæ VIII.

Jubilæum Universale. Ad implorandum Divinum auxilium initio sui Pontificatus pro salutari Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ regimine.

ALEXANDER PAPA VIII.

Universis Christi fidelibus præsentes Litteras inspecturis Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exorditur à suâ humilitate & magnitudine Curæ Apostolicæ.

Cœlestis Pater familias, cujus voluntas, potentia, & cujus opus misericordia est, quique olim dispensatione mirabili elegit David servum suum, & sustulit eum de gregibus ovium, ut pasceret Israel hæreditatem suam, novissimè diebus istis se neminem sanè suorum spernere demonstravit, cum immensam in Nos bonitatem suam derivare dignatus, in humilitate Nostrâ memor fuit Nostri, ac inscrutabili sapientiæ suæ arcano constituens Nos in caput Gentium, vicariam sui in terris potestatem solâ supernæ largitatis suæ dignatione, ac nullo meritorum suffragio Nobis commisit. Idcircò, quia non verecundæ, sed ingratæ mentis indicium est beneficia tacere Divina, & satis dignum est à Sacrificio Dominicæ laudis obsequium consecrati Pontificis inchoare, hoc ipso assumptæ à Nobis Apostolicæ Servitutis initio libenter cum Propheta clamamus: Laudationem Domini loquatur os meum, & benedicat omnis caro nomen sanctum ejus; qui suscitat de pulvere egenum, ut sedeat cum Principibus, & solium gloriæ teneat. Cæterùm, non tàm de honore hilares, quàm solliciti de periculo, in tantâ, ac tàm difficili, quam jàm delibare incepimus, Catholicæ Ecclesiæ procuratione, dum non minùs virium Nostrarum infirmitatem, cujus Nobis probè conscii sumus, quàm multiplices mentis Nostræ oculis obversantes Christianæ Reipublicæ calamitates seriò consideramus, sentimus profectò in dies susceptí oneris magnitudinem, ac quantum ad illud fortiter, constanterque ferendum cœlestibus indigeamus auxiliis, agnoscimus.

Privatis suis precibus publicas Ecclesiæ supplicationes postulat adjungi.

Quamvis autem privatis Nostris sacrificiis, & precibus opem de Sancto supplices invocare non desistamus, ut de Sion tueatur Nos, omnem spem Nostram collocamus in eo, qui dedit velle, ut det etiam perficere pro bonâ voluntate; attamen memoriâ recolentes, tum maximè Apostolorum Principi, cujus locum immeriti tenemus, cœleste præsidium adfuisse, cum oratio fiebat sine intermissione ab Ecclesiâ ad Deum pro eo, Pastorali jure fidenter exigimus, & paterno insuper postulamus affectu, ut ad assiduas Nostras publicè Christi fidelium ubique Populorum, quibus Nos vicissim Apostolicam sollicitudinem impendere debemus, supplicationes addantur.

Quibus exoranda Divina misericordia.

Potens est enim oratio Ecclesiæ deprecantis ad Dominum, qui benignus & misericors est, & propitiatur invocantibus eum in veritate. Junctis igitur, & concordibus precibus misericordiarum Patrem, & Deum totius consolationis exoremus, ut in mandatorum suorum viam unâ cum commissis ovibus gratiâ suâ duce Nos dirigat, præsentibus Christiani Populi necessitatibus propitius adsit, flagella suæ iracundiæ, quæ pro peccatis Nostris meremur, clementer avertat, nec Nos quos eligere dignatus est ad dandam scientiam salutis plebi ejus, deserat in tempore malo, sed det Nobis virtutem, & fortitudinem in magnitudine brachii sui, ac illuminet corda Nostra ad cognoscendum, faciendumque, quod bonum est in oculis suis.

Hortatur ad preces, jejunia & Eleemosynas.

Adeamus mente contriti ad thronum gratiæ, dolentes per veram pœnitentiam veniam petamus, instemus obsecrationibus nocte ac die, sanctificemus jejunia, eleemosynas in sinu pauperum abscondamus, aliisque pietatis operibus divinam Nobis misericordiam conciliemus, ac Domino corda Nostra præparemus.

Indicit Jubilæum universale & præscribit adimplenda in Urbe.

§. 1. Hæc autem ut ferventiori studio uberiorique fructu fiant, antiquum Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum morem secuti Ecclesiæ thesauros, quorum dispensationem Nobis credidit Altissimus, aperire, & liberali manu erogare decrevimus. Itaque de Omnipotentis Dei misericordiâ, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ex illâ ligandi, atque solvendi potestate, quam Nobis Dominus, licet indignis, contulit, universis, & singulis utriusque sexus Christi fidelibus in Almâ Urbe Nostrâ degentibus, qui solemni processioni quam unâ feriis proximæ hebdomadæ, quæ erit secunda Adventus, ab Ecclesia Sanctæ Mariæ Angelorum in Thermis ad Basilicam ejusdem Sanctæ Mariæ Majoris nuncupatam de eadem Urbe unâ cum Venerabilibus Fratribus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, nec non Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis, quos in Romanâ Curiâ adesse contigerit, ac Christianorum Regum, & Principum Oratoribus apud Nos existentibus, Prælatis quoque, & Officialibus ejusdem Curiæ, universoque Clero, & Populo, benedicente Domino, agemus, devotè interfuerint, vel Sancti Joannis in Laterano, Principis Apostolorum, & Sanctæ Mariæ Majoris Ecclesias, seu Basilicas, vel earum aliquam intrà spatium ejusdem, vel proximè subsequentis hebdomadæ saltem semel visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium devotè, ut suprà, Deum oraverint, ac quartâ, & sextâ feriâ, ac Sabbato alterius ex præfatis hebdomadis jejunaverint, & peccata sua confessi, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in Dominicâ die immediatè sequenti, vel alia die intra eandem hebdomadam reverenter sumpserint, ac pauperibus aliquam eleemosynam, prout unicuique suggeret devotio, erogaverint, cæteris verò extrà Urbem prædictam ubicunque degentibus, qui Ecclesias ab Ordinariis locorum, vel eorum Vicariis, seu Officialibus, aut de eorum mandato, & ipsis deficientibus per eos, qui ibi curam animarum exercent, postquàm ad eorum notitiam hæ Nostræ pervenerint, designandas, vel Ecclesiarum hujusmodi aliquam spatio duarum similiter hebdomadarum, à publicatione designationis, vel per Ordinarios, vel eorum Vicarios, seu Officiales, vel alios, ut præfertur, faciendæ decurrarum, saltem semel visitaverint, ibique, ut suprà, oraverint, ac quatâ & sextâ feriâ, ac sabbato alterius ex hebdomadis hujusmodi jejunaverint, pariterque peccata sua confessi, ac in die Dominicâ immediatè sequenti, vel alia die intrà eandem hebdomadam Sanctissimâ Communine refecti fuerint, & pauperibus aliquam eleemosynam ut præmittitur, erogaverint, plenissimam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem, sicut in anno Jubilæi visitantibus certas Ecclesias intrà, & extrà Urbem prædictam concedi consuevit, tenore præsentium concedimus, & elargimur.

Facienda degentibus extra Urbem.

Pro navigantibus, Regularibus, captivis, infirmis & impeditis.

§. 2. Navigantes verò, & iter agentes, ut cum primùm ad sua sese domicilia receperint, suprascriptis peractis, & visitatâ Ecclesiâ Cathedrali, vel majori aut Parochiali loci eorum domicilii, eandem Indulgentiam consequi possint, & valeant: Regularibus autem personis utriusque sexus, etiam in clausstris perpetuò degentibus, nec non aliis quibuscunque tàm Laicis, quàm Ecclesiasticis Secularibus, vel Regularibus, etiam in carcere,

aut captivitate existentibus, vel aliquâ corporis infirmitate, seu alio quocunque impedimento, detentis, qui supra expressa vel eorum aliqua præstare nequiverint, ut illa Confessarius ex jam approbatis à locorum Ordinariis ante præsentium publicationem, seu approbandis, eis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque injungere, quæ ipsi pœnitentes efficere poterunt, pariter concedimus, & indulgemus.

Facultas eligendi Confessarios etiam pro Regularibus.

§. 3. Insuper omnibus, & singulis Christi fidelibus utriusque sexus tàm Laïcis, quàm Ecclesiasticis, Secularibus, & Regularibus, cujusvis Ordinis, & Congregationis, & Instituti, tàm in Urbe præfatâ, quàm extrà eam ubique locorum, ut præfertur, degentibus licentiam concedimus, & facultatem, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcunque Presbyterum Confessarium, tàm Secularem, quàm cujusvis Ordinis, & Instituti Regularem ex approbatis, ut præmittitur, à locorum Ordinariis, qui eos ab excommunicationis, suspensionis, & aliis Ecclesiasticis sententiis, & censuris à jure, vel ab homine quâvis causa latis, seu inflictis, nec non ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, & delictis quantumvis gravibus, & enormibus, etiam locorum Ordinariis, sivè Nobis, & Sedi Apostolicæ, etiam in Litteris die Cœnæ Domini legi solitis contentis, & aliàs per quascumque Nostras, aut Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum Constitutiones, quarum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis, quomodocumque reservatis, in foro conscientiæ, & hac vice tantùm absolvere, & liberare valeant, & insuper vota quæcumque (Religionis, & castitatis exceptis) in alia pia, & salutaria opera commutare, injunctâ tamen eis & eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus pœnitentiâ salutari, aliisque ejusdem Confessarii arbitrio injungendis.

De Commutatione Votorum.

§. 4. Quapropter tenore præsentium in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipimus, atque mandamus omnibus, & quibuscunque Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, ac quibuscumque Ordinariis locorum, ubicumque existentibus, eorumque Vicariis, & Officialibus, vel iis deficientibus, illis, qui curam animarum exercent, ut cùm præsentium Litterarum transsumpta, aut exempla etiam impressa, acceperint, illa statim absque ullâ morâ, retardatione, vel impedimento per suas Ecclesias, & Diœceses, Provincias, Civitates, Oppida, Terras, & loca publicent, & publicari faciant, Ecclesiamque, seu Ecclesias visitandas designent.

Jubilæum ab Ordinariis ubique præcipit publicari.

§. 5. Non intendimus autem per præsentes super aliquâ irregularitate publicâ, vel occultâ, notâ, defectu, incapacitate seu inhabilitate quoquo modo contractâ dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seu habilitandi, & in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiæ, neque etiam easdem præsentes iis, qui à Nobis & Apostolicâ Sede, vel ab aliquo Prælato, seu Judice Ecclesiastico excommunicati, seu aliàs in sententias, censuras incidisse declarati, vel publicè denunciati fuerint, nisi intrà tempus dictarum duarum hebdomadarum satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse, aut debere.

Declaratio in quibus dispensare non intendit.

§. 6. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, præsertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus, ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes, vel dissimiles Indulgentiarum, & facultatum hujusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio, aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant, nec non Regulâ Nostrâ de non concedendis Indulgentiis ad instar, ac quorumcumque Ordinum, & Congregationum, sivè Institutorum regularium, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis Statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis eisdem Ordinibus, Congregationibus, & Institutis, illorumque personis quomodolibet concessis, approbatis & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis, ac formam in eis traditam pro servatâ habentes, hac vice specialiter, nominatim, & expressè, ad effectum præmissorum derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Derogatio contrariis.

§. 7. Ut autem præsentes Nostræ, quæ ad singula Loca deferri non possunt, ad omnium notitiam faciliùs deveniant, volumus, ut earumdem præsentium transsumptis, vel exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ munitis, ubique locorum, & gentium eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 11. Decembris 1689. Pontificatus Nostri anno primo.

Transsumptorum fides.

d. 11. Decembris 1689. P. A. primo.

SANCTISSIMI D. N. D. ALEXANDRI Divinâ Providentiâ P. P. VIII. V.

Constitutio revocatoria exemptionum à vectigalibus, aliisque publicis oneribus.

ALEXANDER PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

ROmanum decet Pontificem, tanquam fidelem servum, & prudentem, quem constituit Dominus super familiam suam, non modò spiritualium providentiam Catholicæ Ecclesiæ, quantum Divina bonitas largitur, jugi vigilantiâ exhibere, sed & temporalium circumspectione, suorum, & Apostolicæ Sedis, etiam quoad temporalia, subditorum commodis indesinenter consulere, eaque de causa ad æquitatis, & justitiæ fines illa, quæ publicam inopiam prægravant, opportunæ provisionis ministerio revocare, ac desuper pastoralis Officii sui partes sollicitis studiis interponere, prout communis utilitatis rationi, ac Reipublicæ saluti consentanea esse in Domino arbitratur.

Subditorum commodum est motivum providendi.

§. 1. Cùm itaque, sicut accepimus, per quasdam immunitates, & exemptiones à vectigalium, aliorumque onerum publicorum solutione, & supportatione, quæ à nonnullis Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris, & Sede præfata, illiusque forsan de Latere Legatis, ac aliis ejusdem Sedis, & Cameræ Nostræ Apostolicæ Officialibus, & Ministris, ad importunas supplicantium preces, seu aliàs quomodolibet concessæ requiruntur, Camera prædicta, ac Communitates, & Universitates Civitatum, Oppidorum, Terrarum, & Locorum temporalis S. R. E. ditionis in gravissimis, quibus propter tot sumptus antehac in causam publicam factos, multaque onera propterea imposita, premuntur angustiis, maximam redituum, & proventuum suorum diminutionem patiantur, & plurimi subditi Nostri, ac præcipuè pauperiores, in quos ejus. quòd cæteris, iisque ut plurimum locupletioribus, per immunitates, & exemptiones hujusmodi remittitur, onus derivari necesse est, ingenti damno afficiantur.

Aliquorum exceptiones & immunitates non exemptos prægravant.

§. 2. Hinc est, quòd Nos, quibus agri Dominici cura divinitùs commissa fuit, ut juxtà Prophetam noxia evellamus, & utilia plantemus, quique statim, ac Salvatoris, & Domini Nostri vi-

Quare Prædecessorum exemplo exemptiones revocat.

ces

ces in terris gerendas Divinâ dignatione ſuſcepimus, eiſdem ſubditis Noſtris quâcumque opportuniore, & æquiore ratione ſublevandis omnem operam, atque induſtriam Noſtram adhibere propoſuimus, jamque ab ipſis Pontificatus Noſtri primordiis propoſito hujuſmodi aliquâ ex parte ſatisfacere ſtuduimus, Cameræ, ac Communitatum, & Univerſitatum, ſubditorumque Noſtrorum prædictorum indemnitati, & levamento, quantùm cum Domino poſſumus, æquè principaliter conſulere cupientes, ac fel. record. Sixti V. Pauli etiam V. Urbani VIII. Innocentii X Alexandri VII. Clementis IX. Clementis X. & Innocentii XI. aliorumque Romanorum Pontificum Prædeceſſorum Noſtrorum, qui Conſtitutiones ſimilium exemptionum & immunitatum revocatorias ediderunt, veſtigiis inhærentes, nec non quarumcunque conceſſionum, immunitatum, & exemptionum hujuſmodi, Litterarumque Apoſtolicarum ſub plumbo, ac in ſimili forma Brevis, cedularum motus proprii, & chirographorum cujuſvis Romani Pontificis Prædeceſſoris Noſtri manu ſubſcriptorum, ac illarum Litterarum, & ſcripturarum deſuper quomodolibet emanatarum, pluriesque etiam confirmatarum tenores, etiam veriores, & datas, ac occaſiones, & alia etiam ſpeciali, ac individuâ expreſſione digna, præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & verbatim inſertis reſpectivè habentes, Motu proprio, non ad cujuſquam Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certâ ſcientiâ, & maturâ deliberatione Noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine hac Noſtra perpetuò valiturâ Conſtitutione omnes, & quaſcunque exemptiones, & immunitates à ſolutione ſubſidii triennalis: nec non quarti illi adjuncti, taxarum equorum, tallearum, cenſuum archivii, fogliettæ triremium, utenſilium, dohanarum, gabellarum quarumcunque, taxæ portus Anconæ, quatrinorum, tractarum, pedagiorum, vectigalium, collectarum, & quorumlibet aliorum onerum, & munerum perſonalium, realium, & mixtorum, ordinariorum, & extraordinariorum, ſolitorum, & inſolitorum Cameralium, quorumcunque, ac etiam eorum, quæ per Communitates, & Univerſitates directè vel indirectè pro eorumdem onerum Cameralium ſolutione, publicorumque munerum ſupportatione, ac pro viis, & pontibus conſtruendis, inſtaurandis, muniendis, & manutenendis, aliiſque indigentiis, & uſibus quibuſcunque, tàm Cameræ, quàm Communitatum, & Univerſitatum prædictarum, ſeu aliàs indicta & impoſita, ac exigi ſolita ſunt, nec non ab obligatione recipiendi, & hoſpitandi milites, & Sedis prædictæ Officiales, Barigellos, Executores, alioſque Juſtitiæ Miniſtros, eiſquè utenſilia, & alia neceſſaria ſubminiſtrandi per Romanos Pontifices Prædeceſſores Noſtros, ac eandem Sedem Apoſtolicam, & quoſvis Sedis, & Cameræ prædictarum Officiales, & Miniſtros quacunque auctoritate, & poteſtate fungentes, etiam S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, etiam Camerarios, cæteroſque, etiam ſpeciali notâ, & expreſſione dignos, ac ſpecialem ad id facultatem habentes, quibuſvis Communitatibus, Univerſitatibus, Civitatibus, Terris, Oppidis, & locis ditionis temporalis S. R. E. prædictæ, ac etiam quibuſcunque feudatariis, cenſuariis, dominis locorum, familiis nobilibus, Baronibus, Comitibus, Marchionibus, Ducibus, Principibus, & aliis cujuſvis ſtatus, gradus, conditionis, & præeminentiæ exiſtentibus, ac quâvis dignitate, etiam Eccleſiaſticâ, & autoritate prædictis, etiam Cardinalatus honore fulgentibus, qui caſtra, & juriſdictiones intrà limites dictæ ditionis temporalis S.R.E. poſſident, etiam qui nihil ratione caſtrorum, & juriſdictionum hujuſmodi Sedi prædictæ annuatim, ſeu aliàs perſolvunt, & tam incolis quàm extraneis, & forenſibus, bona ſtabilia, ſeu mobilia, vel ſe moventia habentibus, & tenentibus, ſeu poſſidentibus, omniumque ſupradictorum colonis & laboratoribus, etiam in recompenſam laborum, damnorum paſſorum, expenſarum vel meritorum, ſeu aliorum intuitu, & contemplatione, ac ex aliâ quacunque quantumvis favorabili ac urgentiſſimâ, & de neceſſitate ſpecialiter exprimendâ causâ, ſub quibuſcunque verborum formis & expreſſionibus, etiamſi in Appaltuum, & locationum Cameralium Inſtrumentis, quantumvis auctoritate Apoſtolicâ, confirmatis, proviſum & cautum ſit, eas obſervari debere, ac cum quibuſvis clauſulis, & Decretis, etiam motu, ſcientiâ, declaratione & poteſtatis plenitudine paribus, etiam conſiſtorialiter, & aliàs quomodocunque, & qualitercunque in genere, vel in ſpecie, ad vitam, vel ad tempus, ſivè in perpetuum conceſſas & datas, ac pluries, & iteratis vicibus confirmatas, approbatas, revalidatas, & innovatas, & inde etiam Judicis auctoritate ſequutâ, quæcunque, nec non quaſvis Litteras, etiam Apoſtolicas ſub plumbo, vel in ſimili formâ Brevis, motus proprii cedulas, chirographa, & ſcripturas hujuſmodi, ex nunc perpetuò revocamus, caſſamus, tollimus, abrogamus, irritamus, abolemus, viribuſque, & effectu penitùs, & omninò evacuamus, & revocata, caſſata, ſublata, & abrogata, irrita, abolita, & annullata, viribuſque, & effectu penitùs, ac omninò vacua eſſe, nec ulli prorsùs in petitorio, aut poſſeſſorio, etiam ſummariſſimo contrà præſentium Litterarum tenorem, & diſpoſitionem ſuffragari poſſe, ſed prædictos omnes, & ſingulos exemptos ad omnium, & ſingulorum onerum prædictorum ſolutionem, & ſupportationem pro ratâ eos tangente in poſterum realiter, & cum effectu teneri, in omnibus & per omnia, perinde ac ſi dictæ exemptiones, & immunitates eis nullatenùs conceſſæ fuiſſent, nec Litteræ, ac cedulæ motus proprii, chirographa, & ſcripturæ hujuſmodi unquam emanaſſent, motu, ſcientiâ, deliberatione, & poteſtatis plenitudine prædictis decernimus, ſtatuimus, & declaramus.

Exemptionum ſpecies.

Etiam exemptis ratione Appaltuum Cameralium.

Verba revocatoria.

Quæ pro futuro tempore intelligenda.

§. 3. Prætereà omnia & quæcunque privilegia & indulta, perſonis Eccleſiaſticis, tàm Secularibus, quàm cujuſvis Ordinis, Congregationis, & Inſtituti, ac Societatis, etiam Jeſu Regularibus, ſuper ſimilibus immunitatibus & exceptionibus, per quoſcunque Romanos Pontifices Prædeceſſores Noſtros conceſſa, ad limites Juris communis motu, ſcientiâ, deliberatione, & poteſtatis plenitudine, & tenore prædictis reducimus.

Eccleſiaſticorum privilegia ad limites Juris communis reducuntur.

§. 4. Illa verò, quæ nonnullis Collegiis in almâ Urbe Noſtrâ exiſtentibus, per Dilectos Filios Clericos Regulares Societatis Jeſu, ſivè alios quoſcunque adminiſtrari conſuetis, ſimiliter à Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus Noſtris conceſſa fuerunt, quoad victum, & veſtitum dumtaxat, non autem ut vulgò dicitur à fundato, & magazzeno, prout antehac obſervatum fuit, ſuffragari volumus, & decernimus.

Collegiis Urbis conceſſa ad victum & veſtitum reſtringuntur.

§. 5. Ac demum ſimilia privilegia & indulta Nepotibus, & aliis conſanguineis, vel affinibus Romanorum Pontificum Prædeceſſorum Noſtrorum pro tempore viventium, ab illis reſpectivè conceſſa itidem revocamus, & abolemus, ac revocata & abolita eſſe, ac cenſeri debere volumus, & ſtatuimus. Declarantes illa nemini eorundem Nepotum, ſivè conſanguineorum, vel affinium à die Noſtræ ad ſummi Apoſtolatus apicem aſſumptionis ſuffragari poſſe, & debere, ſeu potuiſſe, ac debuiſſe.

Abolentur conceſſa Nepotibus & conſanguineis Pontificũ & effectus retrotrahitur ad diẽ ſuæ aſſumptionis.

§. 6. Per præmiſſa autem non intendimus revocare exemptiones, & immunitates quibuſcunque perſonis Eccleſiaſticis tàm Secularibus, quàm Regularibus, de jure competentes, neque Theſaurariis, Appaltatoribus, & Conductoribus bonorum, introituum, & jurium dictæ Cameræ Noſtræ ab ipſa Camera, vel aliis illius nomine in Appaltuum, & locationum Inſtrumentis, & illorum ratione ex contractu, tituloque verè oneroſo conceſſas.

Ræſervantur exemptiones certis Perſonis de jure vel ex oneroſo cum Camerâ contractu competentes.

Quibus ejuſmodi exemptiones auferantur.

§. 7. Ac

Nec non exemptiones concessæ à Communitatibus ex contractu onerosô & causis declarandis.

§. 7. Ac insuper à revocationibus, & aliis supradictis excipimus, & exceptas esse volumus & declaramus immunitates, & exemptiones quibusvis Universitatibus, & personis datas, & concessas in vim contractus ex causa verè onerosâ, videlicet congruæ, & effectualis pecuniarium solutionis, & non aliàs eidem Cameræ Apostolicæ, vel ipsis Communitatibus legitimè factæ, vel ex aliis rationabilibus causis per Nos cognoscendis, & approbandis, ut infrà, ac etiam declarandis: quas omnes causas onerosas, non nisi legitimas, ac licitas, & honestas, prout de jure approbare intendimus.

Forma reportandi Declaratoriam exemptionis præservatæ

§. 8. Et propterea quicunque illas obtinent, eas in dictâ Camerâ citato Dilecto Filio ipsius Cameræ Commissario Generali verificare, & in ipsâ Camerâ examinari, & admitti facere teneantur, etiamsi concessiones earundem immunitatum, & exemptionum, ac Litteræ, cedulæ motus proprii, chirographa, & aliæ scripturæ desuper emanatæ, & emanata aliàs in Camerâ prædictâ admissæ & admissa, ac in illâ ejusque libris registratæ & registrata fuerint & sint; quatenùs tamen causæ onerosæ hujusmodi pro verè onerosis & legitimis, ut suprà, aliàs in eâdem Camerâ verificatæ, & approbatæ, ac prævia judiciali discussione non sint legitimæ habitæ: quo casu ad indicationem tantùm, non autem ad illam verificationem eosdem obtinentes, teneri volumus, interim verò quamdiu non fuerint verificatæ minimè suffragari, & præsentis revocationis effectum retardare non posse declaramus.

Excipiuntur Cardinales, Clerici Cameræ & alii.

§. 9. Prætereà Nostræ intentionis non est sub revocationibus, & aliis supradictis comprehendere immunitates, & exemptiones eisdem S.R.E. Cardinalibus ratione dignitatis Cardinalatus, nec non Cameræ prædictæ Clericis, Præsidentibus, aliisque Cameralibus, qui in eadem Camera sederunt, & sedent, concedi, seu admitti solitas; nec illas, quibus Prælati, & Officiales Romanæ Curiæ, ac Prælati Domestici, Cubicularii Secreti, ac Secretarii, & alii familiares, & continui commensales Nostri, & Romani Pontificis pro tempore viventis in rotulo descripti gaudent, & gaudere consueverunt: neque illas ob numerum duodecim filiorum à Prædecessoribus Nostris, & aliis suprà expressis concessas, quas tamen ad terminos Constitutionis rec. mem. Pii PP. IV. Prædecessoris pariter Nostri quæ incipit, Licèt fel. rec. Paulus &c. cujus tenorem præsentibus pro plenè, & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi, illamque exactè, & ad amussim juxtà illius seriem, tenorem, & dispositionem in omnibus, & per omnia servari debere volumus, & aliarum Constitutionum Apostolicarum super similium exemptionum declaratione editarum, & ad illas tantum, & pro tempore, & personis, ac eo modo, & formâ, quibus de Jure communi illis competunt, & aliàs juxtà ipsius Juris communis, ac supradictarum, & aliarum Constitutionum Apostolicarum dispositionem reducimus, neque aliter, quàm ut præfertur, sivè in possessorio, sivè in petitorio suffragari volumus, & decernimus.

Injungitur Ministris observantia.

§. 10. Cæterùm Appaltatoribus, Thesaurariis, Depositariis, Commissariis, Executoribus, & cæteris Agentibus, & Ministris dictæ Cameræ, ac Communitatum, & Universitatum prædictarum, earundem serie præsentium districtiùs inhibemus, ne contrà ipsarum præsentium dispositionem immunitates, & exemptiones, nisi ut suprà exceptas, ac eas, quas ex causâ verè onerosâ concessas in Camerâ prædictâ, ut præfertur, admitti contigerit, ullatenus admittant: & si secùs fuerint id nemini eorum in suis computis seu rationibus per eandem Cameram admitti volumus, sed eorum damno cessurum esse declaramus.

Lites super præmissis extinguuntur.

§. 11. Postremò lites quaslibet occasione privilegiorum, ac indultorum, nec non immunitatum, & exemptionum hujusmodi quomodolibet suscitatas, & in quibusvis Tribunalibus pendentes (illarum omnium, & singularum statum, & merita, nominaque & cognomina Judicum, & collitigantium quorumvis, etiàm speciali mentione dignorum, & alia etiam de necessitate specialiter exprimenda, præsentibus pro plenè & sufficienter expressis habentes) à quibuscunque Tribunalibus hujusmodi ad Nos earundem serie præsentium avocamus, illasque penitùs, & omninò perpetuò supprimimus, & extinguimus, & pro suppressis, & extinctis haberi volumus, & declaramus, ac partibus perpetuum desuper silentium imponimus.

Decretum super obstativis.

§. 12. Decernentes præsentes Litteras, ac omnia, & singula in illis contenta, etiam ex eo quod quicunque in præmissis, sivè eorum aliquo interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, ac ad ea vocati, & auditi, seu causæ propter quas ipsæ præsentes emanarunt adductæ, verificatæ, seu aliàs sufficienter, aut etiàm ullatenùs justificatæ non fuerint, aut ex aliâ quâvis, quantùmlibet legitimâ, piâ, juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, occasione & capite, etiam in corpore Juris clauso, etiam enormis, enormissimæ & totalis læsionis nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis Nostræ, vel quorumvis interesse habentium consensus, aut alio quovis quantùmvis magno & substantiali, ac inexcogitato defectu notari, impugnari, invalidari, restringi, in Jus, vel controversiam vocari, suspendi, limitari, aut ad terminos Juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aut aliud quodcunque Juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, seu etiàm motu simili concesso quempiam in judicio, vel extrà illud uti, seu se juvare posse; neque easdem præsentes sub quibusvis similium, vel dissimilium Constitutionum, ac revocationum, & ordinationum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, & aliis contrariis dispositionibus pro tempore, quomodolibet factis, comprehendi, aut comprehensas censeri, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, repositas, & plenariè reintegratas, ac etiam sub posteriori data, quatenus opus sit, de novo concessas perpetuòque validas, firmas, & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat, & quandocunque spectabit, inviolabiliter observari.

Decretum irritans & clausula sublata.

§. 13. Sicque in præmissis per quoscunque Judices, & Commissarios, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & quosvis Sedis, & Cameræ prædictarum Officiales & Ministros, & alios quoscunque quâvis auctoritate, & potestate fungentes, nunc & pro tempore existentes, sublatâ eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Executorum deputatio.

§. 14. Quocircà Dilectis Filiis Nostro, ac S.R.E. prædictæ Camerario, seu Procamerario, nec non Vicecamerario, Thesaurario, ac Clericis Præsidentibus, Commissario, & aliis Cameræ prædictæ Officialibus, ad quos spectat, præcipimus, & mandamus, ut præsentem Nostram Constitutionem, & in ea contenta quæcunque in omnibus & singulis firmiter, & inviolabiliter observent, & faciant ab aliis observari.

Clausulæ derogatoriæ.

§. 15. Non obstan. supradictarum litium pendentia aliisque omnibus, & singulis præmissis, nec non Nostrâ, & Cancellariæ Apostolicæ Regulâ de jure quæsito non tollendo, ac quatenus opus sit, prædicti Pii Prædecessoris de gratiis qualecunque interesse dictæ Cameræ concernentibus in eadem Camera præstandis, & registrandis ita ut præsentes in ea præsentari, aut registrari nunquam necesse sit,

aliis-

aliisque Apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, nec non quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, concessionibus, immunitatibus, exemtionibus, chirographis, cedulis motuum propriorum, & aliis scripturis, & Litteris, etiam Apostolicis prædictis, & quibusvis aliis, etiam ut præfertur qualificatis, ac speciali nota, & mentione dignis, etiamsi nominatim essent exprimendæ, sub quibuscunque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis Decretis, etiam inexcogitabilibus, & necessariò exprimendis, etiam contractus jurati cum Camera Nostra Apostolica initi, & Camerali obligatione vallati, & quovis alio robore, & cautela firmatis, editis, seu factis, ac aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis & pluries innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi in eis caveatur expresè, quòd nullo unquam tempore sub similium vel dissimilium exemptionum, & immunitatum revocationibus, abrogationibus, annullationibus, aut aliis quibuslibet contrariis dispositionibus, & Constitutionibus, pro tempore edendis comprehendantur, sed semper ab illis excepta, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum eumque validissimum statum restituta, reposita, & reintegrata, ac etiam sub posteriori data per quascunque personas eligenda de novo concessa sint, & esse censeantur, nec non pro sufficienti eorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio facienda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, formas, & occasiones præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, insertis, ac servatis respectivè habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresè derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Publicari mandat, &

§. 16. Ut autem eædem præsentes Litteræ ad omnium notitiam faciliùs deveniant, volumus & auctoritate Apostolicâ decernimus, illas ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ de Urbe per aliquem ex Cursoribus Nostris publicari, ac illarum exempla ibidem affixa relinqui, quæ sic publicatæ omnes & singulos, quos concernunt, perindè afficiant, & arctent, ac si illorum unicuique personaliter notificatæ, & intimatæ fuissent.

Transsumptis fidem adhiberi.

§. 17. Utque earumdem præsentium transsumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem fides in judicio, & extrà illud adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam majorem sub Annulo Piscatoris die 24. Decembris 1689, Pontificatus Nostri anno primo.

P.A. primo 24. Decembris 1689.

J. F. ALBANUS.

VI.

SANCTISSIMI D. N. D. ALEXANDRI Divinâ Providentiâ Papæ VIII.

Concessio Privilegiorum pro nonnullis suis familiaribus.

ALEXANDER PAPA VIII.

VEnerabilibus Fratribus, Bandino Panciatico Patriarchæ Hierosolymitano Datario, Herculi Vicecomiti Archiepiscopo Damiaten. Palatii Nostri Apostolici, ac Josepho Eusanio Prophyrien. Sacrarii Nostri respectivè Præfectis, & Joanni Baptistæ Rubino Vicentin. Episcopis Secretario Status, ac Dilectis Filiis Magistris Mario Spinulæ Januen. Litterarum Nostrarum in formâ Brevis, quæ ad Principes scribuntur, Joanni Francisco Albano Urbinaten. Brevium Nostrorum Secretorum, respectivè Secretariis, & Marcello de Aste Romano in utrâque signaturâ Nostrâ Referendario Auditori Nostro, Prælatis Domesticis Nostris; Ac Petro Draghi Bartoli Veneto Cubiculi Nostri Præfecto, Mariano Gabrieli Aquilejen. Pincernæ, Josepho Tempestino Romano Architriclino, Francisco Maggi Aretin. Vestiario, Josepho Felici Reatin. Elemosynario Secreto, Bernardino Sarti Ariminen. Romulo Specioli Firman. Medico Secreto, & Raphaeli Fabretti Urbinaten. Libellorum supplicum Nobis porrectorum Secretario, Cubiculariis intimis, seu secretis; nec non Urbano Roccio Romano Forerio Majori, & Theodoro Cellesio Pistorien. Fratri Militi Magnæ Crucis Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani, ac Comiti Alexandro Capisucchio Romano itidem Cubiculariis Secretis, & Josepho Sacripanti Narnien. Aulæ Nostræ Consistorialis Advocato Subdatario, ac Bartholomæo Clementi Camerinen. Caudatario, Joanni Paulo Romaldi Æsin. Crucifero, Joanni Bisaiga Vercellen. & Bernardino Porti Bononien. Cappellanis Secretis, nec non Æneæ Brugioni Cæsenaten. Antonio Scipioni Gabellotti Faventin. Alexandro Ferni Lauden. Bernardino Ceci Alatrin. & Ludovico del Nero Romano respectivè Civitatum vel Diœcesum Clericis seu Presbyteris, vel Laicis Cubiculi Nostri Adjutoribus familiaribus, continuis commensalibus Nostris, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

Nomina familiarium Sanctitatis Suæ.

Exordium àsolito more favendi familiaribus.

Circumspecta Romani Pontificis gratiarum dispensatoris providentia devotos, & fideles suos, illos præsertim, qui grata familiaritatis obsequia jugiter ei impendunt, ac quos ad id aliàs propria virtutum merita commendant, honoris, & famæ ampliorib us præconiis, ac præclaris dignitatum titulis decorare, & ornare, nec non specialis benevolentiæ favoribus amplecti solet, prout personarum qualitatibus conspicit convenire.

Motu proprio creat Notarios, Comites Palatinos, Equites, Nobiles Romanos ac Cives Urbis & aliarum Civitatum.

§. 1. Hinc est, quod Nos ad grata familiaritatis obsequia, quæ vos, qui etiam continui commensales Nostri existitis, & quilibet vestrum Nobis hactenùs impendistis, & adhuc sollicitis studiis, impenditis nec non ad vitæ, ac morum honestatem, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, quibus personas vestras, etiam familiari experientiâ juvari percepimus, condignam rationem habentes, ac propterea easdem personas vestras peculiaris favore gratiæ, ac specialis honoris, & excellentiæ dignitatis titulo sublimare volentes, vosque, & quemlibet vestrûm à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quâvis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existitis, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes; Motu proprio, non ad vestram vel alterius pro vobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de merâ liberalitate, & certâ scientia Nostris, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine vos, & quemlibet vestrûm respectivè in Nostros, & Sedis Apostolicæ Notarios (sinè tamen præjudicio Dilectorum Filiorum Notariorum de numero participantium) Apostolicâ authoritate tenore præsentium recipimus, ac Sacri Palatii, & Aulæ Lateranen. Comites, nec non auratæ Militiæ Equites, ac Nobiles Romanos, & Urbis Romæ, ac Civitatum Avenionen. Bononien. Ferrarien. & Beneventan. omniumque, & singularum aliarum Civitatum, Terrarum, & lo-

corum Romanæ Ecclesiæ mediatè vel immediatè subjectorum Cives, cum omnibus juribus, jurisdictionibus, prærogativis, & insignibus debitis, & consuetis creamus, ac constituimus, ac in numerum, & consortium aliorum Nostrorum, & ejusdem Sedis Notariorum, nec non Palatii, & Aulæ hujusmodi Comitum, Equitum, & Nobilium Romanorum, aliorumque Civium Civitatum, & Terrarum prædictarum referimus, & conscribimus; Vobisque, etiamsi habitum, & rocchettum Notariorum dictæ Sedis juxtà Decreta Lateranensis Concilii novissimè celebrati non deferatis, aut Cvitates hujusmodi non incolueritis, nec unquam in eisdem Civitatibus domicilium habueritis, ut omnibus, & quibuscunque privilegiis, & facultatibus, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, favoribus, gratiis, & indultis, quibus cæteri omnes Notarii Nostri, etiam de numero participantium, ac Comites, Equites, & Nobiles (citrà tamen exemptiones à S. Concilio Tridentino sublatas, ita ut nedùm quoad criminalia, sed etiàm quoad civilia subjaceatis Ordinariis, ac citrà facultates legitimandi, ad gradus promovendi, Notarios, seu Tabelliones creandi, aliaque hujusmodi privilegia à Notariis, & Comitibus præfatis prætensa, ita ut illis nullibi uti valeatis, ac irritum, & inane existat quicquid secùs per vos, aut quemlibet vestrum respectivè attentari contigerit) nec non Cives originarii, etiam in Dignitatum, Beneficiorum, & Officiorum Ecclesiasticorum, ac Secularium, etiam ex personis Romanorum Civium originariorum vacantium assecutione & exercitio tam in Urbe, quàm in omnibus, & singulis Civitatibus prædictis, & aliàs ubique locorum, & gentium, nec non Sessionum, & Conventuum utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, non solùm ad eorum instar, sed pariformiter, & æquè principaliter, ac si privilegia, facultates, exemptiones, gratiæ, & indulta hujusmodi pro vobis emanassent, uti, potiri, & gaudere, ac in omnibus & singulis Apostolicis aliisque Litteris, instrumentis, & scripturis publicis, & privatis deinceps nomine vestro conficiendis Notarios, Comites, Equites & Nobiles, ac de nobili genere ex utroque parente procreatos, nec non Romanos & aliarum Civitatum, & Terrarum Cives, prout libuerit, vos inscribere, & illis subscribere valeatis, ac pro veris, & non fictis Notariis, Comitibus, Equitibus, & Nobilibus ac Civibus habeamini, nihilque qualecunque illud fuerit, cum iis subscriptionibus subreptitium, vel obreptitium, aut invalidum, sed illud idem efficax in omnibus censeatur.

Concilii Tridentini Reformatio præservatur, & in aliquibus privilegium restringitur

§. 2. Nec non honoris causâ insignia gentis Nostræ, sivè integrè, sivè cum vestris respectivè composita gestare possitis, prout vobis placuerit, concedimus.

Concedit insignia gentilitia Suæ Sanctitatis.

§. 3. Et insuper vos vestraque Beneficia, & Officia Ecclesiastica quæcunque, quotcumque, & qualiacunque, illorum fructus, res & jura ubicumque locorum, Regnorum, & Provinciarum, nec non in Urbe, Civitatibus Terris, & Locis, eidem Romanæ Ecclesiæ mediatè, vel immediatè subjectis consistentia, prædia, domos, possessiones, & bona patrimonialia, aliaque temporalia mobilia, & immobilia, ac se moventia, nec non actiones, & jura præsentia & futura, cujuscunque qualitatis, quantitatis & naturæ, ac cujusvis etiam annui valoris fructus, reditus, & proventus hujusmodi sint, vel fuerint, ac etiam quæcunque à vobis vendenda, ac pro vestris, ac familiarum vestrarum usibus emenda ab omnibus, & quibuscunque decimis, quartis, & dimidiis partibus, subsidiis, etiam charitativis, nec non vectigalibus, portoriis, tributis, datiis, pedagiis, collectis, & quocunque alio nomine nuncupatis angariis, perangariis, cæterisque oneribus, & contributionibus tam urbanis, quàm rusticis ordinariis & extraordinariis, realibus, personalibus, & mixtis etiam ratione munitionum, mœnium & pontium, portarum, & moliturarum & mercium, cujuscunque generis transitûs, seu passûs, & vecturæ, etiam in aliud territorium, seu provinciam, terra, mari, & flumine, nec non equorum mortuorum, stabulationum, militum, institutionis Seminarii Ecclesiastici, aut quæcunque alia quantumvis gravi, & gravissimâ causa, (pro subventione contra infideles dumtaxat excepta) nunc & pro tempore impositis, ita quòd vos, & quilibet vestrum nihil omninò horum, aut aliorum similium subire teneamini, nec per Cameræ Apostolicæ, aut alios Commissarios, seu vectigalium, & tributorum hujusmodi Redemptores, Conductores, & Exactores quocunque privilegio, exemptione, & facultate, suffultos, aliàs quàm ut præfertur, valeatis coarctari (quamdiu servitiis Nostris institeritis dumtaxat) eximimus, & liberamus.

Eximuntur à decimis, impositionibus, taxis, vectigalibus ac tributis durante servitio.

§. 4. Ad hæc vobiscum, & cum quolibet vestrûm respectivè, ut quæcunque duo dissimilia, vel simplicia similia sub singulis tribus tectis quarumcumque trium Cathedralium, etiam Metropolitanarum, & aliarum, etiam Collegiatarum Ecclesiarum consistentia, etiamsi unum exillis omnibus cum curâ, aut Dignitas etiam major, & principalis, Canonicatus & Præbenda, Personatus, administratio, vel officium fuerit, & ad dignitatem, Personatum, administrationem, vel officium hujusmodi consueverit quis per electionem assumi, eique cura etiam jurisdictionalis immineat animarum, si alicui vestrûm aliàs Canonicè conferantur, aut quisque vestrûm eligatur, præsentetur, aut aliàs assumatur ad illa, & instituatur in eis, recipere, & dummodo illa omnia (uno excepto) personalem residentiam non requirant, insimul quoad vixeritis, retinere.

Indultum retinendi duo Beneficia sub eodem tecto in tribus Ecclesiis.

§. 5. Nec non etiam, quamdiu Nobis inservieritis tantùm, in Beneficiis Ecclesiasticis etiam curatis (non tamen Parochialibus, nec curatis curâ animarum Parochianorum) per vos pro tempore respectivè obtentis, etiam de jure, statuto, fundatione, vel privilegio, personalem residentiam requirentibus, etiamsi Dignitates in Cathedralibus, etiam Metropolitanis, post Pontificalem majores, ac Collegiatis Ecclesiis hujusmodi principales fuerint, personaliter residere non teneamini, nec per locorum Ordinarios, aut Ecclesiarum earumdem Capitula, seu quosvis alios ad residendum interim in illis inviti compelli possitis, omnesque, & singulos nihilominus vestrorum Beneficiorum obtentorum fructus, reditus & proventus, durante servitio prædicto, cum eâ integritate (distributionibus quotidianis dumtaxat exceptis) cum qua illos percipere-tis, si in eisdem Ecclesiis, sive locis personaliter residere-tis, percipere, exigere, & levare.

Indultum non residendi durante servitio & percipiendi fructus in absentiâ

§. 6. Ac interim vel postmodum si volueritis, in Romana Curia, vel extra eam à quocunque, quem malueritis Catholico Antistite gratiam, & communionem ejusdem Sedis habente, quem duxeritis eligendum, ad omnes, etiam sacros, & Presbyteratus Ordines aliquibus tribus Dominicis, vel aliis festivis diebus, etiam extra tempora à Jure statuta, proprii Ordinarii, aut cujusvis alterius licentiâ desuper minimè requisitâ, si aliàs ad id idonei reperti fueritis, super quo Antistitis conscientiam oneramus, promoveri, & promoti in illis etiam in Altaris Ministerio ministrare.

Indultum etiam terminato servitio suscipiendi Ordines extra tempora & sinè licentiâ Ordinarii.

§. 7. Nec non, etiamsi Presbyteri fueritis, ac dignitates, & officia obtinueritis, Leges, & Jura Civilia, etiam publicè in Scholis & Universitatibus studiorum generalium ad quinquennium dumtaxat, dummodo trigesimum ætatis annum non excesseritis, audire, & si habiles, & sufficientes reperti fueritis, etiam ad Doctoratus Gradum in hujusmodi Facultate vos promoveri facere, ipsaque Jura etiam publicè docere, atque Judicis, Advocati, & Procuratoris Officium in causis Ecclesiasticis, & Civilibus tantùm exercere liberè, & licitè possitis, & valeatis, auctoritate, & te-

Jus Civile audiendi & legendi, & causas civiles & Ecclesiasticas patrocinandi.

nore

nore prædictis de ſpecialis dono gratiæ diſpenſamus.

Eligendi Confeſſarium qui à cenſuris & reſervatis abſolvere & vota commutare valeat

§. 8. Liceat quoque vobis, & cuilibet veſtrûm aliquem idoneum, & approbatum ab Ordinario Presbyterum Secularem, vel cujuſvis Ordinis Regularem in veſtrum eligere Confeſſorem, qui vitâ cujuslibet veſtrum comite, vos & quemlibet veſtrum à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis à jure, vel ab homine quâvis occaſione, vel causâ latis, & per vos incurſis, & quibus vos etiam Apoſtolicâ auctoritate illaqueari contigerit, etiamſi abſolutio Nobis, & Succeſſoribus Noſtris Romanis Pontificibus pro tempore exiſtentibus ſpecialiter, vel generaliter reſervata exiſtat, & quorumcunque votorum, & Eccleſiæ præceptorum tranſgreſſionibus, homicidio caſuali, manuum violentarum in quaſvis perſonas, etiam Eccleſiaſticas (non tamen Epiſcopos, vel alios Superiores Prælatos) de præterito injectionibus, ſeu conſilii, vel favoris ad id præſtationibus, jejuniorum omiſſionibus (non tamen recitationis horarum Canonicarum, aliorumque Divinorum officiorum) & denique ob omnibus & quibuſcunque aliis veſtris peccatis, criminibus, & exceſſibus, ac delictis, quantumcunque gravibus, & enormibus, etiam talibus, propter quæ Sedes prædicta meritò conſulenda foret, videlicet à contentis in Litteris die Cœnæ Domini publicari conſuetis, ſemel tantùm in vita & mortis articulo; in reliquis verò dictæ Sedi quomodocunque reſervatis, aliiſque quibuſvis caſibus ſemel in anno, confeſſionibus veſtris diligenter auditis (ſine tamen alicujus præjudicio) auctoritate Apoſtolicâ abſolvere, & vobis pro commiſſis pœnitentiam injungere ſalutarem, nec non vota quæcunque (ultramarino viſitationis liminum Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum, caſtitatiſque, & Religionis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare valeat.

Facultas transferendi penſiones etiam aliàs translatas uſque ad ſummam 300. Ducatorum.

§. 9. Vobiſque ulteriùs, & cuicumque veſtrûm reſpectivè, ut quicunque loci Ordinarii, vel Canonici Metropolitanarum, ſeu aliarum Cathedralium Eccleſiarum, aut perſonæ in dignitate Eccleſiaſticâ conſtitutæ, tàm in dictâ Curiâ, quàm extrà eam ad id per vos reſpectivè coram Notario, & teſtibus fide dignis eligendi, ſeu eligendæ, quaſcunque penſiones annuas vobis ſuper menſarum Abbatialium, ſeu Capitularium, ac Epiſcopalium, & Archiepiſcopalium, ac quorumcunque Beneficiorum Eccleſiaſticorum, cum curâ, & ſine curâ ſecularium, & quorumvis Ordinum, & Militiarum regularium, etiam Hoſpitalis S. Joannis Hieroſolymitani prædicti quomodocunque, & qualitercumque qualificatorum fructibus, reditibus, proventibus, juribus, obventionibus, & diſtributionibus etiam quotidianis, ſeu illarum loco fructus, reditus, proventus, jura, obventiones, diſtributiones, & emolumenta vobis nunc, & pro tempore aſſignata, & reſervata, ac reſervanda, pro ſummâ videlicet trecentorum ducatorum auri de Camerâ quoad ſingulos veſtrûm, quandocumque alicui veſtrûm reſpectivè placuerit, ſimul, vel ſucceſſivè in toto, vel in parte, etiam in cujuslibet veſtrûm mortis articulo caſſare, & extinguere, ac poſtquàm caſſatæ & extinctæ fuerint, alias ſimiles penſiones annuas ſuper eiſdem fructibus, reditibus, proventibus, juribus, obventionibus, & diſtributionibus, & emolumentis, ſeu illarum loco fructus, reditus, proventus, jura, obventiones, diſtributiones, & emolumenta hujuſmodi uſque ad ſummam, & quantitatem prædictam uni, vel pluribus aliis perſonis, etiam per vos nominandis, etiam quæcumque, quotcumque, & qualiacumque Beneficia Eccleſiaſtica obtinentibus, & expectantibus Clericis, ſeu Clericali charactere inſigniri volentibus, etiam eis quoad vixerint, ſeu eorum Procuratoribus ad id ſpeciale ab eis mandatum habentibus iiſdem modo, & forma, quibus vobis aſſignatæ, & reſervatæ, ſeu aſſignata & conceſſa fuerint reſpectivè, etiam abſque conſenſu eaſdem penſiones ſolvere debentium, etiamſi illas, vel illa aliàs caſſari, & reſervari de novo faciendi facultatem non habueritis, ac penſiones & fructus, reditus, proventus, jura, obventiones, ac diſtributiones & emolumenta hujuſmodi etiam pluries caſſata, & de novo aſſignata fuerint uſque ad ſummam, & quantitatem prædictam, etiam Litteris Apoſtolicis ſuper reſervationibus, & aſſignationibus hujuſmodi non confectis, ac aliàs cum omnibus, & quibuſcumque exemptionibus, privilegiis, Decretis, clauſulis, cautionibus, vinculis, obligationibus, & cautelis, ac etiam cenſuris, & pœnis in prioribus reſervationibus hujuſmodi conceſſis, & contentis, nec non cum ſubrogatione in quibuſvis veſtris juribus etiam quoad quaſi poſſeſſionem exigendi, in quâ tunc eritis, integrè perſolvendas, ſervata tamen formâ Conſtitutionis fel. rec. Innocentii Papæ XI. Prædeceſſoris Noſtri ſuper translationibus penſionum editæ, reſervare, conſtituere, & aſſignare valeant, auctoritate & tenore prædictis de ſpeciali gratiâ indulgemus.

Facultas teſtandi & quomodolibet diſponendi uſque ad ſummam ſex mille ducatorũ & ſine ſolennitatibus.

§. 10. Nec non etiam vobis, ut de omnibus & ſingulis domibus, prædiis, poſſeſſionibus, terris, & locis, ac juriſdictionibus cæteriſque bonis mobilibus, & immobilibus, quæ tamen non ſint Altaris ſeu Altarium, Eccleſiarum vobis commiſſarum Miniſterio, ſeu alicui ſpeciali earundem Eccleſiarum Divino cultui ſeu uſui deputata, ſeque moventibus, cujuſcumque qualitatis, quantitatis, valoris, ſpeciei, pretii, & conditionis exiſtentibus ac juribus & actionibus ad vos ratione Eccleſiarum, etiam Cathedralium, & Metropolitanarum, quibus vos forſan præeſſe contigerit, nec non Monaſteriorum, Prioratuum, Præpoſiturarum, dignitatum, & aliorum quorumcunque Beneficiorum Eccleſiaſticorum cum curâ & ſine curâ ſecularium, & quorumvis Ordinum regularium, quæ etiam ex quibuſvis conceſſionibus, & diſpenſationibus Apoſtolicis in titulum, commendam, adminiſtrationem, ac aliàs quomodolibet obtinueritis, obtinetis, & obtinebitis, ac fructuum, redituum, & proventuum Eccleſiaſticorum loco penſionum, ipſarumque penſionum annuarum ſuper ſimilibus fructibus, reditibus, & proventibus vobis reſervatorum, & aſſignatorum, ac reſervandorum, & aſſignandorum, quos, & quas perceperitis, percipitis, & percipietis in futurum, nec non emolumentorum quorumcunque Romanæ Curiæ officiorum, & aliàs quomodolibet ſpectantibus, & pertinentibus, ac etiam de dictis proventibus, fructibus, reditibus, & penſionibus annuis, nec non veſtrâ, & cujuslibet veſtrum induſtriâ, & labore quomodolibet, & undecumque, licitè tamen acquiſitis, & acquirendis, ac aliàs etiam de muneribus, & Officiis, quæ exercueritis, & vos exercere contigerit, & aliàs quâvis occaſione, vel causâ, ſeu contemplatione ad vos perventis, & perventuris, etiamſi in pecuniâ numeratâ, jocalibus, gemmis, aliiſque pretioſioribus rebus conſiſtant, tam in dictâ Curiâ quàm extrà eam ubique locorum, etiam penes Beneficia ipſa exiſtentibus (quorum omnium qualitates, & veros etiam annuos valores, etiamſi talia forent, quæ generali appellatione bonorum, & ſuppellectilium non venirent, ſed ſpecialibus indigerent vocabulis, præſentibus, ac ſi ſpecificè, & ſigillatim exprimerentur, & denominarentur, pro ſufficienter expreſſis, ac declaratis haberi volumus) uſque ad ſummam ſex millium ducatorum auri de Camerâ pro unoquoque veſtrûm, ac etiam de ipſis fructibus, reditibus, & debendis (ſervatâ tamen formâ Conſtitutionum Apoſtolicarum jàm editarum, & ſi quas deinceps edi contigerit ſuper fructibus inexa-

ctis) etiam cumulativè, cum quibuſvis aliis ſimilibus vel diſſimilibus facultatibus habitis, & habendis, tàm pro decentibus, & honeſtis impenſis funebribus, quàm etiam pro remuneratione illorum, qui vobis viventibus ſervierint, etiam ultra ſervitii meritum, ac in veſtrorum conſanguineorum, & affinium, ac quorumcunque locorum piorum favorem, & uſum, ac aliàs pro arbitrio, & voluntate veſtris, & cujuslibet veſtrum abſolutis teſtari, & teſtamento, codicillis, fideicommiſſis, legatis, donationibus, tàm inter vivos, quàm cauſâ mortis, & aliis quibuſcumque modis, & titulis, ſcripturâ etiam minùs ſolemni coram duobus, vel tribus Teſtibus, aut etiam cedulâ ſola manu ſcriptâ, vel ſubſcriptâ, & aliàs in omnibus, & per omnia, prout & quomodolibet vobis videbitur, etiam in ipſa Curia & in mortis articulo, etiam nulla facta mentione præſentis, vel aliarum vobis pro tempore conceſſarum ſimilium facultatum, aut quòd in vim illarum teſtari, ſeu diſponere velitis, & intendatis, ſemel, atque iterùm, aut pluries diſponere, ſtatuere, & ordinare, ita ut quicquid teſtatum, geſtum, aut ordinatum, ſeu aliàs diſpoſitum à vobis fuerit, etiam in vim ſimplicis diſtributionis, ac alias omni meliori alio modo valeat, & ſervari debeat, ipſaque teſtamenta, codicillos, & diſpoſitiones, ordinationes, legata, & Statuta pluries, ac toties quoties vobis videbitur moderari, limitare, ac etiam in totum revocare, & alia de novo condere liberè & licitè valeatis, auctoritate Apoſtolicâ earumdem tenore præſentium plenam, & liberam concedimus facultatem.

Liberatio à ſpolio & bonorum delatio ad hæredes.

§. 11. Et inſuper ſtatuimus, & ordinamus, vobiſque indulgemus, quòd ſi vos ab inteſtato, & ſine ullâ, vel cum minùs validâ bonorum, & rerum, ac fructuum, redituum, & proventuum prædictorum diſpoſitione in dictâ Curiâ, vel extrà eam, tàm continuâ, quàm interpolatâ inibi cujuslibet veſtrûm reſpectivè manſione, ac etiam extrà Beneficia veſtra, vel alia loca debitæ à vobis reſidentiæ perſonalis, etiam nulla ſubſiſtente cauſa, ab humanis decedatis, omnia, & ſingula bona, res & jura, etiam ut præfertur, qualificata, nec non ſpolia cujuſcumque quantitatis, & valoris exiſtentia, etiam ex prædictis, & aliàs undecumque provenientia, ad Cameram Apoſtolicam, ſeu in dictis Beneficiis Succeſſores non pertineant, ſed ad hæredes veſtri ſanguinis integrè deveniant, & illis deficientibus inter familiares veſtros arbitrio perſonæ, ſeu perſonarum, quas ad id ſcripto nominaveritis, diſtribuantur, niſi de alia diſpoſitione, vel intentione veſtra ſcriptura etiam minus ſolemnis ſecus appareret, quam tunc velut efficacem ipſa perſona, vel alii Judices, ſeu Executores omnino exequi, & adimplere, illique ſe conformare in omnibus, & per omnia debeant.

Diſpoſitiones confirmat & ſupplet defectus.

§. 12. Et nihilominus quæcumque hujuſmodi teſtamenta, legata, donationes, diſpoſitiones, & alia forſan à vobis, nullâ, vel minus ſufficienti facultate ſuffultis de hujuſmodi bonis, juribus, & actionibus, fructibus, pecuniis, jocalibus, aliiſque rebus ſupradictis, etiam in favorem conſanguineorum, & affinium prædictorum, & aliàs quomodolibet facta, cum omnibus indè ſecutis, ac etiam ea, quæ per vos in futurum fient ex nunc, prout ex tunc, & è contrà, pro dicta ſumma ſex millium ducatorum approbamus, & confirmamus, omneſque & ſingulos juris, & facti, ac ſolemnitatum omiſſarum, & omittendarum, nec non ſubſtantiales, alioſque defectus quoſcumque, ſi qui intervenerint, aut intervenerunt in eiſdem, etiamſi tales ſint, vel fuerint, quòd ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa de illis mentio præſentibus habenda eſſet ſupplemus.

Inhibet moleſtari.

§. 13. Diſtrictiùs inhibentes quibuſvis Archiepiſcopis, Epiſcopis, aut aliis Eccleſiarum Prælatis, nec non Cameræ prædictæ Præſidentibus, & Clericis, ac eorum, nec non Fabricæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, ac Cruciatæ Sanctæ, & aliis Collectoribus, & Subcollectoribus, cæteriſque, cujuscumque dignitatis, ſtatus, gradus, & conditionis exiſtentibus, etiam quâvis auctoritate, & poteſtate fungentibus, ſub excommunicationis majoris, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, ne Univerſitates, Collegia, ac loca: & legatarios, hæredes & perſonas, nec non teſtamentorum, voluntatum, & ordinationum hujuſmodi Executores prædictos directè, vel indirectè quæſito colore vel ingenio moleſtare audeant quoquo modo, vel perturbare.

Clauſulæ præſervativæ.

§. 14. Ac decernentes prædicta omnia, & ſingula, præſenteſque Literas, & teſtamenta, donationes, codicillos, fideicommiſſa, legata, ordinationes, derogationes, diſpoſitiones, & alia quæcumque, nec non quæ in præmiſſis facta ſunt aut fieri contigerit, tàm vigore præſentis, quàm etiam illarum conceſſionum vobis factarum, & deinceps in genere, & in ſpecie faciendarum, cum inde ſecutis & ſecuturis, etiamſi vos intrà Curiam, aut in quacumque alia mundi parte extra Eccleſias, & Beneficia perſonalem reſidentiam requirentia qualitercumque qualificata per vos nunc, & pro tempore obtenta, etiam pro veſtrâ ſolâ voluntate, & nullâ ſubſiſtente cauſâ non reſidendi, ab humanis decedere contigerit, ſub Litteris rec. mem. Pii Papæ IV. Prædeceſſoris Noſtri contrà quoscunque Epiſcopos, Archiepiſcopos, & alios Prælatos, nec non Parochialium Eccleſiarum Rectores cæteroſque reſidentiæ perſonali prædictæ adſtrictos extrà illam quomodocunque decedentes ſeptimo Kalend. Decembris Pontificatus ſui anno quinto, aut alio veriori tempore emanatis, & ſub quibuſcunque aliis Conſtitutionibus, aut revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, modificationibus, Decretis, declarationibus Apoſtolicis, Cancellariæ Apoſtolicæ Regulis, ex quibuſcunque cauſis, quantumque maximis, urgentibus, & inexcogitabilibus, etiam in favorem fidei, & Divini cultus augmentum, ac conſiſtorialiter, etiam à Nobis, & Sede prædictâ hactenùs, vel nunc, & pro tempore factis, & editis minimè comprehendi, ſed ſemper ab illis excepta, & quoties emanata fuerint, toties in priſtinum & validiſſimum ſtatum, & etiam ſub poſteriori datâ, etiam cum derogationibus, & clauſulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, irritantibuſque, & aliis Decretis per vos eligendâ apponendis, & latiſſimè ſpecificandis repoſita, reſtituta, & plenariè reintegrata, ac de novo conceſſa, validaque, & efficacia fore, nec non perpetua firmitate ſubſiſtere, ſuoſque plenarios, & omnes effectus, quos de jure, ſtylo, conſuetudine, aut aliàs quomodocunque ſortiri poterunt, ac vim veri, legitimi, jurati, ſtipulati, validi, & efficacis contractus inter vos, ex unâ, ac Nos, & Cameram prædictam ex alterâ partibus habere, nec etiam per promotionem ad Eccleſiam Cathedralem, etiam Metropolitanam, aut translationem, vel aliam ſtatus, & perſonæ veſtræ mutationem ceſſare, nec perſimiles, vel diſſimiles gratias vobis conceſſas, & concedendas confundi, ſed ipſis cumulativè in omnibus, & per omnia uti, & ſi quid in unâ ex facultatibus hujuſmodi defecerit, per aliam ſuppleri debere, nec hæredes, legatarios, ac loca, ad quos, ſeu quæ bona, jura, & actiones hujuſmodi devenerint, vel quibus relinquentur, aut Executores prædictos ad tertiam, ſeu aliam eorum partem, quam etiam ex nunc vobis, ac locis, hæredibus, legatariis, ac donatariis prædictis liberaliter concedimus, & donamus, Cameræ, vel Fabricæ, aut Beneficiis prædictis, etiam pro expeditione contrà infideles, & quibuſvis aliis, quantùmlibet piis uſibus ſolvendum; ac cum iis deſuper componendum, vel vos ad illam particularem licentiam, ſivè indultum, aut confirmationem præſentium à Nobis, vel Succeſſoribus Noſtris Romanis Pontificibus pentedam, aut impetrandam, vel etiam in a-

simili gratiâ, seu confirmatione illius vobis quomodocunque concedendâ, de præsenti mentionem aliquam faciendam ullatenùs teneri, nec ad id ullâ unquam necessitate cogi posse.

Clausula sublata & Decretum irritans.

§. 15. Et sic in præmissis omnibus, & singulis per quoscunque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & ejusdem S. R. E. Cardinales, nec non pro tempore existentes dictæ Cameræ Camerarium. Præsidentes, & Clericos in quavis causa, & instantia, sublatâ eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, si secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Executores designat.

§. 16. Quocircà Venerabilibus Fratribus Nostris Ostien. & Portuen. Cardinalibus Episcopis, & Dilecto Filio Curiæ Causarum Cameræ Apostolicæ Generali Auditori, per Apostolica scripta mandamus motu simili, quatenùs ipsi, vel duo aut unus eorum per se, vel alium, seu alios præsentes Litteras, & in eis contenta quæcunque, ubi & quando opus fuerit, & quoties pro parte vestrâ desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, Nobisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate Nostra easdem præsentes Litteras & in eis contenta hujusmodi firmiter observari, ac vos illis omnibus pacificè frui, & gaudere, non permittentes vos per quoscunque, quavis auctoritate fungentes contra earundem præsentium tenorem quomodolibet indebitè molestari, inquietari, vel perturbari. Contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia appellatione postposita, compescendo, ac legitimis super his habendis servatis processibus, censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando; invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogatio contrariis.

§. 17. Non obstantibus præmissis, ac piæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris pariter Nostri de una, & in Concilio Generali editâ de duabus dietis, dummodò ultrà tres dietas aliquis auctoritate præsentium in judicium non trahatur, nec non Lateranensis Concilii novissimè celebrati de certo Notariorum numero, etiamsi ad illum nondum deventum fuerit, cui per hoc aliàs derogare non intendimus, ac de consensu præstando in pensionibus, & quibusvis aliis etiam per Nos, & Sedem prædictam editis, & in posterum edendis Cancellariæ Apostolicæ Regulis, ac stylo in similibus hactenus observato, ac rec. mem. Alexandri Papæ VI. etiam Prædecessoris Nostri tertiam partem bonorum Ecclesiasticorum Cameræ prædictæ deberi inter alia disponente, nec non ejusdem Bonifacii Papæ VIII. per quam concessiones, fructus in absentia percipiendi sine præfinitione temporis, fieri prohibentur, ac Pii Papæ IV. Prædecessoris pariter Nostri de gratiis qualecumque interesse Cameræ Apostolicæ concernentibus in dictâ Camera intrà certum tunc expressum tempus præsentandis, & registrandis, ita quòd præsentes in eadem Camera nullo unquam tempore registrari facere teneamini, ac similis rec. Urbani Papæ VIII. etiam Prædecessoris Nostri de pensionibus, aliàs translatis iterùm non transferendis, ac quorumvis aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum, & quibusvis aliis Apostolicis, ac in Universalibus Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, nec non legibus, etiam Imperialibus, & municipalibus, tam Urbis, quàm aliarum Civitatum, & locorum, in quibus Cives originarii creati existitis, & quarumvis Ecclesiarum, Monasteriorum, Ordinum, & Hospitalis prædictorum, nec non quorumvis Collegiorum, & Officiorum dictæ Curiæ, & Regnorum, Provinciarum, & Urbis, ac aliarum Civitatum, & locorum, ac Cameræ prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, usibus, & naturis, etiamsi de illis servandis, & non impetrandis Litteris Apostolicis contra ea, nec etiam ab alio vel aliis impetratis, aut aliàs quomodolibet concessis utendo vos per vos, vel Procuratores vestros præstiteritis forsan hactenùs, vel vos in posterum præstare contigerit juramentum; Privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis dictis Ecclesiis, Monasteriis, Ordinibus, & Hospitalibus, illorumque Præsulibus, seu Administratoribus, & Superioribus, ac Magistris, Præceptoribus, Prioribus, Militibus, Antianis, Capitulis, Conventibus, Civitatibus, & locis, aliisque personis, etiam particularibus, nec non Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ordinariis, etiam eisdem Cardinalibus, ac dictæ Curiæ Officialibus, illorumque Collegiis, ac etiam decimarum, pedagiorum, gabellarum, & onerum Exactoribus, & Appaltatoribus, & aliorum onerum Redemptoribus sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis Decretis per quoscunque Romanos Pontifices Prædecessores Nostros, ac etiam Nos, & Sedem prædictam, etiam consistorialiter, ac de eorumdem Cardinalium consilio, etiam per modum Statuti, & Constitutionis perpetuorum, ac motu, & scientiâ similibus, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, vel ad Imperatoris, Regum, Reginarum, Ducum, Marchionum, & aliorum Principum instantiam, seu illorum contemplatione in genere, vel in specie, aliàs quomodolibet etiam iteratis vicibus concessis, etiamsi in eis, ac Statutis, & stabilimentis prædictis caveatur expressè, vel tacitè, quod Urbis nisi originariis Civibus Romanis, ac Civium eorumdem filiis conferantur, quódque nonnullarum Ecclesiarum Beneficia, nisi per personas illustres, vel Nobiles, ac etiam originarios Cives, aut aliàs certo modo in illis expresso qualificatos obtineri non possint, & nulli in Cives Urbis, ac Civitatum, Oppidorum, & Terrarum, & locorum hujusmodi admitti, seu aliorum privilegiis uti possint, nisi priùs in dictis Civitatibus, Oppidis, Terris, & locis per certum tempus habitaverint, seu etiam in illis bona etiam stabilia forsan ad certum valorem ascendentia possederint, quódque Præceptoriæ, & alia Beneficia quæcunque dicti Hospitalis tàm ex Juris institutione, quàm ex stabilimentorum prædictorum dispositione pensionibus Clericis Secularibus, & aliis personis, etiam Apostolicâ auctoritate reservandis gravari non possint, quódque stabilimentis, & privilegiis prædictis, etiam vigore implicitæ derogationis latissimè extendendæ, etiam per quascunque Literas Apostolicas, & quasvis etiam derogatoriarum derogatorias, efficaciores, & insolitas clausulas derogari non possit nec derogatum censeatur, nisi derogatio hujusmodi de consilio Cardinalium eorumdem fiat, & tùm demùm Magistri, & Conventûs prædictorum ad id accedat assensus, sintque Literæ derogationis hujusmodi etiam per dictum Magistrum subscriptæ, ac illi, & præfato Conventui per diversas in formâ Brevis, aut alias Litteras diversis temporibus cum certis intervallis præsentatas intimatæ, & non aliàs, nec alio modo, & semper in omnibus, quæ sic fient, etiam de simili consilio, derogationibus sit apposita clausula, quod illarum effectum sortiantur de consensu Magistri, & Conventûs prædictorum, & non aliàs, nec alio modo; quódque ipsi Exactores, & Appaltatores, decimas, pedagia, & onera hujusmodi, etiam ab exemptis exigere, & alias ad solutionem, seu contributionem cogere, & com-

pellere possint, seu debeant. Quibus omnibus, illorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hâc vice dumtaxat in genere, & in specie ad effectum præsentium sufficienter & expressè derogamus, ac derogatum esse decernimus; Quodque vos primam non feceritis in Ecclesiis hujusmodi personalem residentiam consuetam, cæterisque contrariis quibuscunque.

Adimplenda ante usum Notariatus.

§. 18. Volumus autem, quod antequàm gratia creationis in Nostros, & Sedis Apostolicæ Notarios vobis, ut suprà, factâ perfrui valeatis, in manibus alicujus personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ professionem fidei juxta articulos pridem à Sede prædictâ propositos expressè emittere, & solitum fidelitatis juramentum præstare omninò teneamini.

Transsumptorum fides.

§. 19. Quodque præsentium transsumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsùs fides ubique adhibeatur in judicio & extra, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Indulta testandi & pensiones transferendi non suffragantur iis qui aliàs obtinuerunt.

Cæterùm volumus pariter, atque decernimus, ut illis ex vobis, quibus similes testandi de bonis, ac pensiones transferendi facultates à Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris, quorum respectivè etiam familiares continui commensales erant, concessæ fuerunt, præsentes Litteræ quoad facultates testandi de bonis, & transferendi pensiones hujusmodi minimè suffragentur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 12. Januarii 1690. Pontificatus Nostri Anno primo.

P. A. primo D. 12. Januarii 1690.

VII. Indulgentiæ pro visitantibus certas Indiarum Ecclesias cum concessione quarundam facultatum pro Societatis Jesu utriusque Indiæ Presbyteris.

ALEXANDER PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Pro universis Indiarum pœnitentibus & visitantibus certas Ecclesias à Præposito Generali designandas.

ANimarum saluti Paternâ charitate intenti, supplicationibus Dilecti Filii Thyrsi Gonzales Societatis Jesu Præpositi Generalis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ac multorum Prædecessorum Nostrorum Romanorum Pontificum vestigiis inhærentes, de Omnipotentis Dei misericordiâ, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus Christi fidelibus in quibuscunque Oceani Indiis, aut Sinarum Regione, vel Brasiliâ constitutis præsentibus, & futuris verè pœnitentibus, & confessis, ac Sacrâ Communione refectis, quoties aliquem ex infidelitate, & idololatriâ ad veri Dei cognitionem reduxerint, plenariam, nec non eisdem etiam verè pœnitentibus, & confessis Sancti Thomæ Apostoli in Indiis prædictis, vel aliquam ex certis Dilectorum Filiorum Presbyterorum Societatis Jesu Ecclesiis illarum partium, Deo, vel in honorem Sanctorum erectis, nec non omnes, & singulas hujusmodi Ecclesias Collegiorum, Domorum, & Residentiarum ejusdem Societatis Regionum præfatarum, saltem inter se per centum milliaria distantes, ut suprà, erectas, singulis annis quatuor diebus Festis Domini Nostri, Beatæ Mariæ Virginis, aut Sanctorum per dictæ Societatis Præpositum Generalem designandis, visitantibus, & inibi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumentibus, ac pro Gentilium, & hæreticorum conversione pias ad Deum preces fundentibus, etiam plenariam.

Pro Presbyteris & aliis de Societate Jesu in mortis articulo.

§. 2. Omnibus etiam, & singulis tàm Presbyteris, quàm aliis de dictâ Societate existentibus, quos in qualibet utriusque Indiæ Regione, vel Oceani Insulâ, aut navigatione pro fidei negotio eundo, vel redeundo mori contigerit, in cujuslibet eorum mortis articulo, saltem contritis, & confessis, si communicare nequiverint, plenariam pariter;

Pro Scholaribus Confraternitatis B. Virginis & aliquam Confraternitatem ingressis.

§. 3. Scholaribus verò in utraque India existentibus, ac Confraternitati Beatæ Mariæ Virginis ibi Canonicè institutæ adscriptis, qui in Annunciationis, & Assumptionis ipsius Beatæ Mariæ Virginis festis, dictum Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, & Coronam, vel tertiam partem Rosarii recitaverint, nec non utriusque sexus Christi fidelibus aliquam ex Confraternitatibus Canonicè erigendis ingressis, qui in festivitate Sanctissimi Corporis Christi, & illius octava pœnitentes similiter, & confessi, idem Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, & in cujuslibet eorum utriusque sexus Christi fidelium mortis articulo, etiam pœnitentibus, & confessis, ac Sacrâ Communione refectis, vel saltem contritis, si confiteri, & communicare non potuerint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Indulgetur dictis Scholaribus præscripta per agentibus in decem annos.

§. 4. Insuper dictis Scholaribus hujusmodi Confraternitati adscriptis, qui in singulis ejusdem Beatæ Mariæ Virginis, ac Resurrectionis, Pentecostes, & Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi festivitatibus, confessi, & contriti præmissa peregerint, decem annorum de injunctis eis, seu aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis; eis quoque, qui in singulis diebus Veneris cujuslibet Quadragesimæ devotè processionibus publicis in partibus, & locis transmarinis ad orandum pro conversione Gentilium, & Hæreticorum præfatorum, juxtà ritum Ecclesiæ Romanæ institutis, interfuerint, trium annorum. Reliquis verò omnibus eisdem Processionibus præsentibus, contritis, & confessis, unius anni Indulgentiam elargimur.

Aliis in tres.

Reliquis in unum.

Vires precum pro iis qui in navigationibus pro fide decesserint.

§. 5. Quodque pro animabus eorum Christi fidelium, qui in præfatis utriusque Indiæ navigationibus pro negotio fidei instituendis ab humanis in charitate Christo conjuncti decesserint, confessi, ac Sacrâ Communione refecti, tertiam partem Rosarii, aut unam Coronam recitaverint, quoties id agent, toties per modum suffragii unam ex dictorum animabus à pœnis Purgatorii liberare valeant. Quodque Scholares utriusque Indiæ hujusmodi, qui in Scholis Presbyterorum dictæ Societatis dant operam Litteris in Presbyterorum eorundem Ecclesiis Missas, vel alia Divina Officia tempore interdicti, & cessationis à Divinis, ipsique Presbyteri iisdem Scholaribus præsentibus januis clausis, & non pulsatis campanis, & dummodò ipsi causam hujusmodi interdicto non dederint, & interdictis ac excommunicatis exclusis, audire & celebrare respespectivè possint, concedimus, & indulgemus.

Permittitur Scholaribus & Presbyteris divinorum exercitium tempore interdicti.

Pro orantibus in certis Ecclesiis quadraginta dies quotannis, & semel in certo die festo.

§. 6. Insuper præfatis omnibus, & singulis utriusque sexus Christi fidelibus in Indiis, & Regionibus prædictis existentibus, qui contriti, & confessi quamlibet Ecclesiam, & Capellam in eisdem partibus dictorum Presbyterorum Societatis Jesu curâ, & operâ, ut suprà erectam, aut in futurum erigendam devotè visitaverint, & ut suprà oraverint, quadraginta dies, & semel quolibet anno aliquo die festo Domini Nostri Jesu Christi, Beatæ Virginis Mariæ, aut Sanctorum, quem Provincialis, dictæ Societatis constituerit, septem annos, & totidem quadragenas.

Pro visitantibus easdem Ecclesias certis temporibus & festis, ac in iis communicantibus.

§. 7. Eisdem, qui aliquam ex prædictis Ecclesiis dictorum Presbyterorum Societatis Jesu Quadragesimæ, & aliis temporibus Stationum Urbis Dominicis, & feriâ sextâ diebus visitaverint, easdem omnes, & singulas Indulgentias concedimus, quas consequerentur, si Ecclesias, & Basilicas Urbis in diebus Stationum hujusmodi devotè visitarent; illisque, qui singulis diebus feriæ sextæ primæ hebdomadæ cujusque mensis easdem Ecclesias devotè visitaverint, & ibi quin-

quies

quies Orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam pro exaltatione Fidei Catholicæ recitaverint, ſeptem annos: In feſtis verò Domini Noſtri Jeſu Chriſti, ac Beatæ Virginis, Apoſtolorum, ſub cujus Titulo Eccleſia conſiſtet, decem annos; His autem qui aliquam ex dictis Eccleſiis, poſtquàm confeſſi Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, viſitaverint, toties viginti annos.

Pro iis qui interfuerint Neophytorum utriusque Indiæ proceſſionibus.

§. 8. Ac iisdem Chriſti fidelibus utriusque Indiæ, & transmarinorum limitum, qui proceſſionibus, & precibus juxta ritum S. R. E. à prædictis Presbyteris de Ordinariorum licentia inſtituendis, & agendis Indorum, & Æthiopum, ſeu quorumvis aliorum Neophytorum, & aliorum Chriſtianorum interfuerint, & eas aſſociaverint, Chriſtianam Doctrinam cum eisdem Presbyteris, vel ab eis deputatis recitaverint, vel privatim docuerint, quoties id fecerint ſeptem annos, & totidem quadragenas: Inviſentibus autem infirmos, & præſertim Indorum Hoſpitalia, Xenodochia, & alia ſimilia Loca pia, ipſis etiam infirmis per ſe, vel alium miniſtrando, ſingulis diebus, quibus id fecerint viginti quinque; qui verò ad infirmos accedentes ibi pernoctaverint quinquaginta; eis etiam qui coram Beatæ Mariæ Imagine ab alma Urbe ad Collegium Civitatis Limæ in Peru (ut aſſeritur) delata tertiam Roſarii partem, vel Coronam recitaverint, centum ſimiliter dies de injunctis eis, ſeu aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Eccleſiæ conſueta relaxamus, ac reſpectivè concedimus, & indulgemus.

Pro inviſentibus & accedentibus infirmos.

Pro recitantibus Coronam coram Beatæ Virginis Imagine.

Provincialibus & Presbyteris conceditur facultas gratis diſpenſandi circa gradus affinitatis in matrimoniis cum Neophytis, cum & ſine Ordinariorum Conſilio.

§. 9. Præterea ejusdem Societatis Jeſu Provincialibus, vel ab eis deputandis Presbyteris cum Neophytis Provinciarum utriusque Indiæ aliarumque Maris Oceani Regionum, in quibus inter infideles fideles exiſtunt, & non adſunt Ordinarii ſimilem facultatem habentes, vel ultra duas dietas, juxta Conſtitutionem fel. rec. Pauli III. editam exiſtunt in quocumque, ſeu quibusvis, non tamen in primo conſanguinitatis, vel affinitatis gradibus, vel aliàs conjunctis, ſeu ſe attinentibus, ut matrimonium inter ſe contrahere, ſeu in eo etiam ſcienter contracto remanere valeant in foro conſcientiæ tantum gratis tamen diſpenſandis & inſuper ibidem locorum Ordinariis, ut de Presbyterorum eorundem tanquàm Adjutorum, & Aſſeſſorum ſuorum in locis prædictis, & ubi eorum commodè potuerit haberi copia, conſilio, & cum illis etiam in judiciali foro, in reliquis autem Provinciis præfatis Ordinariorum præſentiâ deſtitutis, vel ab eis ultra duas dietas prædictas, non minus ducentis millibus paſſuum remotis Provincialibus, & Deputatis Presbyteris prædictis, cum eisdem Neophytis, non tamen in primo gradu, in utroque foro gratis diſpenſandi, & eos qui in gradibus prohibitis hujuſmodi etiam ſcienter contraxerint, ab exceſſibus, & excommunicationis aliisque cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis in utroque foro gratis pariter abſolvendi, ac prolem inde ſuſceptam legitimam decernendi.

Sumendi Euchariſtiam, abſolvendi à cenſuris & reſervatis, & ſacra quævis & ſine Epiſcopi licentia faciendi

§. 10. Nec non ipſis Presbyteris in iisdem Indiis, & locis prædictis conſtitutis, quibus aliqua Euchariſtiæ fragmenta, ſeu minutiæ pro tempore interciderint, etiam poſt peractum ſacrificium, abſque ullo conſcientiæ ſcrupulo, juxta Rubricas Miſſalis Romani reverenter ſumendi, inſuper Presbyteris ejuſdem Societatis Jeſu, quos in Saracenorum, & aliorum Infidelium Terras & alias utriuſque Indiæ, & Tranſmarinas Regiones Maris Oceani, ad quas Hiſpani, & Luſitani penetrant, ac Provincias remotiſſimas, ubi non eſt Inquiſitio, & Fideles inter Infideles degunt, neque Ordinarii ſaltem intra duas dietas exiſtunt hujuſmodi facultatem habentes, Præpoſitus Generalis miſerit Chriſtianos in eiſdem Provinciis, Indiis, & Regionibus commorantes ab omnibus peccatis, ſententiis, & cenſuris, etiam in Bulla Cœnæ Domini contentis, & reſervatis, etiam gratioſe abſolvendi facultatem, eiſdemque ut ſemel ab aliquo illarum partium Epiſcopo approbati ad prædicandum, confeſſiones audiendas, & Miſſas celebrandum in Eccleſiis, & Oratoriis Societatis Jeſu prædictæ pro Miniſteriorum hujuſmodi exercitio ulteriùs licentiam, & approbationem ab aliis Epiſcopis, quatenus diſtent ultra duas dietas petere, ſeu habere minimè teneantur, ſed abſque illis præmiſſa facere poſſint. Si vero Epiſcopus ab Eccleſia, vel Loco ubi prædicatur, vel confeſſiones audiuntur, non diſtet ultra prædictas duas Dietas, tunc licentia etiam alterius Ordinarii ita vicini priùs obtineri debeat, quæ tamen per Epiſtolam etiam impetrari poſſit.

Etiam extra Eccleſias celebrandi & oleis Sacris antea confecratis in quibuſdam Provinciis utendi

§. 11. Poſſint etiam extra Eccleſias conſecratas ſuper Altaribus portatilibus in loco tamen decenti, ubi non eſt commoditas Eccleſiarum, & in caſu neceſſitatis tantum, etiam per horam ante Lucem, vel etiam poſt Meridiem in eiſdem regionibus, cum opus fuerit, celebrare, & in Maluco, Jappone, & aliis Inſularum, Terrarum, Provinciarum, & Locorum prædictorum partibus, & locis à quibus valde remoti Epiſcopi, Oleis Sanctis per duos, vel tres aut quatuor annos ante conſecratis liberè uti poſſint.

Miſſæ Sacrificium à dictæ Societatis Presbyteris celebratum defunctorum animabus proſit.

§. 12. Nec non ut quicunque ex prædictis Presbyteris Societatis præfatæ tantum Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium defunctorum pro Animabus Chriſti Fidelium, qui ex hac vita in Charitate Chriſto conjuncti deceſſerunt; in ſingulis Eccleſiis Societatis Jeſu, ad unum illorum ſuperiorum arbitrio ſemel deputandum Altare celebraverint per modum ſuffragii iiſdem animabus proſint.

Facultas diſpenſandi cum Neophytis ſuper voto caſtitatis conſanguinitate. bonis malè acquiſitis, &c.

§. 13. Poſtremo iiſdem Presbyteris à Præpoſito Generali ex dicta ſocietate deputandis, ut in prædictis Regionibus, Provinciis, & locis, in quibus ſimiliter fideles cum infidelibus vivunt, & non adſunt ordinarii, qui hujuſmodi facultatem habeant, qui diſtant ultra duas Dietas, cum Neophytis, aliiſque ad fidem reductis ex rationabili cauſa, & legitima ſuper voto caſtitatis, non tamen ſolemni, quomodolibet etiam per ordinis ſacri ſuſceptionem, vel profeſſionis regularis in Religione per Sedem Apoſtolicam approbata emiſſionem facto, & ſuper matrimonio de facto, & in facie Eccleſiæ, ſive ſcienter, ſive ignoranter contracto, & quovis occulto impedimento, præter primi gradus, propter quod tale matrimonium in conſcientia eſſet invalidum, & contrahentes ſine ſcandalo ſeparari non poſſent, diſpenſandi, gratis tamen, & in foro conſcientiæ tantum, ac ſuper bonis malè aquiſitis, ad quæ reſtituenda ipſi Neophyti, & alii præfati incertis perſonis obligati extiterint cum eis ad opera pia componendi, vel ſi ipſi indigerent in toto, vel in parte remittendi: nec non Indis in foro conſcientiæ tantum, & cum Neophytis in utroque foro ſuper Jejuniis, gratis tamen diſpenſandi, nec non ob onere petitionis debiti matrimonialis, quando non eſſet licitum illud ratione voti caſtitatis, vel alia rationabili cauſa petere in foro conſcientiæ tantum, & gratis liberandi; Licentiamque legendi libros Infidelium de licentia ſeu Provincialis perſonis dignis concedendi licentiam, & facultatem, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium reſpective concedimus & impartimur. Miſſas quoque per horam ante auroram ipſi Patres Societatis celebrare poſſint, ac cum ſuis Regularibus, ut ad Sacros etiam Presbyteratus Ordines per annum ante legitimam ætatem promoveri poſſint, diſpenſare valeant, ſimiliter concedimus. Et inſuper, quia à nonnullis dubitatum, ſeu hæſitatum fuit, an omnes Indigenæ illarum Regionum oriundi, & naturales, & Chriſtianorum Indigenarum etiam baptizatorum filii, etiam in eorum infantia baptizati jure Neophyti appellari poſſint.

Quinam Neophyti appellandi ſint.

§. 14. Idcirco tenore earundem præſentium decernimus, & declaramus, omnes oriundos, ſeu naturales ſupradictorum omnium tam Orientalium, quàm Occidentalium partium, imo etiamſi Æthiopes, Angulani, vel quarumvis aliarum

Transmarinarum Regionum, etiamsi Christianorum filii, & in infantia baptizati, vel etiam inter se, vel cum Europæis mixtim progeniti sint, ad concessionis hujusmodi effectum esse, & intelligi debere Neophytos, dictosque Presbyteros cum hujusmodi, vel ut matrimonio conjungi, vel in jam contracto remanere possint, sive eorum alter tantum, sive etiam uterque, inde oriundus, ac proprie Indigena sit in locis, aliàs ut supra in quibuscumque consanguinitatis, vel affinitatis gradibus Jure Divino, ut supra non prohibitis, primo excepto, & aliàs ut præfertur, gratis tamen dispensare posse concedimus, & indulgemus. Quin etiam, quia de mixtim progenitis, quos mixtos vocant, majus dubium esse accepimus, cum eisdem mixtis, quos similiter ad hunc effectum Neophytos censendos esse decernimus, in gradibus & Matrimoniis contractis, & contrahendis prædictis, gratis tamen, dummodo non ita facilè id fiat, dispensare, eisdemque Presbyteris facultatem desuper concedimus opportunam.

Etiam mixti ad hunc effectum Neophyti censendi.

§. 15. Decernentes, Presbyteros dictæ Societatis super præmissis, & aliis juxta facultates prædictas, & illarum vigore, servatâ tamen illarum formâ exequendis ex quovis alio prætextu, vel quovis colore, per quoscumque loci Ordinarios, seu alios Superiores & Judices Ecclesiasticos, & sæculares quavis auctoritate fungentes, molestari, perturbari, vel inquietari nullatenus posse.

Presbyteri super præmissis nullatenus molestandi.

§. 16. Sicque in præmissis per quoscumque Judices, sublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, si secus super his à quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausula sublata & Decretum irritans.

§. 17. Non obstan. præmissis, ac quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit nostra de non concedendis Indulgentiis ad instar, statutis, & consuetudinibus cæterisque contrariis quibuscumque.

Derogatio contrariis.

§. 18. Præsentibus ad viginti annos à fine aliorum viginti annorum, ad quos similes gratiæ à fel. rec. Clemente Papa IX. Prædecessore nostro concessæ fuerunt inchoandos, tantum valituris. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 20. Martii MDCXC. Pontificatus Nostri Anno Primo.

Præsentes quamdiu valituræ.

D. 30. Martii 1690. P. A. primo.

VIII.

Confirmatio Decretorum Sanctæ Cardinalium Congregationis super aggregatione ad Provinciam Romanam à quibusdam Pedemontanæ Provinciæ Monachis postulata emanatorum.

ALEXANDER VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Status Congregationis Reformatæ S. Bernardi Ordinis Cistercienfis Sanctitati suæ expositus.

§. 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti Filii Superior Provincialis, & Monachi Provinciæ Romanæ Congregationis reformatæ S. Bernardi Ordinis Cistercienfis, quòd dicta Congregatio duabus dumtaxat Provinciis constat, Romanâ, videlicet, & Pedemontanâ, inter quas, prout Constitutiones ipsius Congregationis præscribunt, alternativa in majoribus officiis, ac perfecta æqualitas votorum, quæ sexdecim dumtaxat pro unaquaque ex dictis duabus Provinciis numerantur, in Capitulis generalibus Congregationis hujusmodi, servatur, prout similiter vigore Constitutionum præfatarum Monachi expresse professi unius ex dictis Provinciis ad gubernia Monasteriorum alterius Provinciæ assumi nequeunt.

Joannes Baptista à S. Francisco & Petrus Franciscus à S. Mauritio Provinciæ Romanæ aggregari postulant.

§. 2. Porrò cum aliàs, nempe anno 1683. dilecti pariter filii Joannes Baptista à Sancto Francisco Salesio, & Petrus Franciscus à Sancto Mauritio Monachi expresse professi Provinciæ Pedemontanæ, & Congregationis præfatarum, qui habitum per Monachos Congregationis gestari solitum in dicta Provincia Pedemontana susceperant, & professionem per eosdem emitti consuetam in eadem Provincia emiserant, Regulares, ad Congregationem venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negociis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositam recursum habuissent, aggregationem inter Monachos expresse professos dictæ Provinciæ Romanæ, eo quia in hac nati fuerant prætendentes, ipsa Congregatio Cardinalium Decretum edidit tenoris, qui sequitur, videlicet; In causa Romana Filiationis, seu declarationis vertente inter Patres Joannem Baptistam à S. Francisco Salesio, & Petrum Franciscum à S. Mauritio Ordinis Cistercienfis Congregationis Reformatæ S. Bernardi ex una, & Patres Provinciæ Romanæ ejusdem Ordinis partibus ex altera; Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, audito R. Patre Procuratore Generali Ordinis, Partibus informantibus, referente Eminentiss. Basadonio, censuit prædictos, P. P. Joannem Baptistam à S. Francisco Salesio, & Petrum Franciscum à S. Mauritio adscribendos esse Provinciæ Pedemontanæ in qua professi sunt, prout præsentis Decreti tenore adscribi mandat, & præcipit. Romæ 9. Aprilis 1685. G. Cardinalis Carpineus. Loco † Sigilli. *B. Panciaticus Secret.*

Decretum à Cardinalium Congregatione desuper emanatum.

§. 3. Postmodum vero, etiam dilectus Filius Dominicus à S. Josepho Auvenati Monachus pariter expresse professus ejusdem Congregationis, qui habitum supradictum in eadem Provincia Pedemontana susceperat, atque inibi professionem prædictam similiter expresse emiserat, ad eandem Congregationem Cardinalium similem recursum habuit inter Monachos Provinciæ Romanæ, & Congregationis præfatarum, eo quia similiter in Provincia hujusmodi natus fuerat, & propter alias leves causas aggregari expostulans. Verùm interea pro parte eorundem Exponentium, qui Joannem Baptistam, & Petrum Franciscum supradictos instantiam in eadem Congregatione Cardinalium renovare velle præsenserant, Nobis supplicato, ut præinsertum Decretum ad præfatum Dominicum extendere dignaremur.

Etiam Dominicus à S. Josepho eandem aggregationem exoptat.

§. 4. Nos libellum supplicem Nobis super præmissis porrectum remisimus ad eandem Congregationem Cardinalium, à quâ emanavit aliud Decretum tenoris, videlicet, In causa vertente inter Patrem Provincialem Provinciæ Romanæ Ordinis Cistercienfis, Congregationis reformatæ S. Bernardi ex una, & Patres Provinciæ Pedemontanæ ejusdem Ordinis partibus ex altera, de, & super aggregatione nonnullorum Patrum in ipsa Pedemontana professorum Provinciæ Romanæ, Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, Partibus ipsis auditis, reque maturè discussa, censuit servandum esse Decretum aliàs die 9. Aprilis 1683. ab eadem S. Congregatione editum, prout præsentis decreti tenore omnino servari mandat, & præcipit. Romæ 16. Martii 1690. G. Card. Carpineus. Loco † Sigilli. *A. Altovitus Secret.*

Aliud super hac re Congregationis Decretum.

§. 5. Cùm autem, sicut eadem expositio subjungebat, Exponentes Præfati Decreta hujusmodi, quo firmiùs subsistant, & serventur exactiùs, Apostolicæ Confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desiderent; Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas à quibusvis Excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, & pœnis, à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, duo Decreta præinserta auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus;

Quæ duo Decreta Apostolica Autoritate confirmantur.

salva

salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Decretum roborans & irritans.

§. 6. Decernentes easdem præsentes litteras firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus & per omnia plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariis.

§. 7. Non obstantibus præmissis ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non quatenus opus sit Congregationis, & Provinciarum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transsumptorum fides.

§. 8. Volumus autem, ut earumdem præsentium litterarum transsumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides, tam in Judicio, quam extra illud, ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si exhibitæ forent vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 12. Apr. MDCXC. Pontificatus Nostri An. Primo.

D. 12. Aprilis 1690. P. A. primo.

J. F. Card. ALBANUS.

IX.

Concessio Privilegiorum pro Ordine Fratrum Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum.

ALEXANDER PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium à solito favendi Religiosis Ordinibus.

INscrutabili æternæ sapientiæ consilio speculatores Domus Israel, nullo licèt meritorum Nostrorum suffragio, constituti, Religiosos Ordines, in Ecclesiâ Dei piè sanctèque plantatos, ac uberes bonorum operum fructus proferre jugiter satagentes, favoribus & gratiis, quibus possumus amplissimis, libenter prosequimur, prout rerum & temporum qualitatibus debitè pensatis conspicimus in Domino salubriter expedire.

Fratres Ordinis B. Mariæ de Mercede aliorum Ordinum privilegia ob gravissima quæ subeunt discrimina exoptant.

§. 1. Cùm itaque, sicut Dilectus Filius Bartholomæus de Ribero Vicarius, & Procurator Generalis Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum Nobis nuper exponi fecit, Fratres, & Religiosi ejusdem Ordinis in Captivorum Redemptione gravissima quæque discrimina, & periculà ad id subeundo indefessè occupentur, & ut tàm pium opus eo alacriùs continuent, ac utiliùs exequantur, plurimùm cupiant aliarum Religionum & Ordinum gratias & privilegia, hactenùs à Sede Apostolicâ concessa, dicto eorum Ordini, illiusque Fratribus, & Sociis per Nos & Sedem eandem concedi, & communicari, Nobis propterèa idem Bartholomæus Vicarius, & Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunè providere, & ut infrà indulgere de benignitate Apostolicâ dignaremur.

Absolutio ad effectum.

§. 2. Nos igitur memoratum Ordinem Beatæ Mariæ de Mercede, cujus Nos, dum Cardinalatus honore fungebamur, Protectores Apostolicâ auctoritate deputati eramus, propenso Apostolicæ Charitatis studio complectentes, ipsumque Bartholomæum Vicarium, & Procuratorem Generalem, & singulares hujusmodi Ordinis Personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quâvis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, eidem Ordini Fratrum Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum illiusque Domibus, & Regularibus locis sub illo comprehensis, nec non Magistro Generali, pro tempore existenti, Definitoribus, & Procuratoribus Generalibus, Visitatori, Consultoribus, Assessori, Superioribusque Provincialibus, & Conventualibus, aliisque cujuscunque nominis Officialibus, Superioribus, ac Religiosis omnibus, & singulis, in eo professis Fratribus pro tempore ad captivos redimendos transmissis, & Capitulis Generalibus, personis Regularibus, Novitiis, Conversis, Donatis, Oblatis, Ministris, Famulis cujuscunque, tàm Officiariis, quàm domesticis, & eorum Domibus inservientibus, & cæteris dicti Ordinis, ac illius domorum, & Regularium locorum personis quibuscunque, pro tempore existentibus, nec non quibusvis aliis personis, ac Christi-fidelibus illorum Ecclesias, seu cappellas pro tempore visitantibus, ut omnibus, & singulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, præeminentiis, antelationibus, concessionibus, indultis, favoribus, indulgentiis, aliisque prærogativis, & gratiis, universis & singulis, tàm spiritualibus, quàm temporalibus, singulis Domibus, Conventibus, & aliis Regularibus locis, ac personis, tàm Canonicorum, quàm Clericorum Regularium ubivis existentium Institutis, & non solùm Ordinibus Monasticis, sed etiam Regularibus mendicantium, & non mendicantium, tàm pro redimendis captivis, quàm aliàs quomodolibet Ordini Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis captivorum, illiusque Domibus, Conventibus, & Fratribus, nec non omnibus, & quibuscunque Congregationibus Regularibus, & præcipuè Clericorum Regularium infirmis ministrantium, & Canonicorum Congregationis Sanctissimi Salvatoris Lateranensis, Sancti Salvatoris de Bononia, ac etiam Sancti Ruffi Valentiæ, & Sanctæ Crucis Conimbriæ, Clericorum Regularium de Somascha, & Pauperum Matris Dei, ac Scholarum Piarum ipsisque Monasticis Congregationibus, etiam Cassinensi, aliisque Monachis, & Monasteriis Sancti Benedicti, Sancti Hieronymi, Carmelitis Discalceatis, Conventui Beatæ Mariæ de Guadalupe, nec non Societati Jesu, ipsisque Cartusiensium, Præmonstratensium, & Reformatorum Cistercensium, Servitarum, Olivitanorum Ordinibus, aliisque Familiis, & Societatibus Regularibus, Militiis, Hospitalibus quibuscunque, & piis locis Regularibus, ac quibuscunque personis nunc, & pro tempore existentibus præfatorum, & quorumlibet Ordinum, Societatum, & Congregationum Regularium per Nos, & Sedem prædictam, ac alios quoscunque Prædecessores Nostros Romanos Pontifices, nec non ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & quosvis Sedis prædictæ Nuncios, vel etiam tàm Apostolicâ prædictâ, quàm Ordinariâ, & Regiâ, vel Imperiali auctoritatibus, respectivè, aut aliàs quomodolibet quibuscunque verborum expressionibus, & tenoribus in genere, vel in specie, ac particulariter, tàm per communicationis, & ampliationis, quàm simplicis & individuæ ac particularis, & specialis concessionis, ac etiam Motu proprio, & ex certâ scientia, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, etiam ite-

Dicto B. Mariæ Ordini immunitates quævis & Privilegia postscriptis Ordinibus aliàs concessa pariter conceduntur.

ratis vicibus concessis hactenùs, vel confirmatis, aut approbatis, & quibus illi tàm in vita, quàm in mortis articulo, etiam circa peccatorum remissiones, & injunctarum pœnitentiarum relaxationes, aut aliàs quomodolibet de jure, usu, aut privilegio, vel consuetudine quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum, quâvis alia sint speciali nota digna difficilisque concessionis, & quæ in generali concessione non veniunt, non solùm per participationem, communicationem, illorum extensionem, & ad aliorum instar, sed speciatim, & nominatim pariformiter, & æquè principaliter in omnibus & per omnia, absque ulla prorsus differentia, perinde, ac si illa dicto Ordini Beatæ Mariæ de Mercede, illiusque Capitulis Generalibus, Magistro Generali pro tempore existenti, illiusque Superioribus, & personis prædictis, specialiter, expresse, & nominatim, etiam per viam, & modum simplicis, & individuæ, ac particularis, & specialis concessionis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut communicationis, & ampliationis concessa fuissent, quatenus tamen sint in usu, & non revocata, nec sub aliqua revocatione comprehensa, uti, frui, potiri, & gaudere liberè, & licitè possint, & valeant.

Quæ dicti Ordinis ut aliorum Superiores & Præpositi habeant.

§. 3. Ita quòd omnes, & singuli dicti Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede, & illius Domorum, locorumque Regularium Superiores, & Ministri quocunque nomine appellati eosdem favores, gratias Apostolicas, & privilegia, quæ aliarum Religionum, Ordinum, Congregationum, Societatum, etiam Societatis Jesu, Monasteriorum, Conventuum, Domorum, aut locorum Regularium, & Familiarum Generales Superiores, Præpositi, Provinciales, Rectores, Priores, Conventuales, Visitatores, Guardiani, Custodes, aut alio quocunque nomine, titulo, aut dignitate insigniti habent, similiter ut supra habeant.

Juxtâ ea gubernare Ordinem & visitare.

§. 4. Fratresque, & personæ Regulares dicti Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede, Magistri Generales, Superiores, Ministri, & cæteri alii cujuscunque appellationis Præpositi & Præfecti in dicto Ordine Beatæ Mariæ de Mercede expresse professæ, & in ejus gremio, & observantia viventes Fratres, & personas Regulares dicti Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede cum privilegiis, gratiis, & favoribus Apostolicis Ordinum, & Congregationum hujusmodi perpetuò secundum observantiam Regularem, & Canonicum Institutum dicti eorum Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede regere & gubernare, & respectivè visitare valeant: neque dictus Ordo Beatæ Mariæ de Mercede super præfatis omnibus, & singulis à quoquam quavis auctoritate, vel nomine molestari, perturbari, inquietari, aut alias quomodolibet in judicio, & extra impediri possit, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò concedimus & indulgemus.

Neque super præmissis ullatenus molestari possint.

Decretum roborans & Clausulæ exceptivæ.

§. 5. Decernentes easdem præsentes Litteras semper, & perpetuò, tanquam ad Divni Cultus, & bonorum operum augmentum & Religionis propagationem tendentes validas, & efficaces esse, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis firmiter, atque inviolabiliter observari, & adimpleri debere, nec ab illis ullo unquam tempore quovis prætextu, occasione, vel causa recedi, aut resiliri, easdemque præsentes sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, & aliis contrariis dispositionibus, etiam per Nos, & Successores Nostros Romanos Pontifices, pro tempore existentes, Sedemque prædictam sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & Decretis pro tempore factis minimè comprehendi, vel confundi, sed semper; & perpetuò ab illis excipi, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, atque validissimum statum restitutas, repositas, & plenariè reintegratas, & de novo etiam sub quacunque posteriori data quandocunque eligenda concessas esse & fore ipsique Ordini Beatæ Mariæ de Mercede suffragari.

Decretum irritans.

§. 6. Sicque & non aliàs per quoscunque Judices, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vicelegatos, ac Sedis Apostolicæ prædictæ Nuncios judicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane quidquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariis.

§. 7. Non obstantibus præmissis, ac quibusvis Apostolicis, & in Synodalibus provincialibusque, & universalibus Conciliis editis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, & ordinationibus nec non regularium Domorum, locorum, & Ordinis hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis, illi, illiusque Superioribus, & personis in genere, vel inspecie, ac aliàs sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & Decretis, etiam iteratis vicibus quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, aliàs de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse harum serie derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Transsumptorum fides.

§. 8. Volumus autem, quòd ipsarum præsentium exemplis, seu transsumptis, etiam impressis, & alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ sigillo, & Notarii publici manu obsignatis stetur, eademque prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die vigesima octava Julii 1690. Pontificatus Nostri anno Primo.

D. 28. Julii 1690. Pont. anno primo.

Innovatio & extensio Constitutionis Pii V. quæ Pii IV. de brevioribus quibusdam armis non gestandis Dispositionem confirmat. X.

ALEXANDER EPISCOPUS

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium

ETsi cuncta, quæ ex circumspecta Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum providentia processerunt, debitæ exequutioni demandata esse censeamus, sollicitudine peculiari quadam ratione convenire existimamus, ut ea, quæ ad pernicioſas committendorum homicidiorum occasiones submovendas providè, prudenterque constitura esse noscuntur, Apostolici muniminis Nostri patrocinio constabiliamus, ac quatenus opus sit innovemus. illaque extendamus, & declaremus, ac aliàs desuper disponamus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Pii IV. de brevioribus armis non gestandis dispositio.

§. 1. Dudum siquidem fel. rec. Pius Papa IV. Prædecessor Noster cum experientia compertum habuisset ex homicidiis hujusmodi quam plura ex illis tormentulis igneis, Archibusettis vulgariter

nun-

nuncupatis (quæ occultè deferri possunt, & ad necem inferendam aptiora, & ferè inevitabilia esse videntur) in dies committi, & perpetrari, nec hactenus ob proclamata etiam sub gravissimis pœnis à Rectoribus Provinciarum, & Terrarum Nobis tunc sibi, & S. R. E. subjectarum ab illis deferendis ob sicariorum copiam, & audaciam cessari, & abstineri, quinimò passim, & indistinctè non secus, ac cætera arma minus prohibita ab omnibus ferè gestari, proditorium, & abominabile, ac detestandum armorum genus hujusmodi penitus, & omninò destruere, ac ab Alma Urbe, aliisque Terris Nostris, tunc suis, prædictis in totum eliminare volens, per quasdam suas anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo secundo Pridie Nonas Martii Pontificatus sui anno tertio expeditas Litteras perpetuò sancivit, nemini, cujuscunque esset dignitatis, gradus, ordinis, conditionis, aut præeminentiæ licere genus armorum hujusmodi, quod brevioris duorum palmorum mensuræ existeret, publicè, vel occultè, tàm per Urbem, Civitates, & loca prædicta, quàm etiam in itineribus, quoquomodo, aut quovis etiam militiæ, aut exequutionis justitiæ prætextu deferre, minusque in domibus, aut alibi retinere, emere, aut permutationis, in solutum dationis, pignoris, vel quocunque alio titulo recipere, quinimò quicunque talia habuissent, intrà certum in eisdem Litteris præfixum terminum in eadem Urbe illius Gubernatori, in aliis verò locis prædictis, Rectori, vel Præsidi, aut etiam Gubernatori, seu cuivis alii Superiori loci, in quo ea habentes fuissent, denunciare, & ad eum perferre, seu perferri facere, ac penes ipsum in loco ad id deputando servanda dimittere tenerentur. Qui verò contra fecissent, dictumque genus armorum dicto termino elapso retinuissent, crimen Læsæ Maiestatis, & Rebellionis, ac pœnas pro illo à jure inflictas eo ipso incurrerent.

Quæ à Pio V. cum additione quadam innovata.

§. 2. Et subindè recol. mem. Pius Papa V. etiam Prædecessor Noster vestigiis ejusdem Pii IV. Prædecessoris inhærens, nec non attendens, quod eadem ratio militabat etiam in aliis armis veluti pugionibus, & aliis armorum generibus, quæ occultè deferri possunt, & cupiens quòd metu ejusdem pœnæ à similium armorum delatione, & eorum usu quilibet abstineret, motu suo proprio præfatæ Pii IV. Prædecessoris Constitutioni addens, perpetuò pariter sancivit, nemini, cujuscunque dignitatis, gradus, ordinis, conditionis, & præeminentiæ existeret, licere pugiones, cultellos, nec aliud quodvis genus armorum brevioris mensuræ trium palmorum (exceptis tamen cultellis aptis ad incidendum panem, qui tamen esse non possent majoris longitudinis unius palmi, & sine cuspide, & ut vulgò dicitur spontati) in Urbe, Civitatibus, & locis status Nostri, tunc sui, Ecclesiastici præfatis, & suburbiis quovis modo, aut etiam quovis militiæ, aut exequutionis justitiæ prætextu deferre. Qui verò contrafecissent, dictumque genus armorum detulissent, pœnas in prædicta Pii IV. Prædecessoris Constitutione expressas incurrerent. Inhibendo præterea omnibus, & singulis, etiam de Latere Legatis, ne sub indignationis suæ, & quibuscumque Vicelegatis, Gubernatoribus, Rectoribus, Præsidentibus, ac aliis Ministris, & Sedis Apostolicæ, seu Civitatum, & terrarum præfatarum Officialibus, ne sub suspensionis à divinis, ac excommunicationis latæ sententiæ, aliisque arbitrio suo pœnis, Cuiquam tale genus armorum sub quovis colore deferendi licentiam, & facultatem ad quodcunque etiam brevissimum tempus concedere auderent, vel præsumerent, decernens nihilominus licentias, & facultates sic concessas nullas penitùs, & invalidas existere, ac illis non obstantibus eos, qui sub illarum clypeo dictum genus armorum detulissent, pœnam præfatam omninò incursuros, & aliàs, prout in ipsius Pii V. Prædecessoris desuper pridiè Idus Februarii Pontificatus sui anno VIII. emanatis Litteris, quarum, & præfatarum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo, ad verbum insertis habere volumus, uberiùs continetur.

Non eadem diligentiâ Pii V. quam Pii IV. Constitutio fuit observata.

§. 3. Cùm autem, sicut non sine animi Nostro dolore accepimus eo, quia justitiæ Ministri eadem diligentiâ, qua suprà dicta Pii IV. Prædecessoris Constitutio exactè hactenùs observata, & exequutioni demandata fuit, exequutioni pariter, & observantiæ alterius Pii V. etiam Prædecessoris Constitutioni supradictæ similiter invigilare neglexerint, tametsi ejusdem observantia in omnibus à Congregatione pro tempore existentium S. R. E. Cardinalium, consultationibus negotiorum ditionis temporalis ejusdem S. R. E. præpositorum, nec non à pro tempore pariter existentibus dictæ Urbis Gubernatoribus emanatis generalibus bannimentis demandetur, quàm plura homicidia præfatis brevioribus armis, quæ insidiosè celantur, talique celeritate, ut eorum ictus penè inevitabiles sint, impugnantur, facillimè, & frequenter perpatrari soleant.

Quare à Sanctitate Suâ per præsentes confirmatur & innovatur.

§. 4. Hinc est, quòd Nos quiti, & tranquillitati Nostrorum, & ejusdem Sedis in temporalibus subditorum consulere, ac malis hujusmodi, & occasioni homicidiorum præfatorum, quæ animarum saluti, ac Reipublicæ bono adeò sunt perniciosa, occurrere, ac aliàs in præmissis, quantùm in Deo possumus, providere volentes, motu proprio, ac ex certa scientiâ, & maturâ deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine Constitutionem per præfatum Pium V. Prædecessorem desuper, ut præfertur, editam, omniaque & singula in eâ contenta, & expressa perpetuò approbamus, confirmamus, & quatenus opus sit, innovamus, atque inviolabiliter, inconcussè, & perpetuò servari, & exequi volumus, & mandamus.

Ac de novo eorundem brevium armorum usus vetatur.

§. 5. Et insuper decernimus & sancimus, nemini cujuscumque Dignitatis, status, gradus, ordinis, & præeminentiæ, etiam speciali mentione, seu notâ digno licere in Urbe præfatâ, ejusque districtu, & in toto Statu Ecclesiastico Nobis, & dictæ Sedi tam immediatè, quam mediatè subjecto comprehensis, etiam quatuor Legationibus. ac Civitatibus, Bononiensi, Ferrariensi Beneventanâ, aliisque Civitatibus, Terris, & locis, etiam specialem, & individuam expressionem, ac nominationem requirentibus, pugiones, cultellos, ac parvas sicas, seu eos, qui vulgò nuncupnatur stortini, ac aliud quodvis genus armorum brevioris mensuræ trium palmorum, mensuræ vulgariter denominatæ Cannæ Romanæ ad usum Mercatoris sub pœnis Læsæ Majestatis, & rebellionis irremissibiliter exequendis; exceptis dumtaxat cultellis aptis ad incidendum panem, qui tamen majoris longitudinis unius palmi esse non possint, sintque sine cuspide, & ut vulgò dicitur spontati, nec non aliis instrumentis ad usum propriæ artis, quam quisque exercet necessariis, & in actu exercitii ejusdem artis, non aliàs deferre.

Quæ intra triginta dierum spatium ad Superiores deferenda.

§. 6. Ad hæc hujusmodi genus armorum, quæ sunt propria sicariorum, & apta ad committenda delicta, nullo unquam tempore Reipublicæ, deservire posse considerantes, sub iisdem pœnis illorum retentionem domi, in Apothecis, & alibi, introductionem in dictum Statum Ecclesiasticum, fabricationem, venditionem, permutationem, in solutum, vel in pignus dationem, seu receptionem, & quodcunque aliud genus contractus prohibemus, volentes, & mandantes, quòd quicunque in Urbe, & districtu præfatis, etiam in locis Baronalibus commorantes, intrà viginti dierum spatium à die publicationis præsentis Constitutionis in infrascriptis locis faciendâ computandum, ad Tribunal præfatæ Urbis Gubernatoris, in aliis verò locis totius Status Nostri Ecclesiastici etiam mediati, intrà triginta dictum spatium à die publicationis supradictæ computandum, ad Legatos, & Gubernatores, Superiorem in Provinciâ non recognoscentes, eadem

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

dem arma deferre teneantur, ut ſtatim frangantur, & fracta ſubinde ad Dominorum beneplacitum reſtituantur.

Hæc & prædictæ Conſtitutiones quaſvis etiam perſonas Eccleſiaſticas concernunt.

§. 7. Conſiderantes propterea, quantum Sacris Canonibus adverſetur noceatque diſciplinæ Eccleſiaſticæ, quòd Clerici, quorum arma ſunt lacrymæ, & orationes, hujuſmodi arma deferant, declaramus, & quatenùs opus ſit, decernimus, ſub præſenti, ac ſupradictis Pii IV. ac Pii V. Prædeceſſorum Conſtitutionibus, tam Clericos quàm alias omnes, & ſingulas perſonas Eccleſiaſticas, etiam quomodolibet exemptas, tam Seculares, quàm cujuſvis Ordinis, Congregationis, Societatis, & Inſtituti, etiam de neceſſitate ſpecialiter exprimendi, nec non Militiarum quarumcumque, etiam Hoſpitalis S. Joannis Hieroſolymitani Regulares, vel aliàs immunitate perſonali quomodolibet fruentes, & gaudentes comprehendi. Mandantes propterea, & enixè præcipientes Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis, & Epiſcopis, aliiſque locorum Ordinariis, ac reſpectu Regularium pro delatione tamen, ſeu retentione dictorum armorum intrà clauſtra delinquentium eorum Superioribus Regularibus, quatenùs præmiſſa omnia exequi curent, & faciant, & contra tranſgreſſores ad majorem pœnam, quàm Tribunal Eccleſiaſticum pro quocumque graviori, & atroci delicto imponat, ſeu imponere valeat, irremiſſibiliter procedant.

Nihil omninò contrà præmiſſa, pœnaſque contravenientibus infligendas ſuffragetur.

§. 8. Declarantes, & mandantes, quod ad ſeſe eximendum à pœnis præfatis, allegari non ſuffragabitur, non conſtare de dolo, vel malâ contravenientium qualitate, nec relevabunt, ſeu proderunt familiaritates, Litteræ patentes, inhibitiones, & licentiæ conceſſæ, & concedendæ, ſeu privilegia cujuslibet Congregationis Judicis, & Tribunalis, etiam ſupremi, ac Officialium, Miniſtrorum, & Exequutorum Juſtitiæ in quocunque actu, & ſervitio, nullo prorſus excepto, nec non cujuſcunque Militiæ, etiam illius, quæ nuncupatur di Leva, ſeu alterius Noſtro, & Romani Pontificis pro tempore exiſtentis actuali ſervitio deſtinatæ, Caſtellanorum, Gubernatorum armorum, aliorumque Officialium Majorum, ac quocumque militari munere, etiam ſupremo fungentium, Almæ Domus Lauretanæ, nec non cujuſvis Ordinis, Congregationis, Societatis, ſeu Inſtituti, vel Militiarum quarumcumque, etiam S. Joannis Hieroſolymitani, & quarumvis perſonarum, etiam in eminenti ſtatu conſtitutarum, & alia quavis, ſivè Eccleſiaſtica, ſive mundana dignitate fulgentium, & aliàs quomodolibet qualificatorum, facultatis Cameralis, ac Miniſterii, ſeu Miniſtrorum, etiam Principalium Cameræ Noſtræ Apoſtolicæ, tametſi prædicti, vel aliqui ex eis eſſent ſpeciali nota, ſeu expreſſione digni, nulliſque perſonis privilegiatis & privilegiatiſſimis exceptis. Volentes præmiſſis non obſtantibus ad exequutionem præfatarum pœnarum irremiſſibiliter contra omnes, & ſingulos contravenientes eſſe omninò deveniendum, & tàm ad Fiſci Noſtri inſtantiam, quàm ex officio, & per inquiſitionem, ac omni meliori modo poſſe procedi.

Derogatio contrariis.

§. 9. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, aſſertis conſuetudinibus, quas ſi quæ forent per præſentes improbamus, nullaſque, & invalidas eſſe declaramus, privilegiis quoque, indultis & Litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum forſan quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & formâ in illis traditâ obſervatâ, inſerti forent, eiſdem præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes ad effectum præſentium, illiſque aliàs in ſuo robore permanſuris hac vice dumtaxat harum ſerie derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Præſervantur habentes alias exemptiones in Legatorum Cancellariis regiſtrandas.

§. 10. Volentes quòd in aliis, quàm præmiſſis privilegiati, ſeu habentes Litteras patentes omnibus aliis exemptionibus, & privilegiis legitimè competentibus perfruantur, ea tamen conditione, quòd realiter, & cum effectu regiſtrari curaverint, vel curent in Cancellariis Legatorum & Gubernatorum, privilegia, Litteras patentes, & titulos exemtionis, ad formam & tenorem Edictorum de mandato Romanorum Pontificum Noſtrorum Prædeceſſorum, & ſignanter piæ mem. Clementis X. ſub datum die vigeſimâ octavâ Julii Anno Domini 1674. & Innocentii XI. ſub dat. die ſeptimâ Novembris anno 1676. publicatum, quæ exactè obſervari, ſuumque plenum effectum habere, ac ſi hic de verbo ad verbum inſerta exiſterent, ordinamus.

Univerſalis præſentium poſt publicationem obligatio.

§. 11. Volumus autem, quòd lapſis decem reſpectu dictæ Noſtræ Urbis, & viginti diebus reſpectu totius præfati Noſtri Status Eccleſiaſtici, poſtquàm præſentes valvis Eccleſiæ Lateranenſis, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum ejuſdem Urbis, & in acie Campi Floræ, per aliquem ex Noſtris Curſoribus affixæ, & publicatæ fuerint, omnes & ſingulos, tam in Urbe, quàm in Statu præfatis exiſtentes perinde obligent, & arctent, ac ſi unicuique eorum perſonaliter, & nominatim intimatæ fuiſſent; Quódque earum tranſſumptis, etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſticâ conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ eiſdemmet præſentibus, ſi exhibitæ, vel oſtenſæ eſſent, adhiberetur.

Tranſſumptorum fides.

§. 12. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Noſtrarum confirmationis, innovationis, voluntatis, mandati, Decreti, ſanctionis, extenſionis, prohibitionis, declarationis, & derogationis infringere, ſeu ei auſu temerario contraire, ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Sexcenteſimo Nonageſimo, Idibus Auguſti Pontificatus Noſtri anno primo.

Sanctio pœnalis.

D. 13. Aug. A. 1690. P. A. primo.

Confirmatio ternarum Innocentii XI. Literarum ſuper conceſſione privilegiorum pro Collegio B. Ferdinandi Catholici Sancti nuncupati & Univerſitate Sanctæ Fidei in Indiis Occidentalibus.

XI.

ALEXANDER PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

EX injuncto Nobis cœlitùs Apoſtolicæ ſervitutis munere, illa quæ à Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus Noſtris, pro ſacrarum, eiſque ancillantium bonarum Litterarum ſtudiis ubique locorum, & præſertim in remotiſſimis ab hac Sancta Sede partibus, opportunè promovendis piè, providéque emanaſſe noſcuntur, ut ſolidiori robore perennent, & optati exindè fructus ad Dei gloriam, Catholicæ Fidei, Divinique cultus propagationem, & Chriſtiani populi ædificationem, benedicente Domino conſequantur, Apoſtolici munimis Noſtri præſidio, cum id à Nobis petitur, libenter conſtabilimus.

Literæ Innocentii XI. facultatem conferendi gradus Scholaſticos Collegio Beati Ferdinandi Catholici concedentes.

§. 1. Aliàs ſiquidem emanarunt à fel. rec. Innocentio P.P. XI. Prædeceſſore Noſtro ternæ in ſimili forma Brevis Litteræ, tenoris, qui ſequitur, videlicet. Innocentius PP. XI. Ad futuram rei memoriam. Paſtoralis officii, quo Catholicæ Eccleſiæ per univerſum Terrarum Orbem diffuſæ regimini Divinâ diſpoſitione præſidemus, cura animarum Noſtrarum ſollicitat, ut pia Religioſorum virorum, propriæ alienæque ſaluti

Exordium.

operam dantium ſtudia ad Chriſti fidelium, præſertim in longinquis Regionibus degentium, in doctrinâ ſanâ inſtitutionem, atque eruditionem laudabiliter tendentia, peculiaribus favoribus, & gratiis, quantùm Nobis ex alto conceditur, adjuvemus. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecit Dilectus Filius Ignatius de Queſſada. Definitor, & Procurator Provinciæ Sanctæ Catharinæ Virginis, & Martyris de Quinto, in Indiis Occidentalibus Ordinis Fratrum Prædicatorum in Sacra Theologiâ Magiſter, quod cum in illis partibus plurimi ſint infideles, ex quibus multi operâ Fratrum dicti Ordinis illic in vinea Domini ſtrenuè laborantium ad Chriſtianæ Religionis veritatem indies converteruntur, & longè plures Domino benedicente converſum iri ſperatur! verùm meſſis quidem multa ſit, operarii autem pauci, qui eos in doctrinâ ſana inſtruere, & confirmare valeant; Dilecti pariter Filii Fratres Provinciæ prædictæ providè conſiderantes, nullam in eadem Provinciâ ſtudii generalis Univerſitatem reperiri, ipſamque Provinciam nongentis à Limanâ, & ter mille milliaribus à Mexicanâ Civitatibus, in quibus ejuſmodi Univerſitates ſtudiorum generalium erectæ ſunt diſtare; ac proindè ſtudioſos partium illarum juvenes, ſacrarum aliarumque litterarum ſtudiis operam dandi, ſeque ad Fidei Catholicæ propagationem habiles atque idoneos reddendi, peractiſque ſtudioſis laboribus præmium graduum litterariorum conſequendi, tàm longas periculoſaſque peregrinationes ſubire debere: prævio Regio conſenſu, Collegium ſub titulo Beati Ferdinandi Regis Catholici, Sancti nuncupati, intrà, vel extrà ſepta Conventus Sancti Petri Martyris Civitatis Quitenſis dicti Ordinis ſuâ impensâ ædificare, in eoque Grammaticam, & Philoſophiam publicè docere, ac etiam quatuor Cathedras, duas quidem Theologiæ Scholaſticæ, aliam Theologiæ Moralis, & quartam Sacræ Scripturæ: quas pro tempore obtinentes Sancti Thomæ Aquinatis Doctrinam, Sanctorum Patrum traditionibus, & univerſalis Eccleſiæ Decretis conformem docere, erroneaſque, & noxias præſertim in materiâ morali opiniones, quæ in illis partibus ſerpere dicuntur, eorundem, Sanctorum Patrum Doctrinâ refellere debeant, de proprio fundare decreverunt. Cùm autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebebat, dictus Ignatius Collegio hujuſmodi ejuſque Rectori, & Cathedraticis pro tempore exiſtentibus facultatem conferendi publicè gradus Scholaſticos in illis Scientiis, quæ in ipſo Collegio docebuntur, concedi plurimùm deſideret, ſimiliſque facultas aliis Collegiis dicti Ordinis in quibuſdam Civitatibus Indiarum Occidentalium, quæ quadringentorum milliarium intervallo ab Univerſitatibus publicis remotæ ſunt, exiſtentibus dudum, videlicet anno milleſimo ſexcenteſimo decimo nono à felicis recordationis Paulo V. ad inſtantiam tunc exiſtentis Regis Hiſpaniarum Catholici conceſſa, & ſubindè ab Urbano VIII. Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus Noſtris confirmata fuerit, ac ejuſmodi prærogativâ tàm Clerici Regulares Societatis Jeſu, vigore quorumdam privilegiorum, quàm Fratres Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini in vim quarumdam Apoſtolicarum in ſimili formâ Brevis Litterarum in partibus Indiarum hujuſmodi de præſenti fruantur. Nobis propterea, idem Ignatius humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportunè providere, & ut infrà indulgere de benignitate Apoſtolicâ dignaremur. Nos igitur ipſum Ignatium ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis, excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quâvis occaſione, vel cauſâ latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtat ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum Noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium negotiis propagandæ Fidei præpoſitorum (qui zelum pietatemque dictorum Fratrum Provinciæ de Quito, Ordinis Prædicatorum commendarunt) conſilio Rectori pro tempore exiſtenti dicti Collegii intra vel extra ſepta ſupradicti Conventus Sancti Petri Martyris Civitatis Quitenſis jam forſan erecti, ſivè impoſterum erigendi, gradus Scholaſticos in omnibus Scientiis Cathedrarum in eodem Collegio jam forſan erectarum, vel impoſterum erigendarum quibuſcumque ſtudioſis, qui ſtudiorum curſum ibidem peregerint, dummodo tamen prævio rigoroſo examine ad id reperiantur idonei, ad formam Litterarum in ſimili forma Brevis aliàs conceſſarum, præfatis Fratribus Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini, & Clericis Regularibus Societatis Jeſu, auctoritate Noſtrâ Apoſtolicâ conferendi facultatem, donec, & quouſque publica Univerſitas Regalis, ſicut Limana & Mexicana, in dictâ Provinciâ de Quito conſtruatur, ſive erigatur, dumtaxat duraturam, eadem auctoritate tenore præſentium concedimus, & impertimur. Salvâ tamen ſuper in præmiſſis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium. Decernentes ipſas præſentes Litteras firmas, validas, & efficaces exiſtere & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, in omnibus & per omnia pleniſſimè ſuffragari: ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecùs ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apoſtolicis aliis Religionibus, in ipſa Civitate Quitenſi exiſtentibus, etiam Societatis Jeſu, in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die vigeſima tertia Julii milleſimi ſexcenteſimi octuageſimi primi, Pontificatus Noſtri anno quinto J. G. Sluſius.

Provincia Quitenſis generalis ſtudii Univerſitate deſtituta.

Quare erectum Collegium ſub titulo Beati Ferdinandi &c.

Exoptatur pro dicto Collegio facultas conferendi gradus Scholaſticos.

Quæ cum abſolutione Ignatii Procuratoris ad effectum conceditur.

Donec conſtruatur in eadem Provincia publica ut alibi Univerſitas.

Decretum roborans & irritans.

Derogatio contrariis.

D. 23. Julii 1681. P. A. quinto.

§. 2. Innocentius Papa XI. Ad futuram rei memoriam. Exponi Nobis nuper fecit Dilectus Filius Jacobus Riccius Procurator Generalis Ordinis Fratrum Prædicatorum in Sacra Theologia Magiſter, quòd licèt in Conventu Sanctiſſimi Roſarii, & Collegio Sancti Thomæ Civitatis Sanctæ Fidei in novo Regno Granatenſi, in Indiis Occidentalibus, dicti Ordinis ſit, & ſemper fuerit Univerſitas ſtudii generalis ab initio fundationis dicti Conventus per Litteras felicis recordat. Gregorii Papæ XIII. Prædeceſſoris Noſtri erecta, & ſubindè à recentis memoriæ Paulo Papa V. Prædeceſſore pariter Noſtro per ſuas Litteras ad dictum Collegium translata, ipſaque Univerſitas fuerit in poſſeſſione conferendi gradus Academicos omnibus Profeſſoribus, & diſcipulis Scholæ Sancti Thomæ Aquitatis ibidem litterarum ſtudiis operam navantibus: Ut autem prædicta Univerſitas in majori auctoritate eſſet, & ejuſdem S. Thomæ doctrina magis ampliaretur, bonæ mem. Chriſtophorus Torres dum vixit Archiepiſcopus dicti Novi Regni Granatenſis, qui in minoribus conſtitutus profeſſionem regularem in Ordine præfato emiſerat, magnificum in dicta Civitate Collegium majus, in quo Seculares Nobiles, & bonæ conditionis edocerentur, ſua impenſa fundaverit, in eoque erexerit Cathedras Philoſophiæ, Sacræ Theologiæ, Sacrorum Canonum, & Legum, quibus pro inſtituto eſt, ſequi &

Aliæ Innocentii XI. Litteræ, gradus Scholaſticos in Univerſitate Sanctæ Fidei & prædicto B. Ferdinandi Collegio ſuſceptos legitimantes. Univerſitas S. Fidei ſemper fuit in poſſeſſione conferendi gradus Academicos.

Collegium majus à dicta Civitate in Chriſtophoro Torre fundatum.

docere

docere doctrinam Sancti Thomæ, prout id ibidem fit cum magna utilitate ſtudentium, qui poſt ex acta ſtudia, ſuſceptaſque in ſecunda Univerſitate Laureas, ad ſervitium Eccleſiarum, ac ad Miniſteria Parochorum, & Præbendarum admittuntur. Nihilominùs hujuſmodi pacifica poſſeſſione gradus in eadem Univerſitate ſuſcipiendi non obſtante, nonnullæ perſonæ à modico tempore rumorem ſparſerunt & aliis perſuadere conati ſunt, quòd gradus in præfatâ Univerſitate recepti non ſint ſufficientes, & validi, ad hoc ut graduati poſſint admitti ad oppoſitiones, & concurſus Præbendarum Magiſtralium, Doctoralium, Pœnitentiariarum, & Theologalium, ac alias Dignitates, & Officia, quæ de jure requirunt, ut illas, & illa obtinentes, hujuſmodi gradibus inſigniti ſint. Unde hoc prætextu Thomiſtas à præfatis Officiis, & Dignitatibus omnino excludunt; & quatenus eos admittant, dicunt Capitulares, ſe propter gradus defectum non poſſe eis locum in nominationibus dare. Quod quidem in graviſſimum redundat præjudicium Collegialium ſupradictorum, ac in diminutionem exiſtimationis Doctrinæ tanti Doctoris. Cùm enim non ex alia cauſâ excludantur, quàm ex eo, quod Doctrinæ ejuſdem Sancti Thomæ ſequaces, & in præfati Ordinis Univerſitate graduati ſint, nemo amplius erit, qui doctrinæ S. Thomæ Studiis operam dare velit, & intrà modicum tempus Collegium ſupradictum, quod hodiè litterarum Seminarium eſt, deſtructum remanebit, peribit Univerſitas, & Doctrina S. Thomæ in illis partibus extinguetur, quæ tamen olim à multis Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus Noſtris commendata fuit, non ſine mandato, ut illius ampliationi in Univerſitatibus opera daretur. Cùm autem (ſicut eadem expoſitio ſubjungebat) Nos per quaſdam Noſtras in ſimili forma Brevis Anno 1681. expeditas Litteras, de Venerabilium Fratrum Noſtrorum S.R.E. Cardinalium negotiis propagandæ fidei præpoſitorum conſilio, facultatem conferendi gradus Scholaſticos in omnibus ſcientiis, quæ in Collegio Beati Ferdinandi Regis Catholici, Sancti nuncupati, dicti Ordinis in eiſdem Indiis Occidentalibus docerentur, ſub certis modo, & formâ tunc expreſſis conceſſerimus; Chariſſimus verò in Chriſto Filius Noſter Carolus Hiſpaniarum Rex Catholicus, non ſolùm Regium ſuum beneplacitum ſuper inſtitutione Collegii hujuſmodi impertitus fuerit, ſed etiam per Schedulas ſuas Regias anno 1683. emanatas, Collegium ipſum, ſive illius Univerſitatem omnibus privilegiis, & prærogativis Regalis Collegii decoraverit, idque intuitu magnæ utilitatis, quæ in illis partibus adeo remotis ex doctrina memorati S. Thomæ, & copiâ operariorum Evangelicorum, qui legem Evangelicam tàm Chriſtianis, quàm Infidelibus prædicent, illoſque doceant, proventura ſperatur. Ac proindè dictus Jacobus Procurator Generalis plurimum cupiat à Nobis declarari, quod ſupradictæ Univerſitates Conventus Sanctæ Fidei, & Collegii Beati Ferdinandi Civitatis Quitenſis ſint certæ, veræ, & reales Univerſitates, prout ſunt Limana, & Mexicana, abſque ulla differentia, ac cum omnibus gratiis, & privilegiis, prærogativis, conſuetudinibus, & ſolemnitatibus, prout Collegio S. Thomæ Civitatis Manilarum in Indiis Philippinis Anno 1681. conceſſimus, & quatenùs opus ſit dictas Univerſitates de novo erigi in Univerſitates publicas ad inſtar Limanæ, & Mexicanæ cum omnibus gratiis, & privilegiis, ita ut graduati in præfatis Univerſitatibus reputentur habiles, & idonei, tanquàm graduati in præfatis Univerſitatibus, ad hoc ut cum Dei honore, & publico beneficio, ac Catholicæ Fidei propagatione amplietur quoque præfati S. Thomæ Aquinatis doctrina, illius ſtudioſi & ſequaces, damna, & præjudicia, quæ nunc ſuſtinent, ampliùs non patiantur. Nobis præterà idem Jacobus Procurator Generalis præfati Ordinis nomine hujuſmodi ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ipſum Jacobum Procuratorum Generalem ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſq; Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quâvis occaſione, vel cauſâ latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat, conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ac Noſtrarum pariter in formâ Brevis ad favorem Collegii, & Univerſitatis S. Thomæ Civitatis Manilæ Anno 1681. emanatarum Litterarum tenorem præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſo, ac de verbo ad verbum inſerto habentes, de Venerabilium Fratrum Noſtrorum S.R.E. præfatæ Cardinalium, negotiis & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium Præpoſitorum conſilio, omnia privilegia præfato Collegio, & Univerſitati S. Thomæ Civitatis Manilæ dicto anno 1681. à Nobis conceſſa præfatis Univerſitatibus Sanctæ Fidei, & B. Ferdinandi Regis Catholici Civitatis Quitenſis auctoritate Apoſtolica tenore præſentium communicamus: ſalva tamen in præmiſſis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium, negotiis & conſultationibus Epiſcoporum & Regularium præpoſitæ. Decernentes eaſdem præſentes Litteras firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, in omnibus & per omnia pleniſſimè ſuffragari. Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecùs ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non quatenus opus ſit, Ordinis, Univerſitarum, ſeu Collegiorum præfatorum, aliiſve quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis Statutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, Quibus omnibus & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus; cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 11. Aprilis 1685. Pontificatus Noſtri Anno IX. J. G. Sluſius. Loco † Sigilli.

§. 3. Innocentius PP. XI. Ad futuram rei memoriâ. Nuper pro parte Dilecti Filii Ignatii de Queſſada, Definitoris, & Procuratoris Provinciæ S. Catharinæ Virginis, & Martyris de Quito, in Indiis Occidentalibus Ordinis Prædicatorum in Sacra Theologia Magiſtri Congregationi Venerabilium Fratrum Noſtrorum S.R.E. Cardinalium, negotiis & conſultationibus Epiſc. & Regular. præpoſitæ, expoſito quod cùm Nobis aliàs nempè Anno 1681. pro parte ipſius Ignatii Procuratoris fuiſſet expoſitum, quod dicta Provincia, Collegium ſub titulo Beati Ferdinandi Regis Catholici Sancti nuncupati in Civitate Quitenſi ſua impensâ pro Collegialibus Secularibus ſub regimine, & Gubernio Religioſorum dicti Ordinis, qui inibi doctrinam Doctoris Apoſtolici S. Thomæ de Aquino docerent, fundare intendebat. Nos Collegium hujuſmodi fundari approbavimus, ac multa privilegia, & gratias pro eo Collegio conceſſeramus, prout dictus Ignatius Procurator ex binis Noſtris Litteris, unis videlicet dicto anno 1681. alteris verò die 11. Aprilis 1685. reſpectivè in ſimili forma Brevis expeditis conſtare aſſerebat, & ſubindè Regius ad id acceſſerat aſſenſus. Poſtmodùm verò Fratres dictæ Provinciæ, ut fundatio Collegii hujuſmodi ad ſuum effectum reduceretur, primùm Conventus S. Petri Martyris dictæ Civi-

tatis

Negata à quibuſdã graduatorum in eâ Univerſitate habilitas.

Incommoda indè proveniẽtia.

Conceſſa dudùm à Sanctitate Sua gradus Scholaſticos conferendi facultas.

Acceſſit Regis Hiſpaniarum conſenſus cum donatione Privilegiorũ Collegii Regalis.

Procurator Generalis diſtinctam de dictorum Collegiorum facultatibus declarationem exoptat.

Abſolutio ad effectũ.

Concedũtur præfatis Univerſitatibus omnia privilegia conceſſa S. Collegio Thomæ Civitatis Manilæ.

Decretum roborans & irritans.

Derogatio contrariis.

P.A. nono d.11. Aprilis. 1685.

Aliæ Innocentii XI. Literæ Card. Palutii Decretum ſuper poſſeſſionibus quibuſdam dicto B. Ferdinandi Collegio confirmantes.

Fundatio & Approbatio Collegii.

Specificatio poſſeſſionum dicto Collegio conceſſarum.

tatis Quitensis Ordinis prædicti, situm, & quasdam Domos ipsi Conventui vicinas pro ipsa fundatione dicti Collegii, & quoddam prædium seu possessionem Tochache nuncupatum, & ad dictum Conventum legitimè spectans, pro congrua illius personarum sustentatione, deinde Provincia prædicta quandam conficiendo saccaro fabricam, seu Machinam in Valle de Pisque, ac duas Possessiones unam in jurisdictione de Loxa, pro manutentione Cathedraticorum Sacror. Canonum in dicto Collegio, alteram verò in valle de Sangolqui nuncupatam, juxtà suos notos fines sitas, & ad dictam Provinciam legitimè spectantes, nec non aliqui ejusdem Ordinis Fratres nonnulla particularia deposita sibi reservata, seu ad eorum usum permissa, ac demum ipse Ignatius Procurator de licentia sui Superioris copiosam Bibliothecam cum diversis picturis in Almâ Urbe Nostrâ factis, & aliis rebus, seu ornamentis pro cultu Divino dicto Collegio donaverant, concesserant, & assignaverant respectivè, Capitulumque Provinciale ipsius Provinciæ fructum cujusdam census annui ad quadringentos nummos pezze nuncupatos annuatim ascendentem, in fabricam dicti Collegii, quoad usque illa absolveretur, impendendos applicaverat, & in eadem expositione subjuncto quod cùm propè esset, ut fundatio Collegii hujusmodi absolveretur in publicam totius illius Regni Quitensis utilitatem, iidem Fratres dictæ Provinciæ, quo dictum Collegium perpetuam in dictis bonis, & possessionibus, stabilitatem, firmitatem, & securitatem consequeretur, nec quidquam ullo unquam tempore circà ea innovari posset, cupiebant donationes, concessiones, & assignationes supranarratas, jàm dudum (ut dictus Ignatius asserebat) à Dilecto Filio moderno Magistro Generali dicti Ordinis approbatas, seu aliàs de ejus licentia factas, à dicta Congregatione confirmari. Memorata Congregatio Cardinalium supplicem libellum sibi super præmissis porrectum, remisit Dilecto Filio Nostro Palutio S. R. E. Cardinali de Alteriis nuncupato, Ordinis prædicti apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectori, ut veris existentibus narratis circà supradictas Oratoris preces id statueret, quod pro suo arbitrio, & prudentiâ in Domino expedire censuisset, prout in ipsius Congregationis Decreto desuper die 14. Novembis proximè præteriti emanato continetur. Ipse verò Palutius Cardinalis, & Protector vigore facultatis sibi concessæ Decretum edidit tenoris, qui sequitur videlicet. Palutius tituli Basilicæ S. Mariæ Transtyberim Presbyter Cardinalis de Alteriis, S. R. E. Camerarius, ac totius Ordinis Prædicatorum apud S. Sedem Protector. Cùm ex parte Provinciæ Sanctæ Catharinæ Virginis, & Martyris de Quito in Indiis Occidentalibus, Fratrum Prædicatorum, Sacræ Congregationi Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, per R. P. Magistrum F. Ignatium de Quessada illius Procuratorem, & Definitorem, in hac Curia præsentem expositum fuerit, quòd ex concessione Sanctissimi D. N. Innocentii XI. & munificentia Regis Catholici Caroli secundi, Collegium in dicta Civitate Quitensi, sub moderamine d. d. Fratrum Prædicatorum, eorumque regimine, & sub titulo Beati Ferdinandi Sancti nuncupati, cum jure, & privilegio in omnibus scientiis quoscunque studentes laurandi, ac aliis quibus Universitates Limana, & Mexicana potiuntur, quæque aliis Collegiis Regalibus à præfato Rege Catholico, suisque Prædecessoribus concessa fuere, erectum fuerit, & institutum, seu verius de proximo erigi, & institui debeat; atque ad hoc ut fundatio hujusmodi sequeretur, ac ad Moderatoris Universitatis sustentationem Conventus Sancti Petri Martyris ejusdem Civitatis, & Ordinis, quasdam Domos simul unitas, & sitas in Platea Sancti Dominici ejusdem Civitatis, quæque sunt dicto Conventui conterminæ usque sub die 18. Augusti 1681. dicto Collegio donaverit atque contulerit, ac præterea tres possessiones seu prædia stabilia ad ipsum Conventum spectantia sita in valle Tochahe, aliud in valle Sangolqui, & tertium in jurisdictione de Loxa, & ultrà hæc etiam pistrinum ad usum saccari cum suis pertinentiis, quod Hispanicè nuncupatur Ingenium, situm in valle Pisque sponte etiam, & liberè concesserit, & assignaverit, prout in actis, scripturis, & instrumentis hujusmodi donationum, & concessionum latiùs continetur, ad quæ relatio habeatur. Ac insuper ad eundem effectum Capitulum Provinciale celebratum in dicto Conventu Sancti Petri Quitensi, die 20. Septembris 1684. speciali Decreto applicaverit quadringentos annuos Patacones in ea Provincia jampridem ad ædificandum destinatos, ut constructioni, & fabricæ dicti Collegii tamdiu impendantur, quamdiu ædificium completum fuerit, diversique Fratres particulares dictæ Provinciæ deposita propria ad usum reservara de Superiorum licentia, & præsertim dictus P. Magister de Quessada copiosam Bibliothecam in Europa ab eo comparatam, una cum pluribus picturis, & ornamentis eidem Collegio liberaliter cesserint, donoque attribuerint, harumque omnium, & singularum concessionum, & donationum confirmationem pro majori dicti Collegii securitate, & abundantiori cautela, à prædicta Sacra Congregatione eadem Provincia per prænominatum Procuratorem enixè, & humiliter postulaverit, ipsaque Sacra Congregatio benignè annuendo petitis sub die 14. Novembris anni proxime elapsi 1687. Nobis commiserit, ut pro Nostro arbitrio & prudentia statueremus, quæ circa præmissa in Domino expedire censeremus. Nos igitur considerantes hujusmodi concessiones bonorum cedere in majorem Ecclesiæ utilitatem, ac ejusdem Ordinis Fratrum Prædicatorum decorem, neque Conventui, & Provinciæ oneris, vel dispendii inde multum oriri, inhærendo propterea facultati à Sacra Congregatione specialiter in supra enunciato Decreto Nobis concessæ, volentes pro Nostra in dictum Ordinem protectione speciali gratia, & favore eum prosequi, visis authenticis documentis Nobis exhibitis, ac per visuram veris repertis narratis, post maturam rei discussionem, autoritate Apostolicâ quâ fungimur in hac parte, omnia, & singula acta, & scripturas, & instrumenta donationum, concessionum, unionum, & incorporationum prædicto Collegio, & Universitati à Conventu Sancti Petri Martyris Civitatis Quitensis S. Capitulo, Provinciali ejusdem Provinciæ, ac Generali totius Ordinis, Fratribusque particularibus in utilitatem prædicti Collegii, & illius fundationem factarum, & applicatarum à die 18. Augusti 1681. usque ad præsentem diem, cum suis clausulis, & conditionibus, quæ in actis, scripturis, & instrumentis hujusmodi continentur, quorum tenores haberi volumus hic pro expressis, approbamus, & confirmamus, laudamus ac roboris firmitate munimus, etiamsi in illis servatæ non fuerint solemnitates à Sacris Canonibus, & Ordinis ipsius Constitutionibus demandatæ: quoniam ad validum earumdem effectum, auctoritate Sacræ Congregationis in eis dispensamus, & tam Fratribus dicti Conventus Sancti Petri Martyris ejusque, ac Provinciæ Prælatis, & Superioribus præsentibus, & futuris, quàm quibusvis aliis personis adversùs illas omnino reclamare prohibemus, rataque habentes omnes licentias per Superiores Ordinis, & Capitula supra enunciata in gratiam ejusdem Collegii datas, atque concessas, bona omnia tàm mobilia, quàm immobilia superiùs expressa, tanquam bona d. Collegio ad illius fundationem, Moderatorum sustentionem, Professorum Theologiæ, & utriusque Juris Cathedraticorum manutentionem destinata, applicata, incorporata, unita, attributa, & acquisita, alienari,

Quitensis Provinciæ Fratres dictas concessiones à Congregatione cupiunt confirmari

Ejusmodi supplicatio Cardinali Palutio remissa.

Cardinalis Palutii Decretum dictas concessiones ex commissa sibi à Congregatione potestate confirmans.

enari, distrahi, & separari posse, alienationis etiam vocabulo latissimè sumpto, quocunque prætextu interdicimus, sub pœnis contra alienantes bona Ecclesiæ à Sacris Canonibus, & dicti Ordinis Constitutionibus indictis, & comminatis. Quibuscumque in contrarium non obstantibus. Datum ex ædibus Nostris hâc die decima nona Martii 1688. Palutius Cardinalis de Alteriis Protector. Locus † Sigilli. Cùm autem sicut dictus Ignatius Procurator Nobis nuper exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi, quo firmiùs subsistat, & serveteur exactiùs, Apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri summopere desideret, Nos ipsum Ignatium Procuratorem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à Jure, vel ab homine quâvis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus Nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, præinsertum dicti Palutii Cardinalis Protectoris Decretum, omniaque & singula in eo contenta, auctoritate Nostrâ Apostolicâ, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & singulos Juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Decernentes easdem præsentes Litteras firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac dicto Collegio in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibns & ordinationibus Apostolicis, nec non Conventûs, Provinciæ, & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostoliâ, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 12. Junii 1688. Pontificatus Nostri anno duodecimo. J. F. Albanus Loco † Annuli Piscatoris.

Quod Apostolicâ Confirmatione munitur.

Decretum roborans & irritans.

Derogatio contrariis.

D. 12. Junii 1688. P. anno duodecimo.

Dicta Collegia omnium præfatorum possessionem cœperunt.

§. 2. Cùm autem sicut dictus Ignatius Nobis nuper exponi fecit, Collegii, seu Universitatis hujusmodi fundatio sub titulo ejusdem Beati Ferdinandi propè memoratum Conventum Sancti Petri Martyris dictæ Civitatis Quitensis præfati Ordinis Fratrum Prædicatorum secuta fuerit, certisque inibi Lectorum stipendiis, perpetuò stabilitis, ac tribus insuper sacrorum Canonum Cathedris præfinitis, alia præterea Schola in quâ Religiosus dicti Ordinis pueros quoscunque legere, & scribere, nec non Christianæ Fidei rudimenta Charitatis intuitu edoceret, adjecta fuerit, ipsisque Collegii Fabrica, pro quâ ingens pecuniarum summa erogata fuit absoluta, Dilecti Filii Fratres prædictæ Provinciæ Sanctæ Catharinæ de Quito ejusdem Ordinis illius possessionem cum maxima incolarum illarum partium gratulatione, & lætitia, nec non cum Venerabilis Fratris moderni, seu tunc existentis Episcopi Quitensis, Regalis Audientiæ, totiusque tam Secularis, quàm Regularis Cleri, dictæ Civitatis interventu, solemniter ceperint, ea verò firmiora sint, quibus iterata accedit Apostolicæ Sedis auctoritas. Nobis præterea idem Ignatius humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunè providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolicâ dignaremur.

§. 3. Nos igitur ipsum Ignatium specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes & à quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinari, omnia, & singula privilegia, jura, facultates, prærogativas, gratias, & indulta, nec non donationes, concessiones, assignationes, Decreta & alia quæcumque ad favorem memorati Collegii, seu Universitatis Beati Ferdinandi Regis Catholici Civitatis Quitensis à memorato Innocentio Prædecessore per suas Litteras præinsertas, concessa & confirmata respectivè, ipsasque Litteras cum omnibus, & singulis in eis contentis, auctoritate Apostolicâ tenore præsentium, confirmamus, & approbamus, ac innovamus, illisque inviolabilis, ac irrefragabilis Apostolicæ firmitatis robur, & efficaciam adjungimus.

Eaque possessio in præmissis stabilita, iteratâ Apostolicæ Sedis auctoritate confirmatur.

§. 4. Decernentes pariter ipsas præsentes Litteras, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocunque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, & ab illis respectivè inviolabiliter, & inconcusse observari, sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum roborans & irritans.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non omnibus, & singulis illis, quæ in præinsertis Innocentii Prædecessoris Litteris concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscunque.

Derogatio contrariis.

§. 6. Volumus autem, ut ipsarum præsentium Litteratum transsumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiasticâ Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 7. Novembris 1690. Pontificatus Nostri Anno secundo.

Transsumptorum fides.

D. 7. Novembris 1690. P. A. secundo.

Indulgentia plenaria pro unica vice, pro visitantibus Ecclesias Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini die festivitatis Canonizationis B. Joannis à S. Facundo, vel septem diebus immediate sequentibus. XII.

ALEXANDER PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Cùm nos nuper ad honorem sanctissimæ, & individuæ Trinitatis, ad exaltationem Catholicæ Fidei, & Christianæ Religionis incrementum de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, ac Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum in Alma Urbe nostra existentium consilio, Beatum Joannem à Sancto Facundo Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini Professorem auctoritate nobis à Domino tradita Sanctum esse decreverimus, & definiverimus, ac Sanctorum Catalogo solemni Ritu adscripserimus, & sicut accepimus, dilecti filii Fratres Conventuum, & dilectæ in Christo filiæ Moniales Monasteriorum Ordinis præfati, solemnitatem, seu festivitatem

Cano-

Canonizationis ejusdem S. Joannis à S. Facundo in suis respectivè Ecclesiis celebrare intendant. Nos ad augendam fidelium Religionem, & animarum salutem cœlestibus Ecclesiæ Thesauris piâ charitate intenti; Omnibus & singulis utriusque sexus Christifidelibus, verè pœnitentibus & confessis ac Sacra Communione refectis, qui Ecclesias quorumcumque Conventuum, Monasteriorum, & Domorum Regularium, tam Fratrum, quàm Monialium dicti Ordinis, ubicumque Locorum existentes, die quo solemnitas, seu Festivitas Canonizationis hujusmodi ibidem respectivè celebrabitur, vel aliquo ex septem diebus immediate sequentibus devotè visitaverint, ac ibidem pro Christianorum Principum concordia, hæresium extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, Plenariam omnium peccatorum suorum, Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus pro unica vice, quoad Ecclesias prædictas, earumque singulas valituris. Volumus autem, ut si pro impetratione, præsentatione, admissione, seu publicatione præsentium aliquid, vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur, præsentes nullæ sint; utque earumdem præsentium litterarum transsumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in Judicio, & extra illud, ubicumque locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus si forent ex, hibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 28. Novembris 1690. Pontificatus nostri anno secundo.

D. 28. Novembris 1690 P. A. secundo.

J. F. Card. ALBANUS.

INNOCENTIUS XII.

PONTIFEX CCXLVI.

ANNO DOMINI MDCXCI.

INNOCENTIUS DUODECIMUS, Neapolitanus Antonius Pignatellus antea dictus, Ducis Minervini filius, S.R.E. Presbyter Cardinalis tit. S. Pancratii, & Archiepiscopus Neapolitanus. Romæ die 12. Jul. 1691. Summus Pontifex renunciatus & die 15. ejusdem mensis coronatus est. Creavit Cardinales 29. obiit die 27. Septembris anni 1700. Sepultusque est in Basilica Vaticana. Vacavit Sedes mensem unum, dies 26.

I. Privilegia, Exemptiones, & Indulta concessa Dapiferis, qui in Conclavi suæ assumptionis S.R.E. Cardinalibus inservierunt.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Urbis.

§. 1.

Causa Indulti. MOtu proprio &c. Nos volentes dilectos filios nostros, dum Cardinalatus honore fungebamur, & Venerabilium Fratrum nostrorum S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Dapiferos, qui Conclavi, in quo Divinâ favente Clementiâ ad Summi Apostolatus apicem assumpti fuimus, inservierunt, quique ea de causa labores, vigilias, incommoda plura subierunt, habita ratione obsequiorum hujusmodi, favoribus, gratiis, & privilegiis pro cujuscunque meritis exornare, ac eosdem Dapiferos, & eorum singulos, Motu proprio, non ad ipsorum Dapiferorum, vel alterius pro ipsis Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de mera liberalitate, certaque scientia nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine in veros, indubitatos & non fictos Familiares continuos Commensales nostros, & eos, qui ex illis Clerici existunt, seu militiæ Clericali adscribi desiderant, quousque tres ex præfatis Cardinalibus in quolibet Ordine antiquiores gradu, nobilitate, & aliis meritis dignos tali dignitate judicaverint, in Nostros, & Apostolicæ Sedis Notarios, sine tamen præjudicio dilectorum filiorum Notariorum de numero participantium tenore præsentium recipimus, & tàm illos, quàm alios Dapiferos, singulos, qui sigillatim ab eisdem tribus Cardinalibus dignitali honore approbati fuerint, Sacri Palatii, & Aulæ Lateranſis Comites, & Milites, ac tàm illos, quam alios omnes quoscunque Dapiferos indistinctè, qui Nobiles non sunt, Nobiles, quique Urbis, vel alicujus alterius ex Civitatibus, temporali dominio dictæ Romanæ Ecclesiæ mediatè, vel immediate subjectis Cives esse voluerint, singulos in ea ipsa Civitate, quam sigillatim quisque eorum elegerit, & ad quam ab eisdem Cardinalibus se admitti petierit, veros Cives ad instar, & nullâ prorsus differentiâ inter eos, & singulos alios veros originarios, & antiquissimos, & Nobiles participantes Cives ipsius Urbis, vel Civitatis, ita ut ipsum civilitatis jus ad quoscunque eorum hæredes eodem modo transeat, creamus, constituimus, & deputamus, ac Nobilitatis, & Civilitatis titulo, & honore, & insigniis decoramus, aliorumque Familiarium continuorum Commensalium Nobis actu in Palatio nostro Apostolico servientium, & in illius tinello comedentium, & bibentium, Nostrorum, & Sedis Apostolicæ Notariorum, Palatiique, & Aulæ præfatæ Comitum, Militum, & Nobilium, & Civium hujusmodi originariorum numero, & consortio favorabiliter aggregamus, & pro veris, indubitatis, & non fictis Familiaribus, continuis Commensalibus, ac Notariis nostris, Comitibusque, Militibus, Nobilibusque, ac Civibus deinceps haberi, & reputari volumus, & mandamus, eisque in quibuscunque impetrationibus, ac concessionibus, & litteris, tam gratiam, quàm justitiam separatim, seu utramque mixtim concernentibus se Familiares, continuos Commensales nostros, & Comites, Milites, Nobiles, ac Cives, & Originarios nominari, nec propterea impetrationes, concessiones, & litteræ ipsæ subreptionis vitio subjaceant, sed validæ, & efficaces existant, ac ex nunc deinceps, & in perpetuum omnibus, & quibuscuuque, prorsus similibus antelationibus, antelationum prærogativis, privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, decretis, & declarationibus, derogationibus, mandatis, suspensionibus, favoribus, gratiis, privilegiis, indultis, ac juribus, quibus alii nostri Familiares tempore dictæ assumptionis nostræ ad Summi Apostolatus apicem, ac quibus alii ejusdem Sedis Notarii, etiam de numero participantes, existentes, etiamsi habitum, & rocchettum Notariorum ipsius Sedis non deferant, Palatiique, & Aulæ prædictæ Comites, & Milites, ac Nobiles originarii, & antiquissimi Cives ejusdem Urbis, vel Civitatis, quam ut præfertur, elegerint, quicunque ex utroque Parente verè Nobili, ac Cive originario, & antiquissimo procreati de jure, statuto, consuetudine, vel aliàs ex aliquo speciali privilegio, seu alias etiam per quascunque litteras, seu Constitutiones Apostolicas pro tempore editas, utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum, ubique locorum in judicio, & extra, sine tamen eorumdem Notariorum de numero participantium præjudicio, uti, frui, potiri, & gaudere liberè, & licitè valeant realiter, & integre, in omnibus, & per omnia, etiamsi in Urbe, & Civitate hujusmodi non habitaverint, perinde, ac si de vero nobili genere ex utroque Parente originario, & antiquissimo Cive procreati forent, & hujusmodi prærogativæ, Privilegia exemptiones, gratiæ, favores, concessiones, indulta, & jura, quæ pro aliis Nobilibus, & Civibus originariis emanarunt, & quæ ratione

Dapiferi constituuntur familiares Papæ Notarii Apostolici Comites Palatini, Nobiles, ac Cives Urbis ipsis benevisæ.

ne Nobilitatis, & Civilitatis naturalis, & originariæ aliis competunt, pro eisdem Dapiferis in specie emanassent, seu emanarent, & eis naturaliter de jure, statuto, consuetudine, fundatione, vel aliàs competerent, vigore præsentium indulgemus.

Eximuntur à solvendis Decimis Ecclesiasticis, non tamen à jam impositis ab Innocentio XI.

§. 2. Ac singulos Dapiferos præfatos à solutione, & exactione Decimarum Ecclesiasticarum, ubique locorum, & ex quacunque, quantumvis urgentissima, & incogitabili causa, & occasione, etiam ad instantiam Imperatoris, Regum, Rerumpublicarum, etiam Venetorum, & quorumcumque aliorum Principum impositarum, & pro tempore imponendarum, non tamen Decimarum per felicis recordationis Innocentium Papam XI. Prædecessorem nostrum impositarum quarto Kalendas Octobris Pontificatus sui anno septimo, & per eumdem extensarum, seu indictarum ad aliud triennium per litteras in forma Brevis sub die vigesimâ quinta Novembris anno millesimo sexcentesimo octuagesimo octavo Pontificarus sui anno tertiodecimo, necnon aliarum Decimarum, subsidiorum, & onerum impositorum in subsidium expeditionis contra Turcas, & Orthodoxæ Fidei hostes, liberamus, & eximimus, liberosque, & exemptos fore, & esse decernimus.

Condonantur fructus Ecclesiastici malè percepti

§. 3. Necnon ipsis Dapiferis, eorumque singulis quoscunque fructus, & proventus Ecclesiasticos tam occasione pensionum annuatim ipsis: vel eorum alicui reservatarum, quam ratione omissionis recitationis horarum canonicarum indebitè perceptos, cujuscunque quantitatis fuerint gratiosè remittimus, & condonamus.

Absolvuntur à Censuris propterea, & per subsequutam celebrationem contractis.

§. 4 Ac cum eis super inhabilitate per eos propterea quomodolibet contracta, vel etiam ex eo, quod censuris hujusmodi ligati Missas, & alia Divina, non tamen in contemptum clavium celebraverint, aut aliàs in Divinis se immiscuerint, ut illâ, & eisdem præmissis non obstantibus, ad omnes etiam Sacros, & Presbyteratus Ordines, aliàs tamen rite promoveri, & in illis etiam susceptis aliàs ritè per eos Ordinibus, etiam in Altaris ministerio ministrare etiam libere, & licite valeant, dispensamus.

Illegitimi restituuntur natalibus etiam ad effectū successionis, & ad Dignitates, Honores, & Officia.

§. 5. Ac eosdem Dapiferos, si qui eorum defectum natalium patiuntur ex quocunque damnato, & illicito coitu, etiamsi ex nobilissimis parentibus, ac vilibus fœminis forsan procreati sint, etiamsi legitimati aliàs existant, legitimamus, omnemque ab illis genituræ hujusmodi maculam, sive notam abstergimus, & abolevimus, & abolemus, ac legitimis natalibus restituimus, ac cum eorum singulis, ut in quibuscumque bonis paternis, & maternis, & aliorum consanguineorum, seu cognatorum, vel aliorum quorumcumque, non tamen feudalibus, & emphyteuticis, aut Ecclesiasticis, vel ab Ecclesia acquisitis, ac sine præjudicio venientium ab intestato, vel ex fideicommisso, seu aliàs de jure valida dispositione succedere, & illa donationis, seu alio quovis titulo consequi, & habere, ac ad æquales portiones cum legitimis succedere, eos ad omnia jura legitima, & successiones ex testamento, vel ab intestato hæreditates, legata, libertates restituendo, & reintegrando realiter, & cum effectu: necnon ad dignitates, honores, & quæcunque alia officia secularia, publica, vel privata etiam assumi, illaque gerere, & exercere in omnibus, & per omnia, ac si de legitimo matrimonio procreati forent;

Cum iisdem dispensatur ad Ordines, & Beneficia.

§. 6. Ac eodem defectu non obstante, si aliud Canonicum eis non obsistat impedimentum, ac Clericali charactere, qui illo nondùm insigniti sunt, insigniri, & ad omnes etiam Sacros, & Presbyteratus Ordines, si ad illos nondùm promoti sunt, promoveri, & postmodùm charactere, & Ordinibus hujusmodi, illorumque privilegiis uti, ac in eisdem Ordinibus, etiam in Altaris Ministerio, ministrare, ac quæcunque, & qualiacunque cum cura, & sine curâ Beneficia Ecclesiastica, etiamsi Personatus, Administrationes, & Officia, etiam curata, & electiva in Cathedralibus, & Metropolitanis, vel Collegiatis Ecclesiis, seu si Parochiales Ecclesiæ, vel earum perpetuæ Vicariæ, ac Canonicatus, & Præbendæ, non tamen in Cathedralibus, ac Dignitates, non tamen in eisdem Cathedralibus, post Pontificalem majores, nec principales in Collegiatis Ecclesiis hujusmodi fuerint, si sibi aliàs Canonicè conferantur, aut ipsi eligantur, præsententur, vel aliàs assumantur ad illa, & instituantur in illis, recipere, & dummodò plura simul non sint, quàm quæ à Concilio Tridentino permittuntur, quoad vixerint, retinere liberè & licitè valeant, similiter dispensamus.

Eorundem provisiones expediendæ gratis ubique.

§. 7. Quodque omnes, & quæcumque gratiæ, provisiones, Commendæ, ac præsentes, & quævis aliæ Litteræ Apostolicæ, ac etiam in forma Brevis pro illis expediendæ gratis ubique expediantur, tàm de capienda possessione nomine Cameræ Apostolicæ, quàm in favorem Litterarum Apostolicarum: ubi illis super provisionibus quorumcunque Beneficiorum Ecclesiasticorum dari poterunt, prout Nostris familiaribus, & continuis commensalibus etiam gratis dantur, ac conceduntur, ac dari, & concedi debent, præcipimus, & mandamus.

Indultum pro transferendis pensionibus usque ad centum ducatos.

§. 8. Ac Dapiferis præfatis, & eorum singulis, ut quicumque loci Ordinarii, vel Canonici Metropolitanarum, aut aliarum insignium Ecclesiarum, aut personæ quæcunque Ecclesiasticæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ, tàm in Romanâ Curiâ, quàm extra eam ad id per eos, & eorum singulos eligendi, seu eligendæ quascunque pensiones annuas eis, eorumque singulis super fructibus, reditibus, proventibus, Juribus, obventionibus, & emolumentis universis, certis, & incertis, ac distributionibus quotidianis quarumcunque mensarum Episcopalium, Archiepiscopalium, & Abbatialium, ac Dignitatum, & Canonicatum, & Præbendarum, cæterorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum, non tamen per Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales obtentorum, & imposterum obtinendorum cùm curâ, & sine curâ Secularium, aut quorumvis Ordinum Regularium, seu fructus, reditus, & proventus, aliaque emolumenta, & distributiones hujusmodi reservatas, seu reservatos, ac reservandas, seu reservandos, etiamsi aliàs semel, vel pluries translatæ, seu translati fuerint usque ad summam centum ducatorum, in toto, vel in parte, ac etiam in mortis articulo cassare, & extinguere, ac postquàm cessatæ, & extinctæ fuerint, aliàs similes pensiones annuas, seu fructus, reditus, & proventus, & alia emolumenta, & distributiones hujusmodi usque ad summam prædictam, uni vel pluribus aliis Personis Ecclesiasticis per eosdem Dapiferos, & eorum singulos nominandis, quotcunque, quæcunque, & qualiacunque Beneficia Ecclesiastica obtinentibus, & expectantibus, aliàs tamen pensionum hujusmodi capacibus, similiter eis, quoad vixerint, vel eorum Procuratoribus legitimis eisdem modo, & forma, quibus eisdem Dapiferis reservatæ, seu reservati erant, etiam absque Beneficia hujusmodi obtinentium consensu, integrè persolvendas, seu persolvendos, exigendos, levandos, reservare, constituere, & assignare valeant, ipsique translatarii in possessionem dictas pensiones exigendi, in quà ipsi Dapiferi tempore translationis per eos vigore præsentium faciendæ, existebant in omnibus, & per omnia subrogati esse censeantur, etiam concedimus, & indulgemus, etiamsi similem gratiam à Prædecessoribus Nostris aliàs forsan obtinuerint, seu quilibet eorum obtinuerit, illius effectu cumulative eos gaudere, & potiri volumus. Decernentes ipsas translationes, & novas reservationes, Constitutiones, & assignationes pensionum, seu fructuum, reditum, & proventuum, aliorumque hujusmodi plenam roboris firmitatem obtinere, ipsosque Beneficia, super quorum fructibus, reditibus,

Hoc indultum intelligendum cumulativè cum aliis similibus.

& proventibus reservatæ fuerint, obtinentes ad illas persolvendas efficaciter obligatos fore.

Indultum retinendi pensiones pro ducatis ducentis absque delatione habitus Clericalis, & in statu Conjugali

§. 9. Ac eisdem Dapiferis, ut ratione quorumcumque pensionum eis, & eorum cuilibet, super quibuscumque Beneficiis Ecclesiasticis, ut præfertur, vel aliàs quomodolibet qualificatis, non tamen ultrà summam ducentorum ducatorum auri de Camerâ, pro quolibet nunc, & pro tempore reservatarum, ac reservandarum, habitum, & tonsuram Clericales gestare, & in illis, dummodo ipsi habitum decentem, & honestum deferant, incedere minimè debeant; nec ad id à quoquam cogi, seu compelli, minusque aliquas sententias, aut censuras, etiam privationis, seu cessationis ipsarum pensionum ad prædictam summam ducentorum ducatorum ascendentes, & reservatas, ut præfertur, incurrere etiamsi matrimonium contraxerint cum unica tantùm, & virgine, recipere, & retinere.

Exemptio à Spoliis.

§. 10. Postremò quod bona quæcumque ad dictos Dapiferos, & eorum quemlibet spectantia, & per eos etiam ratione quorumcumque Beneficiorum Ecclesiasticorum, etiam Canonicatuum, & Præbendarum, ac Dignitatum quarumcumque per eos aliàs obtentorum, & obtinendorum, aut aliàs quomodolibet, & quovis quæsito colore, vel ingenio, seu eorum industriâ, legitimè tamen, & licitè acquirenda, etiam in Urbe, ejusque districtu, ac ubicumque existentia, spoliis minimè subjaceant.

Facultas testandi etiam pro adscriptis Ordinibus Religionis Militaris.

§. 11. Sed ipsi Dapiferi etiamsi Religioni alicujus Militiæ, non tamen S. Joannis Hierosolymitani adscripti fuerint, de illis in favorem quarumcumque personarum, de jure tamen capacium, etiamsi Curiales esse desierint, & in quocumque loco, quantumvis remoto, eos decedere contigerit, testari, & aliàs disponere, eisque ab intestato decedentibus eorum hæredes quicumque succedere liberè, & licitè valeant, simili modo concedimus, & indulgemus.

Inhibetur ad hunc effectum Officialibus Cameræ Apostolicæ.

§. 12. Præcipientes, & mandantes Dilectis Filiis nunc, & pro tempore existent. S. R. E. Camerario, Thesaurario, Præsidentibus Clericis Cameræ Nostræ Apostolicæ, & quibuscumque aliis spoliorum hujusmodi Collectoribus, ac Militiarum præfatarum Officialibus, aut Procuratoribus, ne in hujusmodi bonis manus apponant, neque heredes dictorum Dapiferorum desuper molestare audeant, seu præsumant, ac etiam decernentes donationes, etiam per viam Testamenti, & Codicillorum peripsos Dapiferos de eorum bonis hujusmodi, servatis de jure servandis, faciendas semper, & perpetuò validas, & efficaces fore, nec eosdem Dapiferos, eorumque aliquem ad Litteras super præsentibus conficiendas in dicta Camera insinuandum, aut admitti, & registrari petendum teneri, nec illas, etiamsi intrà tempus legitimum insinuatæ, admissæ, seu registratæ non fuerint, propterea minùs validas censeri, sed suos plenarios effectus sortiri debere, easdemque præsentes, & in eis contenta quæcunque sub quibusvis revocationibus, limitationibus, suspensionibus, modificationibus, Decretis, Constitutionibus Apostolicis, similium gratiarum revocatoriis, vel quæ eas limitarent, aut moderarent, quæ à Nobis, & dicta Sede pro tempore, & de quibusvis causis, etiam urgentissimis, etiam in Divini cultus augumentum, etiam consistorialiter, vel aliàs quavis auctoritate hactenùs, vel imposterum emanaverit, minimè comprehendi, sed quoties illæ emanabunt, toties in pristinum statum repositas, & reintegratas esse, & censeri.

Clausula sublata, ac Decretum irritans.

§. 13. Sicque per quoscunque Judices, etiam Commissarios quâvis auctoritate fungentes in quâvis causâ, & instantiâ: sublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique judicari, & definiri debere: Irritum quoque, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingerit attentari; Et insuper Dilectis Filiis Rescribendario, & Computatori Collegii Scriptorum Litterarum Apostolicarum, & aliis, ad quos earumdem Litterarum expeditio spectat, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœnâ indignationis Nostræ; Motu, scientiâ, & potestatis plenitudine similibus mandamus, ut easdem præsentes, & forsan alias Litteras super præmissis omnibus, tàm conjunctim, quàm divisim, ac pro singulis quibuscunque derogationibus, Decretis, & clausulis in eis contentis, gratis de mandato Nostro ubique in omnibus Officiis, etiam Abbreviatorum, Sollicitatorum, Secretariorum, seu illorum suppressorum loco Ministrorum Cameræ Apostolicæ Plumbi, & Registri absque aliqua pecuniarum exactione, etiam per viam compositionis faciendâ omni contradictione, & dilatione cessantibus, signent, expediant, & expediri faciant.

Derogatio contrariis.

§. 14. Non obstantibus eisdem præmissis, ac de certo Notariorum numero, etiamsi ad illum non sit deventum, quibus aliàs per præsentes non intendimus derogare, ac regulâ Nostra de præstando consensu in Pensionibus, ac felicis recordationis Pii Papæ IV. Prædecessoris Nostri, de similibus, vel dissimilibus gratiis in Camera Apostolica infrà tres menses præsentandis, ac recolendæ memoriæ Pii Papæ V. etiam Prædecessoris Nostri contrà illegitimos, ac Pictavensis Concilii, & aliis Apostolicis, ac etiam in Universilibus, Provincialibusque Conciliis, editis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, & ordinationibus, & Monasteriorum, Ecclesiarum, Ordinum, ac etiam Urbis Romæ, & aliarum Civitatum, Oppidorum, & Terrarum, aut Cameræ prædictæ, ac quarumvis Universitatum, etiam juramento, confirmatione, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, stabilimentis, usibus, Decretis, ac etiam novis reformationibus, ac etiam legibus, tam Pontificiis, quàm Imperialibus, Regiis, & Ducalibus, etiam Sacris Canonibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apostolicis, Superioribus, ac personis, & locis quibuscunque in genere, vel in specie sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis irritantibus, & aliis Decretis, etiam vim contractus, & Statuti perpetui continentibus, etiam Motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, ac etiam consistorialiter, ac aliàs forsan in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis, inter alia disponentibus, quòd Beneficia Urbis nonnisi personis certis modo, & formâ qualificatis, & oriundis ex certis locis, ac trium Ordinum Militarium expressè professis, conferri, & commendari soleant, quibus omnibus, etiamsi aliàs pro eorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda foret, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores, ac si de verbo ad verbum nihil penitùs omisso, & formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hâc vice dumtaxat specialiter, & expressè harum serie, Motu pari derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque, cum clausulis opportunis.

Fiat Motu proprio A.

Et cum absolutione à censuris ad effectum &c. & in casibus Regulæ de insordescentibus cum opportunâ illius, nec non alterius Regulæ de non tollendo jure quæsito, aliisque necessariis, & opportunis derogationibus, quatenùs opus sit, & quod indultorum, concessionum, gratiarum, derogationum, aliorumque præmissorum omnium, & singulorum major, & verior specificatio, & expositio fieri possit in Litteris, in quibus singulorum Dapiferorum nomina, & cognomina, Ordines, qualitates, gradus,

Diœceſes, Patriæ, & alia requiſita exprimi, & deſcribi, ſeu pro expreſſis, & deſcriptis haberi poſſint, juxtà notulam per ipſos, ſeu eorum Deputatos confectam ſimul, vel ad partem etiam in una non facta mentione de alia, vel aliis, prout videbitur expedire, & expedien. &c.

Tranſſumptorum fides.

§. 15. Volumus autem, quòd Litterarum ſuper præſentibus conficiendarum tranſſumptis, etiam impreſſis, & ſigillo, & manu alicujus Perſonæ in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, & ſubſcriptis, eadem fides, tàm in Judicio, quàm extrà illud adhibeatur, quæ originalibus Litteris adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Volumus autem, quòd ſola præſentis Motus proprii Noſtri ſignatura ſufficiat, & ubique fidem faciat in judicio, & extrà illud, Regulâ quâcunque contraria non obſtante.

Fiat A.

15. Jul. 1691. Pont An. primo.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Id. Julii Anno Primo.

Nihil I. de Laurentis.

Reg. Libro primo Secretorum fol. 145.

NOMINA.

Eminentiſſimorum DD. Cardinalium, & Dapiferorum ſunt hæc, quæ ſequuntur.

ANTONIUS PIGNATTELLUS nunc INNOCENTIUS XII. Neapolitanus.

Ferdinandus Patronus, Interamnenſis.

EPISCOPI V.

Alderanus Epiſcopus Oſtiens. S. Collegii Decanus Cardinalis Cybo, Januenſis.
Joſeph Scandriglia Sacerdos, Terracinen.
Flavius Epiſcopus Portuenſis S.R.E. Cardinalis Chiſius Archipresbyter, Baſilicæ Lateranen. & Signaturæ Juſtitiæ Præfectus, Senenſis.
Marchio Laurentius Montorius Romanus.
Jacobus Epiſcopus Tuſculanus S. R. E. Cardinalis Franſonus, Januenſis.
Antonius Poſterna Clericus, Albanen.
Palutius Albertonius Epiſcopus Sabinenſis Card. de Alteriis, S. R. E. Camerarius, Romanus.
Mutius de Maximis, Romanus.
Emanuel Theodoſius Epiſcopus Albanen. S. R. E. Card. Bullionus, Gallus.
Abbas de Guenegaud, Pariſien.

PRESBYTERI XLVII.

Franciſcus tituli S. Mariæ in Via Prior Presbyterorum S.R.E. Card. Maidalchinus, Viterbienſis.
Dominicus Grippo Clericus à Boſco Nullius Diœceſis Provinciæ Salernitanæ.
Carolus tituli S. Laurentii in Lucina Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Barberinus, Archipresbyt. Baſilicæ S. Petri, Romanus.
Gregorius de Gregoriis Juſtinianus Eques Hieroſolymitanus, Romanus.
Gregorius tit. S. Marci S.R.E. Card. Barbadicus, Epiſcopus Patavinus, Venetus.
Franciſcus Morus à Ponte Aſlia.
Joannes Nicolaus tituli Sanctæ Mariæ Tranſpontinæ S. R. E. Card. de Comitibus, Epiſcopus.
Anconitanus, Romanus.
Abbas Hippolytus Maldentius Clericus, Forolivien.
Julius tituli S. Praxedis S. R. E. Card. Spinula, Epiſcopus Lucenſis, Januenſis.
Abbas Joſeph Bertachinus, Firmanus.
Joannes tit. SS. Viti, & Modeſti S.R.E. Card. Delphinus, Patriarcha Aquilejenſis, Venetus.
Nicolaus tituli Sancti Callixti S. R. E. Card. Acciajolus, Florentinus.
Abbas Ubaldinus de Ubaldinis, Florentinus.
Gaſpar tituli S. Mariæ in Tranſtyberim S.R.E. Cardinalis de Carpineo, Sanctiſſ. D. N. Vicarius Generalis, Romanus.
Abbas Nicolaus de Archangelis, Balneoregien.
Cæſar tituli SS. Trinitatis in Monte Pincio S. R. E. Cardinalis Deſtræus, Gallus.
Marchio Sfortia à Penna Clericus.
Petrus tit. S. Euſebii S.R.E. Card. Bonſius, Archiepiſcopus Narbonenſis, Florentinus.
Alexander Arduinus Sabbatinus Archidiaconus Piſaurenſis.
Fr. Vincentius Maria Ord. Prædicat. tit. Sancti Xyſti S. R. E. Card. Urſinus, Archiepiſcopus Beneventanus, Romanus.
Joannes Baptiſta Sanſimeonus, Romanus.
Federicus tit. S. Anaſtaſiæ S. R. E. Cardinalis Columna, Peruſinus.
Abbas Petrus Antonius Venturi Clericus Camerinen.
Franciſcus tit. S. Matthæi in Merulana S. R. E. Card. Nerlius, Florentinus.
Comes Antonius Baffi de Nepis Clericus Aſſiſienſis.
Hieronymus tit. S. Silveſtri in Capite S. R. E. Card. Caſanate, Neapolitanus.
Marchio Pompeus Azzolinus, Firmanus.
Galeatius tit. Ss. Quirici, & Julitæ S. R. E. Card. Mareſcottus, Romanus.
Antonius Gabriellus, Romanus.
Fabritius tit. S. Chryſogoni S. R. E. Card. Spada, Romanus.
Antonius Felix Saracinellus Urbevetanus Eques S. Stephani.
Fr. Philippus Thomas Huvard Ord. Prædic. tit. S. Mariæ ſuper Minervam S. R. E. Card. de Norfolcia, Archipresbyter S. Mariæ Majoris, Anglus.
Joſeph Antonius Calabretus, Squillacen.
Joannes Baptiſta Spinula tit. S. Cæciliæ S. R. E. Card. S Cæciliæ nuncupatus, Januenſis.
Franciſcus Joannes Sfortia, Cremonen.
Franciſcus tit. S. Stephani in Cœlio Monte S. R. E. Cardinalis Bonviſius, Lucenſis.
Joannes Paſquinus Giuntini Sacerdos, Lucenſis.
Savus tit. S. Petri in Vincula S.R.E. Card. Millinus, Epiſcopus Urbevetanus, Romanus.
Joannes Franciſcus Gonzales, Madriti Toletan. Diœceſ.
Fridericus tit. S. Alexii S.R.E. Card. Vicecomes, Archiepiſcopus Mediolani, Mediolanenſis.
Abbas Franciſcus Belcredus, Mediolanen.
Fr. Raymundus Ord. Prædicat. tit. S. Mariæ Angelorum S. R. E. Card. Capiſuccus, Romanus.
Petrus Paulus de Fabiis, Romanus.
Fr. Laurentius Brancatus Ord. Min. Conv. tit. Baſilicæ Sanctorum XII. Apoſtolorum S. R. E. Card. Lauræa nuncupatus.
Jacobus tit. S. Mariæ in Aracœli S. R. E. Cardinalis de Angelis, Piſanus.
Comes Alexander Franciſcus Galletus Piſanus, ejuſdem Civitatis Eccleſiæ Primizialis Canonicus.
Opitius tit. S. Martini in Montibus S.R.E. Card. Pallavicinus, Epiſcopus Spoletanus, Januenſis.
Nicolaus de Libertis Leodienſis, Piſanus.
Marcellus tit. S. Priſcæ S. R. E. Card. Duratius, Epiſcopus Carpentoractenſis, Januenſis.
Abbas Paulus Gregorius de Ferrariis, Januenſis.
Marcus Antonius Barbadicus tituli Sanctæ Suſannæ, S. R. E. Cardinalis S. Suſannæ nuncupatus, Epiſcopus Montis Faliſci, Venetus.
Comes Philippus Rinaldus à Turri Alben. in Pedemontio.
Carolus tit. S. Auguſtini S. R. E. Card. Cicerus, Epiſcopus Comi, Comenſis.
Joannes Antonius Cicerus, Venetus.
Leopoldus tit. S. Hieronymi Illyricorum S. R. E. Card. Kollonitz, Archiepiſcopus Collocenſis, & Bacchienſis, Germanus.

Franciſcus Medicina Teſtonus Clericus, Mediolanenſis.
Stephanus S. R. E. Card. le Camus, Epiſcopus Gratianopolitanus, Gallus.
Gaſpar Villalobos Hiſpanus Toletanæ Diœceſis.
Joannes tituli S. Petri in Monte Aureo S. R. E. Card. Goeſſen. Epiſc. Gurcenſis, Germanus.
Joſeph Bartolus de Perinzi, Romanus.
Petrus Matthæus tit. S. Marcelli S. R. E. Cardinals Petruccius, Epiſcopus Æſii, Æſinus.
Jacobus Ripantus, Æſinus.
Fr. Petrus Ord. B. Mariæ de Mercede Redempt. Captiv. tituli S. Crucis in Hieruſalem, S. R. E. Card. de Salazar, Epiſcopus Cordubenſis, Hiſpanus.
Ignatius Palmeque de Zeſpedes Eques S. Jacobi, Hiſpanus de Guadalaxara Toletan.
Joannes Caſimirus tit. S. Joannis ante Portam Latinam S. R. E. Card. Denhoff, Epiſcopus Cæſenatenſis, Polonus.
Abbas Joannes Baptiſta Barbavarius, Faventinus.
Fr. Joſeph Saens Ord. S. Benedicti tit. S. Balbinæ S. R. E. Cardinalis de Aguirre, Hiſpanus.
Gabriel à Meſa è Covarrubias, Madriti Toletan. Diœceſis.
Leander tituli Sanctorum Nerei, & Achillei S. R. E. Card. Colloredus, Sanctiſſimi D. N. Pœnitentiarius Major, Forolivienſis.
Abbas Franciſcus Xaverius Guicciardus Rhætus Clericus, Comenſis Diœceſis.
Fortunatus tit. Sanctorum Joannis, & Pauli S. R. E. Card. Carafa, Epiſcopus Averſanus, Neapolitanus.
Abbas Dominicus Todrus, Neapolitanus.
Bandinus tit. S. Thomæ in Parione S. R. E. Card. Panciaticus, Florentinus.
Franciſcus Cacciavillanus Clericus ab Appignano Diœc. Prænestin.
Jacobus tit. SS. Marcellini, & Petri S. R. E. Card. Cantelmus, Archiepiſcopus Neapoli, Neapolitanus.
Abbas Jo. Bapt Eleoſarius Civitatis Caſtelli J. U. D.
Ferdinandus tit. S. Clementis S. R. E. Cardinalis de Abdua, Mediolanenſis.
Abbas Joannes Dominicus Maſſa Mediolanenſis. J. U. D.
Tuſſanus S. Agnetis extrà Mœnia S. R. E. Card. de Fourbin de Janſon, Epiſcopus Bellovacenſis, Gallus.
Comes Paulus Emilius Roncallus de Fluminibus, Clericus Aſſiſienſis.
Joannes Baptiſta tituli S. Laurentii in Pane, & Perna S. R. E. Card. Rubinus, Epiſcopus Vicentinus, Venetus.
Joſeph Romangilius Ferrarien. Clericus Conjugatus.
Franciſcus tit. S. Mariæ de Populo S. R. E. Card. Judice, Neapolitanus.
Abbas Aſcanius Blaſi, Romanus.
Joannes Baptiſta tit. S. Bernardi S. R. E. Card. Coſtagutus, Romanus.
Franciſcus Ravenna, Romanus.

DIACONI XV.

Urbanus S. Mariæ in Viâ latâ primus Diaconus S. R. E. Cardinalis Sacchettus, Epiſcopus Viterbienſis, Florentinus.
Joannes Bernardus Galeſius Clericus Finarienſis, in Curiâ Advocatus.
Joannes Franciſcus S. Nicolai in Carcere Tulliano, S. R. E. Card. Ginettus, Archiepiſcopus Firmanus, Romanus.
Felix Bonafides Clericus Conjugatus, Firmanus.
Benedictus S. Agathæ S. R. E. Card. Pamphylius, Signaturæ Gratiæ Præfectus, Romanus.
Cæſar Cecala, Meſſanen.
Dominicus Maria S. Euſtachii S. R. E. Card. Curſius, Epiſcopus Ariminenſis, Florentinus.
Abbas Joannes Gregorius Boëtius Sacerdos, Ariminen-
Joannes Franciſcus S. Cæſarei S. R. E. Card. Nigronus, Epiſcopus Faventinus, Januenſis.
Abbas Dominicus Urſaya à Boſco Nullius Diœc. Provinciæ Salernit.
Fulvius Sanctor. Coſmæ, & Damiani S. R. E. Card. Aſtallius, Romanus.
Abbas Joannes Petrochius Canonicus Cathedralis Reatinæ J. U. & Sacræ Theologiæ Doctor.
Franciſcus Maria S. Mariæ in Dominicâ S. R. E. Card. Medices, Florentinus.
Fr. Rutilius Sanſedonius Eques Hieroſolymitanus, Senenſis,
Raynaldus S. Mariæ de Scala S. R. E. Card. Eſtenſis, Mutinenſis.
Comes Robertus Fontana quon. Comitis Reguli, Mutienſis.
Petrus S. Laurentii in Damaſo Card. Ottobonus S. R. E. Vicecanc. Venetus.
Jacobus Taſſius, Regien.
Carolus S. Mariæ in Coſmedin S. R. E. Card. Bichius, Senenſis.
Antonius Fantucius, Bononienſis.
Joſeph Renatus S. Georgii S. R. E. Card. Imperialis, Januenſis.
Abbas Deſiderius Spretus Ravennaten.
Aloyſius S. Mariæ in Porticu S. R. E. Card. Homodeus, Mediolanenſis.
Simeon Paettinus Clericus Conjugatus, Firmanus.
Joannes Franciſcus S. Hadriani S. R. E. Card. Albanus, Urbinas.
Abbas Camillus Raſponus Ravennaten. J. U. D.
Barberinus S. Angeli in Foro Piſcium S. R. E. Cardinalis Franciſcus nuncupatus, Romanus.
Marchio Carolus de Rubeis, Romanus.
De Alteriis S. Mariæ in Aquiro S. R. E. Card. Laurentius nuncupat. Romanus.
Abbas Petrus Sanctus Butius, Romanus.

Hiſtorica relatio vitæ, mortis, miraculorum, Beatificationis, & Canonizationis B. Joannis de Deo, ab Alexandro VIII. Sanctorum Confeſſorum non Pontificum Catalogo inſcripti.

INNOCENTIUS EPISCOPUS. II.

Servus Servorum Dei; Ad perpetuam rei memoriam.

RAtioni congruit, & convenit æquitati, ea quæ Romani Pontificis providâ deliberatione, ac Venerabilium Fratrum ſuorum S. R. E. Cardinalium, nec non Patriarcharum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, tunc in Romana Curia commorantium, unanimi conſilio decreta, definita, & ſtatuta fuerint, licèt ipſius ſuperveniente obitu Litteræ Apoſtolicæ deſuper confectæ non fuerint, ſuum debitum conſequantur effectum. Prœmium

§. 1. Dudùm ſiquidem felicis recordationis Alexander Papa VIII. Prædeceſſor Noſter piâ ſecum meditatione perpendit, quòd Romana Catholica Eccleſia, quæ ſuprà fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Jeſu ædificata à Deo Patre miſericordiarum perennibus gratiæ cœleſtis benedictionibus cumulatur, ſicut tot documentorum eſt munita præſidiis, ita Sanctorum Virorum in dies confirmatur exemplis, quæ cùm ad pietatem magnopere moveant, Divinæ mos eſt Providentiæ, juxtà locorum & temporum opportunitates, ſuos Electos Servos ad eximiæ Sanctitatis gradum ſublimare, ut fideles exemplaria hæc intuentes habeant inſimul, quid venerentur, & imitentur ad venerationem obſequioſè demiſſi, ſtrenuè ad imitationem erecti; cumque heroicarum virtutum, præſertim verò ignitæ charitatis exemplar inſigne prodiderit Beatus Joannes de Deo nuncupatus, qui eandem Eccleſiam novâ etiam prole fœcundavit Fratrum Hoſpitalitatis, & infirmis inſervientium longè, B. Joannes de Deo ab Alexandro VIII. Canonizatus hicque ejus vita & mors enumeratur.

latèque per Orbem diffusorum, & eximia pietatis opera erga infirmos in eorum hospitalibus degentes præclaro animarum, corporumque profectu exercentium; æquum idem Alexander Prædecessor existimans, ut Sancti hujus viri memoriam veneraretur Ecclesia, cujus vita, & mors in conspectu Domini, & hominum, fuit virtutibus, & miraculis pretiosa, ad ejus solemnem Canonizationem processit; Utque Christi fidelium studia excitaret ad imitationem, sic ejus virtutes & miracula summatim exponere, suoque comprobare testimonio, secum ipse decreverat; id quod cùm morte præventus præstare nequiverit, idcircò Nos præsentibus Literis declarare statuimus.

Nativitas.

§. 2. Natus est itaque Beatus Joannes ex Catholicis, piisque parentibus, anno reparatæ Salutis Millesimo quadringentesimo nonagesimo quinto in Oppido Montis Majoris Junioris *Monte Mor il Nuovo* nuncupati Regni Lusitaniæ.

Sanctitatis initia, profectus & specimina.

§. 3. Paulò quidem laxiorem vivendi rationem à principio inierat, at cùm primùm Divinâ operante virtute aggressus est revocare se, & compescere, magnæ profectò sanctitatis exhibere specimen cœpit, ac jam ab ipso Sanctioris vitæ rudimento consummatum aliquid perfectumque visus est attigisse. Ob auditam prædicationem verbi Dei sic fuit ad meliora conversus, ut protinùs veterem in se hominem deponere decreverit, seque penitùs ad Apostolicæ vitæ præscriptum, normamque formare. Totus igitur ad Deum conversus, & in Patre misericordiarum vehementer confidens, non dubitavit erecto ac alacri corde ingredi vias Domini, & quascunque difficultates ex ejusdem Dei amore feliciter superare. Quod ut expeditiùs perageret, & perfectionem à veritate ipsâ promissam opere assequeretur, ejusdem consilium illud sequutus: Vade, vende, quæ habes, & da pauperibus: cuncta, quæ possidebat, divendidit, pecuniamque exindè redactam pauperibus, qui carcerum pedo miserè tenebantur, distribuit. Tùm salutaris Pœnitentiæ Sacramento veteribus animæ maculis extersis, illustre Sanctioris propositi documentum non sinè præclarâ sui victoriâ in apertum prodidit. Ut enim in renovatione sui spiritus prioris vitæ labes abolere cupiebat, publico in Foro, in magnâ populi frequentiâ in virum alterum mutatus, horrido prorsùs capillo squalens, & hirtus comparuit, atque ibi cæno involutus, os humi dejiciens, ac dolens, & lacrymis ubertim diffluens, nudatumque pectus saxo identidem tundens, misericordiam, & peccatorum veniam à Deo toto mentis affectu, & cordis contritione deprecabatur. Tantæ spectaculum pietatis multis in diversa trahentibus, maxima demum (ut fieri solet) pars in deterius excepit; & qui tanto Christianæ pœnitentiæ tyrocinio celebrandus fuisset, seu demens ostentui habetur, congeminatisque clamoribus, probris, lapidibus, verberibus, variisque injuriis ibidem, & in carcere quo amentium turba conjicitur, graviter afficitur. At vir Dei in Domino sperans non infirmatus, sed istis opprobriis, & tribulationibus spectaculum factus, Divinâ charitate magis exarsit, internoque exultans gaudio, non timuit quid faceret sibi homo, & omnia æquo animo ferens cum Apostolo gloriabatur in tribulationibus, sciens quòd tribulatio patientiam operatur, & patientia probationem, præclareque intelligens haud quaquam esse mirandum, si quæ Judice Deo sapientia fuerit, ea stultitia reputetur apud homines, ex quibus, qui Spiritum mundi hujus habent, verè insensati vitam quidem justorum æstimant insaniam, sed hi computati sunt inter Filios Dei, & inter Sanctos sors illorum est.

Suscepta pauperum ægrotantium cura.

§. 4. Tanquam aurum igitur Joannes in camino tribulationis probatus, cùm firmus, ac constans in Dei pietate perstitisset, mox purior accingitur ad currendam viam Domini, & postquam variis pietatis operibus se exercuerat, illam præ cæteris vivendi rationem assumpsit, quâ animarum simul, & corporum saluti prospiceret. Ægritudinibus itaque, & morbis pauperum Christi fidelium curandis totus intentus, domum supellectili piorum eleemosynis instructam in Civitate Granatensi conduxit, quò pauperes infirmos, quotquot obvios sibi inveniebat, vel in viâ languentes, vel fame, frigoreve pereuntes, propriis humeris deferebat; stipem vicatim, & ostiatim diu noctuque non intermisso labore emendicabat, ac quæ duabus sportis, & ollis recollecta propriis itidem humeris gestaverat, inter pauperes, & infirmos, prout cujusque exigebat necessitas, distribuebat. Cùm primùm domum perveniebat, invisebat omnes, nec priùs in privatam se recipiebat quietem, quàm publicæ ægrotantium commoditati abundè consuluisset, si quid deesset diligenter exquirens, & quidquid opus erat, piè & providè subministrans, ægrotis ipse medebatur, illisque assistebat, cibum propriis manibus inferens, sordes purgans, lectulos versans, ac sternens, frigescentes igne, famelicos cibo, nudos vestibus refocillans, mœrentes confortans, nauseantes exquisitis condimentis reficiens, omnes denique proprio sinu amplexuque confovens, quasi optaret omnes intrà sua viscera recondere. Aucto ægrotantium hospitum ingenti numero, opus inceptum in Pomino confidens non intermisit, omninò majus valetudinarium instituere non dubitavit, illudque omni pharmacorum, opumque apparatu instructum voluit. Illuc ipse per se, & alios, quos interim ejusdem Instituti socios admiserat, pauperum, & miserorum agmina, & quotquot commiseranda paupertas necessaria febribus, reliquisque morbis medicamenta adhibere non sineret, colligere, eosque iisdem pietatis operibus recreare charitate in dies ferventiori continuavit. At quia eximia hæc proximorum dilectio non eo solùm tendebat, ut à languoribus corporis sanarentur, sed potissimùm, ut animarum salute proficerent, eos salutaribus Ecclesiæ Sacramentis muniri, & refocillari, piisque hortamentis, & opportunis sermonibus disponere, & confirmare satagebat, avidè animarum corporumque incolumitatem anhelans. Nec fervens Joannis charitas intrà limites nosomii coarctatur, sed ad externos etiam pauperes honestos præsertim, & verecundos, quos secretis eleemosynis sublevabat, & mulieres summâ egestate pressas, quibus ne propterea in peccandi discrimen traherentur, providè & opportunè succurebat, abundè diffunditur.

Abstinentia & contra propriam carnem asperitas.

§. 5. Quantâ autem effundebatur beneficentiâ, & misericordiâ erga pauperes, tantâ sæviebat abstinentiâ & asperitate contrà se ipsum, semel in die cibo, & quidem parcissimo utebatur, quem sibi eo libentiùs detrahebat, quò affluentiùs distribueret in egenos, impendens virtuti quod subtrahebat voluptati, ut fieret refectio pauperis abstinentia jejunantis. Erat ei vestis vix ad genu demissa, villosa, & apprimè rudis, quæ simul corpus tegeret, & affligeret, & ipsâ etiam subuculâ carens, capite, pedibus, tibiisque denudatis diu noctuque, licet temporum injuriis semper expositus extremo frigore algeret, seu ardenti calore æstuaret, huc illuc, quò pietatis opera eum impellebant, incedebat. Brevis ei lectulus erat, & qui vel nudo solo vix asperitate concederet, brevior adhuc quem in eo carpebat somnus, diuturnis vigiliis, multoque interpellatus dolore, carnemque ut spiritui magis magisque obsequentem redderet, cilicio, ferreâ cuspide rigidisque setis contexto, nec non funiculis, vepribus, flagris, aliisque duræ verberationis instrumentis domabat. Sic itaque castigans corpus suum, & in servitutem redigens, meruit illud integrum, & à noxiis delectationibus eo usque custodire, ut castitatis ipsius candor ne suspicionis quidem maculam meritò admittere posset.

§. 6. Nec

Aliorum ad carnis mortificationem invitio.

§. 6. Nec propria virtute contentus, sed imitatus Salvatorem, qui venerat vocare peccatores, enixam, & indefessam curam adhibuit, ut omni conatu carnis concupiscentiam à proximis hujusmodi vitio apprimè inquinatis exterminaret, statis diebus quasi venabundus lupanarta ingrediebatur, ut meretrices à dæmonis servitute vendicaret, illas hortationibus, precibus lacrymisque retrahere studebat ab impudicitiis, ac pro ipsarum conversione Deo enixas preces fundebat: ubi verò ista non proficiebant, æqualem futuro meretricio lucro pecuniam offerebat, ut à flagitiis perpetrandis, vel ita se coërcerent; cumque consideret in Domino, vacua non fuit spes ejus, nec labor sine fructu, pluribus ex illis perditis, & deviis animabus ad bonam frugem, & viam salutis reductis; Nec dissimiles fuerunt ejus curæ, ut in digentibus mulieribus, honestis viduis præsertim, & virginibus clam alimenta subministraret, oblato ad laborem exercitio, ne otium in pudicitiam honestatemve peccandi ansam injiceret.

Odedientia.

§. 7. Ad obediendi obsequium experrectus semper paratissimus extitit; Non solum enim abnegavit semetipsum, ut Evangelicæ legis præcepta servaret, sed hominum etiam voci obedivit, ut acciperet benedictionem à Domino. Quare cùm ad certam disciplinæ normam suum Institutum conformasset, ei qui ex omnibus erat Moderator electus, omnia voluntatis arbitria, omnia mentis suæ sensa submiserat, nihil quod ei non probaretur amplectens, nihil quod demandatum ab eo foret, detrectans, cùm in lethalem morbum indicisset, à Nobili, piaque matrona enixè rogatus, ut pateretur se in ejus domum, ubi commodiùs curari posset, transferri, planè restitit, se ritu pauperum, atque ad sanctæ normam paupertatis emori omnino velle respondens. Interea rei conscius factus Archiepiscopus Granatensis, illi per obedientiæ legem præcipit, ut matronæ votis extemplò obsequatur: Nihil cunctatus Joannes uti obedientiæ filius Archiepiscopi mandato venerabundus statim obtemperavit, quam quidem obedientiæ virtutem adeò est amplexus, ut non modò Superioribus suis obsequenter obediret, verùm etiam si quid pueri ipsi ob Dei amorem jussissent, exequi non detrectaret.

Oratio.

§. 8. Orationis studium divinarumque rerum contemplatio in Joanne mirificè excelluit. Cùm brevissimum esset tempus, quod quieti appendebat, provolutus in genua profusis suavissimè lacrymis modò ore supplicans, modò mente contemplans, noctes penè traducebat insomnes. Rosarii exercitium, aliaque in Beatam Virginem pietatis obsequia erant illi in deliciis, ita ut inter ipsa, quæ ad pauperum subsidium, vel solatium obibat ministeria non rarò totus in preces effusus, ac in Dei contemplatione defixus videretur. Hinc placuit Altissimo, qui inquirentibus se remunerator est, ac mirabilis in sanctis suis, Joannis ortum, vitam, obitum, & quæ ipsum obitum subsequuta sunt, tempora variis indiciis illustrare.

Sanctitatis in ortu & progressu vitæ præclara indicia.

§. 9. Ortum quippe fuisse puerum in sortem Domini sublimiter electum insuetus splendor super ejus domo refulgens, sonitusque æris campani sua sponte emissus ab ipso ejus Nativitatis instanti non obscurè præsunciarunt. Inter Divinæ Charitatis flammas vivere assuetus, terreno absumi non valuit incendio, è quo dexterâ Omnipotentis illæsus exivit. Cùm enim maximum in Regio Gratanensi valetudinario excitatum fuisset incendium, & universa Civitas accurrisset, ut non tàm ædificii quàm infirmorum consuleret præservationi, advolavit etiam Joannes, ad Officia Charitatis semper paratus, cæterisque incendii voracitate detentis, impavidus prosiliit in ignem, huc illuc discurrens, quousque tum infirmos humeris exportatos, tum lectulos è fenestris projectos ab igne vindicavit: Sed jam in immensum succrescentibus, & corpus undequaque ambientibus flammis circumventus, cum per dimidiam horam ab omnium oculis ereptus communi mœrore deploraretur, è medio igne redux incolumis, omnes gaudio simul, & admiratione complevit, in Scholâ charitatis edocens segniorem in eum fuisse ignem, qui foris usserat, quàm qui intùs accenderat.

Obitus.

§. 10. Jam verò humanæ vitæ spatium feliciter emensum, & tempus resolutionis suæ instans, non minus pius, & felix obitus die octavâ Martii anno salutis millesimo quingentesimo terminavit. Lecto enim infirmatus decumbens omnibus Ecclesiæ Sacramentis ab ipsomet Granatensi Præsule, sanctèque refectus, assistentes omnes dimisit, viribusque in extremâ vitæ periodo licèt destitutus, propriis indutus vestibus interim è lectulo prosiliens ac provolutus in genua, manu & corde imaginem Salvatoris crucifixi, quem fervidè vivens dilexerat, perstringens, inclinato ad ejus pedes capite obiit in osculo Domini, quem etiam mortuus tenuit, nec dimisit, ac in eâdem corporis constitutione ab iisdem assistentibus ad eum paulò post reduentibus repertus, sex circiter horis, quousque indè dimotus fuisset, mirabiliter permansit, odorem mirè fragrantem diffundens.

Sanctitatis & miraculorum post mortem fama.

§. 11. Illuc universa Civitas Gratanensis rei novitate vulgatâ, ut eum sic consistentem, & suavè olentem admiraretur, confluxit, eandemque & finitimi etiam Populi eminentem de Sanctitate Joannis conceptam opinionem eximio funere propalarunt. Optimates subivere feretrum, quod Religiosæ omnes Confraternitates, totus Clerus longâ serie præcedebant, universa verò Civitas etiam Togatis, Armatisque Rectoribus, aliisque qui advenerant, stipata devoto mœrore, & luctuosis laudibus sequebantur. Corpus ad Ecclesiam Victoriæ nuncupatam delatum, ut à confluentibus undique multitudinis manibus eriperent, statim fuit sepulchro reconditum, aliis adhuc precarios globulos feretro admoventibus, aliis frustrà arcæ, ut tanquàm Sancti reliquias asservarent, supripientibus. Cum Joannis tamen funere Sanctitatis fama non interiit, sed in dies mirabiliter excrevit gratiis, signis, & miraculis, quibus omnipotens Deus venerationem Populorum erga suum fidelem servum dignatus est promovere. Mulier ob inversum penitùs fœtum uteri doloribus premebatur gravissimis, sed baculi, quo vir Dei vivens utebatur contactu expeditam illicò prolem emisit, omni prorsùs levata dolore. Eundem proindè baculum parturientium laboribus futurum levamen consulens in posterum fidelium pietas non sinè similium gratiarum impetratione in Ecclesiâ Corporis Christi asservavit. Febres itidem & vermium affectiones exigua terræ portio domo desumpta haud rarò disjecit. Sebastiana Gomez cruris ulcere putrido, magno, corrosivo, & calloso ad octo menses indoluerat, nihilque proficientibus, quæ applicabantur medicamentis, & prorsùs distituta à Chirurgo, affirmante illud esse insanabile, & indigere validioribus diuturnisque medicaminibus, quibus etiam difficillimè curari posset, ad Joannis opem confugit, cui cùm voto se devinxisset, nullo adhibito medicamento evasit incolumis. Savina Baptista quatuor annorum puella oculorum è nimio maligni humoris illapsu usum planè perdiderat: Hæc cùm primùm ejus genitrix illam, si ad pristinum visum restitueretur, religiosis Beati Joannis insignibus induere spopondit, statim oculorum usum omninò sanum recuperavit. Philippa Araiz quatuor pariter annorum Puella, ex febri & immoderatâ per os, & nares sanguinis effusione penè animam agebat, sed statim ut exiguum pulveris è domo Joannis acceptum naribus Philippæ admotum fuit, sanguis & vita stetit. Æstuabat acerrimâ febri Beatrix Catebre de Gamâ penè sexagenaria, sicque mensem exegerat, sensuum omnium spatio decem, & octo dierum expers, non sinè summo vitæ discrimine, desperantibus illius salutem Medicis, cùm vix ægrotantis collo portiuncula terræ domus servi Dei appensa fuisset, illa ad deperditos sensus revocata est, ac

deindè

deinde absque aliquâ medicamentorum ope convaluit.

Ab Urbano VIII. dictus Joannes Beatus nominatus & Officia pro eo constituta.

§. 12. Quapropter cùm excrescente famâ Sanctitatis hujus eximii viri Joannis de Deo opportuni processus auctoritate Apostolicâ confecti, hinque primùm à tribus causarum Palatii Apostolici Auditoribus examinati, & subindè distinctâ eorum per dictos Auditores editâ relatione, in Congregatione tunc sacris Ritibus Præpositorum S. R. E. Cardinalium per plures sessiones discussi, ac recognitâ illorum validitate virtutes heroicæ ejusdem famuli Dei, & miracula ab Altissimo per ejus intercessionem, ante & post felicem ipsius in Domino obdormitionem patrata, approbata fuissent, dictaque Congregatio B. M. Petro Maria, S. Georgii, tunc Diacono Cardinale Burghesio nuncupato referente unanimiter decrevisset, tuto posse, quandocunque Romano Pontifici placuisset, ad solemnem memorati Joannis de Deo Canonizationem procedi, & interim nuncupari Beatum, Missamque & Officium de eo celebrari, & recitari, piæ M. Urbanus Papa VIII. Prædecessor Noster, clar. mem. Ferdinandi II. tunc Romanorum Regis in Imperatorem electi, & Philippi IV. pariter tunc Hispaniarum Regis Catholici, ac Isabellæ Conjugis, aliorumque Principum, nec non tunc existentium Majoris, & Confratrum Congregationis ipsius Beati Viri Joannis Dei petitionibus sibi super hoc porrectis annuere volens, de supradictorũ Cardinalium Sacris Ritibus præpositorũ consilio, ut idem Dei famulus in posterum Beatus nuncupari, & de eo ab omnibus dictæ ejus Congregationis Regularibus quotannis in die commemorationis ejus obitus Officium recitari, & Missa celebrari de Communi Confessorum non Pontificum ritu duplici majori per annum juxtà rubricas Breviarii, & Missalis Romani, & quoad Missam etiam ab aliis Regularibus & Secularibus Sacerdotibus ad illorum Ecclesiam confluentibus; in Civitate verò Granatensi in Ecclesiâ tamen ubi Sacrum illius corpus requiescebat, & in supradicto oppido Montis Majoris Junioris Monte Mor il Nuovo vulgaliter nuncupati, ubi is Dei servus natus est, in omnibus Ecclesiis tàm Secularium, quàm Regularium, Officium, & Missa ritu duplici majori recitari & celebrari valerent, per suas in formâ Brevis desuper die 21. Septembris 1630. expeditas Litteras indulserat.

Decreta Innocentii XI. super solemni Canonizatione ejusdem.

§. 13. Cùmque postmodùm signatâ à recol. mem. Clemente Papâ IX. similiter Prædecessore Nostro commissione reassumptionis causæ Canonizationis hujus Servi Dei in statu & terminis, in quibus post illius Beatificationem reperiebatur, novæ Litteræ remissoriales pro confectione processuum super iis, quæ in Urbe, Neapoli, Granatæ, & Madriti supervenerant, expeditæ fuissent, & processuum indè confectorum validitate subindè probatâ in Congregatione die 9. Februarii 1675. habitâ ad discussionem relevantiæ deventum fuisset, tandem similis memoriæ Innocentius Papa XI. etiam Prædecessor Noster auditis Dilecti Filii Nostri, tunc Sui Casparis tituli S. Mariæ Transtyberim, tunc Sancti Silvestri de capite Presbyteri & Cardinalis Carpinei nuncupati relatione, Consultorum sententiâ, ac Venerabilium Fratrum Nostrorum, tunc Suorum, S. R. E. Cardinalium iisdem Sacris Ritibus præpositorum suffragiis, duo ex pluribus miraculis post concessam, ut suprà, venerationem Joannes à Deo editis in ante dictâ Congregatione maturè discussis juxtà processus, alterum Romanum probatur, primum videlicet instantaneæ sanationis Joannis de Marino cruribus, & tibiis impotentis, & attracti spatio sepenntii, & quartum instantaneæ sanationis Isabellæ Arcelli à bubonibus, pediculis, & carbunculis in humeris absque cicatricibus. Quibus sic stantibus, & absolutis omnibus, quæ novissima Decreta dicti Urbani Prædecessoris exigebant, idem Innocentius Prædecessor subindè nempè die 13. Junii 1689. declaraverat, tutò posse quandocunque procedi ad solemnem præfati Beati Joannis de Deo Canonizationem juxtà S. R. E. ritum, & Sacrorum Canonum Decreta, illumque cum Deo regnantem in gloriâ, Sanctorum Catalogo universali cultu venerandum adjungi.

Denùò Canonizatio ab Alexandro VIII. decreta.

§. 14. Interim verò eodem Innocentio Prædecessore viam universæ carnis ingresso, ultimâ manu huic Canonizationis negotio nondum admotâ, cùm aliæ preces dicto Alexandro præfati Innocentii Successori, Nostro autem Prædecessori, à Charissimis in Christo Filiis Nostris Leopoldo Romanorum Rege in Imperatorem electo, Carolo Hispaniarum Rege Catholico, Petro Lusitaniæ, & Joanne Poloniæ Regibus Illustribus, ac denique ab universo ejusdem Beati Viri Religioso cœtu porrectæ fuissent, ac subinde Venerabilis Frater Noster Flavius Episcopus Portuensis S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Chisius nuncupatus vice Venerabilis etiam Fratris Nostri Alderani Episcopi Estiensis S. R. E. Cardinalis Cybo nuncupati, præfatæ Congregationis Præfecti, morbo tunc detenti, in Consistorio ipsius Alexandri Prædecessoris secreto summam processus, suamque & aliorum Collegarum suorum dictæ S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum sententiam exposuisset, cæterique in eodem Consistorio præsentes Cardinales ei unanimi suffragio adhæsissent: Et posteà in alio publico Consistorio, quo præter Cardinales præfatos etiàm supradicti Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi in Urbe commorantes, ac Dilecti Filii Romanæ Curiæ Prælati ipsiusque Alexandri Prædecessoris familiares convenerant, Dilectus etiàm Filius Magister Dominicus Taurusius Nostræ tunc Suæ, Consistorialis, Aulæ Advocatus de vitâ, virtutibus & miraculis dicti Beati Joannis de Deo dixisset, atque nomine Principum, & Religiosorum præfatorum supplices deprecationes pro ejusdem Canonizatione detulisset; dictus Alexander eas deprecationes effuso cum exultantis animi sensu excepit, & attendens, quòd Ecclesiæ Catholicæ gloria etiam in numero, & excellentiâ Sanctorum, qui illam illustrarunt, sit reposita, gavisus summoperè fuit, ab eximiis prædicti, & aliorum Beatorum virtutibus meritisque in eodem Consistorio relatis præstantissimum sibi præberi argumentum, ejusdem Ecclesiæ gloriam amplificandi, firmam præsertim in spem adductus, fore, ut fideles tunc ejus supremæ custodiæ commissi ad tàm præclara sequenda vestigia vehementer excitarentur.

Divinæ voluntatis & S. R. E. Cardinalium consensus prævia exploratio.

§. 15. Ut autem difficillimum opus ritè conficere valeret, à memoratis fidelibus juxtà præscriptas jam à se salutares pœnitentias pia, ferventiaque nuncupari vota, impensè in Domino flagitavit, ut supernorum luminum Pater caligantis humanitatis velo resciso, Divinum beneplacitum, sine præviâ cujus intelligentiâ infirma fuisset quælibet deliberatio, notum sibi apertè faceret, & manifestum. Quin etiam ad omnes accuratissimi Judicis partes implendas, antequam super re tàm magni momenti decerneret, advocavit in consilium præfatos Venerabiles Fratres Nostros, tunc Suos, dictæ S. R. E. Cardinales, nec non Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos tunc in Urbe commorantes, qui postmodum in Consistorio semipublico ad hunc effectum indicto præsentibus etiam Nostris, tunc Suis, & Sedis Apostolicæ Notariis, & Causarum Palatii Apostolici Auditoribus ex iis, quæ ab eo proposita, & ex processu relata fuerant, Beatum Joannem de Deo canonizandum esse, apertis suffragiis unanimiter censuerunt.

Tandemque præfixa die Canonizatio ritè peracta.

§. 16. Quibus sic peractis, cùm nihil aliud desideraretur eorum, quæ ex Sanctorum Patrum auctoritate, Sacrorum Canonum Decretis, præfatæ S. R. E. antiquâ consuetudine, ac novorum Decretorum præscripto agenda, & observanda erant, idem Alexander Prædecessor decimo septimo Kal. Novembris anno præterito millesimo sex-

centesimo

centesimo nonagesimo, Pontificatus sui secundo in Sacrosanctâ Beati Petri Apostolorum Principis Basilicâ, quo solemni ritu cum Venerabilibus Fratribus Nostris, tunc suis, S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & Dilectis Filiis dictæ Romanæ Curiæ Prælatis, Officialibus, & Familiaribus suis, Clero Seculari, & Regulari, ac maximâ Populi frequentia mane convenerat, iteratis primò, secundò, & tertiò pro Canonizationis Decreto petitionibus per Dilectum Filium Nostrum, tunc suum, Petrum S. Laurentii in Damaso Cardinalem Ottobonum nuncupatum, nomine præfatorum Leopoldi Romanorum Regis in Imperatorem electi, & Caroli Hispaniarum Regis Catholici post Sacros hymnos, lytanias, aliasque preces, & post Spiritus Sancti gratiam ritè imploratam, ad honorem Sanctissimæ, & individuæ Trinitatis, ad exaltationem Fidei Catholicæ & Christianæ Religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri Jesu Christi, Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac sua maturâ deliberatione præhabitâ, & Divinâ ope sæpiùs imploratâ, ac de præfatorum S. R. E. Cardinalium Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum tunc in Urbe existentium consilio, Beatum Joannem de Deo, unà cum Beatis Laurentio Justiniano, Joanne à Capistrano, Joanne à Sancto Facundo, & Paschale Baylon Sanctum esse decrevit, & definivit, ac Sanctorum Catalogo adscripsit, statuens ab universali Ecclesiâ quolibet anno die octavâ Martii memoriam ipsius inter Sanctos Confessores non Pontifices piâ devotione recoli debere. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen.

Gesta post Canonizationem factam.

§. 17. Eâdemque auctoritate omnibus utriusque sexûs Christi fidelibus verè pœnitentibus, & confessis, qui annis singulis in die festo ejusdem S. Joannis, ad sepulchrum, in quo ejus corpus requiescit, visitandum accessissent, septem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, aut aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxavit in formâ Ecclesiæ consuetâ; Postremò Deum Patrem æternum, Regemque Gloriæ Christum Dominum Patris sempiterni Filium, ac Sanctum Paracletum Spiritum, unum Deum, unumque Dominum laudibus, & Confessionibus veneratus, sacroque Hymno Te Deum decantato, peculiari orationi etiam per dicti Beati Joannis merita precatus fuit, atque Missæ ad Altare Beati Petri Apostoli cum ejusdem Beati Joannis commemoratione à Venerabili Fratre Nostro, tunc suo, Palutio Episcopo Sabinen. S. R. E. Cardinale de Alteriis nuncupato, solemni ritu celebratæ interfuit, omnibusque Christi fidelibus tunc præsentibus plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem concessit. Justum itaque, & æquum idem Alexander existimabat, dare gloriam, honorem, & benedictionem viventi in secula seculorum, qui justum hunc sic deduxit per vias rectas, & honestavit in laboribus suis, ut esset sanctus, & immaculatus coram ipso, Divinâque misericordiâ illiusque meritis fretus sperabat confidentiùs, ut idem justus, qui in hoc mundo cor suum tradiderat ad vigilandum diluculò ad Dominum, qui fecerat illum, in conspectu Altissimi pro Christianæ Reipublicæ necessitatibus deprecaretur, & flagella divinæ iracundiæ, quæ pro eorum peccatis mortales meruissent, averteret.

Confirmatio Decretorum Alexandri.

§. 18. Ne autem de Decreto, definitione, adscriptione, Statuto, relaxatione, concessione, voluntate, aliisque præmissis pro eo, quod super illis ipsius Alexandri Prædecessoris Litteræ ejus supervenientes obitu confectæ non fuerant, valeat quomodolibet hæsitari; Volumus, & Apostolicâ auctoritate decernimus, quòd Decretum, definitio, adscriptio, Statutum, relaxatio, concessio, voluntas, aliaque præmissa à dicto die decimo septimo Kal. Novembris suum consequantur effectum, ac si super illis ipsius Alexandri Prædecessoris Litteræ sub datum ejusdem diei confectæ fuissent, prout superiùs enarratur; Quòdque præsentes Litteræ ad probandum plene Decretum, definitionem, adscriptionem, Statutum, relaxationem, concessionem, voluntatem, aliaque præmissa ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

Fides transsumptorum.

§. 19. Cæterùm quia difficile foret præsentes Nostras Litteras ad singula loca, ubi opus esset deferri, Volumus ut earum exemplis, etiam impressis, manu publici Notarii subscriptis, & sigillo alicujus personæ in Dignitate Ecclesiasticâ constitutæ munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur si essent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio pœnalis.

§. 20. Nulli ergò omnino hominum liceat paginam hanc Nostrarum voluntatis, & Decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo nonagesimo primo, Idibus Julii Pontificatus Nostri Anno primo.

† Ego INNOCENTIUS Catholicæ Ecclesiæ Episcopus



Ego Alderanus Episcopus Ostiensis Cardinalis Cybo.
Ego Jacobus Episcopus Tusculanus Card. Fransonus.
Ego P. Episcopus Sabinensis Card. de Alteriis S. R. E. Camerarius.
Ego F. Tit. S. Mariæ in Via Presbyter Card. Maidalchinus.
Ego Carolus Tit. S. S. Laurentii in Lucina Presb. Card. Barberinus.
Ego Gaspar Tit. S. Mariæ Transtyberim Presb. Card. Carpineus.
Ego Farn. Tit. S. Matthæi in Merulana Presb. Card. Nerlius.
Ego Hieronymus Tit. S. Silvestri in Capite Presby. Card. Casanate.
Ego Fabritius Tit. S. Chrysogoni Presb. Card. Spada.
Ego Savus Tit S. Petri in Vincula Presb. Card. Millinus.
Ego Marcus Antonius Barbadicus Tit. S. Susannæ Presbyter Cardinalis S. Susannæ.
Ego Joannes Tit. S. Petri in Monte aureo Presbyter Cardinalis de Gœssen.
Ego Joseph Tit. S. Balbinæ Card. de Aguirre.
Ego Leander Tit. S S. Nerei, & Achillei Presb. Card. Colloredus M. Pœnitentiarius.
Ego B. Tit. S. Thomæ in Parione Presbyter Cardinalis Panciaticus.
Ego Ferdinandus Tit. S. Clementis Presb. Card. de Abdua.
Ego Tussanus Tit. S. Agnetis extrà mœnia Card. Presbyter de Janson Fourbin.
Ego Franciscus Tit. S. Mariæ de Populo Presb. Card. Judice.
Ego Jo. Baptista Tit. S. Bernardi Presb. Card. Costagutus.
Ego Urbanus S. Mariæ in Via lata Diaconus Card. Sacchettus.
Ego Benedictus S. Agathæ Diaconus Card. Pamphilius.

Ego Petrus S. Laurentii in Damaſo Diaconus Card. Ottobonus S. R. E. Vicecancellarius.
Ego Carolus S. Mariæ in Coſmedin Diaconus Card. Bichius.
Ego Aloyſius S. Mariæ in Porticu Diaconus Card. Homodeus.
Ego Jo. Franciſcus S. Adriani Diaconus Card. Albanus.
Ego Laurentius S. Mariæ in Aquiro Diaconus Card. de Alteriis.

Loco † plumbi

B. Card. Prodatarius

J. Franciſcus Card. Albanus

Viſa de Curia J. Sacripantes.

D. Ciampinus.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

Hiſtorica relatio vitæ, mortis, miraculorum, Beatificationis & Canonizationis B. Joannis à S. Facundo, ab Alexandro VIII. in Sanctorum numerum relati.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

III. *Servus ſervorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.*

RAtioni congruit, & convenit æquitati, ut ea, quæ Romani Pontificis provida deliberatione, ac Venerabilium Fratrum ſuorum S. R. E. Cardinalium, nec non Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum tunc in Romanâ Curiâ commorantium unanimi conſilio decreta, definita, & ſtatuta fuerunt, licèt ipſius ſuperveniente obitu Litteræ Apoſtolicæ deſuper confectæ non fuerint, ſuum debitum conſequantur effectum.

Exordium.

Chriſtus Eccleſiæ afflictæ de Sanctis viris non rarò providet.

§. 1. Dudum ſiquidem fel. rec. Alexander Papa VIII. Prædeceſſor Noſter pia ſecum conſideratione perpendens, quòd glorioſus in Majeſtate ſua unigenitus æterni Patris Filius Chriſtus Dominus, & Redemptor Noſter, qui omnes homines vult ſalvos fieri, & veniens in hunc mundum pacem evangelizavit, & Cœlorum ſummitate proſpiciens conditionis humanæ dignitatem, ſatis nunquam deploratâ miſeriâ, cui primi Parentis culpa dedit initium, deformatam criminumque tenebris obſcuratam ineffabili ſemper diſpoſitione providit, ut ſuis aptè temporibus exurgerent viri Sanctitate conſpicui, qui hominibus ſeneſcente mundo in pejora ruentibus adjutrices manus porrigerent, & gliſcentium vitiorum ſpinas de Eccleſiæ vinea evellerent, ac tan quam lucernæ inter effuſas peccatorum tenebras viam ad cœleſtem Patriam commonſtrarent.

Cujus rei præclarum exemplum fuit Joannes de S. Facundo, ab Alexandro VIII. Canonizatus.

§. 2. Et hinc dum Hiſpania partim Mahumetanæ perfidiæ, & Saracenæ tyrannidis pertinacibus adhuc reliquiis occupata, partim frigeſcente charitate præpotentibus, ac pluribus diræ præſertim ſimultatis vitiis languebat oppreſſa, ad illuminandas obtenebratas peccatorum mentes, eosque revocandos ad viam ſalutis & pacis, Joannis de Sancto Facundo nuncupati Spiritum ſuſcitavit, qui in tempore iracundiæ factus reconciliatio, ac æmulatus chariſmata meliora, ore ſimul, & opere doceret, quanta erga Deum æſtuaret charitate, quanta in proximum dilectione, quantoque contra vitia, & diſſidia afficeretur odio factus contra ea declamator acerrimus.

Canonizationis proceſſus enarratur.

§. 3. Juſtum proinde idem Alexander Prædeceſſor ratus, ut eximium hunc virum virtutibus, & miraculis præclarum, quem coronâ expreſsâ ſigno Sanctitatis Dominus redimiverat in Cœlis, Sanctorum etiam Laureâ coronaret in terris, operi jamdiu pertractæ Canonizationis ultimam manum admovit, ſervatis tamen ſervandis, & præviis legitimis proceſſibus, quorum ſummam juxtà memorati Prædeceſſoris præordinationem ad perpetuam rei memoriam, & Chriſti fidelium ædificationem hiſce Apoſtolicis Litteris duximus recenſendum, ut ſequitur.

Joannis præfati nativitas.

§. 4. In oppido Sancti Facundi vulgariter Sehagun nuncupati, eaque Hiſpaniæ parte, quæ vergit ad ſeptentrionem propè Diœceſim Legionenſem poſt diuturnam matris ſterilitatem piis parentum precibus impetratus Joannes circa annum reparatæ ſalutis milleſimum quadringenteſimum trigeſimum natus eſt: ut verò ſortitus erat animam bonam, piè à parentibus educatus, cœpit ab ipſa puericia non obſcura dare futuræ ſanctitatis indicia.

Indicia pueritiæ.

§. 5. Præventus enim à Domino in benedictionibus dulcedinis, & inde puerilia pertæſus, ac de pace condiſcipulorum ſolicitus, quæ ad concordiam, bonos mores, pietatem, cæteraſque virtutes conferebant, illis proponebat, ejuſque Zelo ſuccenſus, qui linguas infantium facit eſſe diſertas, ubi vel locus, vel ſaxum prominens occurrebat, miràſuprà ætatem facundiâ concionabatur, innocenti præſignans tyrocinio, quantus, quamque proficuus præco altiſſimæ veritatis eſſet futurus.

Adoleſcentiæ ſtudia & Promotio in Clericum.

§. 6. Ætate, & virtute adoleſcens humanioribus literis, Philoſophiæ, & Theologiæ, multoque magis pietati operam dedit apud Monachos Sanctorum Facundi, & Primitivi. Interim verò ordinatus in Clericum, Beneficio, cui cura animarum imminebat, per Vicarium, donec ad Presbyteratum promoveretur regendo, Patre adnitente præponitur. At Evangelicum documentum boni paſtoris cognoſcentis oves ſuas, & ab illis cogniti reformidans, atque inde anxius tùm de ovibus non paſtoris, ſed mercenarii cuſtodiæ, quamvis temporaliter creditis, tùm de fructibus non ſuæ, ſed interpoſitæ perſonæ labore partis, illibatam conſcientiam, cujus ſtimulis angebatur non prius, quàm eodem Beneficio dimiſſo priſtinæ tranquillitati reſtituit.

Epiſcopi Burgenſis familiaritas, & donatio Canonicatus Eccleſiæ Burgenſis.

§. 7. Emenſo ſtudiorum curriculo inter Epiſcopi Burgenſis familiares adſcitus, ea enituit morum honeſtate, præclaræque indolis ſpecie, ut apud ipſum intimam nactus benevolentiam, & gratiâ valens, pro omnibus, præſertim pro pauperibus ad ſuum Paſtorem confugientibus non inutilis interceſſor exiſteret, Sacris inſignitus Ordinibus à memorato Epiſcopo amplo Eccleſiæ Burgenſis Canonicatu donatus poſt aurum non abiit, nec ſperavit in pecunia, & theſauris, ſed manum ſuam inopi liberaliter aperiens, & palmas ſuas extendens ad pauperem, uti fidelis diſpenſator, & prudens, uberes dicti Canonicatus, & aliorum Beneficiorum fructus diſperſit, dedit pauperibus, ut juſtitia ejus maneret in ſeculum ſeculi.

Beneficiorum abdicatio & verbi Dei annunciatio.

§. 8. Nec tamen hic ſubſtitit ardens ejus Deo placendi, & ſerviendi deſiderium, ſed ut proprium electorum eſt, ire de virtute in virtutem, ad altiora reſpiciens, & Chriſtum propter Chriſtum non propter ſua quærens familiari, quo apud præfatum Epiſcopum Burgenſem fungebatur miniſterio, Canonicatui, & Beneficiis omnibus abrenuncians, ſoliſque eleemoſynis pro Miſſæ ſacrificio ad ſui ſuſtentationem contentus, ferventiùs orationi, & attentiùs ſacrorum librorum lectioni animum adjunxit, & ne ſibi ſolùm, ſed aliis viveret, cœpit verbum Dei magno auditorum concurſu, parique profectu in eadem Burgenſi Civitate annunciare.

Quomodo in Inteſtinis Civitatis diſſidiis ſe gefſerit.

§. 9. Irrepſerat tunc Salmanticæ ſumma, & impunis peccandi licentia, adeoque exarſerant potiſſimè inter Nobiles inteſtina odia, & pertinacia diſſidia, ut inde Civitas in efferatas factiones ſciſſa, maxima animorum acerbitate cædiumque frequentiâ ſæviret, quando æterna Majeſtas charitatem ſervi ſui, ut illuc tanquam pacis Angelus pergeret, excitavit. Piis ibi operibus, & verbi Dei prædicationi pro viribus, & utiliter plurimorum annorum ſpatio addictus, nihil timuit, nihil recuſavit, nihil omiſit, ut animas è peccatorum cæno eruens Deo lucrifaceret, & civiles flammas rore pietatis, & imbre prædicationis extingueret.

Morbus calculorum &

§. 10. Sed ut Dei virtus in infirmitate Joannis

magis

votum capessendi Institutū vitæ Religiosæ, redditum in Religione Eremitarum S. Augustini in Conventu Salmanticensi.

magis eluceret, gravi calculorum morbo corripitur, à quo cùm non posset, nisi extremo, & ancipiti sectionis remedio Medicorum judicio liberari, in eo, qui sanat omnes infirmitates, confisus, votum vovit Religiosæ vitæ Institutum capessendi, si ab eodem gravi morbo, graviorique sectionis discrimine ad majorem Dei gloriam convaluisset. Exaudivit Dominus deprecationem servi sui, qui pristinæ restitutus sanitati, reddidit Altissimo vota sua in Religione Eremitarum Sancti Augustini, selecto Salmanticensi Conventu, ubi Regularis disciplinæ strictior observantia vigebat.

Graduatus, Ordine Sacerdos, & emissa professio.

§. 11. Annum agens probationis, licèt ætate provectus, gradu Baccalaureus, Ordine Sacerdos, tantâ enituit humilitate, modestiâ, & obedientiâ, ut tamquàm lucerna super candelabrum luceret omnibus, qui in domo erant, tyrocinium quippe Religionis virtus veterana præcesserat. Emissâ professione per arduas Regularis perfectionis semitas abnegando semetipsum, jactoque profundo fundamento humilitatis in sublime virtutum consurrexit, & exindè animarum Zelo magis exardens, ac propterea omnia sufferens, omnia sustinens, in Deo, qui perennis charitas est, mansit, & Deus in eo.

Apostolicus in reprimendis sceleribus spiritus & fervida Civiles discordias componendi industria.

§. 12. Superseminaverat interea humani generis inimicus plura, & pejora vitiorum, & recrudescentium dissidiorum zizania, ad quæ eradicanda è claustro revocatur Joannes, qui Religionis loricâ, & Dei virtute præcinctus, pietatis inimicos sic in Domino adorsus est, & persequutus, ut non converteretur, donec deficerent. Apostolico Spiritu insurgebat in scelera, & fervido simul, ac facundo charitatis impetu sic vehebatur in odia, ut surdæ alioquin pacificis consiliis aures, & indurata inveteratis peccatis, & simultatibus pectora non possent resistere sapientiæ, & Spiritui, qui loquebatur per os ejus. Hinc ut civium discordias evelleret, aliquorum magis pertinacium odia in se ipsum convertit, dum illis vitia exprobrat, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui, at nullis injuriis revocatus, nullis periculis, vel minis territus unquam potuit à sancto opere dimoveri, sed potius persequutionem patiens propter justitiam animo semper invicto nunquam fuit promptior, quàm inter discrimina, nunquàm fortior, quàm inter adversitates, si tamen aliquando Divinum Verbum seminavit in lacrymis, uberes etiam manipulos plurimarum animarum Deo reconciliatarum in exultatione messuit. Cum iis, qui odio habebant pacem, erat pacificus, & Evangelici Samaritani instar sauciarum animarum misericordiâ motus, easdem oportunè modò compungebat vino acris comminationis Divini judicii, modò fovebat oleo sperandæ remissionis peccati. Non è suggestu solùm, sed in privatis colloquiis peccatores ad pœnitentiam, & discordes revocavit ad pacem. Naturâ mitis, aspectu jucundus, eloquio suavis, audientium conciliabat affectus, extinguebat odia, arcebat vindictas, felix mediator pacis, potens intercessor veniæ, strenuusque Salmanticensium dissidiorum dissipator, & sedator: Nec mirum quia Divino magisterio instructus ad aram Sacris operans de iis, quæ ad animarum salutem, & dissidentium pacem annunciandæ erant, ab ipso Christo Domino erudiebatur.

Administratio Sacramenti Pœnitentiæ.

§. 13. Muneri concionandi Ministerium addebat Sacramenti Pœnitentiæ, ut qui ab acceptâ justificationis gratiâ per peccatum exciderant, Deo reconciliarentur. Impiger operarius in vineâ Domini audiendis confessionibus pœnitentium, quia famâ Sanctitatis, & experientiâ charitatis allecti ad eum jugiter confluebant, gnaviter, & proficuè incumbebat, alios dulci sermone recreans, alios suavi simul, & gravi correctione ad contritionem excitans, & à recidivis lapsibus præmuniens, gnarusque restitutionem rei alienæ esse actum justitiæ ad salutem necessarium, suspensâ interim absolutione confitentes ad illam peragendam non verbis solùm, sed opportunis factis coadjuvabat.

Charitas erga pauperes, ægrotos &c. & mulierum prostitutarum restitutio.

§. 14. Eodem charitatis impulsu frequenter consolabatur afflictos, invisebat ægrotos, & quæsitis eleemosynis inopiam pauperum sublevabat, felix perditarum animarum venator, prostitutarum præsertim mulierum, quas concionibus, cohortationibus, precibus, & quæsitis similiter opibus à dæmonis servitute redemptas victimas ab impudicitiis purificatas offerebat Deo in holocaustum acceptabile.

Amoris erga Deum exercitia.

§. 15. Nec secundum dumtaxat ex duobus mandatis, in quibus universa Lex pendet, & Prophetæ, dilectionis nimirum ergà proximum fideliter servavit, sed multò magis primum, & maximum ardentis amoris, quò ferebatur in Deum ex toto corde suo, in totâ animâ suâ, & in totâ mente suâ. Hinc in seculo voluntariæ paupertatis studio pinguia Beneficia Ecclesiastica dimisit, effusus in preces, in Dei meditatione defixus, & operibus pietatis addictus à mundo ejusque illecebris segregatus vivebat. In Claustro autem trium veterum exactissimus cultor, ac virtutum præfulgens exemplar, & quasi cœlestem vitam agens, corpus suum hostiam viventem, & animam sanctam Deo placentem semper exhibuit, & tamen in hâc innocentiâ vitæ, & cordis simplicitate singulis diebus non semel salutari Pœnitentiæ Sacramento magis purificari concupivit, quasi cum Psalmistâ ad Dominum incessanter clamaret; Amplius lava me.

Cœlestis beatudinis hâc in vitâ præguſtus

§. 16. Cùm igitur immaculatus ambulasset in Lege Domini, & toto corde exquisivisset eum, meruit singulari charismate Cœlestis Beatitudinis suavitatem in hâc vitâ prælibare. Eo enim fidei, & charitatis ardore rapiebatur in Deum in augustissimo Missæ Sacrificio, ut Cœli gaudia præguſtans, Christum Dominum Sole splendidiorem, & lucidiora stellis vulnera exhibentem intueretur, vivis è fontibus Salvatoris hauriens in gaudio fluenta vitæ, & arcana Cœli mysteria, unde ab Altare post longum temporis intervallum divelli vix poterat, quotidianâ discens experientiâ, quam suavis esset Dominus, ejus mirâ dulcedine superfusus, quia tunc demum planè satiaretur in gloria Dei, cujus eximii & perfecti doni descendentis à Patre luminum præter plurimos testes, & historicos omni fide dignus relatur, & Prædicator extitit Sanctus Thomas de Villanova, qui post obitum S. Joannis in eâdem Religione, & Præsulatu Valentino suaves virtutum omnium odores effudit.

Beata Mors

§. 17. Postremò cùm bonum certamen certavisset, cursum consummavisset, fidem servavisset, Sacramentis Ecclesiæ effuso cordis affectu receptis properans ad Coronam Justitiæ, die undecimâ Junii anno reparatæ salutis millesimo quadringentesimo septuagesimo nono piè sanctèque obdormivit in Domino, qui fidelem servum suum miraculis ad ejus intercessionem patratis clarificavit.

Pauli III. Clementis VIII. & Innocentii X. super hâc re dispositiones

§. 18. Famâ igitur Sanctitatis, quæ eo vivente invaluerat, post obitum in dies excrescente, piæ mem. Paulus Papa III. etiam Prædecessor Noster prævio examine processuum anni 1488. & 1525. ordinariâ auctoritate factorum, per suas in forma Brevis expeditas Literas die 22. Maji 1542. confectionem novorum processuum super puritate Fidei, Sanctitate vitæ, & miraculis B. Joannis delegavit, quibus absolutis, & postmodum jussu recolendæ memoriæ Clementis Papæ VIII. pariter Prædecessoris Nostri, primùm Hieronymum Pamphilium, & Joannem Garziam Millinum tunc causarum Palatii Apostolici Auditores, deinde per bon. mem. Cæsarem tituli Sanctorum Nerei, & Achillei Baronium, Silvium tituli Sancti Salvatoris in Lauro, Antonianum, & Robertum tituli Sanctæ Mariæ in viâ Bellarminum nuncupatos S. R. E. Presbyteros Cardinales, ex quibus Antonianus vitæ, & miraculorum relationem exaravit, & demùm ad eorumdem Cardinalium relationem à Congregatione Cardinalium Sacris Ritibus Præpositorum diligenter recognitis, & examinatis; idem Clemens Prædecessor piis claræ memoriæ Philippi III. Hispaniarum Regis Catholici, ac Collegii maximi S.

Bartholomei, nec non Prioris, & Fratrum Conventus S. Auguſtini Salmanticenſis, ac Provincialis, & Fratrum ejuſdem Ordinis Provinciæ Caſtellæ precibus benignè annuens, de ſupradictorum Cardinalium Sacris Ritibus Præpoſitorum voto, ut in Eccleſiâ S. Auguſtini Salmanticæ, ubi Corpus ejuſdem Beati Joannis etiam tunc requieſcebat, & ſummâ veneratione aſſervabatur, Officium, & Miſſa de Communi Confeſſoris non Pontificis ſingulis annis poſtridie ejus obitum, nempe die duodecimâ Junii ob feſtivitatem S. Barnabæ antecedenti die undecimâ cadentem, liberè & licitè celebrari poſſet, ſimilibus in formâ Brevis Literis die decimâ nonâ Junii 1601. datis indulſit, & hujuſmodi indultum idem Clemens Prædeceſſor prius ad univerſum Ordinem Fratrum Eremitarum Sancti Auguſtini, & quaſcunque Domos, & Eccleſias, tàm Fratrum, quàm Monialium ejuſdem Ordinis ubique locorum & poſtmodùm ad omnes Eccleſias tùm Clericorum Secularium, tum cujuſvis Ordinis Regularium Salmanticæ, & Oppidorum de Sahagun, ſeu Sancto Facundo Patriæ Servi Dei, nec non Ceæ Patriæ ejus genetricis aliis in eâdem formâ Brevis Literis ſub diebus 15. Octobris, & 24. Novombris anni 1693. ac demùm felicis recordationis Innocentius Papa X. etiam Prædeceſſor Noſter decreto memoratæ Congregationis Rituum approbato die 14. Februarii anni 1647. ad omnes Eccleſias Civitatis, & Diœceſis Burgenſis extenderunt.

Effatum S. R. E. Cardinalium Congregationis.

§. 19. Magiſque interim famâ Sanctitatis & miraculorum percrebeſcente, & in vim ſpecialis commiſſionis ab ejuſdem recordationis Paulo Papa V. pariter Prædeceſſore Noſtro ſignatæ confectis de annis 1622. & 1623. bonis novis proceſſibus remiſſorialibus, & compulſorialibus in præfatis Civitate Salmanticæ, & Oppido de S. Facundo, cùm ſupervenerint Notoria Decreta ſimilis recordationis Urbani Papæ VIII. etiam Prædeceſſoris Noſtri, ſignata poſtmodùm fuit à memorato Innocentio X. Prædeceſſore Commiſſio reaſſumtionis cauſæ in ſtatu, & terminis, in quibus reperiebatur, eaque directa præfatæ Cardinalium Sacris Ritibus præpoſitorum Congregationi, quæ attentis dictis Litteris in formâ Brevis præfati Clementis Prædeceſſoris ſuper conceſſione, & extenſionibus reſpectivè indulti Officium, & Miſſam celebrandi die 27. Junii 1651. ad relationem bon. M. Julii tunc tituli Sanctæ Suſannæ Presbyteri, Cardinalis Sacchetti nuncupari, declaravit conſtare, cultum Beato Joanni exhibitum fuiſſe, & nunc exhiberi vigore dictorum indultorum Apoſtolicorum, & propterea hujuſmodi caſum inter exceptos in Decretis ab eodem Urbano Prædeceſſore ſuper non cultu editis comprehendi; cùmque in eorundem Decretorum executionem ex præfatis prioribus proceſſibus ante indultam venerationem peractis plenè conſtitiſſet de puritate Fidei, Sanctitate vitæ, & virtutibus requiſitis ad ſolemnem Canonizationem, quorum relatio olim, ut præfertur, commiſſa Cardinalibus, Baronio, Antoniano, & Bellarmino, & à dicto Cardinale Antoniano ſubſcripta exhibita fuit unà cum ſummario teſtium, & actorum deſuper confecto, memorata Congregatio Cardinalium Sacris Ritibus præpoſitorum die 21. Julii anni 1668. ejuſdem memoriæ Petro tituli S. Caliſti Presbytero Cardinali Vidono nuncupato referente, cenſuit, procedendum eſſe ad ea, quæ poſt venerationem ſupervenerant, ſi placuiſſet piæ memoriæ Clementi Papæ IX. etiam Prædeceſſori Noſtro, qui factâ priùs prædictorum relatione eâdem die benignè annuit.

Et perpenſâ miraculorum famâ de Canonizatione peragendâ ſententia.

§. 20. Quare in Congregatione coràm ejuſdem memoriæ Clemente Papâ X. ſimiliter Prædeceſſore Noſtro habitâ die octavâ Martii anni 1672. Ad relationem præfati Cardinalis Vidoni diſcuſſo dubio de iis, quæ poſt indultam Beato Joanni venerationem ſupervenerant, idem Clemens X. Prædeceſſor Conſultoribus priùs auditis, de Venerabilium Fratrum Noſtrorum, tum Suorum, S. R. E. Cardinalium iiſdem Sacris Ritibus præpoſitorum conſilio decrevit, ex dictis poſterioribus proceſſibus in eâdem Sacrâ Congregatione die 25. Septembris anni 1663. examinatis & approbatis conſtare de eorum relevantia, nempè continuatione famæ Sanctitatis, devotionis Populorum, & miraculorum, & percrebeſcentiâ cultus, & venerationis, ac ex octo inter plura ſelectis duo miracula concludentiſſimè probata eſſe declaravit. Primum ſcilicet Eliſabethæ Gomez della Roccha, quæ cum cancro in mammilla ſiniſtrâ per ſesquiannum inveterato, & in molem inſignem aucto, & altero ſubtùs brachium in latere ſiniſtro propè cor Medicorum judicio inſanabilibus laboraſſet, poſt acceſſum ad ſepulchrum ejuſdem Beati, illiuſque invocationem, nec non poſt Confeſſionem Sacramentalem, & ſuſceptionem Sanctiſſimæ Euchariſtiæ, ac impoſitionem habitus illius ſuper mammillam, mane ſequenti iteratâ Beati invocatione, ſana, & incolumis à prædictis cancris, & acutis, quibus afficiebatur doloribus, abſque ullo ſigno, ſeu veſtigio prædictæ infirmitatis comperta eſt: Et quartum Emmanuelis de Caſtello gibboſi per triennium ex ruptura ſpinæ dorſi ob lapſum è ſcalâ, dum erat novennis, qui cum propterea cogeretur curvatus medio corpore, manibus ſuper genua appoſitis, & cum adjutorio ſubſtentaculi ſic incedere, ut ſe erigere volens cum impetu procideret, ductus à matre ad ſepulchrum Beati, ut novem dialibus precibus incumberet, illuc ingreſſus ab ingentibus quos patiebatur doloribus, & ab incurvatione ſanus evaſit; conſolidatis nimirùm vertebris diſruptis, cruribuſque ſic corroboratis, ut domum maternam veloci greſſu redierit, ſubſtentaculum in altum gerens, ac demum etiam à gibboſitate convaluit, poſtquàm denuò à matre in Capellam Beati ductus Evangelium in fine Miſſæ lectum audivit, permanente tamen oſſe elevato, ubi priùs erat gibboſus. Quapropter eadem Congregatio, audito priùs in voce, & in ſcriptis fidei Promotore, & acceſſitis denuò Conſultoribus, communi omnium voto cenſuit, eundem Clementem X. Prædeceſſorem quandocunque ſibi viſum fuiſſet, poſſe ad ſolemnem ejuſdem Beati Joannis de Sancto Facundo Canonizationem juxtà S. R. E. Ritum, & Sacrorum Canonum Decreta devenire, eumque Sanctum cum Deo regnantem definire, atque univerſali Eccleſiæ colendum, & venerandum proponere.

Geſta de ejuſdem Canonizatione ſub Alexandro VIII.

§. 21. Verum prædefunctis interim eodem Clemente X. ac ſimilis memoriæ Innocentio Papa XI. etiam Prædeceſſoribus Noſtris ſolemni adhuc Canonizatione non expletâ, cùm aliæ preces memorato Alexandro Prædeceſſori à Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro Carolo II. Hiſpaniarum Rege Catholico, nec non à pluribus Venerabilibus Fratribus Noſtris, tunc Suis, ejus Nationis Epiſcopis, ac Dilectis Filiis, Univerſo S. Auguſtini Ordine, ac pluribus ejuſdem Nationis Civitatibus fuiſſent humiliter porrectæ, ac ſubinde Venerabilis Frater Noſter, tunc Suus, Flavius Epiſcopus Portuen. S. R. E. Cardinalis Chiſius nuncupatus, vice Venerabilis Fratris Noſtri, tunc Sui, Alderani Epiſcopi Oſtienſis ejuſdem S. R. E. Cardinalis Cybo nuncupati, præfatæ Congregationis Præfecti, morbo tunc detenti, in Conſiſtorio ipſius Alexandri Prædeceſſoris Secreto ſummam proceſſus, ſuamque, & aliorum Collegarum ſuorum dictæ Sanctæ R. E. Cardinalium Sacris Ritibus Præpoſitorum Sententiam expoſuiſſet, cæterique in eorum Conſiſtorio præſentes Cardinales ei unamini ſuffragio adhæſiſſent: Et poſteà in alio publico Conſiſtorio, quo præter Cardinales præfatos etiam ſupradicti Patriarchæ, Archiepiſcopi, & Epiſc. in Urbe commorantes, & Dilecti Filii Romanæ Curiæ Prælati, ipſiuſque Alexandri Prædeceſſoris familiares convenerant, Dilectus etiam Filius Joannes Franciſcus Fagnanus Noſtræ, tunc ſuæ Conſiſtorialis Aulæ Advocatus, de vitâ, virtutibus, & miraculis dicti Beati Joannis de S. Facundo dixiſſet, ac nomine Regis, Epiſcoporum, Civitatum, & Ordinis præfatorum ſupplices deprecationes pro ejuſdem Canonizat. detuliſſet; Idem Alexander Prædeceſſor ejuſmodi deprecationes libenter excepit, quibus

Sanctorum albo adscribendus sibi proponebatur impiger contentionum sedator, ut æstuantibus undique seculi hujus tot privatarum simultatum, & efferatorum bellorum fluctibus, atque procellis, ad ejus præsidium conversi Fideles, pacem & concordiam exposcentes, firmam tranquillitatis flationem, tùm in viâ hujus vitæ, tùm in Cœlesti Hierusalem, quæ est beata pacis visio, felicissimè consequerentur.

Et pro eâ peragenda designata dies.

§. 22. Antequàm tamen ad rei tàm gravis deliberationem procederet, orationibus, jejuniis, aliisque piis operibus publicè indictis, & concessâ ad hoc Fidelibus Indulgentiâ, Divinæ voluntatis beneplacitum, sine prævia cujus intelligentiâ infirma fuisset quælibet deliberatio, explorare sategit. Ac ad omnes accuratissimi Judicis partes explendas, exquisivit primùm sententias præfatorum Venerabilium Fratrum Nostrorum, tunc Suorum, dictæ S.R.E. Cardinalium, nec non Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum tunc in Urbe commorantium, qui in Consistorio semipublico ad hunc effectum postmodùm habito, præsentibus etiam Nostris, tunc Suis, & Sedis Apostolicæ Notariis, & causarum Palatii Apostolici Auditoribus, ex iis quæ ab eo proposita, & relata fuerunt, Beatum Joannem de S. Facundo Canonizandum esse unanimibus suffragiis apertè decreverunt, Unde gaudens ex animo, hujusmodi Canonizationem in magnam Dei gloriam, splendidumque Ecclesiæ Catholicæ decus cessuram esse apertè intellexerit, ac decimam sextam tunc decurrentis mensis Octobris diem præclaræ hujusmodi solemnitati designans, perspectam eorundem pietatem ad perseverandum in effundendis ad Dominum infallibilis veritatis enixis precibus, impensè hortatus fuit, ut ipso inspirante præstantissimo huic negotio supremam rite manum imponere posset.

Eâdem die Canonizatio solemniter facta.

§. 23. His peractis, cùm nihil aliud desideraretur eorum, quæ ex Sanctorum Patrum auctoritate, Sacrorum Canonum Decretis, præfatæ S. R. E. consuetudine ac novorum Decretorum præscripto agenda, & observanda erant, idem Alexander Prædecessor prædictâ designatâ die sextâ decimâ Octobris anni præteriti millesimi sexcentesimi nonagesimi, Pontificatus sui secundi, in Sacro-Sanctâ Beati Petri Apostolorum Principis Basilicâ, quo solemni Ritu cum Venerabilibus Fratribus Nostris, tunc Suis, ejusdem S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, & Dilectis Filiis dictæ Romanæ Curiæ Prælatis Officialibus, & Familiaribus suis, Clero Seculari, & Regulari, ac maximâ populi frequentiâ manè convenerat, iteratis primò, secundò, & tertiò, pro Canonizationis Decreto instantiis, per Dilectum Filium Nostrum, tunc Suum, Petrum S. Laurentii in Damaso Cardinalem Ottobonum nuncupatum, nomine memorati Chariſſimi in Christo Filii Nostri Caroli II. Hispaniarum Regis Catholici, post sacros hymnos, litanias, aliasque preces, & post Spiritus Sancti gratiam ritè imploratam, ad honorem Sanctissimæ, & Individuæ Trinitatis, ad exaltationem Fidei Catholicæ, & Christianæ Religionis augmentum, autoritate Domini Nostri Jesu Christi, Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac suâ maturâ deliberatione præhabitâ, & Divinâ ope sæpius imploratâ, ac de præfatorum S.R.E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum, tunc in Urbe existentium Consilio, Beatum Joannem de S. Facundo una cum Beatis Laurentio Justiniano, Joanne à Capistrano, Joanne de Deo, & Paschale Babylon Sanctum esse decrevit, & definivit, ac Sanctorum Catalogo adscripsit, statuens ab Ecclesia universali quolibet anno die ejusdem festo memoriam ipsius inter Sanctos Confessores non Pontifices piâ devotione recoli debere. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus, Sancti Amen.

Et concessa fidelibus Indulgentia.

§. 24. Eâdemque auctoritate omnibus utriusque sexus Christi Fidelibus verè pœnitentibus, & confessis qui annis singulis in die festo ejusdem S. Joannis ad sepulcrum, in quo ejus corpus requieſcit, visitandum accessissent, septem annos, & totidem quadragenas de injunctis ei, aut aliàs quomodòlibet debitis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxavit in forma Ecclesiæ consueta.

Gesta post Canonizationem factam.

§. 25. Quibus peractis Deum Patrem æternum, Regemque gloriæ Christum Dominum Patris Sempiternum Filium, & Sanctum Paracletum Spiritum unum Deum, unumque Dominum Laudibus, & Confessionibus veneratus, Sacroque hymno Te Deum solemniter decantato, peculiari oratione etiam per dicti Beati Joannis merita precatus fuit, atque Missæ ad Altare Beati Petri Apostolicum ejusdem Beati Joannis commemoratione à Venerabili Fratre Nostro tunc Suo, Palutio Episcopo Sabinens, S. R. E. Cardinale de Alteriis nuncupato solemni ritu celebratæ interfuit, omnibusque Christi Fidelibus tunc præsentibus plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem concessit.

Alexandri VIII. super hac re Decretorum confirmatio.

§. 26. Ne autem de Decreto, definitione, adscriptione, Statuto, relaxatione, concessione, aliisquæ premissis, ex eo quòd super illis ipsius Alexandri Prædecessoris Litteræ ejus superveniente obitu confectæ non fuerant, valeat quomodolibet hæsitari, volumus, & Apostolica auctoritate decernimus, quòd Decretum, definitio, adscriptio, Statutum, relaxatio, concessio, aliaque præmissa à dictâ die sextâ decimâ Octobris suum consequantur effectum, acsi super illis ipsius Alexandri Prædecessoris Litteræ sub Datum ejusdem diei confectæ fuissent, prout superiùs enarratur; Quòdque præsentes Literæ ad probandum plenè Decretum, definitionem, adscriptionem, Statutum, relaxationem, concessionem, aliaque præmissa ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

Transsumptorum fides.

§. 27. Cæterùm quia difficile foret præsentes Nostras Litteras ad singula loca, ubi opus esset, deferri, volumus, ut earum exemplis, etiam impressis, manu publici Notarii subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate constitutæ munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quæ iisdem præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio pœnalis.

§. 28. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostrarum voluntatis, & Decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1691. Idib. Julii Pontificatus Nostri Anno Primo.

D. 25. Julii 1691. P.A. Primo.

† Ego INNOCENTIUS Cathol. Ecclesiæ Episc. &c.



Ego Alderanus Episcopus Ostiensis Cardinalis Cybo.
Ego Flavius Episcopus Portuens. Cardinalis Chisius.
Ego Jacobus Episcopus Tusculan. Card. Franfonus.
Ego Palutius Episcopus Sabinensis Card. de Alteriis S. R. E. Camerarius.
Ego F. Tit. S. Mar. in Viâ Presb. Card. Maidalchinus.
Ego Carolus Tit. S. S. Laurentii in Lucina Presb. Card. Barberinus.
Ego Nicolaus Tit. S. Calixti Presb. Card. Acciaiolus.
Ego Gaspar Tit. S. Mariæ Transtyberim Presb. Card. Carpineus.
Ego Cæsar Tit. Sanctissimæ Trinitatis in M. Pincio Presb. Card. d'Estrées.

Ego Franciſcus Tit. S. Matthæi in Merulana Presb. Card. Nerlius.
Ego Hieronymus Tit. S. Silveſtri in Capite Presb. Card. Caſanate.
Ego Galeatius Tit. SS. Quirici & Julittæ Presb. Card. Mareſcottus.
Ego Fabritius Tit. S. Chryſogoni Presb. Card. Spada.
Ego P. Thomas Houardus Tit. S. Mariæ ſuper Minervâ Presb. Card. de Norfolcia.
Ego Savus Tit. S. Petri in Vinc. Presb. Card. Mill.
Ego Fr. Laurentius Baſilicæ XII. Apoſtolorum Card. de Laurea.
Ego Jacobus Tit. S. Mariæ de Aracœli Presb. Card. de Angelis.
Ego Joannes Tit. S. Petri in Monte aureo Presbyter Cardinalis de Gœſſen.
Ego P. M. Tit. S. Marcelli Presb. Card. Petruccius.
Ego Joſeph Saens Tit. S. Balb. P. Card. de Aguirre.
Ego Leander Tit. SS. Nerei & Achillei Presb. Card. Colloredus M. Pœnitentiarius.
Ego F. Tit. SS. Joan. & Pauli Presb. Card. Carafa.
Ego Bandin. Tit. S. Th. in Parione P. C. Panciaticus.
Ego F. Tit. S. Clementis Presb. Card. de Abdua.
Ego Tuſſanus Tit. S. Agnetis extrà mœnia P. Card. de Janſon de Fourbin.
Ego Jo. Bapt. Tit. S. Laurentii in pane, & perna P. Card. Rubinus.
Ego Jo. Bapt. Tit. S. Bern. Presb. Card. Coſtagutus.
Ego Fulvius SS. Co. & Dam. Diac. Card. Aſtallius.
Ego Petrus S. Laurentii in Damaſo Card. Diaconus Ottobonus S. R. E. Vicecancellarius.
Ego Carolus S. Mariæ in Coſm. Diac. Card. Bichius.
Ego Aloyſius S. Mar. in Port. D. Card. Homodeus.
Ego Jo. Franciſcus S. Adriani Diac. Card. Albanus.
Ego Franciſc. S. Angeli in foro Piſc. D. C. Barberinus.
Ego Laurent. S. Mar. in Aquiro D. Card. de Alteriis.

B. Card. Prodatarius.

F. Card. Albanus

Viſa de Curia J. Sacripantes

Loco † plumbi D. Ciampinus

Regiſtrata in Sec. Brevium.

IV. Hiſtorica relatio vitæ, mortis, miraculorum, Beatificationis & Canonizationis B. Cajetani à Clemente X. in Sanctorum numerum relati.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium

RAtioni congruit, & convenit æquitati, ut ea quæ Romani Pontificis providâ deliberatione, ac Venerabilium Fratrum Suorum S. R. E. Cardinalium nec non Patriarcharum, Archiepiſcoporum & Epiſcoporum tunc in Romanâ Curiâ commorantium unanimi Conſilio decreta, definita & ſtatuta fuerunt, licèt ipſius ſuperveniente obitu Litteræ Apoſtolicæ deſuper confectæ non fuerint, ſuum debitum conſequantur effectum.

B. Cajetanus à Clemente X. Canonizatus.

§. 1. Dudùm ſiquidem felicis recordationis Clemens Papa X. Prædeceſſor Noſter piè ſecum animo revolveus, inter alia Divinæ largitatis Beneficia illud eſſe perenne, quod ad eradicanda falſorum dogmatum zizania, quæ in Eccleſiæ florentis agro inimicus homo jugiter ſuperſeminare non ceſſat. Cœleſtis Paterfamilias ſtatis temporibus dignos operarios miſerit, qui imminenti malo occurrerent, & ſuccreſcentem pernicioſam ſegetem amoveaent, ac inter cæteros anteacto ſeculo, quo impius hæreſiarcha, & religioſæ militiæ deſertor Lutherus, aliique ſacrilegi Sectarii, Sanctæ Sedis, & Romani Pontificis dignitatem exauctorare, Ordines Regulares eliminare, relaxatam Cleri diſciplinam criminari, uſumque, & venerationem Sacramentorum obliterare temerario conatu ſatagebant, fuiſſe, Divinâ Providentiâ excitatum ſpiritum fidelis ſervi ſui Cajetani Thienæi, qui ad eorumdem novatorum confuſionem aliud ſuave, & à tot tantiſque aſſeclis receptum Religionis jugum Apoſtolicâ Auctoritate in ipſo Vaticano Templo confirmatum inſtituit, quo Clerici Regulares ſub ejuſdem Romani Pontificis, & præfatæ Sedis Sanctæ immediatâ ſubjectione, & ſpeciali protectione ſuſcepti tribus ſubſtantialibus Votis emiſſis Apoſtolicam vivendi formam omni rerum temporalium, & vel ipsâ emendicandi curâ poſthabitâ imitarentur, collapſam Cleri, & morum diſciplinam inſtaurarent, ac venerationem, & frequentiam Sacramentorum inſigni pietatis, & devotionis fœnore unà cum eleganti Eccleſiarum nitore reſtituerent; Ex proceſſibus itidem jam abſolutis idem Prædeceſſor plenariam certitudinem aſſequutus, Beatum Virum hujus voti cum ſuis alumnis compotem effectum, illibatæ vitæ tenorem ad extremum uſque ſpiritum perduxiſſe, atque ex heroicis virtutibus, quibus cumulatus, & inſignibus miraculis, quibus in vitâ, & poſt mortem clarificatus fuerat, gloriosè cum eo in Cœlis regnare, cujus honorem in terris zelatus fuerat, ſolemni ritu eundem inter Sanctos Confeſſores adſcripſit, illiuſque vitam, virtutes, & miracula, nec non actorum ſeriem ad majorem Dei gloriam, & Chriſti fidelium ædificationem ſummatim recenſere decreverat. Quod cùm nec ipſe, nec ſimilis recordationis Innocentius Papa XI. & Alexander Papa VIII. ejus Succeſſores, Noſtri autem Prædeceſſores, morte præventi, hactenùs peregiſſent, ne tam pia, & exemplaris memoria unquam obliteretur, ſed Apoſtolico roborata teſtimonio ſincerè, & veridicè conſervetur in ævum, ſequentem narrationem præſentibus Literis duximus committendam.

Ejus hiſtoria præſentibus exhibetur.

Natus & B. Virgini oblatus.

§. 2. Natus eſt Beatus Cajetanus Vicentiæ clarâ Venetæ ditionis Civitate circâ annum reparatæ Salutis milleſimum quadringenteſimum octuageſimum, parentibus Comite Gaſpare Thienæo, & Mariâ Porto ambobus genere præclaris; Quem mox ut enixa eſt mater, Deiparæ Virgini obtulit, commendavitque, cujus vota benignè ſuſcipere ipſa Deipara viſa eſt, cùm ſemper in poſterum ſpecialibus favoribus munerans, ipſeque viciſſim, ut matrem illam tenerrimo quodam affectu ſæpè compellans, ad ejus patrocinium in arduis omnibus confugiebat; Pietati à primis annis addictus, oratione, eleemoſynis, aliiſque piis operibus animum inſtruebat, cunctorum oculos in ſe rapiens, mirum in modum, adeò ut ex tunc Sanctus ab omnibus nuncuparetur.

Studia, pietatis & charitatis exercitia.

§. 3. Aliis ſtudiis emenſis, Pontificii, & Cæſarei Juris prudentiæ operam dedit, fuitque utriuſque Laureâ Patavii inſignitus. Quique adhuc puer in extruendis aris, ſacriſque imaginibus exornandis totus fuerat, poſtmodùm adoleſcens, ut oppidanorum commodo, ac pietati ſeriò proſpiceret, Beatæ Mariæ Magdalenæ ædem, unà cum germano fratre in proprio Thienæorum pago quem Rampazum dicunt à fundamentis extruxit, cenſuque ad ſacra facienda dotavit. Adeò animarum ſitiebat ſalutem, ut eam ob rem etiam corporum malè habentium ſervitio ſe in Noſocomiis manciparet, ac per iſtiusmodi charitatis officia ægros ad patientiam, Dei amorem, peccatorum ſuorum expiationem, ac ſupernæ Patriæ deſiderium excitabat, nil intactum relinquens, quo Deo animas lucrifaceret, dictus propterea Venator animarum. Hinc novum Vicentiæ Noſocomium erexit, hinc Venetias Confeſſarii monitu, è cujus ore, nutuque pendebat, ire contendit, ad magni, ut vocant Incurabilium Valetudinarii curam ſuſcipiendam. Hinc Romæ, ac Neapoli, quo ſucceſſu temporis contigit perrexiſſe, eadem animo volvebat, ac eâ ſolicitudine tenebatur, & nimirùm corporum ſimul, & animarum ſaluti conſultum iret, infirmorum calamitatum utrinque. Quo factum eſt, ut graſſante Venetiis peſtilentiâ, eâ contagione laborantibus propriis ipſe manibus inſervire, ac vi-

liſſima

lissima quæque munia prompto animo aggredi non formidaret.

Munus publicum Romæ, ejusdem abdicatio, & in patriam reditus

§. 4. Romam inde profectus, & recolendæ memoriæ Julio Papæ Secundo etiam Prædecessori Nostro in primis charus, inter Protonotarios, ut vocant participantes adscitus est, verùm posteà sæcularium rerum pertæsus, abdicatisque omnibus ad sodalitium Divini amoris, quod eo tempore solidæ pietatis famâ celebre in Urbe erat, aufugiens in eo adscribi suppliciter petiit. Voti compos factus, mirum est quantùm in virtutum omnium æmulatione cæteros antecelleret, quantùmve Divinæ illius flammæ ardore flagraret; indè Sacris initiatus, & in Patriam post aliquot dies reversus, conceptum cælitùs ignem in eam visus est intulisse, nil magis cupiens, quàm ut eodem Civium corda succenderet. Etenim relictâ paternâ Domo, ad ægrotantium publicum Hospitale divertit, atque inter infimæ plebis homines in Oratorio Divi Hieronymi, quod posteà à Divino amore voluit dictum, mutuato nomine à Romano illo, cui ipse primum nomen dederat, cuique hoc aggregandum curavit, alterius spiritum in alterum transfundere satagebat, id semper habens in votis, ut lapsos fidelium mores, quà verbo, quà exemplo corrigeret, atque animos ad Dei amorem inflammaret. Præ cæteris id exequutus est, ut Sacramentorum frequentem usum in sodales primum, dehinc in alios ferventiore spiritu introduceret, magno cum eorum compendio, qui elutis animæ sordibus ad Cœleste epulum accedebant, quod propriis ipse manibus sæpè illis ministrans, identidem ad ejusdem amorem, ac sitim ignitis planè eloquiis lacrymarum vi, ac suspiriis intendebat.

Cleri Regularis ad Ecclesiæ primitivæ formam reductio.

§. 5. Verùm Romam reversus, inito cum similis memoriæ Paulo Papa IV. etiam Prædecessore Nostro, tunc in minoribus constituto, Joanne Petro Caraffa nuncupato, & Episcopo Theatino, consilio, de restituendo ad pristinam formam Clero cogitare cœpit; Quare illo adjutore, accitisque duobus aliis eximiæ pietatis viris ex præfatâ Divini amoris de Urbe Sodalitate, Bonifacio nempè à Colle Nobili Alexandrino, & Paulo Consiliario Romano, Clericorum Regularium Ordinem ad Ecclesiæ primitivæ normam instituit, seu potiùs instauravit, qui videlicet ad eorum morem, quibus cor unum, & anima una fuisse legitur, abdicatâ rerum omnium temporalium curâ, ipsâque emendicandi solicitudine, ex solis eleemosynis spontè oblatis viverent, Deique Omnipot. misericordiam expectarent, atque ita pristinam illam Apostolicam vivendi formam ex integro redditam, magno cum Ecclesiastici nominis fœnore, hæreticorumque illud temerè deprimentium rubore hic Dei Servus in Orbem postliminio revocavit, firmavitque Apostolicâ auctoritate tribus substantialibus votis, Legibus, & institutis, statui decorique Clericorum oppidò consentaneis, ejusdem memoriæ Clemente Papâ VII. pariter Prædecessore Nostro approbante, ipsoque Dei servo unà cum Sociis in Vaticano Templo hanc Regulam publicè profitente. Quam quidem vivendi formam visa est non semel Divina providentia rebus in arcto positis, miraculis comprobasse, cavitque sedulò Cajetanus, ne quid unquàm ea detrimenti caperet, præsertim cum oblatos ultrò Neapoli fundos, ac Census constantissimè recusavit, ea objectans Domini verba: Respicite volatilia cœli, non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater vester Cœlestis pascit illa.

In Urbis direptione carceri inclusus, ac post liberationem Venetias contendens.

§. 6. Ut autem præclara Servi Dei virtus non in prosperis solùm exerceretur, sed in adversis etiam probaretur, tunc præ cæteris eximia ejus æquanimitas enituit, cùm in immani illâ Urbis direptione à militibus deprehensus, creditusque, ut olim, divitiis abundare, ut eas proderet, sævissimè tortus, eam tormentorum vim mirâ animi tranquillitate, ac mansuetudine perpessus est, eoque tandem in teterrimum carcerem cum sociis detruso, accidit, ut quâdam die canentem cum ipsis laudes alternatim lætiori voce, ac si in odeo essent, audiret Hispanorum quidam Tribunus, qui profecto tantam demiratus alacritatem, tantamque in perferendis malis constantiam, illicò, ut relaxarentur, atque in sui gratiam liberi dimitterentur, à commilitionibus suis enixè petiit, obtinuitque. Vinculis exsoluti ad Tyberis Ripam tendunt, incerti animi, quo potissimùm transmitterent, cumque commeatum, & pecuniam non haberent, adfuit Divina Providentia, vel ipsos Aggressores internè movens ad stipem ultrò itineriscque viaticum erogandum; Indè venientes ad Ostia Tyberina, Venetum Oratorem auspicatò offenderunt in Patriam solventem, à quo benignè excepti, & liberaliter habiti Venetias tandem obtinuerunt.

Ad Præposituram Cleri Regularis in Civitate Neapolitanâ vocatus.

§. 7. Ibi per annos aliquot Dei famulus commoratus, admirandæ paupertatis, & cœlestis planè vitæ famam diffudit, Cùmque interim exemplares hos Clericos habendi desiderio flagrans Neapolitana Civitas, interpositâ ejusdem Clementis VII. Prædecessoris auctoritate id egisset, ut illuc migrare, ac domicilium figere per obedientiam arctarentur, profectioni, & muneri Cajetanus eligitur, ac novæ illius Domus Præpositus posteà pronunciatur.

Virtutes ejus summatim enumerantur.

§. 8. Porrò ut tanti viri virtutes egregiæ innotescant, præstat eas ultrà superiùs delibatas summatim percurrere, quo per viam salutis incedentibus esse valeant exemplo; Eâ in primis Divinæ Charitatis flammâ, quam jamdudùm in præfato Divini amoris sodalitio conceperat, æstuabat, ut intrà pectoris sinum contineri cor ejus non sustineret; Hinc juges lacrymæ, suspiria, gemitus, extases, tanti ardoris indicia. Hinc ut omnes eâdem flammâ succenderet, discurrebat huc illuc in similitudinem fulguris coruscantis, atque ut amicum Præsulem ob negotiorum copiam, quibus distinebatur, Sacrum quotidiè facere omittentem moneret, Romam advolat, vel æstuante Caniculâ, pioque officio functus Neapolim illicò rediit.

Charitas.

Catholicæ fidei Zelus.

§. 9. Catholicæ Fidei Zelo, & ad hæreticorum confusionem Ordinem Clericorum Regularium instituit, ac plurima hæresium monstra, eorumque latebras sedulâ Inquisitione non semel detexit ac profligavit, ejusdemque Fidei ardore absumptus creditur interiisse, cum Tridentinam Synodum à cœptis desistere, & ulteriùs non progredi tunc videret.

Orationis assiduitas.

§. 10. Orationi ita addictus erat, ut quidquid à domesticis negotiis, atque animarum procurandâ salute temporis, aut otii superesset orationi, & meditationi daret, manè matutinas preces maturiùs antevertens, ac vespere ad multam noctem orans, ante Aram maximam elevatâ in Deum mente transigeret, Divinam rem facturus, totus in lacrymas effundebatur, seque eo ministerio indignum reputans, Magnæ Matris, cujus erat obsequentissimus, opem implorabat, ut vivificum Agnum eâ quâ decebat devotione susciperet, concipiens dulcissimo quodam mentis obtutu, adesse inibi Deiparam, quæ Lectissimum Filium pronâ, ac munificâ manu porrigeret.

Sanctorum Patrum æstimatio.

§. 11. Inter Sanctos, quos Patronos ob specialem cujusque prærogativam, atque ad imitandum sibi proposuerat, majori colebat affectu, in primus Petrum Apostolorum Principem, ceu suæ Congregationis Patrem, & Antesignanum, cui propterea ex sui præscripto nominatim vota solemnia à Clericis Regularibus nuncupantur, Andream item Apostolum, & Lucam Evangelistam ob ardens in eisdem desiderium Crucis, cujus tesserâ voluit suum Ordinem insigniri. Franciscum etiam Assisinatem ob idem Crucis consortium, atque ob paupertatis amorem præcipuo quodam cultu venerabatur.

Spes & in Deo fiducia.

§. 12. Spe in Deum erectâ sollicitudinem omnem projiciebat in eum, ut propterea unicam hanc in Deo fiduciam Ordini suo pro latifundio dederit to, tusque erat in Regni Cœlestis inquisitione, animarum sollicitudine, verbi Dei prædicatione, Sacramentorum sedulâ administratione, Divini cultus nitore, exactâque sacrorum rituum observantiâ, quarum quidem rerum peculiare studium suis demandavit, & ejusdem Clementis VII. Prædecessoris jussu Breviarii Romani reformationem, unà cum præfato, tunc in minoribus constituto Joanne Petro

Carafa ſodali ſuo aggreſſus eſt, quæ poſteà novis curis abſoluta in Romano Breviario vulgata eſt.

Corporis mortificatio.

§. 13. Corpus afflictando integras quandoque noctes inſumebat, ferreâ catenâ, & flagris illud diverberando, cibus illi vulgaris, & parcus, ac ſæpiſſimè ſolius panis, & aqua, ſomnus brevis & in ſtramentitiâ culcitrâ, cujus decubitum etiam in ultima ægritudine ad extremum uſque ſuſtinuit, tametſi Medicus in illa decumbentem nimium laborare advertens, adniſus fuiſſet, ut aliam molliorem admitteret; cui Cajetanus: Mene inquit tàm molliter emori, atqui in cinere, & cilicio mori debeo, & volo.

Modeſtia, caſtitas & erecta Neapoli Cœnobia.

§. 14. Oculos, & linguam ita compeſcuit, ut integros dies ſilentio præteriret, & illos ſemper humi defixos teneret; nec ullis unquàm illecebris potuit animus ejus vinci, aut curioſitate molliri; Quò factum eſt, ut ſi quando prænobiles Matronæ eum alloqui vellent, propè accedere non auderent, nî omni fœmineo cultu ſepoſito, exteriorem corporis habitum ad Chriſtianæ humilitatis, ac modeſtiæ leges componerent; Quippe Angelicam ejus puritatem, gravitatem, ac modeſtiam oris reverebantur; itaque ſingulare in eo fuit, ut adventantes mirè raperet ad virginitatis amorem, ac cælibem in Cœnobiis vitam capeſſendam. Quique à diuturnis, & inveteratis carnalium cogitationum ſtimulis vexabantur, ab illis ſe protinùs liberos agnoſcebant, ubi primùm Dei Servo ſe commendare ex corde agreſſi ſunt, aut ejus alloquio vel præſentiâ frui conceſſum erat. Quarè tria mulierum Monaſteria Neapoli excitavit; Alterum Sacrarum Virginum ſub arctiſſimâ Cappucinorum Regulâ; Alterum Fœminarum, quæ pudicitiæ jacturam aliquando paſſæ ad portum ſalutis per pœnitentiam poſt naufragium confugiebant, & tertium Monialium S. Mariæ de Sapientiâ nuncupatum Inſtitutrice Maria Carafæ præfati Pauli Prædeceſſoris Sorore, à quo illius regimen Servo Dei, ejuſque Ordini peculiari jure commiſſum fuit.

Humilitas & abnegatio ſui.

§. 15. Humilitate, demiſſione animi, ac viliſſimâ ſui æſtimatione inſignis Fratres & Agnatos qui magno cum comitatu & pompâ Neapolim ad ipſum inviſendum perrexerant, ne alloqui, aut de vultu quidem excipere voluit, quippe qui ob Chriſti amorem mundo, & pompis ejus jamductùm valedixiſſet, non alio nomine, aut titulo ſe epiſtolis obſignabat, quàm Cajetani Presbyteri miſeri peccatoris; abjectiſſima quæque miniſteria, vel in ſeculo degens capeſſivit, & quamvis primus Ordinis parens foret, ejus tamen regimen aſſumere non eſt paſſus, ſed memorato tunc in minoribus conſtituto Joanni Petro Carafæ illud ceſſit. Defectus corporis ad confuſionem pandebat, animi vero dotes, atque à Deo accepta dona pro viribus occultabat. Quod ſi quando charitate extimulante quicquam rarum, vel inſolitum ſuis à Deo precibus impetraret, Sanctorum potiùs interceſſionibus, vel lipſanis, aut orationis virtuti tribuebat.

Conſummatum virtutis ſpeculum.

§. 16. Denique obedientia, paupertate, moderatione animi in adverſis, providentia, cæteriſque virtutibus ita eluxit, ut conſtans fuerit multorum opinio, illum ſublimioris Sanctitatis gradum attigiſſe, & conſuetas metas prætervolaſſe.

Cauſa mortis.

§. 17. Quibus virtutibus cumulatus, ac laboribus, vigiliis, ærumnis, jugique ſui corporis excruciatione fractus, multoque magis morbo & animi mœrore correptus, quòd actâ per eos dies in ſeditionem plebe graviter Deum offendi cerneret, quòdque Tridentinum Concilium, in quo maximè fidebat, interruptum videret, ſpe ſua fruſtratus, & ad extremum uſque, integris tamen ſenſibus, & vigore animi perductus, Eccleſiæ Sacramentis ſummâ pietate, ac ſpirituali gaudio refectus, & veniam à Confratribus ſuis, quos nunquam offenderat, deprecatus, in Crucifixi Redemptoris complexu piiſſimè obiit Neapoli die ſeptimâ Auguſti 1647. Qua die populares illi tumultus ipſius interceſſione, ut creditur, ſedati ſunt.

Sanctitatis & miraculorum poſt mortem fama.

§. 18. Ad Corporis in Eccleſia omnium votis, & ſolatio expoſiti venerationem ingens populi multitudo confluxit, quæ jamdiu conceptam ſanctitatis opinionem multiplici teſtabatur veneratione, manum, pedumque deoſculatione ac lacrymis, quas optimi apud Deum Interceſſoris jactura ultrò erumpentes trahebat. Fama itaque Sanctitatis, quæ in vita invaluerat, glorioſiùs, & longè, latèque poſt obitum diffuſa mirum in modum percrebuit, non traditione ſolùm, memoriâ ejus ſingularium virtutum, ſed excellentiâ miraculorum, ſignorum & gratiarum, quibus in vita, & poſt mortem mirificavit Dominus Sanctum ſuum. Cujuſdam enim ex Religioſis Beati Inſtituto addictis crus alterum ex gravi lapſu ſic fuerat effractum, ut Medicus qui adhibita varia remediorum genera nihil proficere noverat, extremum illius ſecandi conſilium iniiſſet, ſed cùm Beatus Vir ut in poſterum diem ſectio differretur rogaſſet, noctu decumbentem adit, ac faſciis detractis in genua procidens, ægrum, ut unà ſecum orationi operam daret, admonuit, eâque breviter abſolutâ, ſigno Crucis vulnus ſignavit, & oſculatus eſt, & illo rursùs obligato diſceſſit. Reverſus manè Medicus interrogatum ægrum doloris omnis expertem audivit, & luxatum crus, ſolutis faſciis perinde integrum reperit ſolidumque, ac ſi nunquàm afflictum, fractumque fuiſſet, vix tanti vulneris remanente veſtigio.

Comes Georgius Trivultius viginti dierum febri eò fuerat adductus, ut nec cibum, nec aliud quidpiam, quod reficiendæ naturæ ingereretur, retinere minùſque deglutire valeret, pulſuque amiſſo à Medicis morti proximus fuerat proclamatus, ſed ab uxore Beato Cajetano commendatus parùm juſculi ſuſcepit, retinuitque, & poſt breviſſimam quietem à febre & morbo convaluit incolumis.

Helena Gritta Nobilis Veneta per duos ferè menſes febri continua, magniſque angoribus oppreſſa, jacebat immobilis, deficiente loquelâ, ac prorsùs deſperatâ à Medicis ſalute, ſed intimo cordis affectu ope Cajetani imploratâ membrorum vigori, & ſanitati ſtatim reſtituitur.

Petrus Francus, qui articulari ſiniſtri brachii dolore moleſtiſſimo decem annos laboraverat, quadam die vehementiùs ſolito excruciatus ad Eccleſiam Clericorum Regularium confugit, ibique ante Beati imaginem enixas preces effudit, nec mora, ſedatur decumanus dolor, & brachium priſtina ſanitate donatur.

Franciſcus Virga Mediolanenſis lethali febre decumbens, mortique proximus, admonitus fuit, ut Cajetani opem imploraret, quod ubi peregit, propulſari, propellique vi quadam à tergo ſenſit, ut è lecto exiliret, paruit impulſui ſurrexitque, nullâ morâ incolumis, ac ſi nunquam decubuiſſet.

Duodecim annos comitiali morbo laboraverat Vienna Muſca Vicentina, eâ quidam vi, ut viginti quatuor horarum ſpatio vel ter miſerabiliter caderet, & miſerabilius binas ternaſque horas ſingulis vicibus, ſenſibus deſtitura jaceret. Vovit Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam ante Imaginem Beati ſe quotidiè recitaturam, votum excepit illicò ſalus, at die quâdam poſt duos menſes oblita votum perſolvere, rediit illicò morbus, ſed iterum faceſſit, cùm ampliùs memoriâ non exciderit: datam fidem liberare.

Catharina Buranella Veneta tres annos excruciata fuerat peſſimo quodam ulcere in ſuperiori parte palati, carne ad nares uſque perforatâ, adeò ut cùm miſera biberet, vinum per nares excurreret; invocatâ ex corde ope Cajetani, ejuſque imagine naribus, & corrupto ori admotâ, ſomnum cœpit, ac manè experrecta, omni ſe morbo liberam invenit.

Dignamerita Catotia Veneta, quæ tredecim annos aquâ intercute laboraverat, vehementi cruciatu correpta, & ceu ſibi forent oſſa comminuta, ſeu luxata, nullo modo moliri ſe valens, invocato quâdam nocte Beato Thienæo, qui ſibi radiis circumfuſus apparuerat, repente ſurrexit, omni levata dolore, & integræ incolumitati reſtituta.

Juliam Crottam puellulam Mediolanenſem invaſe-

rat,

rat. & miserandum in modum vexabat malignus spiritus, qui exorcismis jussus abscedere se in Ecclesiâ Sancti Antonii ante Imaginem Beati Cajetani abiturum respondit, quò cum fuisset perducta puella, malignus spiritus edito à parentibus voto exire adactus concussam illam, penèque exanimem, prout in sui discessus indicium futurumprænunciaverat, ter Beatum nominans reliquit.

Urbani VIII. circà ejus Canonizationem dispositiones.

§. 19. Hinc Sanctitatis famâ juxtà, ac populorum devotione in dies ubique percrebescentibus cùm opportuni processus Apostolicâ auctoritate confecti, ac post eorundem relationem piæ memoriæ Urbano Papæ VIII. similiter Prædecessori Nostro à tribus causarum Palatii Apostolici Auditoribus factam in Congregatione tunc Sacris Ritibus præpositorum S. R. E. Cardinalium de ejusdem Urbani Prædecessoris mandato, citato etiam & audito Promotore Fidei, ad relationem bonæ mem. Antonii tunc Sanctæ Mariæ in Aguiro Diaconi Cardinalis Barberini nuncupati per plures sessiones acerrimè discussi fuissent, & cognito primùm super validitate dictorum processuum, deindè super virtutibus heroïcis, & demùm super miraculis in vitâ & post mortem dicti servi Dei ab Altissimo patratis, iidem Cardinales unanimi consensu decrevissent, tutò posse, quandocunque Romano Pontifici placuisset, ad solemnem Canonizationem præfati servi Dei deveniri, ac pro parte clar. mem. Ferdinandi II. tunc Romanorum Regis in Imperatorem electi, & Ludovici XIII. tunc Francorum Regis Christianissimi nec non tunc in humanis agentis Ducis, & Reipublicæ Venetorum, aliorumque Christianorum Principum, ac etiam tunc existentis Præpositi Generalis, & Congregationis Clericorum Regularium Theatinorum nuncupatorum, fuisset eidem Urbano Prædecessori humiliter supplicatum, ut interim donec ad solemnem illius Canonizationem deveniretur, idem servus Dei Cajetanus Thienæus Beatus nuncupari, atque Officium, & Missa de eo ut infrà celebrari valeret: Idem Urbanus Prædecessor piis præfatorum votis hujusmodi & supplicationibus annuens de eorundem Cardinalium Consilio, ut ipse Dei Servus in posterum Beatus nuncupari, atque ab omnibus Clericis Regularibus ubique existentibus Officium de Communi Confessoris non Pontificis in die ejus obitus recitari, & Missa celebrari, juxtà Breviarii, & Missalis Romani Rubricas, etiam per Sacerdotes Regulares, & Seculares ad eorum Ecclesias confluentes, in Civitate verò Vicentiâ ubi natus fuerat, & Neapolitanâ, ubi Sacrum ejus corpus requiescit, in omnibus Ecclesiis, tàm Secularium, quàm Regularium Missa, & Officium, ut suprà celebrari, & recitari valeret, ac pro tunc decurrente anno dicti Præpositus Generalis, & Clerici solemnem Beatificationem cum Officio, & Missâ in die eis benevisâ hic Romæ in Ecclesiâ B. Andreæ de Valle, nec non alii ad illam confluentes celebrare liberè, & licitè possent, per suas in formâ Brevis desuper die 7. Octobris 1629. expeditas Litteras, licentiam, & facultatem concessit.

Miraculorum quædam sub Clemente X. à Cardinalium Congregatione discussa & approbata, & Canonizatio decreta.

§. 20. Verùm editis deinde novis Decretis ejusdem Urbani Prædecessoris, siluit Causa, donec super ejus reassumptione à fel. rec. Innocentio Papa X. etiam Prædecessore Nostro signata fuisset commissio, confectisque novis Processibus super iis, quæ post indultam venerationem supervenerant, prævià memoratæ Congregationis declaratione emissâ die 29. Novembris 1658. quod de percrebescentiâ famæ, venerationis, & cultus ergà præfatum Beatum virum concludenter constabat; In Congregatione coràm eodem Clemente X. Prædecessore die 11. Novembris 1670. habitâ, referente B. M. Federico, nunc Tituli S. Petri ad vincula Presbytero, Cardinali Sfortia nuncupato, idem Clemens Prædecessor de Venerabilium Fratrum Nostrum, tunc suorum, S. R. E. Cardinalium, iisdem Sacris Ritibus præpositorum consilio de præfatorum processuum relevantiâ constare pronunciavit, & ex novem tunc propositis, & discussis miraculis, tria tanquam concludentissimè probata, & suprà naturæ creatæ vires patrata approbavit.

Primum siquidem: Processus Licien sis sanationis Franciscæ de Core à Cancro exorto in volâ manus sinistræ mox exulcerato, gangrenâ invaso, & in sphacelum converso cum brachii, & partium cordi adjacentium infestatione, nil prorsùs juvantibus humanis remediis, frustulorumque putridæ carnis, indè factâ erosione ponderis unciarum quinque, absque ullo infirmæ dolore, ita ut Chirurgus sequenti manè vellet ei manum abscindere, & brachium ustione curare, sed præcedenti nocte, unctâ manu oleo Lampadis Beati Cajetani, cui sese toto corde commendaverat, postmodùm se sanam, & incolumem, manumque jam emortuam, & fœtentem, vivificatam, absque ullo cicatricis signo comperiit, non absque omnium admiratione.

Secundum; quod est quartum ex eodem Processu, Josephi Aiello, qui cum quatuordecim annorum spatio laborasset Cancro exulcerato, Lupa nuncupato, & sinistrâ coxendicis parte posteriori, qui tribus digitis distans à genu incipiebat, & ad inguinem extendebatur, quatuor digitis in latitudinem progrediens, & tribus in profunditatem, carnem ipsam erodens & depascens, putridus insuper, ac fœtens, invocatâ ope Beati, unctâque coxendice oleo Lampadis ante ipsius aram ardentis, sanus, & incolumis visus fuit absque ullo cicatricis vestigio, pelle siquidem extensâ, & æquatâ, naturali insuper colore præditâ, ac si tali morbo nunquam invasus fuisset.

Tertium denique, quòd est primum Processus Romani, Nicolai Filii Ducis Gasparis Caffarelli, qui febri malignâ correptus, convulsione cum intensione, & extensione manuum, pedum, & trunci totius corporis instar sirenis thoracis musculis convulsis, absque loquelâ, aliisque infirmitatibus, & symptomatibus lethalibus oppressus, viribus consumptis, & à Medicis proclamatus, veluti eâdemmet nocte, vigesimâ nonâ suæ infirmitatis moriturus. Emisso tandem voto dicto Beato, qui illi radiis, & splendoribus circumfusus apparuit, statim, & in continenti sanus, incolumis, & robustus compertus est; cum omnimodâ virium recuperatione, æquè, ac si hujusmodi morbis nunquàm laborasset, Medicis, cæterisque illud admirantibus, & Deum mirabilem in servo suo collaudantibus. Quapropter eadem Congregatio accitis iterùm Consultoribus censuit unanimi voto, sic annuente eodem Clemente Prædecessore, posse quandocunque ad solemnem dicti Beati Canonizationem juxtà ritum dictæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ac Sacrorum Canonum Decreta tutò deveniri, eumque cum Deo regnantem definiri, Universali Ecclesiæ colendum, & venerandum proponi.

Quæ à Clemente quoque X. ad instantium preces confirmata.

§. 21. Accedentibus itaque Charissimorum in Christo Filiorum Nostrorum, tunc Suorum, Leopoldi Romanorum Regis in Imperatorum electi, Caroli Hispaniarum Regis Catholici, & Marianæ Reginæ Viduæ ejus matris, nec non tunc in humanis agentis Ducis, & Reipublicæ Venetorum, ac B. M. Ferdinandi Mariæ, dùm vixit utriusque Bavariæ Ducis, Sacri Romani Imperii Principis Electoris, & Adelaidis ejus conjugis, aliorumque Principum Christianorum, nec non tunc existentis Præpositi Generalis Clericorum Regularium nomine totius Ordinis, ac demum Civitatis Neapolitanæ precibus, postquàm præfatus B. M. Antonius tunc Episcopus Prænestinus Cardinalis Barberinus nuncupatus, vice fim. mem. Martii Episcopi Portuensis Cardinalis Ginetti nuncupati, memoratæ Congregationis Præfecti, morbo tunc detenti, summam Processus, suamque, & aliorum suorum Collegarum d. S. R. E. Cardinalium Sacr. Ritibus præpositorum sententiam, cui cæteri in eodem Consistorio præsentes Cardinales unanimi adhæserunt suffragio, retulerat, & in sequenti publico Consistorio, quo præter Cardinales præfatos, etiam supradicti Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi in Urbe commorantes, ac Dilecti Filii

Romanæ Curiæ Prælati, ipsiusque Clementis Prædecessoris familiares convenerant, Dilectus etiam Filius Magister Marcellus Severolus Nostræ, tunc Suæ Consistorialis Aulæ Advocatus de Beati Viri vitâ, virtutibus, & miraculis dixerat, ac præfatorum Leopoldi Romanorum Regis in Imperatorem electi, Caroli Hispaniarum Regis Catholici, tunc in humanis agentis, Ducis, & Reipublicæ Venetorum, & Ordinis Clericorum Regularium supplices preces instauraverat, idem Clemens Prædecessor ejusmodi preces perlibenter excepit, quibus supremi Sanctitatis honores Beato Viro expetebantur, & sicut gavisus summoperè fuit excitatum eidem triumphum animadvertere in obsequiis Principum, & in veneratione Populorum, ita jure merito fore confidit, ut imitari non pigeret, quem celebrare delectabat.

Præviæ Divinæ voluntatis exploratio

§. 22. Quia tamen in maximi momenti negotio illius erat exploranda voluntas, qui Sanctorum Principatum tenet, omnes idcircò, & singulos hortatus fuit ex animo, ut precationibus, jejuniis, eleemosynis cæterisque eximiæ pietatis operibus difficillimam illam ad investigationem auxilium eidem de Sancto comparare contenderent, sinè quo impervia sunt mortalium oculis consilia Divinitatis, quin etiam sententiam præfatorum Venerabilium Fratrum Nostrorum, tunc Suorum, S. R. E. Cardinalium, nec non Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum omnium tunc in Urbe commorantium, ad rem in terris cœlestem consultissimè decernendam exquisivit, qui in sequenti Consistorio semipublico ad hunc effectum indicto, præsentibus etiam Nostris, tunc Suis, & Sedis Apostolicæ Notariis, & Causarum Palatii Apostolici Auditoribus ex iis, quæ ab eo proposita, & ex processu relata fuerunt, ad solemnem Canonizationem Beati Cajetani posse procedi, publicis suffragiis censuerunt.

Canonizatio tandem solemniter die ad id designatâ facta est.

§. 23. Quorum unanimi sensu audito, cùm nihil aliud desideraretur eorum, quæ ex Sanctorum Patrum auctoritate, Sacrorum Canonum Institutis, præfatæ S. R. E. consuetudine, ac novorum Decretorum præscripto agenda, & observanda erant, idem Clemens Prædecessor aperiens os suum in Benedictione, & gratias agens Divinæ clementiæ, quod tantam suo servo gratiam contulisset, solemni illius Canonizationi peragendæ Dominicam secundam post Pascha, nempè duodecimam diem tunc immediatè sequentis mensis Aprilis anni reparatæ Salutis millesimi sexcentesimi septuagesimi primi, ac primi Pontificatus Sui, designavit. Quâ adveniente in Sacrosanctâ B. Petri Apostolorum Principis Basilicâ, quo solemni ritu, cum Venerabilibus Fratribus Nostris, tunc Suis, ejusdem S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, & Dilectis Filiis dictæ Romanæ Curiæ Prælatis Officialibus, & familiaribus suis, Clero Seculari, & Regulari, ac maximâ Populi frequentiâ manè convenerat, iteratis primò, secundò, & tertiò pro Canonizationis Decreto instantiis per Venerabilem Fratrem Nostrum Palutium Episcopum Sabinen. tunc Basilicæ XII. Apostolorum Presbyterum Cardinalem de Alteriis nuncupatum, nomine præfatorum Leopoldi Romanorum Regis in Imperatorem electi, Caroli Hispaniarum Regis Catholici, & tunc existentis Ducis, & Reipublicæ Venetorum post Sacros Hymnos, litanias, aliasque preces, ac post Spiritus Sancti gratiam ritè imploratam; Ad honorem Sanctæ, & Individuæ Trinitatis, ad exaltationem Fidei Catholicæ, & Christianæ Religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri Jesu Christi, Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli ac suâ maturâ deliberatione præhabitâ, & Divinâ ope sæpiùs imploratâ, ac de præfatorum S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum tunc in Urbe existentium consilio, Beatum Cajetanum unà cum Beatis Francisco Borgia, Philippo Benitio, Ludovico Bertrando, & Rosa de Sanctâ Mariâ Sanctum esse decrevit, & definivit, ac Sanctorum Catalogo adscripsit, statuens ab Ecclesiâ Universali quolibet anno die septimâ Augusti memoriam ejusdem inter Sanctos Confessores non Pontifices recoli debere, In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen.

Post Canonizationem per actam Indulgentia fidelibus elargita.

§. 24. His peractis Deum Patrem Æternum, Regemque gloriæ Christum Dominum Patris Sempiternum Filium, ac Sanctum Paracletum Spiritum, unum Deum, unumque Dominum laudibus, & confessionibus veneratus, Sacroque Hymno Te Deum solemniter decantato, peculiari Oratione etiam per Beati Cajetani merita precatus fuit, atque Missam ad altare Beati Petri Apostolicum ejusdem Beati Cajetani commemoratione celebravit, omnibusque Christi fidelibus inibi præsentibus plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem concessit. Visitantibus autem quotannis in die festo ejusdem Sancti Cajetani Sepulchrum in quo ejus corpus requiescit, septem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, aut aliàs quomodòlibet debitis pœnitentiis, misericorditer in Domino relaxavit in formâ Ecclesiæ consuetâ.

Confirmatio Decretorum super hâc re Clementis X.

§. 25. Ne autem de Decreto, definitione, adscriptione, Statuto, concessione, relaxatione, aliisque præmissis ex eo quod super illis ipsius Clementis Prædecessoris Litteræ confectæ non fuerint, valeat quomodolibet hæsitari; Volumus, & Apostolicâ auctoritate decernimus, quod Decretum, definitio, adscriptio, Statutum, concessio, relaxatio, aliaque præmissa à dictâ die duodecima Aprilis anni 1671. suum consequantur effectum, ac si super illis ipsius Clementis Prædecessoris Litteræ sub Datum ejusdem Diei confectæ fuissent, prout superiùs enarratur. Quòdque præsentes Litteræ ad probandum plenè Decretum, definitionem, descriptionem, Statutum, concessionem, & relaxationem, aliaque præmissa ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

Transsumptorum fides.

§. 26. Cæterùm quia difficile foret præsentes Nostras Litteras ad singula loca, ubi opus esset, deferri, volumus, ut earum exemplis etiam impressis, manu publici Notarii subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Sanctio pœnalis.

§. 27. Nulli ergò omninò hominum liceat paginam hanc Nostrarum voluntatis, & Decreti infringere, eique ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverint incursurum.

Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo nonagesimo primo, Idibus Julii Pontificatus Nostri Anno Primo.

D. 25. Julii 1691. P.A. Primo.

† Ego INNOCENTIUS Catholicæ Ecclesiæ Episcopus &c.



Ego Alderanus Episcopus Ostiensis Cardinalis Cybo.

Ego Flavius Episcopus Portuen. Cardinalis Chisius.

Ego Jacobus Episcopus Tusculan. Card. Fransonus.

Ego

Ego Palutius Episcopus Sabinensis Card. de Alteriis S. R. E. Camerarius.
Ego F. Tit. S. Mariæ in Viâ Presbyter Card. Maidalchinus.
Ego Carolus Tit. S. S. Laurentii in Lucina Presb. Card. Barbarinus.
Ego Nicolaus Tit. S. Calixti Presb. Card. Acciaiolus.
Ego Gaspar Tit. S. Mariæ Transtyberim Pres. Card. Carpineus.
Ego Cæsar Tit. Sanctissimæ Trinitatis in M. Pincio Presb. Card. d'Estrées.
Ego Franciscus Tit. S. Matthæi in Merulana Presb. Card. Nerlius.
Ego Hieronymus Tit. S. Silvestri in Capite Presb. Card. Casanate.
Ego Galeaius Tit. S S. Quirici & Julittæ Presb. Card. Marescottus.
Ego Fabritius Tit. S. Chrysogoni Presb. Card. Spada.
Ego P. Thomas Houardus Tit. S. Mariæ super Minervâ Presb. Card. de Norfolcia.
Ego Jo. Baptista Tit. S. Cæciliæ Presb. Card. Spinola.
Ego Savus Tit. S. Petri in Vincula Presb. Card. Millinus.
Ego Fr. Laurentius Basilicæ XII. Apostolorum S. Card. de Laura.
Ego Jacobus Tit. S. Mariæ de Aracœli Presb. Card. de Angelis.
Ego Joannes Tit. S. Petri in Monte aureo Presbyter Cardinalis de Gœssen.
Ego P. M. Tit. S. Marcelli Presb. Card. Petruccius.
Ego Joseph Saens Tit. S. Balbinæ Presb. Card. de Aguirre.
Ego Leander Tit. S S. Nerei, & Achillei P. Card. Colloredus M. Pœnitentiarius.
Ego F. Tit. S S. Joannis & Pauli Presb. Card. Carafa.
Ego Bandinus Tit. S. Thomæ in Parione P. Card. Panciaticus.
Ego F. Tit. S. Clementis Presb. Card. de Abdua.
Ego Tussanus Tit. S. Agnetis extrà mœnia P. Card. de Janson de Fourbin.
Ego Jo. Bapt. Tit. S. Laurentii in pane, & perna P. Card. Rubinus.
Ego Jo. Baptista Tit. S. Bernardi Presb. Card. Costagutus.
Ego Fulvius S S. Cosmæ, & Damiani Diaconus Card. Astallius.
Ego Petrus S. Laurentii in Damaso Card. Diaconus Ottobonus S. R. E. Vicecancellarius.
Ego Carolus S. Mariæ in Cosmedin. Diaconus Card. Bichius.
Ego Aloysius S. Mariæ in Porticu Diaconus Card. Homodeus.
Ego Jo. Franciscus S. Adriani Diaconus Card. Albanus.
Ego Franciscus S. Angeli in foro Piscium Dia. Card. Barbarinus.
Ego Laurentius S. Mariæ in Aquiro Diaconus Card. de Alteriis.

Loco † plumbi

B. Card. Prodatarius

J. Franciscus Card. Albanus

Visa de Curia J. Sacripantes.

D. Ciampinus.

Registrata in Secretaria Brevium.

V. Statutum, ut Dieta intermedia Congregationis Cassinen. Ordinis S. Benedicti biennio post celebrationem Capituli Generalis ejusdem Congregationis haberi debeat.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Narrat dispositiones Prædecessoris de Dietis sexquiennalibus.

§. 1. ALiàs postquam fel. rec. Innocentius Papa XI. Prædecessor Noster ad evitandas expensas, ac itinerum incommoda, quibus Congregatio Cassinen. Ordinis S. Benedicti ejusque Monasteria, & personæ propter nimiùm frequentes Capitulorum Generalium, & Dietarum intermediarum celebrationes gravabantur, per quasdam suas in simili formâ Brevis die 9. Septembris 1690. expeditas Litteras, ut in posterum tàm Capitulum Generale, quàm Dieta intermedia præfatæ Congregationis nonnisi de triennio in triennium ab inde proximè futuro Capitulo Generali, quod tertiâ Dominicâ post Pascha Resurrectionis Dominicæ anni tunc proximè venturi 1691. celebrandum erat, incipiendo celebraretur, ita scilicet, ut Dieta hujusmodi octodecim mensibus post celebrationem cujuscunque Capituli Generalis, pro rebus, & negotiis, quibus intereà consulendum fuisset, ante tamen Festum Circumcisionis Domini immediatè sequens, & non aliter haberi deberet, statuerat, & ordinaverat: Idem Innocentius Prædecessor nonnullas declarationes ad Regulam ejusdem S. Benedicti, ac Constitutiones dictæ Congregationis, in quibus id ipsum inter cætera decretum fuerat, Apostolicâ auctoritate confirmavit, & apprabavit, & aliàs prout in ipsius Innocentii Prædecessoris Litteris itidem in forma Brevis die 22. Novembris 1680. desuper emanatis, quarum, & primodictarum ejusdem Innocentii Prædecessoris Literarum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis haberi volumus, uberiùs continetur.

Considerantur incommoda hyemis, quâ Dieta celebratur.

§. 2. Cùm autem, sicut Dilectus Filius Procurator Generalis præfatæ Congregationis Cassinen. Nobis nuper exponi fecit, Capitulum generale dictæ Congregationis novissimè, nempè mense Aprili 1690. Perusiæ celebratum tempus hyemale pro Dietæ intermediæ præfatæ celebratione Visitatoribus, qui eidem Dietæ interesse, nec non Abbatibus, ac Monachis, qui ab uno ad aliud Monasterium tunc temporis transmigrare debent, valdè incommodum advertit, adeòque dicto Procuratori Generali mandaverit, ut ab S. Sede decerni curaret, quòd imposterùm Dieta supradicta duobus annis post celebrationem Capituli generalis, nempè tertiâ Dominicâ post Pascha Resurrectionis Dominicæ celebrari possit. Nobis propteaeà idem Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunè providere, & ut infrà indulgere de benignitate Apostolicâ dignaremur.

Dispositiva pro Dietis post biennium.

§. 3. Nos igitur specialem ipsi Procuratori Generali gratiam facere volentes, eumque à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quàvis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodòlibet innodatus existit, ad effectum præsentium tantùm consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ut de cætero Dieta intermedia præfatæ Congregationis Cassinen. duobus annis post celebrationem cujuscumque Capituli generalis, nempè tertiâ Dominicâ post Pascha Resurrectionis Dominicæ à proximè venturo anno 1692. incipiendo, atque ita perpetuis futuris temporibus continuando, & non aliter, haberi debeat, auctoritate Apostolicâ tenore præsentium statuimus, & ordinamus.

Decreta pro firmitate.

§. 4. Decernentes easdem præsentes Litteras, & in eis contenta quæcumque semper firma, valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secùs super his à quo-

quam

quam quâvis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatur contrariis.

§. 5. Non obstantibus præfatis Innocentii Prædecessoris Litteris, aliisque Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non, quatenùs opus sit, Congregationis, & Ordinis præfatorum, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, aut quavis firmitate aliâ roboratis Statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hâc vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides transsumptorum.

§. 6. Volumus autem, ut earumdem præsentium Litterarum transsumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiasticâ Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsùs fides habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 18. Julii 1691. Pontificatus Nostri Anno Primo.

D. 18. Julii 1691. P. A. Primo.

VI. Regulæ, Ordinationes, & Constitutiones Cancellariæ Apostolicæ SS. D. N. INNOCENTII Divinâ Providentiâ PP. XII.

SAnctissimus in Christo Pater, & D. N. D. Innocentius Divinâ Providentiâ Papa XII. suorum Prædecessorum vestigiis inhærendo, normam, & ordinem rebus gerendis dare volens, in crastinum suæ Assumptionis ad summi Apostolatus apicem, videlicet, die tertiâ decimâ mensis Julii Anno ab Incarnatione Domini millesimo sexcentesimo nonagesimo primo Reservationes, Constitutiones, & Regulas infrascriptas fecit, quas etiam ex tunc, licet nondùm publicatas, & suo tempore duraturas observari voluit, ac quas Nos Petrus S. Laurentii in Damaso Cardinalis Ottobonus S. R. E. Vicecancellarius die vigesimâ primâ ejusdam mensis in Cancellariâ Apostolica publicari fecimus.

Reservationes Generales, & Speciales.

I. In primis fecit easdem Reservationes, quæ in Constitutione fel. recordationis Benedicti PP. XII. quæ incipit, Ad Regimen, continentur, & illas innovavit, ac locum habere voluit, etiamsi Officiales in eâdem Constitutione expressi Apostolicæ Sedis Officiales ante obitum eorum esse desierint, quoad Beneficia, quæ tempore, quo Officiales erant, obtinebant. Declarans nihilominùs Beneficia, quæ dictæ Sedis Officiales, qui ratione Officiorum suorum hujusmodi ejusdem Sedis Notarii erant, etiam dimissis ipsis Officiis, & quandocunque assecuti fuerint, sub hujusmodi reservationibus comprehendi. Ac reservavit Beneficia, quæ per Constitutionem piæ mem. Joannis Papæ XXII. quæ incipit, Execrabilis, vacant, vel vacare contigerint. Quam Constitutionem, & Reservationem S. S. tàm ad Beneficia obtenta, quàm alia quæcumque, de quibus Ordinarii, & alii Collatores contrà Concilii Tridentini Decreta disposuerunt, & disponent in futurùm extendit, & ampliavit, & ea etiam Beneficia omnia dispositioni suæ reservavit, de quibus per dictos Ordinarios, aut alios Collatores contrà ejusdem Concilii Decretorum formam dispositum fuerit. Decernens, irritum. &c.

Reservatio Cathedralium Ecclesiarum, & Monasteriorum, ac de tempore vacationis Episcopatuum vacaturorum Beneficiorum.

II. Item reservavit generaliter omnes Ecclesias Patriarchales, Primatiales, Archiepiscopales, Episcopales, nec non omnia Monasteria Virorum, valorem annuum ducentorum florenorum auri communi æstimatione excedentia, nunc quomodocunque vacantia, & imposterùm vacatura. Et voluit, quod excessus hujusmodi in Litteris exprimatur. Ac etiam reservavit Dignitates, & Beneficia omnia ad collationem, præsentationem, electionem, & quamcumque aliam dispositionem Patriarcharum, Primatum, Archiepiscoporum, & Episcoporum, nec non Abbatum, ac aliorum quorumcunque Collatorum, & Collatricum, Secularium, & Regularium quomodolibet (non tamen ad collationem cum alio, vel aliis, aut etiam ad alterius præsentationem, vel electionem pertinentia) quæ post illarum obitum, aut Ecclesiarum seu Monasteriorum, vel aliarum dignitatum suarum dimissionem, seu amissionem, vel privationem, seu translationem, vel aliàs quomodocunque vacaverint, usque ad provisionem Successorum ad easdem Ecclesias, aut Monasteria, vel Dignitates Apostolicâ auctoritate faciendam, & adeptam ab eisdem Successoribus pacificam illorum possessionem quomodocunque vacaverint, & vacabunt in futurum. Decernens irritum, &c.

Extensio reservationis Beneficiorum per assecutionem pacificam vacaturorum.

III. Item, si qui de Beneficiis Ecclesiasticis, præsertim curam animarum habentibus, seu aliàs personalem residentiam requirentibus, dum pro tempore vacant, Apostolicâ auctoritate provisi, seu providendi, ante illorum assecutionem alia cum eisdem incompatibilia Beneficia Ecclesiastica, per eos tunc obtenta, in fraudem reservationis suæ resignarent, seu dimitterent, voluit, decrevit, & declaravit, quòd si imposterùm quibusvis personis de aliquibus Beneficiis Ecclesiasticis, tunc vacantibus, seu vacaturis per Sanctitatem Suam, aut ejus auctoritate provideri, ipsosque providendos intrà vacationis, & provisionis, seu assecutionis eorumdem Beneficiorum tempora, quæcunque alia cum illis incompatibilia Beneficia Ecclesiastica secularia, vel quorumvis Ordinum, ac etiam Hospitalium, Regularia per eos tunc obtenta, nullâ speciali, & expressâ de eisdem in provisionibus prædictis factâ mentione simpliciter, vel causâ permutationis, ac aliàs quomodòlibet, sivè in Sanctitatis Suæ, vel alterius Romani Pontificis pro tempore existentis, aut Legatorum, vel Nunciorum dictæ Sedis, sivè Ordinariorum, vel aliorum Collatorum quorumcunque manibus resignare, seu dimittere, aut juribus sibi in illis, vel ad illa competentibus concedere contigerit, omnes, & singulæ concessiones, collationes, provisiones, & quævis aliæ dispositiones, de Beneficiis, seu juribus sic resignandis, dimittendis, & cedendis pro tempore faciendæ, cum indè sequutis quibuscunque, cassæ, & irritæ, nulliusque roboris, vel momenti existant, nec cuiquam suffragentur, sed Beneficia, & jura, ut præfertur, resignata, dimissa, & cessa eo ipso vacent, ac sub reservatione prædictâ, quam Sanctitas Sua, etiam quoad hoc extendit, & ampliavit, comprehensa censeantur. Ita quòd de illis per alium, quam per eamdem Sanctitatem Suam, vel pro tempore existentem Romanum Pontificem nullatenùs disponi possit, in omnibus, & per omnia perindè, ac si per pacificam assecutionem Beneficiorum aliorum hujusmodi verè ac realiter vacavissent. Ac ulteriùs voluit Beneficium, de quo resignans fuerit auctoritate Apostolicâ provisus, ac per cujus assequutionem Beneficia vacare debebant, ut priùs vacare, perindè, ac si collatio favore resignantis facta non fuisset, salvis tamen quibuscunque juribus competentibus alteri parti, ad cujus favorem facta esset resignatio, etiam ex causâ permutationis, summariè, simpliciter, & appellatione remotâ exercendis. Decernens irritum &c. attentari.

Reservatio Dignitatum, nec non suorum & S. R. E. Cardinalium familiarium, Beneficiorum.

IV. Item reservavit generaliter dispositioni suæ omnes dignitates majores post Pontificales, in Cathedralibus, etiam Metropolitanis, & Patriarchalibus, nec valorem decem florenorum auri communi æstimatione excedentes principales in Collegiatis Ecclesiis. Reservavit etiam Prioratus, Præposituras; Præpositatus, ac alias Dignitates Conventuales, & Præceptorias Generales Ordinum quorumcunque (sed non Militarium,) ac quæcunque Beneficia: quæ sui, etiam dùm Cardinalatus fungebatur honore, existentes, ac S. R. E. viventium nunc & qui erunt pro tempore Cardinalium familiares, continui commensales obtinent, & imposterum obtinebunt eorum familiaritate durante, ac in quibus, seu ad quæ jus eis competit aut competierit, etiamsi ab ipsâ familiaritate per obitum Cardinalium eorumdem, vel aliàs recesserint. Declarans Dignitates, quæ in Cathedralibus, etiam Metropolitanis, post Pontificales non majores existunt, & quæ ex Apostolicæ Sedis Indulgentiâ, vel ordinariâ auctoritate, aut consuetudine præscripta, vel aliàs quovis modo in quibuscunque Collegiatis Ecclesiis principalem præeminentiam habere noscuntur, sub reservatione prædictâ comprehendi debere. Decernens irritum, &c.

Reservatio Beneficiorum Collectorum, & Subcollectorum.

V. Item reservavit generaliter omnia, & singula Beneficia Ecclesiastica quorumcunque Collectorum, & Unicorum in quâcunque Civitate vel Diœcesi, qui suo tempore Officia exercuerint, Subcollectorum fructuum, & proventuum Cameræ Apostolicæ debitorum, illa videlicet Beneficia dumtaxat, quæ durante eorum Officio obtinebant, & in quibus, seu ad quæ jus eis competebat. Decernens irritum, &c.

Reservatio Beneficiorum Curialium, dum Curia transfertur.

VI. Item reservavit omnia, & singula Beneficia Ecclesiastica quorumcunque Curialium, quos, dum Curia Romana de loco ad locum transfertur, eam sequendo decedere contigerit in quovis loco, quantumcunque etiam à dictâ Curiâ remoto. Decernens irritum, &c.

Reservatio Beneficiorum Cubiculariorum & Cursorum.

VII. Item reservavit generaliter idem D. N. PP. dispositioni suæ omnia Beneficia Cubiculariorum, etiam honoris nuncupatorum, ac Cursorum suorum, declarans in Prædecessorum Suorum Romanorum Pontificum Constitutionibus, & Regulis reservatoriis Beneficiorum Cubiculariorum, etiam Cubicularios honoris nuncupatos, etiam à die earum editionis, & publicationis intelligi, & comprehendi, ac comprehensos fuisse, & esse. Irritum, attentari decernens.

Reservatio Beneficiorum Ecclesiarum S. Joannis Lateranen. & S. Petri, ac Beatæ Mariæ Majoris de Urbe, & Beneficiorum titulorum Cardinalium à Curia absentium.

VIII. Item reservavit dispositioni suæ generaliter quoscunque Canonicatus, & Præbendas, ac Dignitates, Personatus, & Officia in S. Jo. Lateranensis, & Principis Apostolorum, ac Beatæ Mariæ Majoris de Urbe Ecclesiis, nec non ad collationem, provisionem, & præsentationem, seu quamvis aliam dispositionem S. R. E. Cardinalium à Romanâ Curiâ absentium ratione suorum Episcopatuum, Cardinalatus, ac ipsorum Cardinalium titulorum, & Diaconiarum spectantia, quamdiu absentia hujusmodi duraverit, Canonicatus, & Præbendas, Dignitates, Personatus, Administrationes, & Officia, cæteraque Beneficia Ecclesiastica cum curâ, & sine curâ vacantia, ac in anteà vacatura, tàm in eâdem Urbe, quàm in Ecclesiis, Civitatibus, ac Diœcesibus dictorum Episcopatuum consistentia, ac decrevit irritum &c.

Reservatio mensium Apostolicorum, & Alternativa pro Episcopis residentibus.

IX. Item cupiens SS. D. N. PP. pauperibus Clericis, & aliis benemeritis personis providere, omnia Beneficia Ecclesiastica cum curâ, & sine curâ, Secularia, & quorumvis Ordinum Regularia qualitercunque qualificata, & ubicunque existentia in singulis Januarii, Februarii, Aprilis, Maji, Julii, Augusti, Octobris, & Novembris mensibus, usque ad suæ voluntatis beneplacitum, extrà Romanam Curiam aliàs, quàm per resignationem quocunque modo vacatura, ad collationem, electionem, & quamvis aliam dispositionem quorumcunque Collatorum, & Collatricum Secularium, & quorumvis Ordinum Regularium (non tamen S. R. E. Cardinalium, aut aliorum sub Concordatis inter Sedem Apostolicam, & quoscunque alios initis, & per eos, qui illa acceptare, & observare debuerant acceptatis, & observatis, quæ lædere non intendit, comprehensorum) quomodolibet pertinentia, dispositioni suæ generaliter reservavit, Volens in supplicationibus, seu concessionibus gratiarum, quæ de dictis Beneficiis tunc vacantibus, etiam motu proprio fient, de mense, in quo vacaverint, dispositivè mentionem fieri; alioquin gratias nullas esse. Ac consuetudines, etiam immemorabiles optandi majores, & pinguiores Præbendas, nec non privilegia, etiam in limine erectionis concessa, & indulta Apostolica circà ea, ac etiam disponendi de hujusmodi Beneficiis, aut quòd illa sub hujusmodi reservationibus nunquàm comprehendantur, etiam cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, & fortioribus, efficacioribus, & insolitis clausulis, nec non irritantibus, & aliis Decretis, quorum tenores pro expressis haberi, & latissimè extendi voluit, quibusvis personis, & Collegiis, cujuscunque dignitatis, statûs, gradûs, Ordinis, & conditionis existentibus quomodolibet concessa, adversùs reservationem hujusmodi minimè suffragari. Insuper Sanctitas Sua ad gratificandum Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis intenta ipsis, quamdiù apud Ecclesias, aut Diœceses suas verè, & personaliter residerint, dumtaxat de omnibus, & quibuscunque Beneficiis Ecclesiasticis cum curâ, Secularibus (ad liberam ipsorum dumtaxat, non autem aliorum cum eis dispositionem, seu præsentationem, vel electionem, nec etiam cum consilio, vel consensu, seu interventu Capitulorum, vel aliorum, aut aliàs pertinentibus) quæ in anteà in mensibus Februarii, Aprilis, Junii, Augusti, Octobris, & Decembris extrà Curiam ipsam vacare contigerit (dummodò aliàs dispositioni Apostolicæ reservata, vel affecta non fuerint) liberè disponendi facultatem tempore sui Pontificatus tantùm duraturam concessit. Ac etiam voluit, ut si ipsi in collatione, aut aliâ dispositione Beneficiorum in aliis sex mensibus, videlicet Januarii, Martii, Maji, Julii, Septembris, & Novembris vacaturorum, quæ etiam dispositioni suæ, ut præfertur, reservavit, seu etiam aliorum dispositioni suæ, & dictæ Sedis aliàs quomodolibet reservatorum, vel affectorum sese intromiserint, aut quominùs provisiones, & gratiæ Sanctitatis Suæ de illis debitum effectum consequantur, impedimentum quoquomodo præstiterint, usu, & Beneficio prædictæ facultatis, eo ipso privati existant, ac collationes, & aliæ dispositiones de Beneficii illius prætextu deinceps faciendæ nullius sint roboris vel momenti. Illi verò qui gratiam alternativæ prædictæ acceptare voluerint, acceptationem hujusmodi per patentes Litteras manu propriâ subscriptas, suoque sigillo munitas, & in suâ quisque civitate,

vel Diœcesi datas declarare, & Litteras ipsas huc ad Datarium Sanctitatis Suæ transmittere teneantur, quibus ab eo receptis, & recognitis, ac in libro ad id deputato registratis, tunc demùm, & non anteà uti incipiant gratiâ supradictâ. Insuper declaravit, quòd si idem Episcopus pluribus Ecclesiis quomodocunque unitis ex Apostolicâ concessione, & dispensatione quomodocunque præsit, teneatur hujusmodi alternativæ gratiam, quatenùs eâ potiri velit, utriusque Ecclesiæ nomine explicitè acceptare, aliàs illi non suffragetur. Et post factam acceptationem, & admissionem in Datariâ neutri parti liceat nisi concordi consensu ab eâ recedere. Declarans præterea, exceptationem positam in Regulâ favore S. R. E. Cardinalium, & indultum conferendi Beneficia reservata concessum Cardinali Episcopo, non suffragari Capitulo ratione communis, & consortii juxtà declarationem fel. rec. Vrbani PP. VIII. Prædecessoris Sui editam die decimâ Septembris anno millesimo sexcentesimo vigesimo sexto, quàm Sanctitas Sua in omnibus, & per omnia approbat. Decernens sic in præmissis omnibus per quoscunque &c. judicari debere, ac irritum, &c.

De Litteris in formâ, rationi congruit, expediendis.

X. Item voluit idem D. N. Papa, quòd concessa per fel. rec. Alexandrum Octavum Prædecessorem Suum, & de ejus mandato expediantur in forma, rationi congruit &c. sub die Coronationis suæ, ut moris est, & idem quoad concessa per piæ mem. Innocentium XI. etiam Prædecessorem suum ad sex menses dumtaxat, ab ipso die Coronationis incipiendos observari voluit.

Declaratio reservationis Ecclesiarum & Beneficiorum per Prædecessores reservatorum.

XI. Item declaravit omnium, & singularum Ecclesiarum Cathedralium, & Monasteriorum provisiones, quas prædicti Prædecessores sui, ordinationi & dispositioni eorum, nec non omnia, & singula Beneficia Ecclesiastica, quæ dicti Prædecessores etiam prædictæ dispositioni cum interpositione Decreti reservaverant (quæ quidem Ecclesiæ Monasteria, nec non sic reservata Beneficia tempore obitus eorumdem Prædecessorum vacabant, aut Ecclesiæ ipsæ, vel Monasteria hujusmodi, si commendata, vel eis Administratores deputati non fuissent, etiam tunc vacassent, remansisse, & remanere per hujusmodi reservationem, & Decretum affecta, nullumque de illis præter Romanum Pontificem eâ vice se intromittere, vel disponere potuisse, sive posse quoquomodo, decernens irritum, & inane, si secùs super illis attentatum forsan erat tunc, vel imposterùm contingeret attentari.

Revalidatio Litterarum Prædecessoris gratiæ, & justitiæ infrà annum concessarum.

XII. Item prædictus D. N. omnes & singulas ab Alexandro VIII. Romano Pontifice Prædecessore suo infrà annum ante diem ejus obitus concessas gratiæ vel justitiæ Litteras temporibus debitis earum Executoribus, seu Judicibus non præsentatas omninò revalidavit, & in statum pristinum, in quo videlicet anteà fuerant, vel pro quibus erant obtentæ, quoad hoc plenariè restituit, ac decrevit per Executores seu Judices prædictos, vel ab eis subdelegandos ad expeditionem negotiorum in eis contentorum procedi posse, & debere juxtà illarum formam.

Revocatio Unionum.

XIII. Item rationabilibus suadentibus causis ipse D. N. omnes uniones, annexiones, incorporationes, suppressiones, extinctiones, applicationes, & dismembrationes, etiam perpetuas, de quibusvis Cathedralibus, nec non aliis Ecclesiis, Monasteriis, Dignitatibus, Personatibus, Officiis, & Beneficiis Ecclesiasticis eorumve domibus, prædiis, & locis per cessum, vel decessum, aut aliam quamvis dimissionem, vel amissionem, qualiacumque fuerint invicem, vel aliis Ecclesiis, Monasteriis, & Mensis etiam Capitularibus, Dignitatibus, Personatibus, Officiis, Beneficiis, ac piis, & aliis locis, Universitatibus, etiam studiorum generalium, & Collegiis, etiam in favorem S. R. E. Cardinalium seu Ecclesiis, Monasteriis, & Beneficiis per eos obtentis quomodolibet Apostolicâ, vel aliâ quâvis (non tamen Concilii Tridentini auctoritate, nec non pro fundatione, seu dotatione, augmento, vel conservatione Collegiorum & aliorum piorum, & Religiosorum locorum ad Fidei Catholicæ defensionem, & propagationem, bonarumque artium cultum institutorum factas, quæ suum non sunt sortitæ effectum. Ac quæcumque concessiones, & mandata super unionibus, annexionibus, incorporationibus, & aliis præmissis taliter faciendis, revocavit, cassavit, & irritavit, nulliusque decrevit existere firmitatis. Nec alicui quascunque clausulas, adjectiones, aut Decreta, quæ Sanctitas Sua pro expressis haberi voluit in quibusvis Apostolicis, etiam quæ motu proprio, aut ex certâ scientiâ, & consistorialiter processerunt, & emanarunt Litteris, etiamsi in eis decretum esset illas ex tunc effectum sortitas esse, aut jus quæsitum fore, quomodolibet contentæ, adversus revocationem, & irritationem hujusmodi voluit aliquatenùs suffragari. Decernens irritum &c.

Revocatio Facultatum quibusvis concessarum.

XIV. Item revocavit quascumque Facultates concessas quibusvis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & Personis, nec non Apostolicæ Sedis Nunciis, ac fructuum, & proventuum Cameræ Apostolicæ debitorum Collectoribus de dispensando cum quibusvis personis super matrimonio contracto, vel contrahendo in gradu prohibito, ac natalium, & ætatis defectibus, & de incompatibilibus Beneficiis Ecclesiasticis insimul retinendis, nec non de Notariis publicis creandis, ac de disponendo quomodolibet de quibusvis Beneficiis Ecclesiasticis, & aliàs à præmissis officia ipsorum Nunciorum, & Collectorum directè non concernentes, etiamsi in Litteris desuper confectis sint clausulæ restitutoriæ, & derogatoriarum derogatoriæ, & aliæ efficaciores, quas pro expressis haberi voluit quoad omnia, in quibus facultates ipsæ non sunt sortitæ effectum, etiamsi Nunciis eisdem, dictæ Sedis Legatis de Latere competens sit concessa potestas. Decernens irritum &c.

Revocatio Facultatum conferendi Beneficia reservata.

XV. Item revocavit quascumque facultates, & Litteras desuper confectas, per quas quicumque sui Prædecessores Romani Pontifices quibusvis personis ordinariam collationem, seu aliam dispositionem Beneficiorum Ecclesiasticorum de jure, vel consuetudine habentibus, & quâvis etiam Patriarchali, Episcopali, vel alio, non tamen Cardinalatus, honore fulgentibus quâvis consideratione, vel intuitu, etiam motu proprio, & ex certâ scientiâ, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine cum quibusvis clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, ac irritantibus & aliis Decretis, quorum tenores haberi voluit pro expressis, concesserant, ut quamdiu viverent, vel suis Ecclesiis seu Monasteriis præessent, aut ad aliud tempus de Beneficiis Ecclesiasticis generaliter reservatis, seu affectis ad eorum collationem, provisionem, præsentationem, electionem, & quamvis aliam dispositionem communiter vel divisim spectantibus disponere liberè & licitè valerent, aut etiam ad id per eosdem Prædecessores Vicarii perpetui vel ad tempus constituti forent; Decernens irritum & inane &c.

De

De dictionibus numeralibus.

XVI. Item ut in Apostolicis Litteris committendi crimen falsi per ampliùs tollatur occasio, voluit, & ordinavit, quòd dictiones numerales, quæ in dictis Litteris ante Nonas, Idus, & Kalendas, immediatè poni consueverunt, per litteras, & syllabas extensè describantur, & illæ ex prædictis Litteris, in quibus hujusmodi dictiones aliter scriptæ fuerint, ad Bullarium nullatenùs mittantur.

De concurrentibus in Datâ.

XVII. Item voluit, quòd de concurrentibus in datâ ejusdem diei, super vacantibus, seu certo modo vacaturis Beneficiis, illi, quibus gratiæ, motu proprio conceduntur, cæteris simili modo gratias non habentibus, aliàs graduati non graduatis, aut inter graduatos magis graduati, ac inter æqualiter graduatos priùs graduati, nec non colorato titulo possessores, non possessoribus, ac inter personas alias in Curiâ præsentes, absentibus ab ea, ac inter præsentes non beneficiati beneficiatis, & similiter inter absentes, cæteris paribus oriundus non oriundo, & Diœcesanus non Diœcesano; in reliquis verò singuli, qui priùs Apostolicas desuper Litteras eorum Executoribus præsentaverint, aliis in ipsorum de quibus agi contigerit, Beneficiorum assecutione præferantur.

De non tollendo Jus quæsitum.

XVIII. Item ne per varias, quæ pro commissionibus, seu mandatis, & declarationibus habendis in causis plerumque fiunt suggestiones, justitia postponatur, idem D. N. decrevit, & declaravit suæ intentionis fore, quòd deinceps per quamcunque signaturam seu concessionem, aut gratiam vel Litteras Apostolicas pro commissionibus, seu mandatis, aut declarationibus hujusmodi, etiamsi Motu proprio, & ex certa scientia, ac etiam ante motam litem à Sanctitate suâ emanaverint, vel de ejus mandato faciendas, nulli Jus sibi quæsitum quomodolibet tollatur.

Regula de viginti.

XIX. Item voluit, quòd si quis in infirmitate constitutus resignaverit, sivè in Romana Curia, sivè extrà illam, aliquod Beneficium, sivè simpliciter, sivè ex causa permutationis, vel aliàs dimiserit, aut illius commendæ cesserit, seu ipsius Beneficii unionis dissolutioni consenserit, etiam vigore supplicationis, dum esset sanus, signatæ, & posteà infrà viginti dies à die per ipsum resignantem præstandi consensûs computandos, de ipsa infirmitate decesserit, & ipsum Beneficium, quavis auctoritate conferatur per resignationem sic factam, collatio hujusmodi sit nulla, ipsumque Beneficium nihilominùs per obitum censeatur vacare.

De Idiomate.

XX. Item voluit, quòd si contingat tam in Curia, quàm extrà, alicui personæ de Parochiali Ecclesiâ, vel quovis alio Beneficio exercitium curæ animarum Parochianorum quomodolibet habente, provideri, nisi ipsa persona intelligat, & intelligibiliter loqui sciat idioma loci, ubi Ecclesia, vel Beneficium hujusmodi consistit, provisio, seu mandatum, & gratia desuper quoad Parochialem Ecclesiam, vel Beneficium hujusmodi nullius sint roboris, vel momenti. Decernens irritum &c.

De non impetrando Beneficium per obitum viventis.

XXI. Item si quis supplicaverit sibi de Beneficio quocumque tamquàm per obitum alicujus, licèt tunc viventis, vacante provideri, & posteà per obitum ejus vacet, provisio, & quævis dispositio, etiam vigore alterius novæ supplicationis, vel gratiæ dicto supplicanti per obitum hujusmodi denuo faciendæ nullius sint roboris, vel momenti.

De Unionibus, & Unionum confirmatione.

XXII. Item voluit, quòd petentes Beneficia Ecclesiastica aliis uniri, teneantur exprimere verum annuum valorem secundùm communem æstimationem, tàm Beneficii uniendi, quàm illius, cui uniri petitur, alioquin unio non valeat, & semper in unionibus commissio fiat ad partes, vocatis quorum interest. Et idem voluit observari in quibusvis suppressionibus perpetuis, concessionibus, dismembrationibus, & applicationibus, etiam de quibuscunque fructibus, & bonis Ecclesiasticis, ac etiam in confirmationibus unionum, singularumque dispositionum hujusmodi.

De mendicantibus transferendis.

XXIII. Item de mendicantibus transferendis, qui ad alios Ordines transierint pro tempore, voluit Constitutionem fel. rec. Martini Papæ V. Prædecessoris sui desuper factam, & in libro Cancellariæ descriptam, quæ incipit, Viam ambitiosæ cupiditatis &c. firmiter observari.

De malè promotis.

XXIV. Item de Clericis extrà tempora à Jure statuta, sivè ante ætatem legitimam, aut absque dimissoriis Litteris ad Sacros Ordines se promoveri facientibus pro tempore, etiam voluit Constitutionem piæ memoriæ Pii II. similiter Prædecessoris sui desuper editam, & in dictâ Cancellariâ Apostolicâ descriptam, quæ incipit, Cùm ex Sacrorum Ordinum &c. pari modo observari.

De Monetâ.

XXV. Item declaravit idem Dominus Noster, quòd libra Turonensium parvorum, & Florenus auri de Camera pro æquali valore in concernentibus Litteras & Cameram Apostolicam computari, & æstimari debeant.

De Beneficiis vacaturis per promotionem ad Ecclesias, & Monasteria.

XXVI. Item prædictus D. N. Papa voluit, decrevit, & ordinavit, quòd quæcumque concessiones, gratiæ, & mandata, etiam motu proprio, & cum derogatione hujus Constitutionis, quæ ab eo pro quibusvis personis emanaverint, de providendo eis de quibusvis Beneficiis vacaturis per promotionem ad quarumcunque Ecclesiarum, & Monasteriorum regimina, si hujusmodi concessiones, & mandata diem promotionis promovendorum ipsorum præcesserint, nec non quæcunque collationes, provisiones, & dispositiones pro tempore faciendæ de præmissis & quibusvis aliis Beneficiis Ecclesiasticis secularibus, & regularibus, quæ per promovendos, vel assumendos ad quascunque Prælaturas inter illarum vocationis, & hujusmodi promotionis, vel assumptionis tempora simpliciter, vel causâ permutationis ubicumque resignari, vel aliàs dimitti contigerit, cum indè sequutis pro tempore sint cassæ, & irritæ, nulliusque roboris, vel momenti.

De non judicando juxtà formam supplicationum, sed Litterarum expeditarum.

XXVII. Item cùm ante confectionem Litterarum gratia Apostolica sit informis, voluit, statuit, & ordinavit idem Dominus Noster, quòd Judices in Romanâ Curiâ, & extrà eam pro tempore existentes, etiamsi sint S. R. E. Cardinales, causarum Palatii Apostolici Auditores, vel quicunque alii non juxtà supplicationum signaturam super quibusvis impetrationibus, nisi in dictâ Curâ dumtaxat sint commissiones justitiam concernentes per Placet, vel per S. R. E. Vicecancellarium juxtà facultatem super hoc sibi concessam signatæ, sed juxta Litterarum super eisdem impetrationibus, & concessionibus confectarum tenores, & formas judicare debeant. Decernens irritum &c. Et si

Litteræ ipsæ, per præoccupationem, vel aliàs minus benè expeditæ reperiantur, ad illorum quorum interest instantiam ad Apostolicam Cancellariam remitti poterunt per ejus Officiales, quibus hujusmodi tenores, & formas restringere convenit, ad formas debitas reducendæ &c.

De Regulis Cancellariæ producendis.

XXVIII. Item attendens D. N. Papa quòd super habendis de Cancellariâ Apostolicâ Regulis, & Constitutionibus inibi descriptis faciliter per eos qui in Romana Curia indiguerint, ad ipsam Cancellariam recursus dirigi potest, nec consultum foret, quòd super earumdem Regularum, & Constitutionum (quæ juxta varietatem concurrentium causarum, & negotiorum aliquoties immutari convenit) probando tenore, vel effectu testium plerumque tenacem desuper memoriam non habentium depositionibus stari deberet, voluit, statuit & ordinavit, quòd deinceps quilibet ex Auditoribus causarum Palatii Apostolici, & aliis, etiamsi S. R. E. sint Cardinales, in ipsa Curia pro tempore deputatis auctoritate Apostolicâ Judicibus, etiam in causis actu pendentibus super hujusmodi tenore, vel effectu probando dumtaxat stet, fidemque adhibeat cedulæ, seu scripturæ, desuper à duobus Majoris Præsidentiæ, quòd danda sit, à tergo signatæ, & etiam à duobus aliis Litterarum Apostolicarum Abbreviatoribus in ipsa Cancellaria auscultatæ, & Vicecancellarii, seu dictam Cancellariam Regenti, manu subscriptæ, ut moris est, quidquid autem secùs fieri contigerit, nullius sit roboris, vel momenti.

De subrogandis Collitigantibus.

XXIX. Item D. N. cupiens litium succidere anfractus, & ne novi collitigantibus adversarii dentur, providere, voluit, statuit, & ordinavit, quòd quoties deinceps aliquem super quovis Beneficio Ecclesiastico colligantem in jure, vel ad jus, si quod forsan ejus adversario in dicto Beneficio competierit, subrogari contigerit (dummodo prædictus collitigans in dicto Beneficio intrusus non fuerit, nec super eo contrà dictum adversarium, postquàm illud per triennium pacificè possederit lis tunc mota fuerit, aliorum quorumlibet de præmisso Jure, sivè tunc vacet, vel cum vacaverit impetrationes, vel concessiones, etiam motu proprio infrà mensem ante concessionem hujusmodi factæ nullius sint roboris vel momenti. Et nihilominùs cupiens eorum fraudibus obviare, qui viventium Beneficia, illorum præsertim, quibus aut propter infirmitatem immineret vitæ periculum, impetrant, ut illis decedentibus tanquam Collitigantes in eorum juribus faciliùs subrogentur; voluit, ut deinceps nullus in jure, vel ad Jus in Beneficio defuncti, quod illo vivente in casibus præmissis, vel similibus impetraverit, aliquo modo subrogetur, ac subrogatio, vel gratia, si neutri, si nulli, seu novæ provisionis, aut perinde valere, taliter impetranti nullatenùs suffragetur, quod etiam strictissimè observari mandavit in impetrationibus Beneficiorum per privationem, & amotionem, ex quibusvis criminibus, & excessibus forsan perpetratis, etiamsi, usque ad definitivam sententiam, quæ tamen in rem non transiverit judicatam processum foret.

De verisimili Notitiâ.

XXX. Item voluit, & ordinavit, quòd omnes gratiæ, quas de quibusvis Beneficiis Ecclesiasticis cum cura, & sine cura Secularibus, vel Regularibus per obitum quarumcunque personarum vacantibus, in anteà fecerit, nullius roboris, vel momenti sint, nisi post obitum, & ante Datam gratiarum hujusmodi tantum tempus effluxerit, quòd interim vacationes ipsæ de locis, in quibus personæ prædictæ decesserint, ad notitiam ejusdem S. D. N. verisimiliter potuerint pervenisse.

Non valeant Commissiones Causarum, nisi Litteris expeditis.

XXXI. Item, quòd omnes, & singulæ Commissiones causarum, quas in anteà fieri contigerit, obtentæ, vel occasione concessionum dumtaxat Apostolicarum de Beneficiis Ecclesiasticis gratiarum, super quibus Litteræ Apostolicæ confectæ non fuerint, ac processus desuper habendi nullius sint roboris, vel momenti.

De impetrantibus Beneficia per obitum familiarium Cardinalium.

XXXII. Item voluit, quòd impetrans Beneficium vacans per obitum familiaris alicujus Cardinalis, teneatur exprimere nomen, & titulum ipsius Cardinalis, si ille in Curiâ fuerit, ipsius ad id accedat assensus, aliàs desuper gratia sit nulla: & idem servari voluit, si Cardinales quomodolibet ab ipsâ Curiâ absentes, & ubilibet etiam in locis infrà duas Dietas vicinis degentes, familiamque, & lares in eâdem Curiâ retinentes ab ipsâ Curiâ recesserint ad summum quindecim dies verè & personaliter reversi fuerint. Ita quòd Cardinalibus alias quàm, ut præfertur, ex quâcumque causâ quantùmlibet necessaria, & hic necessariò exprimendà absentibus, facultas præstandi consensum hujusmodi non competat, sed Beneficia hujusmodi ad liberam Sanctitatis Suæ, & Sedis Apostolicæ provisionem, & dispositionem pertineant. Declarans Regulas, & Constitutiones suorum Prædecessorum, etiam à die earum editionis, & publicationis super assensu hujusmodi præstando, sic intellectas, & intelligendas fuisse. Irritumque &c. attentari decernens. Quodque si prædicti Familiares eorumdem Cardinalium familiares esse desierint, seu ad aliorum Cardinalium familiaritatem similem transierint quoad Beneficia, quæ familiaritate priori durante obtinuerint, & in quibus, vel ad quæ priori ipsâ familiaritate durante jus eis competierit, Cardinales quorum priùs familiares fuerint, suum debeant adhibere consensum. Declarans præsentem Constitutionem locum non habere in illis Beneficiis, quæ familiares ipsi, tempore obitus eorum in dictâ Curiâ, vel extrà eam obtinerent, aut anteà obtinuissent, & ratione Officiorum per eos obtentorum dictæ dispositioni generaliter reservata, vel affecta fuisse apparerent. Nec non illos quoad effectum dictæ Constitutionis familiares eorumdem Cardinalium censeri, qui ipsorum Cardinalium familiares, continui commensales ad minus per quatuor menses, computato etiam tempore ante promotionem ad Cardinalatum, fuisse probaretur. Decernens irritum &c.

Super eadem familiaritate.

XXXIII. Item D. N. ad evitandas lites, & contentiones, quæ ex præcedenti suâ Constitutione exoriri possent vestigiis Prædecessorum suorum inhærendo, voluit, statuit, & ordinavit, quòd si Beneficia, quæ per obitum familiarium continuorum Commensalium eorumdem Cardinalium, in futurum vacabunt, cessantibus Apostolicis reservationibus ad alterius Cardinalis collationem, vel aliam dispositionem pertinere deberent, in dictâ præcedenti Constitutione non comprehendantur, quoad hoc, ut in provisionibus talium Beneficiorum super expeditione Litterarum illius Cardinalis, cujus familiaris defunctus ille extitit, consensus requiri debeat. Sed Beneficia hujusmodi ad Collationem, seu quamvis dispositionem Cardinalis Ordinarii Collatoris, ut præfertur, liberè spectare censeantur. Et si apud Sedem Apostolicam Beneficia

hujusmodi per obitum dictorum familiarium vacaverint; tunc in provisione talium Beneficiorum, super expeditione Litterarum illius Cardinalis exigatur consensus, si in Romanâ Curiâ præsens fuerit, ad quem eorumdem collatio, & dispositio, ut præfertur, pertinere deberet. Ita ut Cardinalis Ordinarius Collator, in concursu cum Cardinali Patrono semper præferri debeat, salvis tamen semper indultis concessis, & concedendis eisdem S. R. E. Cardinalibus. Decernens irritum &c.

Signatura per Fiat præferatur alteri per concessum.

XXXIV. Item voluit idem D. N. quòd concurrentibus eâdem die super quocumque Beneficio per Fiat, & Concessum signaturis, ex eis per Fiat etiam ut petitur, habens alteri per Concessum etiam motu proprio habenti præferatur, etiamsi in illâ per concessum prægnantiores, & quantùmlibet privilegiativæ essent clausulæ.

De Annali Possessore.

XXXV. Item S. D. N. ut improbi lites exquirentium motus reprimantur, voluit, statuit, & ordinavit, quòd quicumque Beneficium Ecclesiasticum tunc per annum immediatè præcedentem pacificè possessum, & quod certo modo vacare prætenditur, deinceps impetraverit nomen, gradum, & nobilitatem possessoris ejusdem, & quot annis ipse illud possederit, ac specificam & terminatam, ex quâ clare poterit constare, quod nullum ipsi possessori in dicto Beneficio jus competat, causam in hujusmodi impetratione exprimere, & infrà sex Menses ipsum possessorem ad judicium evocari facere, causamque ex tunc desuper infrà annum usque ad sententiam definitivam inclusivè prosequi debeat, & teneatur. Alioquin impetratio prædicta, & quæcunque indè sequuta nullius existat firmitatis. Et idem impetrans de damnis, & interesse possessorem prædictum propterea contingentibus ei satisfacere, & si possessorem ipsum injustè, frivolè, & indebitè molestare repertus extiterit, quinquaginta florenos auri persolvere Cameræ Apostolicæ sit adstrictus, nec alius quam præmissæ vacationis modus etiam per Litteras si neutri, aut subrogationis, aut aliàs sibi quoad hoc, ut Beneficium hujusmodi eâ vice consequi, aut obtinere valeat, quomodolibet suffragetur, illudque nullatenùs in antea litigiosum propterea censeatur. Quod etiam extendi voluit ad impetrantes Beneficia Ecclesiastica cujuscumque qualitatis per privationem, & amotionem, vel aliàs propter commissa excessus & crimina, vacantia, vel vacatura, & similiter ad impetrantes Beneficia tanquam vacantia per devolutionem.

De Triennali.

XXXVI. Item statuit, & ordinavit idem D. N. quòd si quis quæcumque Beneficia Ecclesiastica qualiacunque sint, absque simoniaco ingressu, ex quovis titulo, Apostolicâ, vel ordinariâ collatione, aut electionis hujusmodi confirmatione, seu præsentatione, & institutione illorum, ad quos Beneficiorum hujusmodi collatio, provisio, electio, & præsentatio, seu quævis alia dispositio pertinet, per triennium, pacificè possederit (dummodo in Beneficiis hujusmodi, si dispositioni Apostolicæ ex reservatione generali in corpore Juris clausâ reservata fuerint, se non intruserit) super eisdem Beneficiis taliter possessis molestari nequeat, nec non impetrationes quaslibet de Beneficiis ipsis sic possessis factas, irritas, & inanes censeri debere decrevit, antiquas lites super illis motas penitùs extinguendo.

De non appellando ante sententiam definitivam.

XXXVII. Item idem D. N. ut finis litibus celeriùs imponatur, & litigantium parcatur sumptibus, & expensis, suorum Prædecessorum Constitutionibus, & Statutis inhærendo, statuit, & ordinavit, quòd in causis pendentibus, & quas imposterum contigerit agitari, nulli ante definitivam sententiam liceat appellare, nec appellatio, si fuerit emissa, debeat admitti, nisi ab interlocutoriâ, quæ vim habeat definitivæ, vel à gravamine minimè concernente negotium principale, quod non possit per appellationem à Definitivâ sententiâ reparari. Nullæque causæ appellationum committantur, nisi in commissione exprimatur, quod interlocutoria vim definitivæ habeat, vel gravamen sit tale, quod in appellatione à Definitiva non valeat reparari. Alioquin Appellationes, & Commissiones imposterum, & quicquid inde sequutum fuerit, nullius sint roboris vel momenti, commissionibus appellationum jam Judicibus præsentatis, & exhibitis in suo robore permansuris, in quibus latis super eisdem sententiis secundò, vel ulteriùs ab eis non liceat appellare. Appellantes verò, & appellationes etiam ab interlocutoriis, & gravaminibus hujusmodi, suo, vel alterius nomine prosequentes, si succubuerint, ultrà expensas, & damna, ad quæ reficienda de jure condemnatus compellitur, viginti florenorum auri pœnâ mulctentur.

Non stetur Commissioni post Conclusionem.

XXXVIII. Item statuit, & ordinavit, quòd in commissionibus de Justitiâ, seu mandatis etiam Consistorialibus, per eum, seu de ejus mandato, vel auctoritate in causis, in quibus conclusum existat, imposterum concedendis, etiamsi in eis de conclusione hujusmodi implicitè, vel explicitè mentio facta fuerit, nihil censeatur esse concessum, nisi per concessionem hujusmodi Commissionis, eidem conclusioni, sive præsenti Regulæ, derogetur expressè.

De Litteris Religiosorum expediendis.

XXXIX. Item voluit, & ordinavit, quòd si aliqui Religiosi petunt aliquod Beneficium ad nutum amovibile cum clausula, quòd exinde pro solo nutu Abbatis, vel Superioris amoveri non possint, Litteræ quoad ipsam clausulam nullatenùs expediantur, nisi idem D. N. ponat in signaturâ, quod non possit amoveri, vel ad partem clausulam ipsam concedat.

De Clausulâ ponendâ in Litteris permutationis Beneficiorum.

XL. Item, si committatur alicui Beneficii resignationis receptio, ponatur clausula; *Attente quoque provideas*, &c. Et si causâ permutationis resignationes fiant, ponatur clausula; *Quod neuter permutantium jus acquirat, nisi quilibet ipsorum jus habuerit in Beneficio per ipsum resignato.*

De supplendis defectibus.

XLI. Voluit, quòd si petatur suppleri defectus in genere, nullatenùs Litteræ desuper concedantur, nisi in petitione desuper hujusmodi defectus exprimantur, vel per Fiat ut petitur, supplicatio signata fuerit.

De derogatione Jurispatronatûs.

XLII. Item voluit, quòd super quovis Beneficio Ecclesiastico de Jurepatronatus Laicorum non expediantur Litteræ, nisi ponatur expressè, quod tale Beneficium tanto tempore vacavit, quod ejus collatio ad Sedem Apostolicam legitimè est devoluta, vel quia tempus Patronis Laicis ad præsentandum à Jure præfixum lapsum existat, aut ad id Patronorum ipsorum accedat assensus. Et si per ipsum Juripatronatus hujusmodi derogari contigerit, Jurispatronatus hujusmodi mentio dispositivè, ac specificè, & deter-

determinatè, non autem conditionaliter fiat, si illud ad aliquem Regem, Ducem, Marchionem, vel alium Principem pertineat. Et si de hoc in Litteris provisionis, vel mandati de providendo dicto Beneficio, similis mentio facta non fuerit, non censeatur quomodolibet derogatum.

De Commendis.

XLIII. Item voluit, quòd nulli Seculari de Regulari, nec Religioso de Seculari Beneficiis Commenda detur, nisi in signaturâ per clausulam ad partem super petitione Commendæ hujusmodi de Commendâ ipsâ mentio fiat.

De Reformationibus.

XLIV. Item voluit, statuit, & ordinavit, quòd super quibuscumque Reformationibus signatis super impetrationibus quorumcumque Beneficiorum vacantium, vel certo modo vacaturorum, in quibus petitur, quòd Litteræ super primâ datâ expediri possint, si ex hujusmodi expeditione sub tali Datâ cuiquam videatur posse fieri præjudicium, Litteræ hujusmodi sub ipsâ primâ Datâ nullatenùs expediantur, nisi Reformationes hujusmodi per Fiat sub primâ Datâ signatæ fuerint.

De Consensu in Resignationibus, & Pensionibus.

XLV. Item voluit, & ordinavit, quòd super resignatione cujuscumque Beneficii Ecclesiastici, seu cessione Juris in eo, quam in manibus suis vel in Cancellariâ Apostolicâ fieri contigerit, Apostolicæ Litteræ nullatenùs expediantur, nisi resignans, vel cedens, præsens in Romanâ Curiâ fuerit personaliter, nisi alioquin per Procuratorem suum ad hoc ab eo specialiter constitutum, expeditioni hujusmodi in eâdem Cancellariâ expresè consenserit, & juraverit, ut moris est. Et si ipsum Resignantem, seu cedentem pluries super uno, & eodem Beneficio in favorem diversarum personarum successivè consentire contigerit; Voluit Sanctitas Sua, quod primus consensus tenere debeat, & alii posteriores consensus, ac Litteræ eorum ptætextu etiam sub priori datâ expeditæ pro tempore nullius sint roboris, vel momenti, nec Litteræ reservationis, vel assignationis, etiam motu proprio cujusvis pensionis annuæ, super alicujus Beneficii fructibus expediri possint, nisi de consensu illius, qui pensionem persolvere tunc debebit.

De Ingressu Religionis.

XLVI. Item, non dentur Litteræ super Beneficiis vacaturis per ingressum Religionis, nisi professio præcesserit datam desuper petitionis.

Non valet imperatio facta per modum in Cancellaria exprimendum.

XLVII. Item voluit, quòd si petatur aliquod Beneficium vacans per modum in Cancellariâ Apostolicâ exprimendum, talis impetratio non valeat, nec Litteræ desuper expediantur.

De executione facienda.

XLVIII. Item voluit, statuit, & ordinavit, quòd quotiescumque per signaturam suam, vel de ejus mandato factam super exequendis aliquibus, cum adjectione proprii nominis, vel Dignitatis cujusvis, Judex datur, Litteræ desuper expediantur cum expressione, quòd idem Judex faciat per se ipsum.

De dispensationibus in gradibus Consanguinitatis.

XLIX. Voluit quod in Litteris dispensationum super aliquo gradu Consanguinitatis, vel Affinitatis, aut aliàs prohibito, ponatur clausula, *si mulier rapta non fuerit*. Et si scienter, ponatur clausula addita in quaterno.

Super defectu Natalium.

L. Voluit, quòd in dispensationibus super defectu natalium, quòd possint succedere in bonis temporalibus, ponatur clausula; *Quod non præjudicetur illis, ad quos successio bonorum ab intestato pertinere debeat.*

Super Dispensationibus.

LI. Item, quod per quamcumque signaturam in quâvis gratiâ, nullatenùs dispensatio veniat, nisi specialiter exprimatur, vel dicta gratia totaliter effectum hujusmodi dispensationis concernat, vel aliàs nihil conferat, aut operetur.

Nulli suffragetur dispensatio nisi Litteris confectis.

LII. Item, cùm concessiones super gratiis dispensationum quarumcumque, quibusvis per ipsum D. N. concessarum, vel concedendarum per Regulas Cancellariæ Apostolicæ sint providè limitatæ, licet aliquando in petitionibus super hujusmodi concessionibus oblatis, multa sint petita, ne quis talium concessionum prætextu, id dispensativè tenere, aut facere præsumat, ad quod concessiones hujusmodi se non extendant, voluit idem D. N. quòd nulla talis dispensatio cuiquam in judicio, vel extrà suffragetur, antequam super eâ Litteræ Apostolicæ sint confectæ.

De Clausulis ponendis in Litteris Indulgentiarum.

LIII. Item voluit, quòd in Litteris Indulgentiarum ponatur, quòd si Ecclesiæ, vel Capellæ, aut aliàs aliqua Indulgentia fuerit concessa, de qua inibi specialis mentio facta non sit, aliàs hujusmodi Litteræ sint nullæ.

De Indulgentiis concessis ad Instar.

LIV. Item voluit D. N. quòd Litteræ super Indulgentiis non expediantur ad instar, nisi specificentur.

De exprimendo valore Beneficiorum in impertrationibus.

LV. Item voluit quod in gratiis quas quibusvis personis de Beneficiis vacantibus, seu certo modo vacaturis fieri contigerit, illorum, & aliorum quorumcumque Beneficiorum, quæ dictæ personæ tunc obtinuerint, seu de quibusvis fuerit provisum, vel concessum, aut mandatum provideri, verus annuus valor per marchas argenti, aut Sterlingorum, vel libras Turonen. parvorum, seu florenos auri, aut ducatos, vel uncias auri, seu aliam monetam secundùm communem æstimationem exprimatur, nisi personæ prædictæ Beneficia, quæ tunc obtinuerint, aut in quibus, vel ad quæ jus eis competit, juxtà ipsarum oblationes, aut aliàs dimittere teneantur, alioquin gratiæ prædictæ sint nullæ; Et idem servetur in gratiis, quas à Sanctitate Suâ motu proprio emanare contigerit, quoad Beneficia tamen, de quibus per Sanctitatem Suam pro tempore providetur, seu provideri mandatur, aut aliàs disponitur, ac Litteris per quas pro tempore ad Ecclesiarum Patriarchalium, & Cathedralium, ac Monasteriorum regimina promotis conceditur, ut Monasteria, & alia Beneficia Ecclesiastica Secularia, & Regularia per eos obtenta, & in quibus, & ad quæ eis jus competit, retinere possint.

De Clausulis in Beneficiis vacantibus ponendis.

LVI. Voluit, & ordinavit, quòd quando providet, seu mandat provideri alicui de Beneficio Ecclesiastico vacante, tunc dari poterunt clausulæ, si petantur, etiamsi illud quovis modò &c. seu per Constitutionem Execrabilis vacet, & specialiter reservatum inter aliquos litigiosum sit, & ejus collatio devoluta fuerit, & si pro collitigante, vel subrogationem, aut si neutri, vel si nulli &c. petente, si tunc lis specificè exprimatur, nec detur aliqua generalis reservatio dispositivè, nisi desuper in concessione specialis, & expressa, ac purè & non sub conditione mentio fiat, & tunc reliquæ reservationes ibi contentæ veniant. Si verò tempore expeditionis indè Litterarum generalis reservatio hujusmodi probari non possit, aut in novis provisionibus, seu pro collitigantibus, si neutri, vel si nulli &c. sit expressum, quòd ab aliquibus asseritur, illis, cujus Beneficiũ conceditur, Collectorem, vel unicũ Subcollectorem

Abbreviatorem, vel familiarem, Notarium, aut dictæ Sedis Officialem fuisse, clausula ponatur, etiamsi dictum Beneficium ex eo, quòd talis Collector, vel unicus Subcollector, Abbreviator vel familiaris, Notarius aut dictæ Sedis Officialis fuit, dispositioni Apostolicæ generaliter reservatum existat, dummodò non sit in eo alii specialiter jus quæsitum. In reliquis verò nulla clausula detur, unde reservatio generalis elici possit, nisi desuper signatura per duplex Fiat signata sit, aut reservatio, vel aliàs specialiter habeatur.

De expressione qualitatum Beneficiorum in Impetrationibus.

§. LVII. Item voluit, quòd super Beneficiis Ecclesiasticis, de qualitatibus illorum videlicet, an Dignitates, Personatus, vel Officia sint, eisque immineat cura animarum, & ad illa consueverint qui per electionem assumi, mentio fiat, aliàs gratiæ desuper factæ sint nullæ. Et si qualitates hujusmodi affirmativè, vel conditionaliter non exprimantur, negativa expresè desuper fiat in Beneficiis, quæ tales qualitates, vel ex eis aliquas consueverint habere.

De Beneficiis vacantibus per contractum Matrimonii.

LVIII. Item si servetur Beneficium per contractum Matrimonii, non dentur alii modi vacationum de futuro, nec censeatur Beneficium reservatum specialiter, vel affectum, nisi sequatur matrimonium. Sed in Beneficiis per promotionem, aut ingressum Religionis, vel assecutionem vacaturis, ponatur clausula, *etiamsi non petatur*. Cùm Beneficia hujusmodi præmisso, vel aliàs quovis modo &c. præterquam per obitum obtinentis vacare contigerit, etiamsi vacent. Decernens irritum &c.

De Clausulis ponendis in Litteris Religiosorum.

LIX. Item voluit, quòd si petatur aliquem in Religionem recipi, & sibi de quovis Beneficio provideri per simplicem signaturam Fiat, Receptio hujusmodi dumtaxat detur adjecto, si petens idoneus sit, aut aliud Canonicum non obsistat, & exprimatur, si certus numerus Regularium sit ibidem, cui etiam non derogetur, nisi expresè concedatur, & si numerus iste non existat, ponatur. Dummodo receptionis locus hujusmodi nimiùm propterea non gravetur. Possintque Executores provisionis hujusmodi, ad receptionem emissionis professionis non expectato probationis anno procedere.

De translatione Religiosorum.

LX. Item, Regularis petat sibi de Beneficio ab aliquo Monasterio, vel alio regulari loco dependente, provideri, & appareat ex petitione hujusmodi, quod alterius Monasterii, vel loci Religiosus sit, licèt ibi translatio non petatur, nihilominùs illa veniat.

De clausula, Si est ita.

LXI. Item quod in Litteris super Beneficiis, per Constitutionem Execrabilis, vacantibus ponatur clausula, *si est ita*, similiter de quibuscumque narratis informationem facti requirentibus.

Petenti provideri de vacaturo, dentur Litteræ de vacanti.

LXII. Item petenti sibi provideri de vacaturo, dentur Litteræ de vacanti, prout expedierit impetranti.

Revocatio Decimarum, & aliarum impositionum.

LXIII. Item, revocavit quascumque Decimarum, nec non subsidiorum, vigesimæ, & aliorum onerum impositiones ex quavis causa emanatas (non tamen decimarum per fel. rec. Innocentium XI. Prædecessorem Nostrum impositarum quarto Kal. Octobris Pontificatus ipsius anno septimo, & per eundem extensarum, seu indictarum ad aliud triennium per Litteras in forma Brevis sub die vigesima quinta Novembris anno millesimo sexcentesimo octuagesimo octavo Pontificatus ipsius anno tertiodecimo, nec non aliarum Decimarum, subsidiorum, & onerum impositorum in subsidium expeditionis contrà Turcas, & Orthodoxæ Fidei hostes) & quascumque facultates super Decimarum, vigesimæ, & onerum hujusmodi exactione, quibusvis fructuum, & proventuum Cameræ Apostolicæ debitorum Collectoribus, & Apostolicæ Sedis Nunciis ab eisdem Prædecessoribus concessas. Suspendit quoque ad Suæ Sanctitatis, & Sedis Apostolicæ beneplacitum quascumque plenarias Indulgentias ab eisdem Prædecessoribus ex quâvis causâ etiam expeditionis hujusmodi, si quæ per Nuncios, vel Quæstores deferebantur, non tamen ab eodem Innocentio Prædecessore per Litteras in formâ Brevis sub die tertiâ Decembris anno millesimo sexcentesimo octuagesimo quinto Pontificatus ipsius anno decimo concessas, nec non deputandi, & eligendi Confessores, qui plenariè absolvant, & alia faciant ad earundem Indulgentiarum suspensarum effectum, reliquasque facultates, ipsas Indulgentias quomodolibet concernentes, præterquam quoad ea, in quibus Indulgentiæ, & facultates in aliquâ sui parte sint fortitæ effectum. Ita ut illis, qui implentes injuncta eis in Litteris Indulgentiarum hujusmodi jam consequuti sunt facultatem eligendi Confessores, qui absolvant eos plenariè in mortis articulo, per hujusmodi suspensionem non præjudicetur, quin facultate ipsâ uti possint in futurum: Decrevit quoque irritum & inane quicquid facultatum revocatarum earundem prætextu, imposterùm contigerit attentari.

Revocatio facultatum percipiendi pretium Officiorum.

LXIV. Item revocavit, cassavit, & annullavit, ac irritas declaravit quascumque facultates percipiendi pretium Officiorum Romanæ Curiæ pro tempore vacantium in toto, vel in parte, quasvis concessiones, & collationes, aliasque dispositiones per fel. rec. Alexandrum VIII. aliosque Prædecessores de dictis Officiis etiam in die collationum, concessionum, & dispositionum earumdem in anteà vacaturis in favorem quarumcumque personarum, Ecclesiarum, Monasteriorum, piorum locorum, Collegiorum, seu eorum mensarum, etiam perpetuò, etiam in vim contractus, ex titulo oneroso, & sub quâvis aliâ verborum formâ, quam, & præmissorum tenores pro expressis voluit, concessas, & factas, quoad officia, quæ post obitum dictorum Prædecessorum vacarunt, & in posterum quomodolibet vacabunt. Item revocavit quoque, cassavit, & annullavit, ac irritas declaravit quascumque Infeudationes, Investituras, Gratias, Concessiones quoquomodo, etiam Emphyteusim, ad tempus, seu in perpetuum, etiam motu proprio, & de plenitudine potestatis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis (extrà tamen Consistorium, & sine S. R. E. Cardinalium consilio, & consensu à die Constitutionis fel. rec. Pii PP. V. Prædecessoris sui super prohibitione alienandi, & infeudandi Civitates, & loca S. R. E. sub datum Romæ apud S. Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, Quarto Kal. Aprilis, Pontificatus sui anno secundo, usque in præsentem diem, per quoscumque Romanos Pontifices suos Prædecessores, aut mandato, vel auctoritate eorum, quomodocumque, ac qualitercumque, & quovis colore factas, & concessas de Civitatibus, Terris, Oppidis, Castris, Arcibus, & Locis S. R. E. & Sanctæ Sedis Apostolicæ, & tàm mediatè, quàm immediatè subjectis, tunc videlicet de tempore dictarum Infeudationum, investiturarum, gratiarum, & concessionum nondum devolutis, nec non quascumque prorogationes, &

extensiones quarumcumque infeudationum, investiturum, gratiarum, & concessionum de dictis Civitatibus, Terris, Oppidis, Castris, Arcibus, & locis tunc videlicet de tempore dictarum prorogationum & extensionum nondum finitarum quibusvis personis cujuscumque gradus, status, & conditionis, & præeminentiæ, etiamsi Imperiali, Regali, Ducali, aut alia quavis præfulgeant Dignitate, etiam in vim contractus, & ex quocumque titulo, etiam oneroso, & per quascumque tàm sub plumbo, quàm in formâ Brevis sub Annulo Piscatoris, aut etiam aliàs quomodocumque, & qualitercumque expeditas Litteras, ac sub quavis verborum formâ, & præmissorum omnium tenores Sanctitas Sua pro expressis haberi voluit, latissimè extendendos.

Quod fructus in tertiâ parte augeri possint vigore Clausulæ.

LXV. Item cum nonnulli in impetrationibus Beneficiorum Ecclesiasticorum pro tempore vacantium, & ex certo modo vacaturorum, asserendo illorum fructus &c. certum per eos expressum annuum valorem non excedere, nonnunquàm obtineant à Sanctitate Suâ, ut hujusmodi valorem annuum augere possint, ut verius possit in confectione Litterarum super hujusmodi impetrationibus super summa, aut valor annuus exprimi, aliter desuper non specificato, ne de veritate hujusmodi concessionis imposterùm hæsitari contingat, declaravit prætextu concessionis hujusmodi valorem ipsum usque ad tertiam partem valoris expressi, & in primâ quæ desuper fiet Litterarum expeditione dumtaxat augeri posse, & eas quas Litteris jam expeditis cum expressione valoris specificati, aut non integro augmento prædicto denuò desuper expediri contigerit Litteras, cum aliquo augmento valoris hujusmodi nullius esse roboris vel momenti, etiamsi motu proprio beneficiales gratiæ, & dispositiones quæcumque à Sanctitate Suâ emanaverint.

De Insordescentibus.

LXVI. Item, ne personis, pro quibus Litteræ Suæ Sanctitatis emanabunt ob generalem absolutionem à censuris Ecclesiasticis, quibus ligati forent ad earum effectum indifferenter concedi, & in Litteris Apostolicis apponi solitam præstetur occasio censuras ipsas vilipendendi, & insordescendi in illis, statuit, & ordinavit hujusmodi absolutionem, & clausulam in Litteris, quas in futurum cum illa concedi contingeret, non parentibus rei judicatæ, incendiariis, violatoribus Ecclesiarum, falsificatoribus, & falsificari procurantibus Litteras, & supplicationes Apostolicas, & illis utentibus, receptatoribus & fautoribus eorum, ac res vetitas ad Infideles deferentibus, violatoribus Ecclesiasticæ libertatis, viâ facti ausu temerario Apostolicis mandatis non obtemperantibus, & Nuncios, vel Exequutores Apostolicæ Sedis, & ejus Officialium, ejus commissa exequentes, impedientibus, qui propter præmissa, vel aliquod eorum excommunicati à jure, vel ab homine per quatuor menses scienter excommunicationis sententiam hujusmodi substinuerint. Et generaliter quibuscumque aliis, qui censuris aliquibus, etiam aliàs, quàm ut præfertur, quomodolibet ligati in illis per annum continuum insorduerint.

Officiales nihil exigant ultrà debitum.

LXVII. Item idem D. N. exactionibus, quas Sanctitas Sua non sine displicentia plerumque fieri intellexit per Officiales Romanæ Curiæ, qui constitutis sibi emolumentis pro exercitio Officiorum quæ obtinent non contenti, ultrà à prosequentibus negociorum quorundam expeditionem in eadem Curia exigere non verentur, obviare volens, districtè præcipiendo inhibuit omnibus & singulis quævis officia in eâdem Curia obtinentibus, ne de cætero quicquam prætextu Officiorum, quæ obtinent, quovis colore, etiam celerioris expeditionis, ultrà emolumenta hujusmodi exigere, seu ad hunc effectum expeditionem eorum quæ eis incumbunt, malitiosè differre sub Excommunicationis, & præter illam suspensionis à perceptione emolumentorum hujusmodi pro prima ad semestre, & pro secunda ad annum, & pro tertiâ vicibus, quibus sic excederent, privationis Officiorum per eos obtentorum, in quibus sic excesserint pœnis. Ac voluit, quod S.R.E. Vicecancellarius, & Camerarius excedentes ipsos respectivè, prout eis subsunt, per subtractionem emolumentorum eorumdem, ac aliàs, ut præfertur, compellant ab hujusmodi illicitis exactionibus abstinere, ac contrà eos per prædictas pœnas, & alias, prout meliùs expedire viderint, procedant.

Reservatio Beneficiorum vacantium Sede Apostolicâ vacante.

LXVIII. Item Sanctissimus D. N. providè considerans consuevisse quandoque Romanos Pontifices Prædecessores suos Beneficia, quæ vacante Sede Apostolicâ vacare contigerant, dispositioni suæ reservare, intendens de Beneficiis hujusmodi, tàm Conclavistis, quàm pauperibus Clericis, & aliis benemeritis personis providere, omnia, & singula Beneficia, per Regulas Cancellariæ Apostolicæ, aut quaslibet aliàs Apostolicas Constitutiones temporales Romani Pontificis pro tempore existentis dispositioni quomodolibet, & ex quâvis causâ reservari solita, quæ à die obitus fel. rec. Alexandri VIII. Prædecessoris sui, usque ad diem duodecimam Julii currentis vacaverunt, & de quibus per quoscumque Ordinarios Collatores, tunc dispositum non fuerat, seu minùs validè dispositum fuerat, suæ provisioni, ac dispositioni reservavit. Decernens irritum &c.

Revocatio Indultorum Supervenientiæ.

LXIX. Item, quia ad importunam nonnullorum suggestionem quandoque contigit, Prædecessores suos Romanos Pontifices pro tempore existentes sub contractorum debitorum, vel diversis aliis prætextibus concessisse, & indulsisse Beneficiatis, ut fructus suorum Beneficiorum, aut partem eorum anticipatis solutionibus ad tempus elocare, vel ergà creditores, aut quascumque alias personas obligare, vel hypothecare, in solutum dare, aut aliàs quomodolibet de eis disponere liceret, ad tempus minimè restrictum ad vitam supplicantium, cum gravi Successorum præjudicio, & Ecclesiarum detrimento. Ideò indemnitati Ecclesiarum, & successorum in Beneficiis hujusmodi salubriter consulere volens, revocavit, cassavit, & annullavit omnia, & singula indulta, & facultates in ea parte, qua nec dum verè, & realiter suum sortita sunt effectum, per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores suos hactenùs ad favorem quarumcumque personarum concessas, quibus eis, vel eorum singulis ullo modo, & ex quavis causâ, vel prætextu permittitur fructus certos, vel incertos, jura, obventiones, emolumenta quæcumque quorumlibet Beneficiorum per eos obtentorum anticipatis solutionibus, ultrà unicum annum elocare, arrendare, ad firmam, vel responsionem concedere, vel eos ad favorem quarumcumque personarum quomodolibet obligare, vel hypothecare, in solutum dare, aut de eis quomodolibet, & ex quavis causâ disponere pro tempore, ad vitam Beneficiatorum, & tempus quo Beneficia hujusmodi obtinuerint minimè restricto, & coarctato, illorum tenores &c. Decernens irritum &c.

Quod Cardinales non comprehendantur sub Regulis faciendis.

LXX. Item, cùm S. R. E. Cardinales S. D. N. assistant, ac propterea debeant specialibus prærogativis, & privilegiis gaudere; Idem D. N.

statuit,

ſtatuit, ordinavit, decrevit & declaravit, quod in quibuſcumque Conſtitutionibus, & Regulis per Sanctitatem Suam edendis non comprehendantur; neque comprehenſi cenſeantur ipſi Cardinales, niſi illæ eorumdem Cardinalium favorem concernant, vel Conſtitutiones edendæ de eorumdem Cardinalium, vel majoris partis eorum conſilio editæ fuerint, ſeu in eiſdem Regulis, & Conſtitutionibus facta fuerit ipſorum Cardinalium expreſſa mentio.

Quod Regulæ Cancellariæ non comprehendantur ſub generalibus derogationibus.

LXXI. Item Sanctitas Sua ſtatuit, & declaravit, quod præmiſſis, & quibuſvis aliis Regulis Cancellariæ ſuo tempore edendis, ac publicandis, nunquam cenſeatur derogatum in quibuſcumque Conſtitutionibus, Litteris, Brevibus, Indultis, & aliis Ordinationibus Apoſtolicis, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia emanatis, per quæcumque verba, & Decreta derogatoria, irritantia univerſalia, & ampliſſima, & clauſulas, quantumvis efficaciſſimas, etiam derogatoriarum derogatorias, atque ſpecialis, & individuæ expreſſionis vim habentes, & habentia, niſi facta fuerit de illis expreſſa mentio, & non aliter nec alio modo.

De Poteſtate Reverendiſſimi D. Vicecancellarii, & Cancellariam Regentis.

LXXII. Primò, quòd poſſit committere abſolutionem illorùm, qui ignoranter in ſupplicationibus, vel in Litteris Apoſtolicis aliquid ſcriberent, corrigerent, vel delerent.

Item, quòd poſſit corrigere nomina, & cognomina perſonarum, non tamen eorum, quibus gratiæ, & conceſſiones fiunt, ac Beneficiorum, dùm tamen de corpore conſtet.

Item, quòd poſſit omnes cauſas beneficiales, etiam non devolutas committere in Curiâ, cum poteſtate citandi ad partes.

Item, quòd proceſſus Apoſtolica auctoritate decretos aggravare poſſit cum invocatione brachii ſecularis, & ſententias executioni demandari facere contra intruſos, & intrudendos per Litteras Apoſtolicas deſuper conficiendas, & non aliàs.

Item, quòd poſſit ſignare ſupplicationes manibus duorum Referendariorum ſignatas, de Beneficiis Eccleſiaſticis Secularibus, & Regularibus diſpoſitioni Apoſt. generaliter non reſervatis quorum cujuslibet valor centum Florenorum auri de Camera, vel totidem librarum Turonenſ. parvorum, ſeu totidem in aliâ monetâ ſecundùm communem æſtimationem, valorem annuum non excedet.

Item, quòd poſſit ſignare ſupplicationes etiam duorum Referendariorum manibus ſignatas de novis proviſionibus, ſi neutri, & ſubrogationibus pro collitigantibus, in quibus non detur clauſula generalem reſervationem importans.

Item, quòd poſſit ad Ordines ſuſcipiendos arctatis prorogare terminos de dictis ſuſcipiendis Ordinibus, uſque ad proxima tunc à jure ſtatuta tempora, in quibus ſic arctati ſucceſſivè ad ipſos Ordines promoveantur.

Placet Publicentur, & deſcribantur. A.

Lectæ, & publicatæ fuerunt ſupraſcriptæ Regulæ, Ordinationes, & Conſtitutiones, in Cancellariâ Apoſtolicâ ab uno ex R. R. P. P. D. D. Majoris Præſidentiæ Abbreviatoribus, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo primo, die verò vigeſima prima menſis Julii Pontificatus prælibati Sanctiſſimi Domini Noſtri Innocentii XII. Anno primo.

Confirmatio Decreti prohibitivi quarumcumque donationum, & remiſſionum poſt applicationem, ſeu rem judicatam ad favorem Fabricæ Baſilicæ S. Petri de Urbe. VII.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. CUm ſicut accepimus aliàs Venerabilis Frater Noſter Alderanus Epiſcopus Oſtien. S. R. E. Cardinalis Cybo nuncupatus Congregationis Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium ſuper negotiis Fabricæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe deputatæ Præfectus per ſuum Decretum, *Die 6. Octobris* 1688. editum declaraverit, *mentem fel. rec. Innocentii Papæ XI. Prædeceſſoris Noſtri fuiſſe, quod nihil penitùs à Fabrica prædicta donaretur, neque ad titulum eleemoſynæ, dùm ipſa ingenti ære alieno gravata dignoſcebatur, minuſque Debitoribus, vel aliis quibuſcunque ſupplicantibus pro compoſitione quicquam remitteretur poſt applicationem, & rem judicatam ad favorem dictæ Fabricæ, niſi conſtito de vera paupertate, & impoſſibilitate ſolvendi, onerando conſcientias Officialium, ſeu Deputatorum quorumcumque tunc, & pro tempore ad negotia ejuſdem Fabricæ exiſtentium, & ita ſervari mandaverit.* Nos inviolabili Decreti hujuſmodi obſervationi, ac Fabricæ ſupradictæ, cujus cura præcipuo quodam jure Nobis incumbit, indemnitati, quantùm cum Domino poſſumus conſulere volentes, Motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione Noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, Decretum ſupradictum cum omnibus, & ſingulis in eo contentis tenore præſentium perpetuò approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus. Fabrica S. Petri nihil poteſt donare, neque per viam eleemoſynæ.

§. 2. Decernentes præſentes Litteras firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocunque ſpectabit, inviolabiliter obſervari; Sicque, & non aliter in præmiſſis per quoſcunque Judices Ordinarios, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac Fabricæ præfatæ Congregationem, Officiales, & Miniſtros nunc, & pro tempore quandocunque exiſtentes, ſublata eis, & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; Ac irritum, & inane ſi ſecùs ſuper his, à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non Baſilicæ Principis Apoſtolorum, illiuſque Fabricæ præfatarum, & aliis quibuſvis etiam juramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel alia quavis firmitate roboratis Statutis, & Conſuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Dat. Romæ apud S. Mariam ſub Annulo Piſcatoris die 31. Julii Pontificatus Noſtri Anno Primo. Clauſula ſublata. Derogatio contrariis. P. A. I. 31. Julii 1691.

VIII. Indulgentia plenaria perpetua pro visitantibus Ecclesias Fratrum Ordinis S. Joannis Dei, tàm erectas, quàm erigendas ubicumque locorum, die octavâ Martii Festo ejusdem S. Joannis Dei.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

COelestium munerum thesauros, quorum Dispensatores Nos esse voluit Altissimus, cùm ad Christianæ pietatis incrementum, & animarum Christifidelium salutem profuturos speramus, libenter elargimur. Itaque de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus verè pœnitentibus, & confessis, ac Sacrâ Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis quorumcumque Conventuum, & Domorum Regularium Ordinis Fratrum S. Joannis Dei hactenùs erectis, & inposterum quandocumque erigendis, & ubicumque locorum existentibus die 8. Martii Festo ejusdem S. Joannis Dei, à primis Vesperis usque ad occasum Solis Festi hujusmodi singulis annis devotè visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresium extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut ipsarum præsentium Litterarum transsumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiasticâ dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die xxviij. Augusti MDCXCI. Pontificatus Nostri Anno Primo.

D. 28. Augusti P. Ap. primo.

IX. Constitutio revocatoria exemptionum à vectigalibus, aliisque publicis oneribus.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Subditorum commodum est motivum providendi.

CIrcumspecta Romani Pontificis omnium Christifidelium Patris, & Pastoris providentia, sicuti Spiritualibus Dominici Gregis, sibi divinitùs commissi, utilitatibus jugi vigilantiâ consulere studet, ita & temporalibus suorum, & Apostolicæ Sedis etiam quoad temporalia Subditorum commodis paterno studio providere satagit, prout æquitatis, & justitiæ ratio suadet, Reique publicæ salus exposcere comperitur.

Exemptiones, & immunitates aliquorum reaggravant non exemptos.

§. 1. Cùm itaque (sicut Nobis innotuit) per quasdam immunitates, & exemptiones à vectigalium, aliorumque onerum publicorum solutione, & supportatione, quæ à nonnullis Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris, & Sede præfata, illiusque forsan de Latere Legatis, ac aliis ejusdem Sedis, & Cameræ Nostræ Apostolicæ Officialibus, & Ministris, ad importunas supplicantium preces, seu aliàs quomodolibet concessæ reperiuntur, Camera prædicta & Communitates, & Universitates Civitatum, Oppidorum, Terrarum, & locorum temporalis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ditionis in gravissimis, quibus propter tot sumptus, antehac in causam publicam factos, multaque onera propterea imposita, premuntur angustiis, maximam redituum, & proventuum suorum diminutionem patiantur, & plurimi Subditi Nostri, ac præcipuè pauperiores, in quos ejus quod cæteris, iisque ut plurimum locupletioribus, per immunitates, & exemptiones hujusmodi remittitur, onus derivari necessè est, ingenti damno afficiantur.

Ideo exemplo Prædecessorum revocat exemptiones

§. 2. Nos, Cameræ, ac Communitatum, & Universitatum, Subditorumque Nostrorum prædictorum indemnitati, & levamento, quantum cum Domino possumus æquè principaliter consulere cupientes, ac felic. record. Sixti V. Pauli etiam V. Urbani VIII. Innocentii X. Alexandri VII. Clementis IX. Clementis X. Innocentii XI. & Alexandri VIII. aliorumque Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum, qui Constitutiones similium exemptionum, & immunitatum revocatorias ediderunt, vestigiis inhærentes, nec non quarumcumque concessionum, immunitatum, & exemptionum hujusmodi, Litterarumque Apostolicarum sub plumbo, ac in simili forma Brevis, cedularum Motus proprii, & Chirographorum cujusvis Romani Pontificis Prædecessoris Nostri manu subscriptorum, ac aliarum Litterarum, & scripturarum desuper quomodolibet emanatarũ, pluriesque etiam confirmatarum, tenores, etiam veriores, & datas, ac occasiones, & alia etiam speciali, ac individuâ expressione dignâ, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & verbatim insertis respectivè habentes; Motu proprio, non ad cujusquam Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, & matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, hac Nostra perpetuò valiturâ Constitutione omnes, & quascumque exemptiones, & immunitates à solutione subsidii triennalis, nec non quarti illi adjuncti, taxarum equorum, tallearum, censuum archivii, fogliettæ triremium, utensilium, dohanarum, gabellarum quarumcumque, taxæ portus Anconæ, quatrinorum, tractarum, pedagiorum, vectigalium, collectarum, & quorumlibet aliorum onerum, & numerum personalium, realium, & mixtorum ordinariorum, & extraordinariorum, solitorum, & insolitorum Cameralium quorumcumque, etiam eorum, quæ per Communitates, & Universitates directè, pro eorundem onerum Cameralium solutione, publicorumque munerum supportatione, ac pro viis, & pontibus construendis, instaurandis, muniendis, & manutenendis, aliisque indigentiis, & usibus quibuscumque, tam Cameræ, quàm Communitatum, & Universitatum prædictarum, seu aliàs indicta, & imposita, ac exigi solita sunt, nec non ab obligatione recipiendi, & hospitandi milites, & Sedis prædictæ Officiales, Barigellos, Executores, aliosque Justitiæ Ministros, eisque utensilia, & alia necessaria subministrandi, per Romanos Pontifices Prædecessores Nostros, ac eandem Sedem Apostolicam, & quosvis Sedis, & Cameræ prædictarum Officiales, & Ministros quacumque auctoritate, & potestate fungentes, etiam S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, etiam Camerarios, cæterosque etiam speciali nota, & expressione dignos, ac specialem ad id facultatem habentes, quibusvis Communitatibus, Universitatibus, Civitatibus, Terris, Oppidis, & locis Ditionis temporalis S. R. E. prædictæ, ac etiam quibuscumque Feudatariis, Censuariis, Dominis locorum, Familiis nobilibus, Baronibus, Comitibus, Marchionibus, Ducibus, Principibus, & aliis cujusvis status, gradus, conditionis, præeminentiæ existentibus, ac quavis dignitate, etiam Ecclesiastica, & autoritate prædictis, etiam Cardinalatûs honore fulgentibus, qui Castra, & Jurisdictiones intrà limites dictæ Ditionis temporalis S. R. E. possident, etiam qui nihil ratione Castrorum, Jurisdictionum hujusmodi Sedi prædictæ annuatim, seu aliàs persolvunt, & tam Incolis, quàm extraneis, & Forensibus bona stabilia, seu mobilia, vel se moventia habentibus, & tenentibus, seu possidentibus, omniumque supradictorum Colonis, & laboratoribus, etiam in recompensam laborum, damnorum passorum, ac ex alia quacumque, quantumvis favorabili, ac urgentissima, & de necessita-

Species rerum à quibus cõcessæ fuerant exemptiones.

Quibus aufertur exemptio.

te spe-

te specialiter exprimendâ causa, sub quibuscumque verborum formis, & expressionibus, etiamsi in Appaltuum, & locationum Cameralium instrumentis, quantumvis auctoritate Apostolicâ confirmatis, promissum, & cautum sit eas observari debere, ac cum quibusvis clausulis, & Decretis, etiam motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus, etiam consistorialiter, & aliàs quomodocumque, & qualitercumque in genere, vel in specie, ad vitam, vel ad tempus, sive in perpetuum concessas, & datas, ac pluries, & iteratis vicibus confirmatas, & approbatas, revalidatas, & innovatas, & inde etiam Judicis auctoritate sequutâ, quæcumque, nec non quasvis Litteras etiam Apostolicas sub plumbo, vel in simili formâ Brevis, Motus proprii Cedulas, chirographa, & scripturas hujusmodi ex nunc perpetuò revocamus, cassamus, tollimus, abrogamus, irritamus, abolemus, viribusque, & effectu penitus, & omninò evacuamus, & revocata, cassata, sublata, & abrogata, irrita, abolita, annullata, viribusque, & effectu penitùs, ac omninò vacua esse, nec ulli prorsus in petitorio, aut possessorio, etiam summariissimo, contra præsentium Litterarum tenorem, & dispositionem suffragari posse, sed prædictos omnes, & singulos exemptos ad omnium, & singulorum onerum prædictorum solutionem, & supportationem pro ratâ eos tangente in posterum realiter, & cum effectu teneri in omnibus, & per omnia, perindè ac si dictæ exemptiones, & immunitates eis nullatenùs concessæ fuissent, nec Litteræ, ac cedulæ motus proprii, chirographa, & scripturæ hujusmodi unquam emanâssent, motu, scientiâ, deliberatione, & potestatis plenitudine prædictis decernimus, statuimus, & declaramus.

Etiam exemptis ratione appaltuum Cameralium.

Verba revocatoria.

Pro tempore futuro.

§. 3. Præterea omnia, & quæcumque privilegia, & indulta personis Ecclesiasticis tàm secularibus, quàm cujusvis Ordinis, Congregationis, & Instituti, ac Societatis, etiam Jesu, Regularibus super similibus immunitatibus, & exemptionibus per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores Nostros concessa, ad limites Juris communis motu, scientiâ, deliberatione, & potestatis plenitudine, & tenore prædictis reducimus.

Ecclesiasticorum privilegia reducuntur ad limites juris.

§. 4. Illa verò quæ nonnullis Collegiis in almâ Urbe Nostrâ existentibus per Dilectos Filios Clericos Regulares dictæ Societatis Jesu, sive alios quoscumque administrari consuetis, similiter à Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris concessa fuerunt, quoad victum, & vestitum dumtaxat, non autem, ut vulgò dicitur à fundaco, & magazzeno, prout antehac observatum fuit, suffragari volumus, & decernimus.

Concessa Collegiis Urbis restringuntur ad victum, & vestitum.

§. 5. Ac demum similia privilegia, & indulta Nepotibus, & aliis Consanguineis, vel Affinibus quorumcumque Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum pro tempore viventium ab illis respectivè concessa itidem revocata, & abolita esse, ac censeri debere volumus, & statuimus; Declarantes illa nemini eorundem Nepotum, sive Consanguineorum, vel Affinium à die Nostræ ad summi Apostolatus apicem assumptionis suffragari posse, & debere, seù potuisse, ac debuisse.

Abolentur concessa Nepotibus & conjunctis. Pontificum, & effectus retrotrahitur ad diê suæ assumptionis.

§. 6. Per præmissa autem non intendimus revocare exemptiones, & immunitates quibuscumque personis Ecclesiasticis tàm Secularibus, quàm Regularibus de jure competentes, neque Thesaurariis, Appaltatoribus, & Conductoribus bonorum, introituum, & jurium dictæ Cameræ Nostræ ab ipsa Camerâ, vel aliis illius nomine in appaltuum, & locationum instrumentis, & illorum ratione ex contractu, tituloque verè oneroso concessas.

Præservantur exemptiones certis personis de Jure competentes, vel ex contractu oneroso cum Camera.

§. 7. Ac insuper à revocationibus, & aliis supradictis excipimus, & exceptas esse volumus, & declaramus immunitates, & exemptiones quibusvis Universitatibus, & personis datas, & concessas in vim contractus ex causa verè onerosa, videlicet congruæ, & effectualis pecuniarum solutionis, & non aliàs eidem Cameræ Apostolicæ, vel ex aliis rationabilibus causis per Nos cognoscendis, & approbandis ut infrà, ac etiam declarandis: quas omnes causas onerosas nonnisi legitimas, ac licitas, & honestas, prout de jure approbare intendimus.

Præservantur exemptiones cõcessæ à Communitatibus ex contractu onerolo, & causis declarandis.

§. 8. Et propterea quicumque illas obtinent, eas in dictâ Camerâ citato Dilecto Filio ipsius Cameræ Commissario Generali verificare, & in ipsa Camerâ examinari, & admitti facere teneantur, etiamsi concessiones earundem immunitatum, & exemptionum, ac Litteræ, cedulæ, motus proprii, chirographa, & aliæ scripturæ desuper emanatæ, & emanata aliàs in Camerâ prædictâ admissæ, & admissa, ac in illa, ejusque libris registratæ, & registrata fuerint, & sint; quatenus tamen causæ onerosæ hujusmodi pro verè onerosis, & legitimis ut supra aliàs in eadem Cameâ verificatæ, & approbatæ, ac prævia judiciali discussione non sint legitimæ habitæ: quo casu ad indicationem tantùm, non autem ad aliam verificationem eosdem obtinentes teneri volumus, interim verò quamdiu non fuerint verificatæ, minimè suffragari, & præsentis revocationis effectum retardare non posse declaramus.

Forma reportandi declaratoriam exemptionis præservatæ.

§. 9. Prætereà Nostræ intentionis non est sub revocationibus, & aliis supradictis comprehendere immunitates, & exemptiones eisdem S. R. E. Cardinalibus ratione Dignitatis Cardinalatus, nec non Cameræ prædictæ Clericis Præsidentibus, aliisque Cameralibus, qui in eadem Camera sederunt, & sedent, concedi, seù admitti solitas; nec illas, quibus Prælati, & Officiales Romanæ Curiæ, ac Prælati domestici, Cubicularii secreti, ac Secretarii, & alii Familiares, & continui Commensales Nostri & Romani Pontificis pro tempore viventis, in rotulo descripti gaudent, & gaudere consueverunt, neque illas ob numerum duodecim filiorum à Prædecessoribus Nostris, & aliis suprà expressis concessas, quas tamen ad terminos Constitutionis rec. mem. Pii PP. IV. Prædecessoris pariter Nostri, quæ incipit: *Licet fel. rec. Paulus &c.* cujus tenorem præsentibus pro plenè, & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi, illamque exactè, & ad amussim juxtà illius seriem, tenorem, & dispositionem in omnibus, & per omnia servari debere volumus, & aliarum Constitutionum Apostolicarum super similium exemptionum declaratione editarum, & ad illas tantùm, & pro tempore, & personis, ac eo modo, & formâ, quibus de jure communi illis competunt, & aliàs juxta ipsius Juris communis, ac suprrdictarum, & aliarum Constitutionum Apostolicarum dispositionem reducimus; neque aliter quàm, ut præfertur, sive in possessorio, sive in petitorio suffragari volumus, & decernimus.

Excipiuntur Cardinales, Clerici Cameræ, & alii.

§. 10. Cæterùm Appaltatoribus, Thesaurariis, Depositariis, Commissariis, Executoribus, & cæteris Agentibus, & Ministris dictæ Cameræ, ac Communitatum, & Universitatum prædictarum earundem serie præsentium districtiùs inhibemus, ne contra ipsarum præsentium dispositionem, immunitates, & exemptiones, nisi ut supra exceptas, ac eas, quas ex causa verè onerosa concessas in Camera prædicta, ut præfertur, admitti contigerit, ullatenus admittant: & si si secus fecerint, id nemini eorum in suis computis, seu rationibus per eandem Cameram admitti volumus, sed eorum damno cessurum esse declaramus.

Injungitur Ministris observantia.

§. 11. Postremò lites quaslibet occasione privilegiorum, ac indultorum, nec non immunitatum, & exemptionum hujusmodi quomodolibet susçitatas, & in quibusvis Tribunalibus pendentes (illarum omnium, & singularum statum, & merita, nominaque, & cognomina Judicum, & collitigantium quorumvis, etiam speciali mentione dignorum, & alia etiam de necessitate specialiter exprimenda, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes) à quibuscunque Tribunalibus hujusmodi ad Nos earundem serie præsentium avocamus, illasque penitùs, & omninò perpetuò

Lites super præmissis extinguuntur.

ſupprimimus, & extinguimus, & pro ſuppreſſis haberi volumus, & declaramus, ac partibus perpetuum deſuper ſilentium imponimus.

Decretum ſuper obſtativis.

§. 12. Decernentes præſentes Litteras, ac omnia, & ſingula in illis contenta, etiam ex eo quòd quicumque in præmiſſis, ſive eorum aliquo intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet prætendentes illis non conſenſerint, ac ad ea vocati, & auditi, ſeu cauſæ, propter quas ipſæ præſentes emanarunt adductæ, verificatæ, ſeù aliàs ſufficienter, aut etiam ullatenus juſtificatæ non fuerint, aut ex aliâ quavis, quantumlibet legitimâ, piâ, juridicâ, & privilegiata cauſa, colore, prætextu, occaſione, & capite, etiam in corpore Juris clauſo, etiam enormis, enormiſſimæ, & totalis læſionis, nullo unquàm tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, ſeu intentionis Noſtræ, vel quorumvis intereſſe habentium conſenſûs, aut alio quovis, quantumvis magno, & ſubſtantiali, ac inexcogitato defectu notari, impugnari, invalidari, reſtringi, retractari, in jus, vel controverſiam revocari, ſuſpendi, limitari, aut ad terminos juris reduci, ſeù adverſus illas aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, aut aliud quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, aut impetrato, ſeù etiam motu ſimili conceſſo quempiam in judicio, vel extrà illud uti, ſeù ſe juvare poſſe, neque eaſdem præſentes ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium Conſtitutionum, ac revocationum, & ordinationum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, & aliis contrariis diſpoſitionibus pro tempore quomodolibet factis comprehendi aut comprehenſas cenſeri, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum, & validiſſimum ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenariè reintegratas, ac etiam ſub poſteriori datâ, quatenus opus ſit, de novo conceſſas, perpetuòque validas, firmas & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, ac obtinere, ac ab omnibus, ad quos ſpectat, & quandocumque ſpectabit, inviolabiliter obſervari.

Decretum irritans & clauſula ſublata.

§. 13. Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices, & Commiſſarios; etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac ejuſdem S.R.E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & quoſvis Sedis, & Cameræ prædictarum Officiales, & Miniſtros, & alios quoſcumque quavis auctoritate, & poteſtate fungentes nunc, & pro tempore exiſtentes; ſublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, & inane ſi ſecùs ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Executorum deputatio.

§. 14. Quocircà Dilectis Filiis Noſtro, ac S.R.E. prædictæ Camerario, ſeu Procamerario, nec non Vicecamerario, Theſaurario, ac Clericis Præſidentibus, Commiſſario, & aliis Cameræ prædictæ Officialibus, ad quos ſpectat, præcipimus, & mandamus, ut præſentem Noſtram Conſtitutionem, & in ea contenta quæcumque in omnibus, & ſingulis firmiter, & inviolabiliter obſervent, & faciant ab aliis obſervari.

Clauſulæ derogatoriæ.

§. 15. Non obſtantibus ſupradictarum litium pendentiâ, aliiſque omnibus, & ſingulis præmiſſis, nec non Noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ Regula de jure quæſito non tollendo, ac quatenùs opus ſit, prædicti Pii Prædeceſſoris de gratiis qualecumque intereſſe dictæ Cameræ concernentibus in eadem Camera præſentandis, ita ut præſentes in ea præſentari, aut regiſtrari nunquam neceſſe ſit, aliiſque Apoſtolicis, ac in Univerſalibus, Provincialibuſque Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & ordinationibus, nec non quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quavis firmitate alîa roboratis Statutis, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, conceſſionibus, immunitatibus, exemptionibus, chirographis, cedulis motuum propriorum, & aliis ſcripturis, & Litteris, etiam Apoſtolicis prædictis, & quibuſvis aliis, etiam, ut præfertur, qualificatis, ac ſpeciali notâ, & mentione dignis, etiamſi nominatim eſſent exprimendi, ſub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & aliis Decretis, etiam inexcogitabilibus, & neceſſariò exprimendis, etiam contractûs jurati cum Camerâ Noſtrâ Apoſtolicâ initi, & Camerali obligatione vallati, & quovis alio robore, & cautelâ firmatis, editis, ſeù factis, ac aliàs quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, confirmatis, & pluries innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi in eis caveatur expreſſè, quòd nullo unquam tempore ſub ſimilium, vel diſſimilium exemptionum, & immunitatum revocationibus, abrogationibus, annullationibus, aut aliis quibuslibet contrariis diſpoſitionibus, & Conſtitutionibus pro tempore edendis comprehendatntur, ſed ſemper ab illis excepta, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum, eumque validiſſimum ſtatum reſtituta, repoſita, & reintegrata, ac etiam ſub poſteriori datâ per quaſcumque perſonas eligendâ de novo conceſſa ſint, & eſſe cenſeantur, nec non pro ſufficienti eorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, individua, & expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio facienda, aut alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum omnium, & ſingulorum tenores, formas, & occaſiones præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, inſertis, ac ſervatis reſpectivè habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſſè derogamus, ac derogatum eſſe volumus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Publicari mandat. &

§. 16. Ut autem eædem præſentes Litteræ ad omnium notitiam faciliùs deveniant, volumus, & auctoritate Apoſtolica decernimus, illas ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Cancellariæ Apoſtolicæ, ac in acie Campi Floræ de Urbe per aliquem ex Curſoribus Noſtris publicari, ac illarum exempla ibidem affixa relinqui, quæ ſic publicatæ omnes, & ſingulos quos concernunt, perinde afficiant, ac ſi illorum unicuique perſonaliter notificatæ, & intimatæ fuiſſent.

Fidem tranſſumptis adhiberi.

§. 17. Utque earundem præſentium tranſſumptis, ſeù exemplis, etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in Eccleſiaſtica Dignitate conſtitutæ munitis eadem fides in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datæ Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 5. Novembris 1691. Pontificatus Noſtri anno primo.

P.A. primo 5. Novembris 1691.

J. F. Cardinalis Albanus.

Publicatio

Anno à Nativitate D. N. Jeſu Chriſti milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo primo, Indictione decimâ quintâ, die verò quinta Novembris, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. Innocentii Divina Providentia Papæ XII. Anno ejus primo, ſupradictum Breve affixum, & publicatum fuit ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Cancellariæ Apoſtolicæ, & in acie Campi Floræ, ac aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Hippolytum Petrettum Sanctiſſ. D. N. Papæ Curſorem.

Pro D. Mag. Curſorum Agapitus de Magiſtris Apoſt. Curſ.

Jubileum

X.

Jubileum Universale ad implorandum Divinum auxilium initio sui Pontificatus pro salutari Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ regimine.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Universis Christi fidelibus præsentes Litteras inspecturis salutem, & Apostolicam benedictionem.

Exorditur à sua humilitate, & ab afflicto statu, & periculis Christianitatis.

AD Catholicæ Ecclesiæ regimen per ineffabilem Divinæ bonitatis abundantiam, cui proprium est infirma Mundi eligere, & dexteræ suæ potentiâ facere fortia, post diuturnam Apostolicæ Sedis vacationem, nullis Nostris suffragantibus meritis evecti, paruimus quidem, ut par erat, supernæ vocis imperio, quâ super Nos Deus Majestatis intonuit, firmâ spe, atque fiduciâ in Domino freti, ut qui Nobis honoris autor fuerat, ipse Nobis fieret administrationis adjutor, ac ne sub magnitudine gratiæ succumberemus infirmi, virtutem daret qui contulit Dignitatem. Verùm, dum onerosam curarum Pontificiarum molem humilitati Nostræ impositam seriò contuemur, & luctuosum undequaque hoc tempore Christianæ Reipublicæ statum Apostolicæ charitatis studio consideramus, anticipaverunt vigilias oculi Nostri, atque inter mœrores, & suspiria cum Prophetâ regio exclamare compellimur: Exaltatus humiliatus sum, & conturbatus: terrores tui conturbaverunt me: circumdederunt me, sicut aqua totâ die, circumdederunt me simul. Ardet siquidem cum gravissimo totius ferè Europæ incendio, ut cum maximè pertinax inter Christianos Principes bellum, quo pleræque eæque florentissimæ Christiani Orbis Provinciæ tot per annos agitatæ, tamquam virgâ furoris Domini affliguntur. Immitis Turcarum Tyrannus non minùs nuperis cum immortali Christiani nominis gloriâ acceptis cladibus irritatus, quàm ingravescentibus in dies Orthodoxorum dissensionibus in spem adductus, efferatiori rabie, bellum instaurare satagit, collectisque tot Provinciarum, & Regnorum, quæ tyrannide suâ opprimit, viribus, præteritam ignominiam abolere, ac pernicioſos conatus suos, qui protegente Domino incassum hactenùs ceciderunt, ad exitum deducere, suæque perfidiæ abominationem in agro Dei viventis plantare, & latiùs propagare meditatur. Crescunt quotidie in Catholicæ Fidei perniciem Hæreticorum vires, Sanctæque Dei Ecclesiæ facies, quà multiplicatis in Religione dissidiis lacera, quà filiorum suorum iniquitatibus fœdata, colore in pallorem mutato, animæ nostræ amaritudines cumulatissimè adauget. Dira Epidemiæ lues ante oculos penè Nostros sævire adhuc non cessat. Omne caput languidum, & omne cor mœrens. Ubique terror, ubique luctus, ubique malorum impendentium formido, ita ut si unquam, certè nunc gravem manum Domini sentiamus, flagitiis hominum ejus iram jugiter provocantibus. Sed numquid in æternum projiciet Deus? aut non apponet ut complacitior sit adhuc? Absit. Non enim obliviscitur misereri Dominus, nec continet in ira misericordias suas; Sed qui multus est ad ignoscendum, ac propitiatur invocantibus eum in veritate, effundet in Nos divitias misericordiæ suæ, si iniquitates nostras, quibus eum offendimus nimis, humili confessione agnoscentes, dignos pœnitentiæ fructus faciamus, & obsecrationes nostras jejuniorum, atque eleemosynarum viribus roboratas, ad Altare Dei Patris misericordiarum jugiter offeramus. Concordibus itaque votis præstabilem super hominum malitiâ Dei bonitatem invocemus, ut clementissimus Dominus, qui dat lasso virtutem, & his, qui non sunt, fortitudinem, & robur multiplicat, confortet Nos in potentia virtutis suæ, repleatque Nos agnitione voluntatis suæ in omni sapientia, & intellectu spirituali, effundens super Nos spiritum consilii, & fortitudinis, quo inter rerum, ac temporum difficultates agnoscamus quæ agenda sunt, oculisque in Deum semper intentis quæ recta sunt salubriter perficiamus. Oremus unanimiter, ut Dominator Exercituum, qui conterit bella ab initio, erigat brachium suum sicut ab initio, & illidat virtutem inimicorum nostrorum in virtute suâ. Clamemus, ut qui facit pacem in sublimibus, & Reges in thronis collocat, dies nostros in sua pace disponat, ac Principum Christianorum animos, sublatis discordiis, quibus componendis frustra videntur esse humana consilia, nisi cœlesti ope adjuventur, fortiter, ac suaviter vinciat in vinculo charitatis. Rogemus magnum Patrem familias, ut vineam suam electam custodiat, quam plantavit, Hæreticos, & Schismaticos ad Catholicæ Fidei veritatem, & Ecclesiæ unitatem revocet, suum denique Populum ab iracundiæ suæ terroribus liberet, & per viam mandatorum ejus ambulantem gratiæ suæ donis in hac peregrinatione confoveat, & ad propositum æternæ beatitudinis præmium feliciter perducat.

Narrat Bella inter Principes Christianos, rabiem Turcarum, vires Hæreticorum, & epidemiam.

Sperandum in Divina misericordia.

Hortantur ad orationes, eleemosynas, jejunia.

§. 1. Hæc autem, ut ferventiori spiritus ardore majorique fructu fiant, priscum Romanorum Pontificum Prædecessorum morem secuti, cœlestium munerum thesauros, quorum dispensationem Fidei Nostræ commisit Divina dignatio, aperire, & liberali manu erogare decrevimus. Itaque de omnipotentis Dei Misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ex illa ligandi, atque solvendi potestate, quam Nobis Dominus, licèt indignis, contulit, Universis, & singulis utriusque sexûs Christifidelibus in Alma Urbe Nostra degentibus, qui solemni Processioni, quæ feriâ quartâ proximæ Hebdomadæ ab Ecclesiâ Sanctæ Mariæ Angelorum in Thermis ad Basilicam ejusdem Sanctæ Mariæ Majoris nuncupatam de eadem Urbe, benedicente Domino, agetur, devotè interfuerint, vel Sancti Joannis in Laterano, Principis Apostolorum, & Sanctæ Mariæ Majoris Ecclesias, seu Basilicas, vel earum aliquam intra spatium ejusdem, vel proximè subsequentis Hebdomadæ saltem semel visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium devotè, ut suprà, Deum oraverint, ac quartâ, & sextâ feriâ, ac Sabbato alterius Hebdomadis jejunaverint, & peccata sua confessi, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in Dominica die immediatè sequenti, vel alia die intra eandem Hebdomadam reverenter sumpserint, ac pauperibus aliquam eleemosynam, prout unicuique suggeret devotio, erogaverint; Cæteris verò extrà Urbem prædictam ubicumque degentibus, qui Ecclesias ab Ordinariis locorum, vel eorum Vicariis, seu Officialibus, aut eorum mandato, & ipsis deficientibus, per eos, qui ibi curam Animarum exercent, postquàm ad eorum notitiam hæ Nostræ pervenerint, designandas, vel Ecclesiarum hujusmodi aliquam spatio duarum similiter Hebdomadarum à publicatione designationis per Ordinarios, vel eorum Vicarios, seu Officiales, vel alios, ut præfertur, faciendæ decursurarum saltem semel visitaverint, ibique ut supra oraverint, ac quartâ, & sextâ feriâ, ac Sabbatho alterius ex Hebdomadis hujusmodi jejunaverint, pariterque peccata sua confessi, ac in die Dominicâ immediatè sequenti, vel alia die intra eandem Hebdomadam Sanctissima Communione, refecti fuerint, & pauperibus aliquam eleemosynam, ut præmittitur, erogaverint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem, sicut in anno Jubilei visitantibus certas Ecclesias intra, & extra Urbem prædictam concedi consuevit, tenore præsentium concedimus, & elargimur.

Indicit Jubileum Universale ac præscribit adimplenda in Urbe.

Facienda degentibus extra Urbem.

§. 2. Navigantes verò, & iter agentes, ut cum primum ad sua sese domicilia receperint, suprascriptis peractis, & visitatâ Ecclesia Cathedrali, vel majori, aut Parochiali loci eorum domicilii,

Pro navigantibus, iter agentibus, Regularibus,

captivis, infirmis, & impeditis.

micilii, eandem Indulgentiam consequi possint, & valeant: Regularibus autem personis utriusque sexus, etiam in claustris perpetuò degentibus, nec non aliis quibuscumque tam Laicis, quam Ecclesiasticis Secularibus, vel Regularibus, etiam in carcere, aut captivitate existentibus, vel aliquâ corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa, vel eorum aliqua præstare nequiverint, ut illa Confessarius ex jam approbatis à locorum Ordinariis ante præsentium publicationem, seu approbandis, eis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque injungere, quæ ipsi pœnitentes efficere poterunt, pariter concedimus, & indulgemus. Insuper omnibus, & singulis Christi fidelibus utriusque sexus tàm Laicis, quam Ecclesiasticis Secularibus, & Regularibus cujusvis Ordinis, Congregationis, & Instituti, tàm in Urbe præfatâ, quàm extrà eam ubique locorum, ut præfertur, degentibus licentiam concedimus, & facultatem, ut sibi ad ad hunc effectum eligere possint quemcumque Presbyterum Confessarium, tam Secularem, quam cujusvis Ordinis, & Instituti Regularem ex approbatis, ut præmittitur, à locorum Ordinariis, qui eos ab excommunicationis, suspensionis, & aliis Ecclesiasticis sententiis, & censuris à jure, vel ab homine quavis causa latis, seu inflictis, nec non ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, & delictis, quantumvis gravibus, & enormibus, etiam locorum Ordinariis, sive Nobis, & Sedi Apostolicæ, etiam in Litteris die Cœnæ Domini legi solitis contentis, & aliàs per quascumque Nostras, aut Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum Constitutiones, quarum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis, quomodocunque reservatis, in foro conscientiæ & hac vice tantùm absolvere, & liberare valeant: Et insuper Vota quæcumque (religionis, & castitatis exceptis) in alia pia, & salutaria opera commutare, injunctâ tamen eis, & eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus pœnitentiâ salutari, aliisque ejusdem Confessarii arbitrio injungendis.

Facultas eligendi Confessarios etiam pro Regularibus.

De Votorum commutatione

§. 3. Quapropter tenore præsentium in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipimus, atque mandamus omnibus, & quibuscunque Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, ac quibuscumque Ordinariis locorum ubicumque existentibus, eorumque Vicariis, & Officialibus, vel iis deficientibus, illis, qui curam Animarum exercent, ut cùm præsentium Litterarum transsumpta, aut exempla, etiam impressa, acceperint, illa statim absque ulla mora, retardatione, vel impedimento per suas Ecclesias, & Diœceses, Provincias, Civitates, Oppida, Terras, & loca publicent, & publicari faciant, Ecclesiamque, seu Ecclesias visitandas designent.

Præcipit Iubileum ab Ordinariis ubique publicari.

§. 4. Non intendimus autem per præsentes super aliqua irregularitate publica, vel occulta, nota, defectu, incapacitate, seu inhabilitate quoquo modo contracta dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seu habilitandi, & in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiæ; neque etiam easdem præsentes iis, qui à Nobis, & Apostolica Sede, vel ab aliquo Prælato, seu Judice Ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seu aliàs in sententias, & censuras incidisse declarati, vel publicè denunciati fuerint, nisi infrà tempus dictarum duarum hebdomadarum satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse, aut debere.

Declaratio in quibus non intendit dispensare.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, præsertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes, vel dissimiles indulgentiarum, & facultatum hujusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio, aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant, nec non Regulâ Nostrâ de non concedendis indulgentiis ad instar, ac quorumcumque Ordinum, & Congregationum, sivè Institutorum Regularium, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus: privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis eisdem Ordinibus, Congregationibus, & Institutis, illorumque personis quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servenda foret, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis, ac formam in eis traditam pro servatâ habentes, hac vice specialiter, nominatim, & expresè ad effectum præmissorum derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Derogio contrariis.

§. 6. Ut autem præsentes Nostræ, quæ ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam faciliùs deveniant, volumus, ut earumdem præsentium transsumptis, vel exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ munitis, ubique locorum, & gentium eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 12. Novembris 1691. Pontificatus Nostri Anno Primo.

Transsumptorum fides.

A. 1. 12. Novembris 1691.

J. F. Cardinalis Albanus.

Anno à Nativitate D. N. Jesu Christi millesimo sexcentesimo nonagesimo primo, Indictione decimâ quintâ, die verò decimâ sextâ mensis Novembris, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Innocentii Divina Providentia Papæ XII. Anno ejus primo, supradictum Breve affixum, & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Lateranensis, Principis Apostolorum, & Sanctæ Mariæ Majoris de Urbe, & in Acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Hippolytum Petrettum Sanctissimi N. Papæ Cursorem.

Publicatio

Pro D. Mag. Cursorum Gregorius Staggius Dec.

XI.

Concessio Privilegiorum pro nonnullis suis Familiaribus.

INNOCENTIUS PAPA XII.

VEnerabilibus Fratribus Herculi Vicecomiti Damiaten. Palatii Nostri Apostolici, & Balthassari Cincio Lariſſen. Archiepiscopis Cubiculi Nostri, necnon Josepho Eusanio Episcopo Porphyrien. Sacrarii Nostri respectivè Præfectis; ac Dilectis Filiis Magistris Mario Spinulæ Januen. Litterarum Nostrarum, quæ ad Principes scribuntur, Secretario, & Iosepho Sacripanti Narnien. in utraque Signatura Nostra Referendarii, Subdatario, Prælatis Domesticis Nostris; ac Faustino Crispoldi Perusin., Vincentio Ricci Senogallien. Notarum arcanarum Secretario, Ioanni Camporeali Interamnen., Petro Laurentio Landucci de Piscia Nullius Diœcesis Provinciæ Florentin., Ansaldo de Ansaldis Florentin. Auditori, Josepho Antolini Lauretan., Carolo Augustino Fabroni Pistorien. libellorum supplicum Nobis porrectorum Secretario, Julio Ricci Romano Vestiario, & Eleemosynario Secreto, Thomæ Emanueli de Zarate Calaguritan., Ioanni Carolo de Talliafer de Barriere Petrocorien., Marcello Malpighi Bononien. Medico Secreto, ac Iosepho Lothario Comiti de Kinigsegh Vien-

Nomina Familiarium Sanctitatis Suæ.

nen. Cubicullariis Intimis, seu Secretis, nec non Urbano Roccio Romano Florerio Majori, & Theodorio Collesio Pistorien. Fratri Militi Magnæ Crucis Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani, ac Comiti Alexandro Capisucchio Romano itidem Cubicullariis Secretis; Ac Augustino Sebastiani Camerinensi, Julio Cæsari Bernardini Tudertino, & Joanni Baptistæ Capilupi Matheranen. Cappellanis Secretis; nec non Joanni Francisco Agliaudi Taurinen., Josepho Marabini Imolen., & Carolo Nicolao Antolini Lauretan. respectivè Civitatum, vel Diœcesium Clericis, seu Presbyteris, vel Laicis, Cubiculi Nostri Adjutoribus, Familiaribus, continuis Comensalibus Nostris, salutem, & Apostolicam benedictionem. Circumspecta Romani Pontificis gratiarum dispensatoris providentia devotos, & fideles suos, illos præsertim, qui grata familiaritatis obsequia jugiter ei impendunt, ac quos ad id aliàs propria virtutum merita commendant, honoris, & famæ ampliorib⁹ præconiis, ac præclaris Dignitatum titulis decorare, & ornare, nec non specialis benevolentiæ favoribus amplecti solet, prout personarum qualitatibus conspicit convenire.

Exordium à solito fa-vendi Familiaribus

§. 1. Hinc est, quòd Nos ad grata familiaritatis obsequia, quæ vos, qui etiam continui Commensales Nostri existitis, & quilibet vestrûm Nobis hactenùs impendistis, & adhuc sollicitis studiis impendere non desistitis, nec non ad vitæ, ac morum honestatem, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, quibus personas vestras etiam familiari experientiâ juvari percepimus, condignam rationem habentes, ac propterea easdem personas vestras peculiaris favore gratiæ, ac specialis honoris, excellentiæ, & Dignitatis titulo sublimare volentes, vosque, & quemlibet vestrum à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quâvis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existitis, ad effectum præsentium dumtaxat consequen., harum serie absolventes, & absolutos fore censentes; Motu proprio, non ad vestram, vel alteriùs pro vobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de mera liberalitate & certa scientia Nostris, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, vos, & quemlibet vestrum respectivè in Nostros, & Sedis Apostolicæ Notarios (sine tamen præjudicio Dilectorum Filiorum Notariorum de numero participantium) Apostolicâ auctoritate tenore præsentium recipimus, ac Sacri Palatii, & Aulæ Lateranen. Comites, nec non auratæ Militiæ Equites, ac Nobiles Romanos, & Urbis Romæ, ac Civitatum Avenionen. Bononien. Ferrarien., & Beneventan. omniumque, & singularum aliarum Civitatum, Terrarum, & Locorum Romanæ Ecclesiæ mediatè, vel immediatè subjectorum Cives cum omnibus juribus, jurisdictionibus, prærogativis, & insignibus debitis, & consuetis creamus, & constituimus, ac in numerum, & consortium aliorum Nostrorum, & ejusdem Sedis Notariorum, nec non Palatii, & Aulæ hujusmodi Comitum, Equitum, & Nobilium Romanorum, aliorumque Civium Civitatum, & Terrarum prædictarum referimus, & conscribimus; Vobisque, etiamsi habitum, & rocchetum Notariorum dictæ Sedis juxtà Decreta Lateranen. Concilii noviss̃imè celebrati non deferatis, aut Civitates hujusmodi non incolueritis, nec unquam in eisdem Civitatibus domicilium habueritis, ut omnibus, & quibuscunque privilegiis, & facultatibus, exemptionibus, immunitatibus, Libertatibus, favoribus, gratiis, & indultis quibus cæteri omnes Notarii Nostri, etiam de numero participantium, ac Comites, Equites, & Nobiles (citrà tamen exemptiones à Sacro Concilio Tridentino sublatas, ita ut nedum quoad criminalia, sed etiam quoad Civilia subjaceatis Ordinariis; ac citrà facultates legitimandi, ad gradus promovendi, Notarios, seu Tabelliones creandi, aliaque hujusmodi privilegia à Notariis, & Comitibus præfatis prætensa; itaut illis nullibi uti valeatis, ac irritum, & inane existat quicquid secùs per vos, aut quemlibet vestrum respectivè attentari contigerit) nec non Cives originarii, etiam in Dignitatum, Beneficiorum, & officiorum Ecclesiasticorum, ac Secularium, etiam ex personis Romanorum Civium originariorum vacantium assecutione, & exercitio, tam in Urbe, quàm in omnibus, & singulis Civitatibus prædictis, & aliàs ubique Locorum, & gentium, nec non sessionum, & conventuum utuntur, potiuntur, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, non solùm ad eorum instar, sed pariformiter, & æquè principaliter, ac si privilegia, facultates, exemptiones, gratiæ, & indulta hujusmodi pro vobis emanassent, uti, potiri, & gaudere, ac in omnibus, & singulis Apostolicis, aliisque Literis, instrumentis, & scripturis publicis, & privatis deinceps nomine vestro conficiendis Notarios, Comites, Equites, & Nobiles, ac de Nobili genere ex utroque parente procreatos, nec non Romanæ, & aliarum Civitatum, & Terrarum Cives, prout libuerit, vos inscribere, & illis subscribere valeatis, ac pro veris, & non fictis Notariis, Comitibus, Equitibus, & Nobilibus, ac Civibus habeamini; nihilque, qualecumque illud fuerit, cum iis subscriptionibus subreptitium, vel obreptitium, aut invalidum, sed illud idem efficax in omnibus censeatur.

Motu proprio creat Protonotarios, Comites Palatinos, Equites, Nobiles Romanos, ac Cives Urbis, & aliarum Civitatum

§. 2. Nec non honoris causâ insignia gentis Nostræ sivè integrè, sivè cum vestris respectivè compositis gestare possitis, prout vobis placuerit, concedimus.

Concedit insignia gentilitia Suæ Sanctitatis.

§. 3. Et insuper vos, vestraque Beneficia, & officia Ecclesiastica quæcunque, quotcunque, & qualiacunque, illorum fructus, res, & jura ubicunque locorum, Regnorum, & Provinciarum, nec non in Urbe, Civitatibus, Terris, & locis eidem Romanæ Ecclesiæ mediatè, vel immediatè subjectis consistentia, prædia, domos, possessiones, & bona patrimonialia, aliaque temporalia mobilia, & immobilia, ac se moventia, nec non actiones, & jura præsentia, & futura, cujuscunque qualitatis, quantitatis, & naturæ, ac cujusvis etiam annui valoris fructus, reditus, & proventus hujusmodi sint, vel fuerint, ac etiam quæcunque à vobis vendenda, ac pro vestris, ac familiarum vestrarum usibus emenda ab omnibus, & quibuscunque decimis, quartis, & dimidiis partibus, subsidiis, etiam charitativis, nec non vectigalibus, portoriis, tributis, datiis, pedagiis, collectis, & quocunque alio nomine nuncupatis angariis, perangariis, cæterisque oneribus, & contributionibus tàm Urbanis, quàm rusticis, ordinariis, & extraordinariis, realibus, personalibus, & mixtis, etiam ratione munitionum, mœnium, & pontium, portarum, & moliturarum, & mercium cujuscumque generis, transitus, seu passus, & vecturæ, etiam in aliud Territorium, seu Provinciam, Terrâ, Mari, & Flumine, nec non equorum mortuorum, stabulationum militum, institutionis Seminarii Ecclesiastici, aut quacunque alia quantumvis gravi, & gravissimâ causâ (pro subventione contrà Infideles dumtaxat exceptâ) nunc & pro tempore impositis, ita quòd vos, & quilibet vestrum nihil omninò horum, aut aliorum similium subire teneamini, nec per Cameræ Apostolicæ, aut alios Commissarios, seu vectigalium, & tributorum hujusmodi Redemptores, Conductores, & Exactores, quocunque privilegio, exemptione, & facultate suffultos aliàs, quàm, ut præfertur, valeatis coarctari (quamdiu servitiis Nostris insiteritis dumtaxat) eximimus, & liberamus.

Exemptio à decimis, impositionibus, taxis, vectigalibus, ac tributis durante servitio.

Concilii Tridentini reformatio præservatur; & in aliquibus privilegium restringitur.

§. 4. Ad hæc vobiscum, & cum quolibet vestrûm respectivè, ut quæcumque duo dissimilia, vel simplicia similia sub singulis tribus tectis quarumcumque trium Cathedralium, etiam Metropolitanarum, aut aliarum, etiam Collegiatarum Ecclesiarum consistentia, etiamsi unum ex illis omnibus cum curâ, aut Dignitas, etiam major, & præbenda, personatus, administratio, vel officium fuerit, & ad Dignitatem, personatum, administrationem, vel officium

Indultum retinendi duo Beneficia sub eodem tecto, in tribus Ecclesiis.

hujusmodi consueverit quis per electionem assumi, eique cura etiam jurisdictionalis immineat animarum, si alicui vestrûm aliàs Canonicè conferantur, aut quisque vestrûm eligatur, præsentetur, aut aliàs assumatur ad illa, & instituatur in eis, recipere, & dummodò illa omnia (uno excepto) personalem residentiam non requirant, insimul quoad vixeritis, retinere;

Indultum non residendi durante servitio, & percipiendi fructus in absentia.

§. 5. Nec non etiam, quamdiu Nobis inservieritis tantùm, in Beneficiis Ecclesiasticis, etiam curatis (non tamen Parochialibus, nec curatis curâ animarum Parochianorum) per vos pro tempore respectivè obtentis, etiam de jure, Statuto, fundatione, vel privilegio, personalem residentiam requirentibus, etiamsi Dignitates in Cathedralibus, etiam Metropolitanis post Pontificalem majores, ac Collegiatis Ecclesiis hujusmodi principales fuerint, personaliter residere non teneamini, nec per locorum Ordinarios, aut Ecclesiarum earundem Capitula, seu quosvis alios ad residendum interim in illis inviti compelli possitis, omnesque, & singulos nihilominùs vestrorum Beneficiorum obtentorum fructus, reditus, & proventus, durante servitio prædicto, cum eâ integritate (distributionibus quotidianis dumtaxat exceptis) cum qua illos percipere tis, si in eisdem Ecclesiis, sivè locis personaliter resideretis, percipere, exigere, & levare;

Indultum etiam terminato servitio suscipiendi Ordines extra tempora. & sine licentia Ordinarii.

§. 6. Ac interim, vel postmodum si volueritis, in Romana Curia, vel extrà eam à quocumque, quem malueritis, Catholico Antistite gratiam, & communionem ejusdem Sedis habente, quem duxeritis eligendum, ad omnes, etiam sacros, & Presbyteratus Ordines aliquibus tribus Dominicis, vel aliis festivis diebus, etiam extrà tempora à jure statuta, proprii Ordinarii, aut cujusvis alterius licentiâ desuper minimè requisitâ, si aliàs ad id idonei reperti fueritis, super quo Antistitis conscientiam onera mus, promoveri, & promoti in illis etiam in altaris ministerio ministrare.

Audiendi Jus civile, legendi, & causas Ecclesiasticas, & Civiles patrocinandi

§. 7. Nec non, etiamsi Presbyteri fueritis, ac Dignitates, & Officia obtinueritis, Leges, & Jura civilia, etiam publicè in Scholis, & Universitatibus studiorum generalium ad quinquennium dumtaxat, dummodo trigesimum ætatis annum non excesseritis, audire, & si habiles, & sufficientes reperti fueritis, etiam ad Doctoratus gradum in hujusmodi facultate vos promoveri facere, ipsaque jura etiam publicè docere, atque Judicis, Advocati, & Procuratoris officium in causis Ecclesiasticis, & civilibus tantùm exercere liberè, & licitè possitis, & valeatis, auctoritate, & tenore prædictis de specialis dono gratiæ dispensamus.

Eligendi Confessarium, qui à censuris, & reservatis absolvere, & vota commutare valeat.

§. 8. Liceat quoque vobis, & cuilibet vestrûm aliquem idoneum, & approbatum ab Ordinario Presbyterum Secularem, vel cujusvis Ordinis Regularem in vestrum eligere Confessorem, qui vitâ cujuslibet vestrum comite, vos, & quemlibet vestrûm à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, & per vos incursis, & quibus vos etiam Apostolica auctoritate illaqueari contigerit, etiamsi absolutio Nobis, & Successoribus Nostris Romanis Pontificibus pro tempore existentibus specialiter, & generaliter reservata existat, & quorumcumque votorum, & Ecclesiæ præceptorum transgressionibus, homicidio casuali, manuum violentarum in quasvis personas, etiam Ecclesiasticas (non tamen Episcopos, vel alios Superiores Prælatos) de præterito injectionibus, seu consilii, vel favoris ad id præstationibus, jejuniorum omissionibus (non tamen recitationis horarum Canonicarum, aliorumque Divinorum officiorum) & denique ab omnibus, & quibuscumque aliis vestris peccatis, criminibus, & excessibus, ac delictis, quantumcumque gravibus, & enormibus, etiam talibus, propter quæ Sedes prædicta meritò consulenda foret, videlicet à contentis in Litteris die Cœnæ Domini publicari consuetis, semel tantùm in vitâ, & mortis articulo; in reliquis verò dictæ Sedi quomodocumque reservatis, aliisque quibusvis casibus semel in anno, confessioni bus vestris diligenter auditis (sine tamen alicujus præjudicio) auctoritate Apostolicâ absolvere, & vobis pro commissis pœnitentiam injungere salutarem; nec non vota quæcumque (ultramarino, visitationis liminum Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum, castitatisque, & Religionis votis exceptis) in alia pietatis opera commutare valeat.

Facultas transferendi pensiones etiam aliàs translatas usque ad summam 300. ducatorum.

§. 9. Vobisque ulteriùs, & cuicumque vestrûm respectivè, ut quicumque loci Ordinarii, vel Canonici Metropolitanarum, seu aliarum Cathedralium Ecclesiarum, aut personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ tam in dicta Curia, quàm extrà eam ad id per vos respectivè coram Notario, & testibus fide dignis eligendi, seu eligendæ, quascumque pensiones annuas vobis super mensarum Abbatialium, seu Capitularium, ac Episcopalium, & Archiepiscopalium, ac quorumcumque Beneficiorum Ecclesiasticorum cum curâ, & sine cura Secularium, & quorumvis Ordinum, & Militiarum Regularium, etiam Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani prædicti, quomodocumque, & qualitercumque qualificatorum fructibus, reditibus, proventibus, juribus, obventionibus, & distributionibus, etiam quotidianis, seu illarum loco, fructus, reditus, proventus, jura, obventiones, distributiones, & emolumenta vobis nunc, & pro tempore assignata, & reservata, ac reservanda, pro summa videlicet trecentorum ducatorum auri de Camerâ quoad singulos vestrum, quandocumque alicui vestrûm respectivè placuerit, simul, vel successivè, in toto, vel in parte, etiam in cujuslibet vestrûm mortis articulo, cassare, & extinguere, ac postquam cassatæ, & extinctæ fuerint, aliàs similes pensiones annuas super eisdem fructibus, reditibus, proventibus, juribus, obventionibus, & distributionibus, & emolumentis, seu illarum loco fructus, reditus, proventus, jura, obventiones, distributiones, & emolumenta hujusmodi usque ad summam, & quantitatem prædictam uni, vel pluribus aliis personis etiam per vos nominandis, etiam quæcumque, quotcumque, & qualiacumque Beneficia Ecclesiastica obtinentibus, & expectantibus Clericis, seu Clericali charactere insigniri volentibus, etiam eis quoad vixerint, seu eorum Procuratoribus, ad id speciale ab eis mandatum habentibus, iisdem modo & formâ, quibus vobis assignatæ, & reservatæ, seu assignata, & concessa fuerint respectivè, etiam absque consensu easdem pensiones solvere debentium, etiamsi illas, vel illa aliàs cassari, & reservari de novo faciendi facultatem non habueritis, ac pensiones & fructus, reditus, proventus, jura, obventiones, ac distributiones, & emolumenta hujusmodi, etiam pluries cassata & de novo assignata fuerint, usque ad summam, & quantitatem prædictam, etiam Literis Apostolicis super reservationibus, & assignationibus hujusmodi non confectis, ac aliàs cum omnibus, & quibuscumque exemptionibus, privilegiis, Decretis, clausulis, cautionibus, vinculis, obligationibus, & cautelis, ac etiam censuris, & pœnis in prioribus reservationibus hujusmodi concessis, & contentis, nec non subrogatione in quibusvis vestris juribus, etiam quoad quasi possessionem exigendi, in quâ tunc eritis, integrè persolvendas, servatâ tamen formâ Constitutionis fel. rec. Innocentii Papæ XI. Prædecessoris Nostri super translationibus pensionum editæ, reservare, constituere, & assignare valeant, auctoritate, & tenore prædictis de speciali gratiâ indulgemus.

§. 10. Nec

Facultas testandi & de possessionibus ad summam usque sex mille ducatorum quomodolibet etiam sine solemnitatibus disponendi.

§. 10. Nec non etiam vobis, ut de omnibus, & singulis domibus, prædiis, possessionibus, terris, & locis ac jurisdictionibus, cæterisque bonis mobilibus, & immobilibus, quæ tamen non sint Altaris, seu Altarium Ecclesiarum vobis commissarum ministerio, seu alicui speciali earundem Ecclesiarum Divino cultui, seu usui deputata, seque moventibus, cujuscumque qualitatis, quantitatis, valoris, speciei, pretii, & conditionis, existentibus, ac juribus, & actionibus, ad vos ratione Ecclesiarum, etiam Cathedralium, & Metropolitanorum, quibus vos forsan præesse contigerit, nec non Monasteriorum, Prioratuum, Præpositurarum, Dignitatum, & aliorum quorumcumque Beneficiorum Ecclesiasticorum, cum curâ, & sine curâ secularium, & quorumvis Ordinum regularium, quæ etiam ex quibusvis concessionibus, & dispensationibus Apostolicis in titulum, comendam, administrationem, ac aliàs quomodolibet obtinueritis, obtinetis, & obtinebitis, ac fructuum, redituum, & proventuum Ecclesiasticorum loco pensionum, ipsarumque pensionum annuarum super similibus fructibus, redditibus, & proventibus, vobis reservatorum, & assignatarum, ac reservandorum, & assignandarum, quos & quas perceperitis, percipitis, & percipietis in futurum, nec non emolumentorum quorumcumque Romanæ Curiæ Officiorum, & aliàs quomodolibet spectantibus, & pertinentibus, ac etiam de dictis proventibus, fructibus, redditibus, & pensionibus annuis, nec non vestrâ, & cujuslibet vestrum industriâ, & labore quomodolibet, & undecumque, licitè tamen acquisitis, & acquirendis, ac aliàs etiam de muneribus, & officiis quæ exercueritis, & vos exercere contigerit, & aliàs quâvis occasione, vel causâ, seu contemplatione ad vos perventis, & perventuris, etiamsi in pecuniâ numeratâ, & jocalibus, gemmis, aliisque pretiosioribus rebus consistant, tam in dictâ Curia quàm extrà eam ubique locorum, etiam penes Beneficia ipsa existentibus (quorum omnium qualitates, & veros etiam annuos valores, etiamsi talia forent, quæ generali appellatione bonorum & suppellectilium non venirent, sed specialibus indigerent vocabulis, præsentibus, ac si specificè, & sigillatim exprimerentur, & denominarentur, pro sufficienter expressis, ac declaratis haberi volumus) usque ad summam sex millium ducatorum auri de Camerâ, pro unoquoque vestrûm, ac etiam de ipsis fructibus, reditibus, & proventibus, & pensionibus debitis, & debendis (servatâ tamen formâ Constitutionum Apostolicarum jam editarum, & si quas deinceps edi contigerit super fructibus inexactis) etiam cumulativè cum quibusvis aliis similibus, vel dissimilibus facultatibus habitis, & habendis, tam pro decentibus, & honestis impensis funeribus, quàm etiam pro remuneratione illorum, qui vobis viventibus servierint, etiam ultrà servitii meritum, ac in vestrorum consanguineorum, & affinium, ac quorumcumque locorum piorum favorem, & usum, ac aliàs pro arbitrio, & voluntate vestris, & cujuslibet vestrûm absolutis testari, & testamento, codicillis, fideicommissis, legatis, donationibus, tàm inter vivos, quàm causâ mortis, & aliis quibuscumque modis, & titulis, scripturâ etiam minùs solemni coram duobus, vel tribus testibus, aut etiam cedula solâ manu vestra scriptâ, vel scripturâ, & aliàs in omnibus, & per omnia, prout & quomodolibet vobis videbitur, etiam in ipsâ Curiâ, & in mortis articulo, etiam nulla facta mentione præsentis, vel aliarum vobis pro tempore concessarum similium facultatum, aut quod in vim illarum testari, seu disponere velitis, & intendatis, semel, atque iterum, aut pluries disponere, statuere & ordinare, ita ut quicquid testatum, gestum, aut ordinatum, seu aliàs dispositum à vobis fuerit, etiam in vim simplicis distributionis, ac aliàs omni alio modo valeat & servari debeat, ipsaque testamenta, codicillos, & dispositiones, ordinationes, legata, & statuta pluries, ac toties quoties vobis videbitur moderari, limitare, ac etiam in totum revocare, & alia de novo condere liberè, & licitè valeatis, auctoritate Apostolicâ earumdem tenore præsentium plenam, & liberam concedimus facultatem.

Librantur à spolio & conceditur bonorum ad hæredes seu familiares delatio.

§. 11. Et insuper statuimus, & ordinamus, vobisque indulgemus, quòd si vos ab intestato, & sine ulla, vel cum minus valida bonorum, & rerum, ac fructuum, redituum & proventuum prædictorum dispositione in dicta Curia, vel extrà eam tam continuâ, quàm interpolatâ inibi cujuslibet vestrûm respectivè mansione, ac etiam extrà Beneficia vestra, vel alia loca debitæ à vobis residentiæ personalis, etiam nulla subsistente causa ab humanis decedatis, omnia & singula bona, res & jura, etiam, ut præfertur, qualificata, nec non spolia cujuscumque quantitatis, & valoris existentia, etiam ex prædictis, & aliàs undecumque provenientia, ad Cameram Apostolicam, seu in dictis Beneficiis Successores non pertineant, sed ad hæredes vestri sanguinis integrè deveniant, & illis deficientibus inter familiares vestros arbitrio personæ seu personarum, quas ad id scripto nominaveritis, distribuantur, nisi de alia dispositione, vel intentione vestra scriptura, etiam minùs solemnis, secùs appareat, quam tunc velut efficacem ipsæ personæ, vel alii Judices, seu Executores omninò exequi, & adimplere, illique se conformare in omnibus, & per omnia debeant.

Dispositiones confirmantur & defectus supplentur.

§. 12. Et nihilominus quæcunque hujusmodi testamenta, legata, donationes, dispositiones, & alia forsan à vobis, etiam nulla, vel minùs sufficienti facultate suffultis, de hujusmodi bonis, juribus, & actionibus, fructibus, pecuniis, jocalibus, aliisque rebus suprà dictis, etiam in favorem consanguineorum, & prædictorum, & aliàs quomodolibet facta cum omnibus indè secutis, ac etiam ea, quæ per vos in futurum fient ex nunc, prout ex tunc, & è contra pro dicta summa sex millium ducatorum approbamus, & confirmamus, omnesque, & singulos juris, & facti, ac solemnitatum omissarum, & omittendarum, nec non substantiales, aliosque defectus quoscumque, si qui intervenerint in eisdem, etiamsi tales sint, vel fuerint, quòd specialis, specifica, & expressa de illis mentio præsentibus habenda esset, supplemus.

Inhibet molestari.

§. 13. Districtiùs inhibentes quibusvis Archiepiscopis, Episcopis, aut aliis Ecclesiarum Prælatis, nec non Cameræ prædictæ præsentibus Clericis, ac eorum, nec non Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, ac Cruciatæ Sanctæ, & aliis Collectoribus & Subcollectoribus, cæterisque cujuscumque Dignitatis, status, gradus, & conditionis existentibus, etiam quavis auctoritate, & potestate fungentibus, sub excommunicationis majoris, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, ne Universitates, Collegia, ac loca, & legatarios, hæredes, & personas, nec non testamentorum, voluntatum, & ordinationum hujusmodi Executores prædictos directè, vel indirectè quovis quæsito colore vel ingenio molestare audeant quoquo modo, vel perturbare.

Clausulæ præservativæ.

§. 14. Ac decernentes prædicta omnia, & singula, præsentesque Litteras, & testamenta, donationes, & codicillos, fideicommissa, legata, ordinationes, derogationes, dispositiones, & alia quæcumque, nec non quæ in præmissis facta sunt, aut fieri contigerit, tam vigore præsentis, quàm etiam aliarum concessionum vobis factarum, & deinceps in genere, & in specie faciendarum, cum indè secutis, & secuturis, etiamsi vos intrà Curiam, aut in quacumque aliâ Mundi parte extrà Ecclesias, & Beneficia personalem residentiam non feceritis, qualitercumque rapser vos nunc, & pro tempore obtenta, etiam pro tificata vestrâ solâ voluntate, & nullâ subsistente causa non residendi, ab humanis decedere contigerit, sub Literis rec. mem. Pii Papæ IV. Prædecessoris pariter Nostri contenta, quoscumque Episcopos, Archiepiscopos, & alios Prælatos, nec non Parochialium Ecclesiarum Rectores, cæterosq; residentiæ personali prædictæ adstrictos extrà illam quomodocumq; decedentes, septi-

mo Kalendas Decembris, Pontificatus ſui anno quinto, aut alio veriori tempore emanatis, & ſub quibuſcumque aliis Conſtitutionibus, aut revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, modificationibus, Decretis, declarationibus Apoſtolicis, Cancellariæ Apoſtolicæ Regulis, ex quibuſcunque cauſis quantumcumque maximis, urgentibus & inexcogitabilibus, etiam in favorem fidei & Divini cultus augmentum, ac conſiſtorialiter etiam à Nobis, & Sede prædictâ hactenùs, vel nunc, & pro tempore factis, & editis minimè comprehendi, ſed ſemper ab illis excepta, & quoties emanata fuerint, toties in priſtinum, & validiſſimum ſtatum, & etiam ſub poſteriori datâ, etiam cum derogationibus, & clauſulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, irritantibuſque, & aliis Decretis per vos eligenda apponendis, & latiſſimè ſpecificandis repoſita, validaque, & efficacia fore, nec non perpetuâ firmitate ſubſiſtere, ſuoſque plenarios, & omnes effectus, quos de jure, ſtylo, conſuetudine aut aliàs quomodocumque ſortiri poterunt, ac vim veri, legitimi, jurati, ſtipulati, validi, & efficacis contractus inter vos ex unâ, ac Nos, & Cameram prædictam ex alterâ partibus habere, nec etiam per promotionem ad Eccleſiam Cathedralem, etiam Metropolitanam, aut translationem, vel aliam ſtatus, & perſonæ veſtræ mutationem ceſſare, nec per ſimiles vel diſſimiles gratias vobis conceſſas, & concedendas confundi, ſed ipſis cumulativè in omnibus, & per omnia uti, & ſi quid in unâ ex facultaribus hujuſmodi defecerit, per aliam ſuppleri debere, nec hæredes, legatarios, ac loca, ad quos, ſeu quæ bona, jura, & actiones hujuſmodi devenerint, vel quibus relinquentur, aut Executores prædictos ad tertiam, ſeu aliam eorum partem, quam etiam ex nunc vobis, ac locis, hæredibus, legatariis, ac donatariis prædictis liberaliter concedimus, & donamus, Cameræ vel Fabricæ, aut Beneficiis prædictis, etiam pro expeditione contrà Infideles, & quibuſvis aliis quantumlibet piis uſibus ſolvendum, ac cum iis deſuper componendum, vel eos ad aliam particularem licentiam ſivè indultum, aut confirmationem præſentium à Nobis, vel Succeſſoribus Noſtris Romanis Pontificibus petendum, aut impetrandum, vel etiam in aliâ ſimili gratiâ, ſeu confirmatione illius vobis quomodocumque concedenda, de præſenti mentionem aliquam faciendam ullatenus teneri, nec ad id ullâ unquam neceſſitate cogi poſſe.

Clauſula ſublata.

§. 15. Et ſic in præmiſſis omnibus, & ſingulis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores & ejuſdem S. R. E. Cardinales, nec non pro tempore exiſtentes dictæ Cameræ Camerarium, ac Præſidentes Clericos in quâvis cauſa, ſublatâ eis quâvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Executores deſignat.

§. 16. Quocircà Venerabilibus Fratribus Noſtris Oſtienſi & Portuenſi Cardinalibus, Epiſcopis, & Dilecto Filio Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Generali Auditori, per Apoſtolica ſcripta mandamus motu ſimili, quatenùs ipſi, vel duo, aut unus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes Literas, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte veſtrâ deſuper fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, vobiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate Noſtrâ eaſdem præſentes Literas, & in eis contenta hujuſmodi firmiter obſervari, ac vos illis omnibus pacificè frui, & gaudere, non permittentes vos per quoſcumque quâvis auctoritate fungentes contra earundem præſentium tenorem quomodolibet indebitè moleſtari, inquietari, vel perturbari: Contradictores quoslibet, & rebelles per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſitâ, compeſcendo, ac legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, cenſuras, & pœnas ipſas, etiam iteratis vicibus aggravando; invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis.

Derogatio contrariis.

§. 17. Non obſtantibus præmiſſis, ac piæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. Prædeceſſoris pariter Noſtri de unâ, & in Concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultrà tres dietas aliquis vigore præſentium in judicium non trahatur, nec non Lateranenſis Concilii noviſſimè celebrati de certo Notariorum numero, etiamſi ad illum nondum deventum fuerit, cui per hoc aliàs derogare non intendimus, ac de conſenſu præſtando in penſionibus, & quibuſvis aliis etiam per Nos, & Sedem prædictam editis, & in poſterum edendis Cancellariæ Apoſtolicæ Regulis, ac ſtylo in ſimilibus hactenùs obſervato, ac rec. mem. Alexandri Papæ VI. etiam Prædeceſſoris Noſtri, tertiam partem bonorum Eccleſiaſticorum Cameræ prædictæ deberi inter alia diſponente; nec non ejuſdem Bonifacii VIII. per quam conceſſiones fructûs in abſentiâ percipiendi ſine præfinitione temporis fieri prohibentur, ac Pii Papæ IV. Prædeceſſoris pariter Noſtri de gratiis qualecumque intereſſe Cameræ Apoſtolicæ concernentibus in dictâ Camerâ intra certum tunc expreſſum tempus præſentandis, & regiſtrandis, ita quod præſentes in eâdem Camerâ nullo unquam tempore reſtigrari facere teneamini, ac ſimilis rec. Urbani Papæ VIII. etiam Prædeceſſoris Noſtri de penſionibus aliàs translatis iterùm non transferendis, ac quorumvis aliorum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum Noſtrorum, & quibuſvis aliis Apoſtolicis, ac in Univerſalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & ordinationibus, nec non legibus, etiam Imperialibus, & municipalibus, tam Urbis, quam aliarum Civitatum, & locorum, in quibus Cives originarii creati exiſtitis, & quarumvis Eccleſiarum, Monaſteriorum, Ordinum, & Hoſpitalis prædictorum, nec non quorumvis Collegiorum, & Officiorum dictæ Curiæ, & Regnorum, Provinciarum, & Urbis, ac aliarum Civitatum, & locorum, ac Cameræ prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis Statutis, & conſuetudinibus, uſibus, & naturis, etiamſi de illis ſervandis, & non impetrandis Litteris Apoſtolicis contrà ea, nec etiam ab alio, vel aliis impetratis, aut aliàs quomodolibet conceſſis utendo vos per vos, vel Procuratores veſtros præſtiteritis forſan hactenùs, vel vos in poſterum præſtare contigerit juramentum; privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apoſtolicis dictis Eccleſiis, Monaſteriis, Ordinibus, & Hoſpitalibus, illorumque Præſulibus, ſeu Adminiſtratoribus, & Superioribus, ac Magiſtris, Præceptoribus, Prioribus, Militibus, etiam Antianis, Capitulis, Conventibus, Civitatibus, & locis, aliiſque prædictis, ac illorum Communitatibus, & Univerſitatibus, aliiſque perſonis, etiam particularibus, nec non Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis Ordinariis, etiam eiſdem Cardinalibus, ac dictæ Curiæ Officialibus, illorumque Collegiis, ac etiam decimarum, pedagiorum, gabellarum, & onerum Exactoribus, & Appaltatoribus, & aliorum onerum Redemptoribus, ſub quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & aliis Decretis per quoſcumque Romanos Pontifices Prædeceſſores Noſtros, ac etiam Nos, & Sedem prædictam, etiam conſiſtorialiter, ac de eorumdem Cardinalium conſilio, etiam per modum Statuti, & Conſtitutionis perpetuorum, ac motu, & ſcientia ſimilibus, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, vel ad Imperatoris, Regum, Reginarum, Ducum, Marchionum, & aliorum Principum inſtantiam, ſeu illorum contemplatione in genere, vel in ſpecie, ac aliàs quomodolibet etiam iteratis vicibus conceſſis, etiamſi in eis, ac Statutis, & ſtabilimentis prædictis caveatur expreſſè, vel tacitè, quod Urbis

niſi

nisi originariis Civibus Romanis, ac Civium eorundem filiis conferantur, quodque nonnullarum Ecclesiarum Beneficia, nisi per Personas illustres, vel nobiles, ac etiam originarios Cives, aut aliàs certo modo in illis expresso qualificatos obtineri non possint, & nulli in Cives Urbis, ac Civitatum, Oppidorum, & Terrarum, & locorum hujusmodi admitti, seu illorum privilegiis uti possint, nisi prius in dictis Civitatibus, Oppidis, Terris, & Locis per certum tempus habitaverint, seu etiam in illis bona etiam stabilia forsan ad certum valorem ascendentia possederint, quódque Præceptoriæ, & alia Beneficia quæcumque dicti Hospitalis tam ex ejus institutione, quàm ex stabilimentorum prædictorum dispositione pensionibus Clericis secularibus, & aliis personis, etiam Apostolicâ auctoritate reservandis gravari non possint, quódque stabilimentis, ac privilegiis prædictis, etiam vigore implicitæ derogationis latissimè extendendæ, etiam per quascunque Literas Apostolicas, & quasvis etiam derogatoriarum derogatorias, efficaciores, & insolitas clausulas derogari non possit, nec derogatum censeatur, nisi derogatio hujusmodi de Consilio Cardinalium eorundem fiat, & tum demùm Magistri, & Conventus prædictorum ad id accedat assensus, sintque Literæ derogationis hujusmodi etiam per dictum Magistrum subscriptæ, ac illi, & præfato Conventui per diversas in forma Brevis, aut alias Litteras diversis temporibus cum certis intervallis præsentatas intimatæ, & non aliàs, nec alio modo, & semper in omnibus, quæ sic fient etiam de simili consilio derogationibus sit apposita clausula, quod illarum effectum sortiantur de consensu Magistri, & Conventus prædictorum, & non aliàs, nec alio modo; quódque ipsi Exactores, & Appaltatores decimas, pedagia, & onera hujusmodi etiam ab exemptis exigere, & illos ad solutionem, seu contributionem cogere, & compellere possint, seu debeant. Quibus omnibus, illorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hâc vice dumtaxat in genere, & in specie, ad effectum præsentium sufficienter, & expressè derogamus, ac derogatum esse decernimus. Quodque vos primam non feceritis in Ecclesiis hujusmodi personalem residentiam consuetam, cæterisque contrariis quibuscunque.

Adimplenda ante sumptionem Notariatus.

§. 18. Volumus autem, quòd antequam gratiâ creationis in Nostros, & Sedis Apostolicæ Notarios vobis, ut suprà factâ perfrui valeatis, in manibus alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ professionem fidei juxtà articulos pridem à Sede prædicta propositos expressè emittere, & solitum fidelitatis juramentum præstare omninò teneamini.

Trassumptorum fides.

§. 19. Quódque præsentium transsumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsùs fides ubique adhibeatur in judicio, & extrà, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Indulta testandi, ac pensiones transferendi non suffragantur iis, qui aliàs obtinuerunt.

§. 20. Cæterùm volumus pariter, atque decernimus, ut illis ex vobis, quibus similes testandi de bonis, ac pensiones transferendi facultates à Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris, quorum respectivè etiam familiares, continui commensales erant, concessæ fuerunt, præsentes Literæ quoad facultates testandi de bonis, & transferendi pensiones hujusmodi minimè suffragentur.

P.A. primo 27. Novembris 1691.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 27. Novembris 1691. Pontificatus Nostri Anno Primo.

J. Franciscus Card. Albanus.

Erectio Congregationis Gubernio Civitatis Firmanæ præpositæ. XII.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium fidelitatis.

COnstantis fidei, & sinceræ devotionis affectus, quem Dilecti Filii Communitas, & Homines Civitatis Nostræ Firmanæ erga Nos, & hanc Sanctam Sedem gerere comprobantur, promeretur, ut eorum felici, prosperoque regimini, quantùm cum Domino possumus, peculiari paternæ Charitatis studio consulamus.

Deputatio præcedenter facta D. Cardinalis, & Prælatorum gubernii Firmi erigitur in Congregationem.

§. 1. Cum itaque Nos aliàs, nempè in ipsis Pontificatus Nostri primordiis, justis ex causis animum Nostrum moventibus adducti pro d. Civitatis Firmanæ Gubernio Dilectum Filium Nostrum Fabritium S. R. E. Cardinalem Spadam nuncupatum Secretarium Nostrum Status, ac nonnullos Romanæ Curiæ Prælatos prudentiâ, doctrinâ, integritate, & rerum usu eximiè præditos deputaverimus: Hi verò subinde, prout rerum, & negotiorum momenta postulabant, insimul convenientes demandatam sibi à Nobis Provinciam rectè, & fideliter, atque ex animi Nostri sententia hactenùs administraverint: Idcircò sperantes in Domino, sub eorum prudenti, ac salubri directione Civitatem Firmanam præfatam in futurum quoque optatos pacis, tranquillitatis, & justitiæ fructus susceputam esse, Motu proprio, ac ex certâ scientiâ, & maturâ delibe. ratione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, Congregationem memoratorum Fabritii Cardinalis, ac Prælatorum à Nobis, ut præfertur, deputatorum, aliorumque in futurum deputandorum pro Civitatis Firmanæ hujusmodi, ac Civium, & Incolarum, nec non Territorii, & Districtus, totiusque Comitatus, ac Castrorum, & locorum ejusdem gubernio, tenore præsentium ad Nostrum, & Sedis Apostolicæ beneplacitum erigimus, & instituimus.

Congregatio habet easdem facultates, quas Sixtus V. concessit Congregationi Status Ecclesiastici.

§. 2. Ac ipsi Congregationi sic erectæ, & institutæ, ut quoad gubernium hujusmodi omnibus, & singulis facultatibus, jurisdictionibus, & indultis, quæ quoad universum statum Nostrum Ecclesiasticum tam per fel. rec. Sixtum Papam V. quàm alios quoscunque Romanos Pontifices Prædecessores Nostros Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium super Consultationibus negotiorum Status Ecclesiastici hujusmodi deputatæ quomodolibet, & qualitercumque concessa, & attributa fuerunt, pari modo, & absque ullâ prorsùs differentiâ uti, frui, & gaudere liberè, & licitè possit & valeat, harum serie concedimus, & indulgemus.

Clausulæ præservativæ.

§. 3. Decernentes easdem præsentes Litteras firmas, validas, & efficaces existere & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, nec de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam substantiali, & formali, ac incogitato, & inexcogitabili, necessariamque expressionem requirente defectu, notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos Juris reduci ullo modo unquàm posse; sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. præfatæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & alios quoslibet quacumque præeminentiâ, & potestate fungentes, & functuros, sublatâ eis, & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quâvis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula sublata.

Derogatio contrariis.

§. 4. Non obstan. quatenùs opus sit, Nostrâ, & Cancellariæ Apostolicæ Regulâ de Jure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, nec non, quatenùs itidem opus sit, dictæ Civitatis Firman. aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, aut quâvis firmitate aliâ roboratis Statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis, quibusvis Personis, & locis, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis Clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis in genere, vel in specie, seu aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & pluries innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

P.A. primo die 3. Januarii 1692.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die tertiâ Januarii 1692. Pontificatus Nostri Anno Primo.

XIII.

Concessio facultatis conferendi gradus Scholasticos pro Collegio sub tit. S. Antonii Abbatis Civitatis Cuscan. in Indiis occidentalibus.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium

Æternæ Sapientiæ consilio ad Ecclesiæ Catholicæ per Universum Terrarum Orbem diffusæ regimen, meritis licèt imparibus, evecti, laudabilibus eorum Studiis, per quæ Christi fidelium, præsertim in remotissimis ab hac Sanctâ Sede partibus degentium, in doctrinâ sanâ institutioni, atque eruditioni consulitur, peculiarem pastoralis muneris Nostri sollicitudinem, cùm à Nobis petitur, & Reges Orthodoxi magnis in Ecclesiam Dei meritis fulgentes vota sua in id dirigunt, libenti animo adhibemus, sicut omnibus maturè perpensis conspicimus in Domino salubriter expedire.

Exoptatur ab Hispaniarum Rege pro Collegio Civitatis Cuscan. facultas conferendi gradus infrà scriptos.

§. 1. Nuper siquidem pro parte Charissimi in Christo Filii Nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici Nobis per Dilectum Filium Nobilem virum Modernum Ducem de Medina Cœli ipsius Caroli Regis apud Nos, & Sedem Apostolicam Oratorem expositum fuit, quòd cum in Civitate Cuscan. in Indiis Occidentalibus jam inde ab anno 1592. erectum reperiatur sub invocatione, seu titulo Sancti Antonii Abbatis unum Collegium, seu Seminarium Ecclesiasticum de Jurepatronatus prædicti Caroli Regis existens, quinque Cathedras Regiâ impensâ fundatas habens, tres videlicet Philosophiæ, & duas Sacræ Theologiæ, quæ Collegialibus ipsius Collegii per concursum conferuntur, atque ad idem Collegium Nobiliores illarum partium juvenes studiorum causa se conferant; degantque in eo centum plerumque Collegiales, qui præter bonarum litterarum studia, quibus ibidem operam navant, Cathedrali Ecclesiæ Cuscan. debitis temporibus inserviunt, nec non inde viri Sacris Missionibus, Curæ Animarum, ac Servitio Ecclesiæ valdè utiles, & fructuosi prodierint, id verò unum eidem Collegio deesse videatur, quòd ejus Collegiales supradicti, seu alii illius Scholares studiosis suis laboribus peractis, graduum litterariorum præmium consequi nequeunt, eò quia Universitas Studii Generalis Limana quingentis circiter milliaribus à dicta Civitate Cuscan. distat, nec illi in alio Collegio Sancti Bernardi Cuscan. quod à Clericis Regularibus Societatis Jesu regitur, & in quo cæteroqui examen eorum, qui subindè ad gradus Scholasticos per Episcopum Cuscan. promovendi sunt, habetur, examini hujusmodi se subjicere valent, propter differentiam Scholarum, quandoquidem Collegiales Collegii Sancti Antonii hujusmodi, quod aliàs antiquius existit, & prærogativâ præcedentiæ super Collegium Sancti Bernardi supradictum fruitur, à primæva Institutione in eorum primo ingressu ad sequendam doctrinam Sancti Thomæ Aquinatis juramento se adstringunt, illique incumbunt; ipse Carolus Rex plurimum cupit eisdem Collegialibus, seu aliis Scholaribus Collegii Sancti Antonii hujusmodi à Nobis indulgeri, ut absolutis studiis, & prævio examine per Cathedraticos Conventus Sancti Dominici dictæ Civitatis Cuscan. Ordinis Fratrum Prædicatorum, attentâ doctrinæ consensione, faciendo, Baccalaureatus, Licentiaturæ, Magisterii, & Doctoratus in Philosophiâ, & Sacra Theologiâ gradus à pro tempore existente Episcopo Cuscan., Ecclesiæ vero Cuscan Sede Episcopali vacante, à Capitulo illius Ecclesiæ in Conventu supradicto suscipere valeant. Nobis propterea memorati Caroli Regis nomine humiliter supplicatum fuit, ut in præmissis opportunè providere, & ut infrà indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Ejusdem facultatis concessio.

§. 2. Nos igitur piis ejusdem Caroli Regis votis hac in re, quantùm cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, Episcopo Cuscan., sive ejus Vicario in Spiritualibus Generali, cùm vero Ecclesiam Cuscan. vacare contigerit, Vicario Capitulari Ecclesiæ hujusmodi illius Sede Episcopali vacante legitimè deputato, respectivè pro tempore existentibus, donec, & quousque publica Universitas in dicta Civitate Cuscan. erigatur, illis ex Collegialibus, seu aliis Scholaribus Collegii Sancti Antonii supradicti, qui peracto studiorum curriculo, ac prævio examine non modo ab ipsius Collegii Sancti Antonii, sed etiam memorati Conventus Sancti Dominici Cathedraticis faciendo, habiles & idonei reperti fuerint, Baccalaureatus, Licentiaturæ, ac Doctoratus, & Magisterii in Philosophiâ, & sacrâ Theologiâ hujusmodi gradus, servatâ tamen in omnibus, & per omnia formâ Decretorum Viennensis, & Tridentini Conciliorum, quibus in aliquo derogare non intendimus, auctoritate Nostra Apostolica conferendi facultatem eadem auctoritate tenore præsentium concedimus, & impartimur. Locum verò, in quo graduum hujusmodi collatio facienda erit, Episcopi, & Vicarii Capitularis præfatorum arbitrio respectivè remittimus; Salvâ tamen semper in præmissis autoritate Congregationis memoratorum Cardinalium.

Decreta pro firmitate.

§. 3. Decementes ipsas præsentes Litteras firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquam quavis autoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariis.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apostolicis, quibusvis personis in contrarium præ-

missorum

missorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores, formas, & occasiones præsentibus, pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem præsentium Litterarum transsumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. M. Majorem sub annullo Piscatoris die prima Martii 1692. Pontificatus Nostri anno primo.

Transsumptorũ fides D. primâ Martii 1692. P. A. primo.

J. Hard. Albanus

XIV. Constitutio absolutoria ad favorem eorum qui subreptitias Alexandri VIII. Litteras de prorogatione officiorum Prioris Generalis, Procuratoris Generalis & Assistentium Generalium Ordinis Fratrum Eremitarum obtinuerunt.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium à componendi Religiosorum studiis.

SAcro-Sancti Apostolatus Officium Superni dispositione Consilii Nobis, nullo licet meritorum Nostrorum suffragio, impositum salubriter exequi, adjuvante Domino, jugiter satagentes exorta inter Religiosos Viros, quos vota sua Altissimo in Sanctitate & Justitia, paceque fraternâ reddere docet, dissidia opportunis rationibus recidere, ac felici, prosperoque illorum regimini, quantum cum Domino possumus, consulere studemus, sicut omnibus maturè consideratis, ad omnipotentis Dei gloriam, & Animarum salutem arbitramur in Domino expedire.

Absolvuntur qui Alexandri VIII. Litteras super prorogatione officiorum Procuratoris Generalis &c. obtinuerunt:

§. 1. Itaque pro Paterna, pastoralique Nostra sollicitudine causam prorogationis Capituli Generalis Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini inter nonnullos dicti Ordinis Fratres informantes, ex una, & dilectum Filium Fulgentium Travalloni Priorem Generalem dicti Ordinis, non tamen informantem ex altera partibus (ut accepimus) vertentem, secundùm æquitatis non minus quàm justitiæ regulas dirimere cupientes, ac quarumdam fel. rec. Sixti PP. V. Prædecessoris Nostri Litterarum, per quas sub pœnâ excommunicationis latæ sententiæ prohibetur expresè omnibus & singulis dicti Ordinis Professoribus, ne ipsi, seu pro tempore existens Prior Generalis ejusdem Ordinis, aut quivis alius quacumque dignitate, etiam Cardinalatus honore fulgens, seu ipsius Ordinis Protector quacunque de causa, etiam utgentissima, confirmationem, sive extensionem Officii Prioris Generalis Ordinis prædicti in aliud etiam brevissimum tempus ab hac Sancta Sede petere, & obtentâ uti audeat, vel præsumat, tenorem præsentibus pro plenè & sufficienter expresso, ac inserto habentes, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium, negotiis & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui rec. mem. Alexandri Papæ Octavi etiam Prædecessoris Nostri in simili forma Brevis Litteras super prorogatione, & extensione Officiorum Prioris Generalis, & Assistentium Generalium ejusdem Ordinis die 22. Julii 1690. emanatas non sustineri, & esse subreptitias censuerunt, consilio, ac motu proprio, & ex certa scientia, & maturâ deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnes, & singulos, qui dictas Alexandri Prædecessoris Litteras impetrarunt, vel illis usi fuerunt, ab excommunicatione, aliisque censuris quibuslibet, quas propter impetrationem, vel usum Litterarum hujusmodi quomodolibet incurrerunt, seu incurrisse dici, censeri, vel prætendi possent, tenore præsentium in utroque foro absolvimus, & totaliter liberamus.

Dispensatur super irregularitate commissâ.

§. 2. Ac cum ipsis super irregularitate per eos, qui censuris hujusmodi propter præmissa innodati Sacro-Sanctum Missæ sacrificum, non tamen in contemprum Clavium, forsan celebraverunt, seu alias in suis Ordinib. respectivè ministrarunt, quomodolibet contractâ, ita ut illâ, & iisdem præmissis non obstantibus, dummodo nullum aliud Canonicum eis obstet impedimentum, Clericali charactere, quo alias ritè insigniti fuerunt, illiusque privilegiis, ac susceptis per eos pariter ritè quatuor minoribus, nec non Sacris Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus Ordinibus uti, & quatenùs illos nondum susceperint, ad eos, si ad id ideonei reperiantur, servatis aliàs servandis promoveri, & promoti in illis, etiam in Altaris Ministerio ministrare liberè, & licitè possint, & valeant, in utroque pariter foro dispensamus.

Convalidantur gesta post supradictarum Litterarum impetrationem.

§. 3. Cæterùm omnia, & singula per dictum Fulgentium Priorem Generalem, aliosque Ordinis præfati Ministros post impetratas supradictas Alexandri Prædecessoris Litteras gesta, aliave quæcunque indè cæteroqui legitimè secuta, motu, scientia deliberatione, & potestatis plenitudine paribus, harum serie sanamus, & convalidamus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, qui propter præmissa desuper quomodolibet intervenerunt, supplemus; Capitulum verò Generale ipsius Ordinis pro Festo Pentecostes anni proximè venturi 1693. convocandum esse, & interim usque ad celebrationem Capituli Generalis hujusmodi ipsum Fulgentium Priorem Generalem, nec non Dilectos Filios modernos Procuratorem Generalem, & Assistentes Generales dicti Ordinis, in suis respectivè Officiis, illorumque libero exercitio, cum omnibus, & singulis præeminentiis, prærogativis, facultatibus, auctoritate, privilegiis, gratiis, & indultis, ac honoribus, & oneribus solitis, & consuetis continuare debere statuimus, & mandamus.

Decretum roborans & irritans.

§. 4. Decernentes easdem præsentes Litteras firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, in omnibus & per omnia, plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscunque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari & definiri debere, ac irritum & inane, si secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariis.

§. 5. Non obstantibus præfatis Sixti Prædecessoris Litteris, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non, quatenùs opus sit dicti Ordinis, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Adimplenda pœnitentia.

§. 6. Volumus autem, ut ii, qui memoratas Alexandri Prædecessoris Litteras impetrarunt, vel illis usi fuerunt, ut præfertur, pœnitentiam, quam eis Sacerdos idoneus propter præmissa respectivè imposuerit, omninò adimpleant, alioquin præsentes Litteræ eis quoad absolutionem in foro conscientiæ minimè suffragentur.

Et transſumptis fides adhibenda.

§. 7. Quodque earumdem præſentium Litterarum tranſſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorsùs fides tam in judicio, quàm extrà illud ubique locorum habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi exhibitæ forent, vel oſtenſæ.

D. 14. Martii 1692. P. A. primo.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die 14. Martii 1692. Pontificatus Noſtri Anno Primo.

J. F. Card. ALBANUS.

XV. Prorogatio conceſſionis & moderaminis reſpectivè Pauli V. & Urbani VIII. ſuper facultate conferendi gradus ſcholaſticos pro quibuſdam Indiarum Occidentalium Collegiis.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Conceſſio Pauli Papæ V. Philippo III. Hiſpaniarum Regi facta.

§. 1. ALiàs felicis recordationis Paulo Papæ Quinto Prædeceſſori Noſtro pro parte claræ memoriæ Philippi Tertii Hiſpaniarum Regis Catholici expoſito, quòd in Partibus Indiarum Occidentialium propter magnam multorum locorum, & Civitatum à Limana, & Mexicana Civitatibus, in quibus Univerſitates ſtudii Generalis erectæ ſunt, diſtantiam, multi reperiebantur, qui ex eo, quod ad dictas Univerſitates pro ſuſcipiendis inibi gradibus conſuetis accedere non poterant, ſtudiis operam navare nolebant, unde magna in eiſdem partibus virorum, qui Logicæ, Philoſophiæ, & Sacræ Theologiæ Studiis pro verbi Dei prædicationibus, & Sacramentorum adminiſtratione verſati eſſent, penuria vigebat; dictus Paulus Prædeceſſor ſupplicationibus ejuſdem Philippi Regis nomine ſibi ſuper hoc humiliter porrectis inclinatus, tunc exiſtentibus Archiopiſcopis, & Epiſcopis Indiarum Occidentalium, & ſede illorum vacante, Cathedralium Eccleſiarum Capitulis, ut gradibus Baccalaureatus, Licentiaturæ, Magiſterii, & Doctoratus inſignire valerent, quotquot annis quinque ſtuduiſſent in Collegiis formatis tàm Fratrum Ordinis Prædicatorum quàm Presbyterum Societatis Jeſu, quæ à publicis Univerſitatibus ducentis ſaltem milliaribus diſtarent, dum tamen iidem promovendi priùs geſſiſſent actus omnes, qui in Univerſitatibus generalibus fieri conſueverant pro his gradibus adipiſcendis, atque à Rectore, & Magiſtro Collegii approbationem obtinuiſſent, Apoſtolicâ auctoritate ad decennium tunc proximum conceſſit, & indulſit. Volens, quòd gradus hujuſmodi nemini ſuffragarentur, nec quiſquam illis uti poſſet extrà Indias Occidentales prædictas, & aliàs prout in ipſius Pauli Prædeceſſoris Litteris deſuper in ſimili forma Brevis die 11. Martii 1619. expeditis pleniùs continetur.

Moderamen Urbani VIII.

§. 2. Subinde verò recolendæ mem. Urbano Papæ Octavo Prædeceſſori etiam Noſtro pro parte claræ pariter mem. Philippi Quarti earumdem Hiſpaniarum Regis Catholici ſimiliter expoſito, quòd ex conceſſione, & indulto Pauli Prædeceſſoris hujuſmodi nonnulla inconvenientia in dies oriebantur, ac propterea per ipſum Urbanum Prædeceſſorem deſuper opportunè provideri ſummoperè deſiderabat, idem Urbanus Prædeceſſor ſupplicationibus dicti Philippi Quarti Regis nomine ſibi ſuper hoc humiliter porrectis pariter inclinatus, voluit, & pari auctoritate decrevit, quòd gradus prædicti in dictis tantum Provinciis ſuffragarentur, nec extrà illas quiſquam illis uti poſſet, iidemque gradus illis dumtaxat, qui in dictis Collegiis ſpatio quinque annorum ſtuduerant, ac adhibito per ipſos Archiepiſcopos, & Epiſcopos Conſilio trium Canonicorum Seniorum ſuarum Eccleſiarum, nec non ſervatâ in reliquis dictarum Pauli Prædeceſſoris Literarum formâ conferrentur, & aliàs prout in ejuſdem Urbani Prædeceſſoris deſuper pariter in forma Brevis Literis, quas ad decennium tantùm valere voluit, die 7. Januarii 1697. expeditis, quarum & præfatarum Pauli Prædeceſſoris Literarum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis haberi volumus, uberiùs continetur.

Cauſis ad huc ſubſiſtentibus additur nova à SS. Confirmatio.

§. 3. Cùm autem, ſicut Chariſſimi in Chriſto Filii Noſtri Caroli eorundem Hiſpaniarum Regis Catholici nomine Nobis per Dilectum Filium nobilem virum modernum Ducem de Medina Cœli, ipſius Caroli Regis apud Nos, & Sedem Apoſtolicam Oratorem, nuper expoſitum fuit, eædem cauſæ, propter quas præfatæ Pauli, & Urbani Prædeceſſorum Litteræ emanarunt, adhuc perdurent, nec aliæ in illis partibus Univerſitates Studii Generalis niſi poſt longum tempus erigi poſſe videantur, Nobis propterea ipſius Caroli Regis nomine per memoratum Ducem humiliter ſupplicatum fuit, ut in præmiſſis opportunè providere, & ut infra indulgere de benignitate Apoſtolicâ dignaremur. Nos igitur dicti Caroli Regis votis hac in re, quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum Noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium negotiis, & Conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitorum conſilio, attentis narratis, Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis, atque Epiſcopis Eccleſiarum Indiarum Occidentalium, & Sede illarum vacante, earumdem Eccleſiarum Capitulis, ut adhibito conſilio trium Canonicorum ſeniorum ſuarum Eccleſiarum, gradibus Baccalaureatus, Licentiaturæ, Magiſterii, & Doctoratus inſignire valeant, quotquot annis quinque ſtuduerint in Collegiis formatis Fratrum Ordinis Prædicatorum, quæ à publicis Univerſitatibus ducentis ſaltem milliaribus diſtant, dummodò tamen iidem promovendi priùs geſſerint actus omnes, qui in Univerſitatibus generalibus fieri conſueverunt pro his gradibus adipiſcendis, atque à Rectore, & Magiſtro Collegii approbationem obtinuerint, auctoritate Apoſtolicâ tenore præſentium concedimus, & indulgemus; ita tamen, ut indultum hujuſmodi ad decennium tantum durare debeat, dictique gradus nemini ſuffragentur, nec illis quiſquam uti poſſit extrà præfatas Indias Occidentales; ac ſalvâ ſemper in præmiſſis auctoritate Congregationis eorundem Cardinalium.

Decretum roborans, & irritans.

§. 4. Decernentes ipſas præſentes Litteras firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari, ſicque in præmiſſis per quoſcunque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariis.

§. 5. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Tranſſumptorum fides.

§. 6. Volumus, autem ut earumdem præſentium Literarum tranſſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorsùs fides tàm in judicio, quàm extrà illud ubique locorum habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi exhibitæ forent, vel oſtenſæ.

Datum

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 10. Maji Pontificatus Nostri Anno primo 1692.

J. F. Cardinalis Albanus.

D. 10. Maji 1692. P. A. primo.

XVI. Confirmatio, extensio, & moderatio respectivè Constitutionum Pii II. Sixti IV. Clementis VII. Pii IV. & Pii V. super prohibitione quamcumque remissionem, compositionem, vel gratiam homicidis, illorumque fautoribus, auxiliatoribus, consultoribus, vel complicibus, nec non Ministrorum Justitiæ, querelantium, & testium offensoribus concedi absque Romani Pontificis speciali mandato.

INNOCENTIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. VIros sanguinum, & dolosos, qui inhumanâ sævitiâ, & iræ, seu vindictæ furore succensi, nedum corporibus mortem dare, sed non rarò etiam Salvatoris Nostri Jesu Christi pretiosissimo Sanguine redemptis animabus, si non sint armis spiritualibus, divinâ præveniente gratiâ præmunitæ, æternam perditionem procurare non perhorrescunt, cum Domino abominantes, Nostrorumque, & Sanctæ Sedis etiam in temporalibus immediatè, & mediatè subditorum tranquillitati, & paci, ac eorumdem, & Ministrorum Justitiæ majori securitati, ejusdemque Justitiæ liberiori exercitio, quantùm Nobis ex alto conceditur, consulere cupientes, inter alias Apostolicæ solicitudinis curas, quibus incessanter urgemur, in illam præcipuè incumbimus, ut perditos nequitiæ filios, qui à quorumcunque homicidiis, & à Rectorum, & Ministrorum Justitiæ, nec non querelantium, & testium offensionibus virtutis amore abstinere detrectant, formidine saltem pœnæ, & quidem irremissibilis retrahamus, cùmque ex spe remissionis, compositionis, gratiosæ rebannitionis, cassationis processus, seu banni, aut alterius gratiæ assequendæ delictorum hujusmodi facilitatem, & frequentiam etiam procedere, experientia rerum magistra docuerit, ut hanc quoque detestabilem, & perniciosam spem magis, magisque adimamus, & recidamus, ac delicta hujusmodi, quantùm fieri potest, arceamus, ea quæ à Prædecessoribus Nostris Romanis Pontificibus desuper statuta, & providè ordinata fuisse comperimus, ut eò majorem obtineant firmitatem, quò sæpiùs fuerint Apostolico præsidio communita, Nostræ confirmationis patrocinio roboramus, eaque de novo statuimus, seu aliàs ampliamus, immutamus, & in honorem eximiæ S. R. E. Cardinalium de Latere Legatorum dignitatis respectivè moderamus, prout rationabiles causæ persuadent, & in Domino conspicimus salubriter expedire.

Spes veniæ faciles reddit ad delinquendum.

Pius II. prohibuit remitti exilium, vel salvum conductū concedi homicidis.

§. 1. Aliàs siquidem felic. recordationis Pius Papa II. Prædecessor Noster, ad cujus audientiam pervenerat, quod in Terris, locis, & Tenimentis tunc sibi, & Romanæ Ecclesiæ mediatè, & immediatè subjectis, quàm plurima etiam ex levibus causis commissa esse reperiebantur homicidia, idcirco tunc suos, & Ecclesiæ Romanæ prædictæ mediatè, & immediatè subjectos pacificos fore, & modestos, ac loca prædicta sicariis, homicidis, & malefactoribus expurgare desiderans, inter cætera statuit, & decrevit: quòd omnes illi, qui pro delicto homicidii fuissent condemnati, seu aliàs de Civitate aliquâ, & districtu illius banniti, non possent ad Civitatem, seù districtum hujusmodi quocunque tempore redire, seù in eis, vel eorum altero moram trahere, etiam habitâ pace ab hæredibus, vel consanguineis, seù filiis ipsius occisi, nec Legatus etiam de Latere, aut Gubernator, qui pro tempore fuisset, vel quivis alius posset auctoritate Apostolicâ, seu ex officio suæ Legationis aliquem homicidam sic exbannitum rebannire, reducere, seu revocare ad Civitatem, seu districtum, aut eorum alterum, seu ei licentiam, vel salvum conductum concedere redeundi, seu morandi in eis, vel eorum altero in perpetuum, vel ad tempus modicum, sivè magnum, nec etiam per diem unum, sivè noctem. Quod si secùs per quemquam ex prædictis factum fuisset, incideret in pœnam excommunicationis ipso facto sine ulteriori sententiâ declarationis, à quâ per alium quàm per Summum Pontificem, & tunc factâ de hoc speciali expressione, non posset absolvi; ac reductio, licentia, revocatio, salvus conductus, & cessatio processus, & banni hujusmodi essent ipso jure nulla, nulliusque roboris, & momenti, adjectis aliis pœnis, inhabilitationibus, censuris, & Decretis, & aliàs, prout in ejusdem Pii, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo sexagesimo primo quinto Kal. Februarii Pontificatus sui Anno Quarto expeditis Literis pleniùs continetur.

Sixtus IV. confirmat præcedentes, addendo arcendos per milliaria quinquaginta à loco delicti, & solam remissionem Pontificis suffragari.

§. 2. Et successivè rec. mem. Sixtus Papa IV. similiter Prædecessor Noster accepto per eum, quod contenta in Literis Pii Prædecessoris hujusmodi à certis temporibus tunc elapsis non fuerant observata, & ex illorum non observantiâ subditi prædictæ Ecclesiæ procliviores erant ad homicidia committenda, jamque ferè passim homicidia quotidie perpetrabantur, & homicidæ præfati ideò ad illa committenda promptiores existebant, quia sperabant latere, & suorum excessuum remissionem consequi facile posse; ac detestabilem, & horrendam talium Sicariorum nequitiam ad aliorum cautelam opportunis juris remediis prosequi studio cupiens indefesso, habitâ super his cum Fratribus suis prædictæ Ecclesiæ Cardinalibus deliberatione maturâ, & de illorum consilio, per suas Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo octuagesimo quarto, Kalendis Aprilis Pontificatus sui Anno Nono expeditas Litteras, Statuta & Decreta Pii Prædecessoris hujusmodi, & prout illa concernebant omnia & singula in dictis Literis ejusdem Pii Prædecessoris contenta, Apostolicâ auctoritate approbavit, & robur perpetuæ firmitatis obtinere debere decrevit, ac voluit, & præfatâ auctoritate de eorundem Fratrum consilio statuit, & ordinavit, quòd condemnati eatenùs, & quos in posterum condemnari contigisset ubilibet in Civitatibus, Terris, & locis Romanæ Ecclesiæ mediatè, & immediatè subjectis pro homicidio, sivè ut principales, sivè ut consilium, auxilium, & favorem præstantes, suarum condemnationum remissionem, aut contrà illas salvum conductum, & licentiam securè inloco patrati criminis, vel ei infrà quinquaginta milliaria, ut præfertur, propinquo, commorandi nullatenus obtinere possent ab alio quàm à Romano Pontifice, qui pro tempore esset, & alicujus alterius etiam Legati de Latere remissio nemini suffragaretur. Et si forsan contingeret, eundem Romanum Pontificem ad remissionem, seù salvum conductum hujusmodi procedere, talis remissio per præoccupationem processisse censeretur, & nemini prodesse posset, nisi in illa verè earundem Literarum Sixti Prædecessoris hujusmodi tenor de verbo ad verbum, non autem per clausulas idem importantes, insertus foret, ac specifica, & determinata causa exprimeretur, quæ eundem Romanum Pontificem induceret ad derogandum iisdem Literis Pii Prædecessoris, quæ cum tam maturâ deliberatione ab eodem Pio Prædecessore emanaverant

Clemens VII. ampliat exilium ad totam Ditionem Ecclesiasticam. Contravenientes apprehendi, complices

§. 3. Deinde piæ mem. Clemens Papa VIII. etiam Prædecessor Noster facti notorietate edoctus, plures Urbis, Civitatum, Terrarum, Castrorum, Teminentorum, partium, & locorum tunc sibi, & dictæ Romanæ Ecclesiæ mediatè, & immediatè subjectorum contrà eorundem, & aliorum Prædecessorum Litteras elatâ cervice devenire, ac censuras, & pœnas in illis contentas

plecti. Adimit omnibus facultatem absolvendi.

sensu reprobo parvipendere non vereri, sceleratorum insolentiis salubriter reprimendis intendens, & criminosorum temeritatem ultrice justitiâ cohibere, ne Literæ prædictæ, quæ providâ deliberatione ab ipsis Prædecessoribus emanaverant, contemptibiles redderentur, sed excessuum perpetratores debita animadversione punirentur, opportunis remediis providere volens, inter cætera Motu proprio singulas præfatorum, & aliorum Prædecessorum inibi relatas Litteras cum omnibus, & singulis in eis contentis pari auctoritate approbavit, & innovavit, & per singulos, quos Litteræ ipsæ concernebant, sub censuris & pœnis in eis contentis, quas contravenientes eo ipso incurrerent, perpetuò inviolabiliter observari decrevit; Illasque etiam ad hoc, ut homicidæ, sicarii, exitisio, criminosi, rebelles, aliique infames propter homicidia, & alia nefanda per eos perpetrata excessus, crimina, & delicta in Civitatibus, Terris, Castris, vel locis eorum, seu in quibus tunc morabantur, banniti, & condemnati, etiam habitâ pace ab hæredibus, filiis, seu consanguineis occisorum, aut partium læsarum, non solùm à locis circumvicinis usque ad quinquaginta milliaria, seu etiam ab omnibus, & singulis Civitatibus, Terris, Castris, locis, & partibus tunc sibi, & dictæ Romanæ Ecclesiæ quomodolibet mediatè, vel immediatè subjectis, banniti, & exules essent, & esse censerentur, nec in illis, seu eorum aliquo, etiam prætextu cujusvis licentiæ, salvi conductus, remissionis, reductionis, revocationis, vel alterius gratiæ per eos desuper quomodolibet pro tempore obtentæ, moram trahere possent, & si in eis resedissent, vel reperti fuissent, capi, detineri, & incarcerari, ac juxtà criminum, & excessuum per eos perpetratorum qualitatem, & Litterarum Pii Prædecessoris hujusmodi tenorem, sub pœnis in iisdem Litteris contentis, per Officiales Civitatis, Terræ, Castri, vel loci in qua, vel in quo deprehensi fuissent, debitis pœnis plecti, seu indè educi, & ad forum, seu Officiales, ad quos criminum, & excessuum eorundem punitio de jure, vel consuetudine pertinebat, remitti deberent, extendit, & ampliarit. Et nihilominus omnia, & singula, prout per Pium, Sixtum, & alios Prædecessores prædictos statuta, ordinata, inhibita, decreta, & ordinata fuerant, ita ut Duces, Barones, Marchiones, Comites, Domini temporales, Vicarii, Feudatarii, Capitanei, Magnates, Principes, Communitates, Cives, Officiales, & personæ, ac alii, quos ipsius Clementis, aliorumq; Prædecessorum præfatorum Litteræ concernerent, ac ipsorum singuli Litteras, & in eis contenta hujusmodi non observantes, & illis quomodolibet directè, vel indirectè contravenientes, & eis adhærentes, eorumque fautores, & complices, singulas censuras, & pœnas prædictas eo ipso absque alia declaratione incurrerent, & incurrisse censerentur de novo: Et ne facilitas veniæ incentivum præberet delinquendi, quibusvis dictæ Sedis Legatis, etiam de Latere, ac Nunciis, & Provinciarum Rectoribus, nec non tunc suis, & dictæ Romanæ Ecclesiæ Vicariis in temporalibus pro tempore existentibus, & præfatis Communitatibus omnem super absolutionibus homicidiorum hujusmodi per eundem Clementem, ejusque Successores Romanos Pontifices, ac Sedem eandem sub quavis formâ, & verborum expressione concessam, approbatam, & innovatam auctoritatem, & facultatem revocavit, cassavit, irritavit, & annullavit, & si quando similes absolutiones per eundem Clementem, ejusque Successores Romanos Pontifices, ac Sedem præfatam concedi contigisset, illas per Judices, & Officiales, ad quos pertinerent, nisi trinæ Literæ Apostolicæ sub intervallo unius mensis pro singulis Literis hujusmodi cum expressa derogatione earundem ipsius Clementis Prædecessoris Litterarum desuper emanassent, nullatenùs admitti, vel observari voluit, & aliàs prout in ejusdem Clementis Literis Anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo vigesimo quarto, Pridie Idus Junii, Pontificatus sui Anno primo desuper expeditis, uberiùs continetur.

Forma attendenda in absolutione concedenda per Pontificem.

§. 4. Postmodùm ejusdem memoriæ Pius Papa IV. pariter Prædecessor Noster habitâ super his cum Fratribus suis S. R. E. Cardinalibus deliberatione maturâ, & de illorum unanimi consilio, & assensu, iisdem modis, & formâ prædictis, quibus idem Clemens Prædecessor Litteras suorum Prædecessorum confirmaverat, & extenderat, ipse pariter Litteras memoratas ejusdem Clementis, aliorumq; Prædecessorum cum eâdem expressione, & extensione, & cum simili, ut præfertur, revocatione, cassatione, irritatione, & annullatione omnis auctoritatis, & facultatis dictæ Sedis Legatis etiam de Latere, aliisque prædictis super absolutionibus homicidiorum hujusmodi per eundem Pium Papam IV. ejusque Prædecessores Romanos Pontifices, ac Sedem eandem sub quâvis formâ, & verborum expressione concessas, approbatas, & innovatas, nec non cum eadem, ut præfertur, voluntate, seu Decreto, si & quando similes absolutiones per eundem Pium IV. ejusque Successores, & Sedem prædictam concedi contigisset, per quasdam suas Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo primo, octavo Idus Januarii Pontificatus sui Anno secundo expeditas Litteras approbavit, & innovavit.

Pius IV. innovat Constitutionem præcedentem.

§. 5. Cùmque idem Pius Prædecessor accepisset, nonnullos ex Gubernatoribus, & Officialibus per eum in diversis Civitatibus, Terris, & locis Status Ecclesiæ constitutis, & deputatis, forsan suæ voluntatis ignaros, aut aliàs, prætendere pœnarum remissionem inquisitis, bannitis, & condemnatis super homicidiis per eos pro tempore perpetratis per eos remitti, gratiamque fieri, & exindè ab eis compositionem exigi posse, Idcircò ad tollendum omne dubium, quod exindè exoriri potuisset, & ne Gubernatores, & Officiales prædicti, ac quicumque alii ignorantiæ ejusdem suæ voluntatis, aut quovis alio prætextu in illis se intromittere præsumerent, veriores dictorum suarum Literarum tenores, ac si de verbo ad verbum insertæ fuissent, pro expressis habens, decrevit, & declaravit, gratias, seu remissiones, aut compositiones quibusvis inquisitis, condemnatis, aut bannitis, ex causa, vel occasione homicidii animo deliberato, vel casu fortuito, aut in rixâ, vel alio quovis modo pro tempore perpetrati, pro quo pœna ordinaria, vel extraordinaria imposita, vel imponenda fuisset, per quoscumque in Civitatibus, Terris, & locis prædictis Sedis Apostolicæ Legatos, Vicelegatos, Gubernatores, vel alios Officiales deputatos, & deputandos, fieri in posterum nullatenus posse, & illas tantùm compositiones, & gratias cum inquisitis, condemnatis, & bannitis hujusmodi, ut suprà, ab indè faciendas valere, illisque suffragari, qui habuissent supplicationes desuper suâ manu signatas, & per Datarium pro tempore existentem datatas, prout in Cedulâ Motus ejus proprii, sub Datum sexto Kalendas Maji Anno Pontificatus ipsius quinto, continetur.

Idem Pius IV. mandat attendi solùm absolutiones signatas manu Pontificis, & à Datario datatas

§. 6. Post hæc sim. memoriæ Pius Papa V. habitâ super his cum Venerabilibus Fratribus suis ejusdem S. R. E. Cardinalibus deliberatione maturâ, ac de illorum unanimi consilio, & assensu, inter cætera ibidem per ipsum decreta, & sancita, singulas prædictorum Pii II. Sixti. Clementis, & Pii IV. & aliorum Prædecessorum Literas, cum omnibus & singulis in eis respectivè contentis, Apostolicâ auctoritate approbavit, confirmavit, & innovavit, illisque perpetuum, & inviolabilis firmitatis robur adjecit, ac ab omnibus, & singulis, quos illæ concernebant penitùs, ac sub ibi relatis per contrafacientes irremissibiliter incurrendis pœnis, observari voluit, & decrevit, & aliàs prout in ipsius Pij

Pius V. confirmat, & innovat omnia præmissa.

V. Prædeceſſoris deſuper Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſexto, tertio Nonas Julii, Pontificatus ſui An. primo emanatis Literis, quarum & præfatarum eorundem Pii II. Sixti, Clementis, & Pii IV. Prædeceſſorum Literarum, & Cedulæ tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habere volumus, uberiùs continetur.

Sanctiſſ. D. N. ita pariter confirmat, & innovat.

§. 7. Nunc verò Nos nequitiis hujuſmodi ſalubriter reprimendis, ne criminoſorum invaleſcat præſumptio, illorumque perverſitas quoquo modo remaneat impunita, quin ultrice juſtitiâ perpetuò retundatur, ſedulò intendentes, ac inſimul quieti, & tranquillitati præfatorum Noſtrorum, & ejuſdem Sedis in temporalibus ſubditorum, nec non majori Juſtitiæ Officialium ſecuritati, ac ejuſdem Juſtitiæ liberiori exercitio providere volentes, Motu proprio, ex certâ ſcientiâ, & maturâ deliberatione Noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ſingulas eorundem Pii II. Sixti, Clementis, & Pii IV. Prædeceſſorum Literas hujuſmodi, cum omnibus, & ſingulis, quæ præmiſſa, & infraſcripta concernunt, & concernere poſſunt, tenore præſentium approbamus confirmamus, & innovamus, illiſque perpetuum, & inviolabilis firmitatis robur adjicimus, ac ab omnibus, & ſingulis, quos illæ concernunt, & penitus, & ſub inibi contentis per contrafacientes irremiſſibiliter incurrendis pœnis, & cenſuris, & cum omnibus inibi decretis, & ſancitis obſervari volumus, atque decernimus, firmis, & in ſuo robore, & ſtatu remanentibus cæteris in iiſdem Literis ſtatutis, ſancitis, & decretis.

Prohibet gratias, compoſitiones, & caſſationes proceſſus etiam in quatuor Legationibus, & Civitatibus.

§. 8. Et nihilominùs hactenùs inquiſitos, proceſſatos, condemnatos, aut bannitos, ſivè uti principales, ſivè uti mandantes, vel mandatarios, ſive uti complices, aut auxilium vel conſilium, vel favorem præſtantes, ex causâ, vel occaſione homicidii, pro quo pœna ordinaria, vel extraordinaria impoſita fuerit, vel erit, ſeu imponenda foret, & quos quibuſcumque futuris temporibus ſimiliter inquiri, proceſſari, condemnari, ſeu banniri contigerit, ubilibet in quibuſcumque Civitatibus, Terris, & locis Nobis, & Sanctæ Sedi mediatè, & immediatè ſubjectis, comprehenſis, etiam quatuor Legationibus, & Civitatibus Bononienſi Ferrarienſi Beneventana, aliiſque etiam ſpecialem, & individuam expreſſionem, & nominationem requirentibus, nullo unquam tempore, vel modo ex aliquâ gratiâ, ſeu compoſitione, vel per viam caſſationis proceſſus, remitti, ſeu quoquo modo gratioſo rebanniri, habilitari, ſeu diſpenſari, minuſque illis aliquem ſalvum conductum, præterquàm pro vero, reali, & neceſſario ſervitio juſtitiæ, & tunc pro eo duntaxat tempore, quod hujuſmodi ſervitio congruat, concedi per quoſcumque locorum, & Civitatum Gubernatores, & Juſtitiæ Officiales, Provinciarum Rectores, dictæ Romanæ Eccleſiæ in temporalibus Vicarios, & quoſcunque alios, quantumvis ſpeciali, & individuâ notâ dignos, ac etiam ipſos de Latere Legatos, ſalvâ tamen quoad eoſdem Legatos infra ſcriptâ diſtinctione, ſeu moderatione, etiam pace ab hæredibus, vel conſanguineis, aut filiis occiſi habitâ, ſine Noſtro, & Romanorum Pontificum pro tempore exiſtentium ſpeciali mandato, omninò prohibemus; Ita tamen, ut pro hujuſmodi mandato certa, ſeu præciſa forma non requiratur, pro ut in ſuperiùs relatis Literis, quibus in hac parte opportunè derogamus, & derogatum eſſe volumus, avebatur, ſed quocumque legitimo modo illud apparere ſeu probari ſufficiat,

Moderatur Conſtitutiones Prædeceſſorum quoad formam juſtificandi gratiam à Pontifice obtentam.

Revocat facultates quibuſcumque conceſſas, etiàm Legatis de Latere.

§. 9. Ad hæc omnes, & quaslibet facultates quibuſcumque locorum, & Civitatum Gubernatoribus, Juſtitiæ Officialibus, Provinciarum Rectoribus, dictæ Romanæ Eccleſiæ Vicariis in temporalibus, & quibuſcumque aliis quantumvis ſpeciali, & individuâ notâ dignis, ac etiam ipſis de Latere Legatis, ſalvâ tamen quoad eoſdem Legatos infra ſcriptâ diſtinctione, ſeu moderatione, ſuper hujuſmodi gratiarum, compoſitionum, caſſationum, proceſſuum, remiſſionum, habilitationum, diſpenſationum, & ſalvorum conductuum conceſſione, etiam per Nos, & Prædeceſſores Noſtros, ac Sedem eandem ſub quavis formâ & verborum amplitudine conceſſas, innovatas & approbatas, omninò revocamus, caſſamus, irritamus, & annullamus, & pro revocatis, caſſatis, irritis, & nullis, ac ſi conceſſæ non fuiſſent, haberi volumus, & decernimus, & quaſcunque facultates, ſi quas in poſterum concedi contigerit, ſervari hujus Noſtræ Conſtitutionis formam intelligi, & obſervari debere omninò volumus, & mandamus.

Decernit quoad Cardinales Legatos præmiſſa procedere ſolùm quoad homicidia præmeditata, & doloſa.

§. 10. Verùm quia in relatis Prædeceſſorum Noſtrorum Literis cæteris omnibus Officialibus, & perſonis præfatis æquè, ac ipſis de Latere Legatis hujuſmodi gratiæ & actus indiſtinctè prohibentur, omniumque facultates pariformiter revocantur, ſivè de homicidiis animo deliberato, ſivè caſu fortuito, vel in rixâ, vel alio quovis modo patratis agatur; Nos eximiam Legatorum de Latere S. R. E. Cardinalium Dignitatem præ oculis habentes, eoſque facultatibus, eâ quâ decet circumſpectione, uſuros eſſe ſperantes, præfatas Conſtitutiones moderari, illaſque, & præſentem Noſtram ſanctionem quoad præſentes, & pro tempore exiſtentes de Latere Legatos ejuſdem Romanæ Eccleſiæ Cardinales locum habere decernimus pro homicidiis animo doloſo, & præmeditato commiſſis, iiſdemque de Latere Legatis, ut ſibi conceſſis, ſeu concedendis facultatibus, quas Nos juxta præſcriptam in iiſdem præſentibus formam etiam harum ſerie opportunè concedimus, quoad gratias, & actus prædictos uti poſſint & valeant, quotieſcumque de homicidiis caſu fortuito, vel in rixâ, ſeu aliàs ſimiliter ſine dolo, & præmeditatione commiſſis agi contigerit; iiſdemque Conſtitutionibus in hâc parte ampliſſimè derogamus, & opportunè derogatum eſſe volumus, & mandamus, firmis tamen, & in ſuo robore quoad quoſcumque alios remanentibus omnibus & ſingulis, quæ in præfatis & præſenti, Noſtra Conſtitutionibus, quoad omnia homicidia, etiam in rixa vel caſu fortuito, vel aliàs commiſſa, ſtatuuntur, & decernuntur.

Limitat in caſibus condemnationis ob offenſâ Curiam, Querelantes ſeu Teſtes.

§. 11. Volentes præterea delinquentibus eorumque fautoribus occaſione tum homicidiorum, tum aliorum delictorum anſam eò magis amputare, ne Curiæ & Fiſco eoſdem inquirendi, & proceſſandi, condemnandi, banniendi, & quoſcunque Juſtitiæ actus explendi impedimentum præbeant, & è converſo Nuncios, Birruarios, Notarios, Promotores, ſeu Procuratores Fiſcales, Judices, cæteroſque Juſtitiæ Officiales, & Miniſtros ad eorum operam attentiùs navandam, ac querelantes ad operam Juſtitiæ tutiùs implorandam, & teſtes ad veritatem liberiùs propalandam, ſpe, & præſidio majoris ſecuritatis excitare, præfatas, & præſentem Noſtram Conſtitutiones ſic extendimus, & reſpectivè locum habere mandamus, ut omnes & quicunque in pœnam ultimi ſupplicii, vel ad triremes perpetuò condemnati ex cauſâ præfatorum Juſtitiæ Miniſtrorum, & Officialium, ſeu partis querelantis, vel teſtium offenſionis, à nemine ex prædictis Gubernatoribus, Officialibus, Rectoribus, Vicariis in temporalibus, & quibuſcumque aliis ſpeciali, & individuâ notâ dignis, & nec ab ipſiſmet de Latere Legatis S. R. E. Cardinalibus remitti, ſeu ullam ex gratiis, & actibus ſuperiùs expreſſis, minuſque aliquem ſalvum conductum, præterquam pro vero, reali, & neceſſario ſervitio juſtitiæ, & tunc pro eo duntaxat tempore, quod hujuſmodi ſervitio congruat, ſine expreſſo, ut

præfertur Noſtro, ſeu Romani Pontificis pro tempore exiſtentis mandato, obtinere ullatenus poſſint, & valeant, omneſque & quaſcunque facultates quoquo modo conceſſas, quæ præſentibus adverſarentur, penitùs, & omnino ut præfertur, revocamus, & annullamus, iſtoque caſu, & ad hunc effectum, ut indiciis ad tranſmittendam inquiſitionem ſufficientibus ex proceſſu reſultantibus, Judices, ad quos ſpectat, ſervatis ſolitis terminis ad condemnationem delinquentium hujuſmodi expeditè procedere teneantur, omninò volumus, & decernimus.

Mandat obſervantiam cum clauſula ſublatâ, & Decreto irritanti.

§. 12. Mandantes hujuſmodi Noſtram Conſtitutionem, ac omnia, & ſingula in ea contenta, per quoſcunque etiam ſpeciali notâ dignos inviolabiliter obſervari ſub omnibus cenſuris, & pœnis quæ in ſuperiùs relatis Prædeceſſorum Noſtrorum Literis imponuntur, & continentur; ſicque & non aliter in præmiſſis per quoſcunque Judices tàm Ordinarios, quàm delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, ſublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & definiri debere; Irritum quoque, & inane, quidquid ſecus ſuper omnibus, & ſingulis præmiſſis, vel circa ea à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariis.

§. 13. Non obſtantibus præmiſſis, & aliis Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, quibuſcunque conſuetudinibus, ac omnibus, & ſingulis illis, quæ dicti Prædeceſſores in præfatis eorum Literis voluerunt non obſtare, aut ſi aliquibus communiter, vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per Literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, & quibuſcunque aliis privilegiis, facultatibus, indultis, & Literis Apoſtolicis, etiam motu proprio, ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, & cum quibuſvis clauſulis, & Decretis in genere, vel in ſpecie, & aliàs quomodolibet per Prædeceſſores Noſtros Romanos Pontifices, ac etiam Nos conceſſis, innovatis, & approbatis. Quibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, individua, & expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitùs omiſſo, & formâ in illis tradita obſervatâ, inſerti forent, eiſdem præſentibus pro pienè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, ad effectum præſentium illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat harum ſerie derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Tempus à quo incipit obligare Conſtitutio.

§. 14. Volumus autem, quòd lapſis viginti diebus, poſtquam præſentes valvis Eccleſiæ Lateranenſis, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum, & in Acie Campi Floræ de Urbe per aliquem ex Noſtris Curſoribus affixæ, & publicatæ fuerint, omnes, & ſingulos tàm in Urbe, quàm in Statu præfatis exiſtentes perinde obligent, & arctent, ac ſi unicuique eorum perſonaliter, & nominatim intimatæ fuiſſent; Quódque earum tranſſumptis, etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ eiſdemmet præſentibus, ſi exhibitæ, vel oſtenſæ fuiſſent, adhiberetur.

Fides tranſſumptorum.

§. 15. Nulli ergo omninò hominum liceat paginam hanc Noſtrarum approbationis, confirmationis, innovationis, voluntatis, decreti, prohibitionis, derogationis, revocationis, caſſationis, irritationis, annullationis, mandati, conceſſionis, & extenſionis infringere, ſeu ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe ſciverit incurſurum.

Sanctio pœnalis.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo ſecundo ſeptimo Idus Maji, Pontificatus Noſtri Anno Primo.

P.A. primo d. 9. Maji 1692.

Loco † plumbi

B. Card. Prodatarius

J. F. Albanus.

Viſa de Curia J. Sacripantes.

D. Ciampinus

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

Facultas celebrandi Capitula Provincialia in Germania Fratribus Congregationis Diſcalceatorum S. Auguſtini Provinciæ Germanicæ conceſſa à Sanctiſſimo D. N. Innocentio Divinâ Providentiâ Papa XII. XVII.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Decretum Capituli Generalis Congregationis Italicæ ad favorem Provinciæ Germanicæ emanatum.

§. 1. NUper pro parte Dilecti Filii Procuratoris Generalis Congregationis Italiæ Fratrum Ordinis Eremitarum, Sancti Auguſtini Excalceatorum nuncupatorum Congregationi Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium, negociis & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitæ expoſitum fuit, quòd Capitulum Generale dictæ Congregationis Italiæ noviſſimè ſub præſidentiâ Venerabilis Fratris Noſtri Palutii Epiſcopi Prænеſtini ejuſdem S. R. E. Cardinalis de Alteriis nuncupati, Ordinis prædicti apud Nos & Sedem Apoſtolicam Protectoris celebratum ad favorem Provinciæ Germaniæ ejuſdem Congregationis Italiæ Decretum edidit tenoris qui ſequitur videlicet. Die 7. Maji Seſſ. 7. poſt veſperas lectus fuit ſupplex libellus Provinciæ Germanicæ, in quo repetit preces in aliis Capitulis Generalibus porrectas, quòd ei ſoli concedatur celebratio Capituli Provincialis, ob particulares rationes adductas, atque etiam ob inſtantiam Auguſtiſſimi Imperatoris, & annuente Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo D. Cardinale Palutio de Alteriis S. R. E. Camerario Protectore Noſtro & præſentis Capituli Generalis Apoſtolico Præſidente, maturè conſideratis conſiderandis decernimus, & ſtatuimus, quòd omninò concedatur, ſicut de facto concedimus, ita ut poſſit incipere Capitulum Provinciale in ſecundo anno præſentis triennii juxtà methodum ſtatutam in Capitulo Generali de anno 1628. & in præſenti approbatam, & confirmatam cum nonnullis additionibus, prout in exemplari ſubſcripto ab Eminentiſſimo prædicto Protectore, & Præſide, nec non ab omnibus, & ſingulis P. P. Definitorii Generalis; inſuper impartiuntur facultatem Patri Caliſto à S. Innocentio Procuratori Generali ex præteritis impetrandi confirmationem præſentis Decreti à Sacrâ Congregatione Statuti Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, & quatenùs opus eſſet, etiam robur Apoſtolicum à Sanctiſſimo Domino Noſtro Innocentio PP. XII. omnibus per vota ſecreta concurrentibus &c. Cardinalis de Alteriis Protector, & Præſes.

Et à S. R. E. Congregatione confirmatum.

§. 2. Et proindè pro parte dicti Procuratoris Generalis prædictæ Cardinalium Congregationi ſupplicato, ut Decretum hujuſmodi confirmaret; Emanavit ab eadem Congregatione Cardinalium

Decre-

Decretum tenoris sequentis videlicet, Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis & consultationibus Episcoporum & Regularium præpositа, attentis narratis petitam confirmationem, servatâ tamen in omnibus unitate, & subjectione, prout antea Oratori benignè concessit. Romæ 23. Maji 1692. H. Card. Casanata, Locus † sigilli.

Confirmatio præfatorum Decretorum Apostolica

§. 3. Cùm autem, sicut dictus Procurator Generalis Nobis subindè exponi fecit, ipsa præmissa, quo firmiùs subsistant, & serventur exactiùs, Apostolicæ Confirmationis Nostræ patrocinio communiri summoperè desideret. Nos ipsius Procuratoris Generalis votis hâc in re, quantùm cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à jure, vel ab homine, quâvis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, præinsertum novissimi Capituli Generalis Decretum à memoratâ Cardinalium Congregatione, ut præmittitur, confirmatum, nec non desuper emanatum Decretum à Congregatione Cardinalium, Decretum itidem præinsertum auctoritate Apostolicâ tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salvâ tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis dictorum Cardinalium.

Decretum roborans & irritans.

§. 4. Decernentes easdem præsentes Litteras semper firmas, & validas & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocunque spectabit, plenissimè suffragari, & ab his respectivè inviolabiter observari: sicque in præmissis per quoscunque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quâvis auctoritate scienter vel ignorantar contigerit attentari.

Derogatio contrariis.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quatenùs opus sit Ordinis Congregationis Italiæ, & Provinciæ prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ vel quâvis firmitate aliâ roboratis Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hâc vice dumtaxat, specialiter & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 30. Junii 1602. Pontificatus Nostri Anno Primo.

D. 30. Junii 1692. P. A. primo.

J. F. Card. Albanus.

Loco † Annuli Piscatoris.

Methodus de qua in Brevi fit mentio, &c. Celebrandi Capitula Provincialia in Provinciâ Germaniæ.

Capituli tempus, locus & personæ.

I. Capitulum Provinciale Dominicâ tertiâ post Pasch anno immediatè præcedente celebrationem Capituli Generalis in Conventu à Definitorio in Capitulo Provinciali assignando celebretur, ad quod præter Gremiales, & Fratres Capitulo Provinciali necessarios, alii non accedant sine expresâ Provincialis licentiâ, quam solummodò concedat iis, quos ob aliquod negotium interesse necessarium fuerit.

Personæ speciatim indicatæ.

II. Ad Capitulum Provinciale conveniant sine alia citatione suffragaturi Provinciales, tam recenter electi quàm Officio functi Priores, & Vicarii Conventuum, cum singulis Discretis canonicè electis, Provinciales absoluti, & qui quondam in Officiis Generalibus fuerunt, & Secretarius Provincialis, qui juxtà Conventuum dignitatem, & antiquitatem sedebunt.

Præparatoria per Missam de Sp. S. quomodo & à quo facienda.

III. Sabbato antè prædictam Dominicam absentibus ampliùs non expectatis, Missâ de Spiritu Sancto solemniter à Provinciali celebratâ, vel eo absente à primo Definitore Provinciali, quo tempore per totam Provinciam fundantur preces pro felici exitu Capituli Provincialis, & hâc die in unoquoque Conventu Provinciæ cantetur Missa de Spiritu Sancto, quod idem fiat feriâ quintâ pro bonâ electione Provincialis. Et interim seù priùs à reliquis Patribus Missa dicta ad signum Campanulæ tendant omnes ad locum Capituli ubi Hymno dicto: Veni Creator Spiritus: cùm oratione prout in Ceremoniali Provincialis præstito ab omnibus juramento de digniore eligendo. Si Vicarius Generalis Nostræ Congregationis præsens fuerit, tunc temporis ille à principio usque ad finem Capituli Officium Præsidentis exercere poterit, si verò non præsens fuerit, tunc mittet Definitorium Provinciale nomina trium Patrum, qui sint ex ipsâ Provinciâ Germaniæ, Nostro Reverendissimo Patri Vicario Generali, ex quibus unum deputabit, & eliget in Præsidentem Capituli Provincialis.

Præsidentis locus & officium circa suffragia.

IV. Deputatus Præsidens toto Capituli tempore primum locum semper obtinebit, cum aliis duobus ei proximè sedentibus suffragia scrutabitur, & si Præsidens in aliquod Officium fuerit electus, à Provinciali præterito, vel noviter electo confirmabitur. Nolumus tamen, quòd in Capitulo, in quo fuerit Præsidens, ullo modo in Provincialem possit eligi, juxtà Decretum à Clemente Octavo editum.

Electio & locus assistentium.

V. Postèà Præsidens electionem duorum Assistentium, seu Judicum causarum proponet universis Capitularibus: possint autem eligi omnes vocem habentes in Capitulo Provinciali, dummodò non sint Discreti. Electi autem Assistentes, & Confirmati per totum hunc diem unus post Provincialem à dextris, & alter à sinistris Præsidentis immediatè sedebit.

De relatione faciendâ per Discretos de Fratribus defunctis & Benefactoribus Secularibus, & de Discretorum electione.

VI. Quibus peractis præsentibus etiam non Gremialibus, referant Discreti per ordinem nomina Fratrum defunctorum in suis Conventibus in illo triennio, & simul qualitates eorum, quod idem fiet de Secularibus Benefactoribus, tam vivis, quam defunctis, quorum beneficia singularia referentur. Post relationes Discretorum Provincialis commemorationem faciet eorum, quos illi prætermiserint, & Præsidens pro omnibus orationem indicet. Tunc autem brevitatis causâ Psalmum De profundis cum precibus, & orationibus, *Deus veniæ largitor* &c. dicant, & in fine Capituli Præsidens de consensu Definitorum determinabit suffragia, quæ pro Benefactoribus facienda erunt. Statimque non Gremiales exibunt, Litteræque testimoniales de electione Discretorum producentur, & examinabuntur, & Præsidens Provincialis simul cum absentibus statim sententiam ferant electos esse, vel non esse canonicè; quorum sententiæ simpliciter latæ absque appellatione obediant.

De impedimento vocis.

VII. Post hanc sententiam Præsidens præcepto formali præcipiat omnibus Gremialibus, ut antequam post vesperas, eò die congregentur, denunciet unusquisque sibi, an sciat aliquod impedimentum Canonicum, propter quod aliquis ex Gremialibus vocem habere nequeat. Nolumus autem, quòd Præsidens possit Capitulares privare voce propter delicta contra ipsos ab eo, vel aliis Superioribus etiam

in visitationibus reperta, nec per quascunque querelas, vel processus, etiam completos à quibusvis contra ipsos missos ad Capitulum, nisi habeant aliquod impedimentum Canonicum, quo vocis incapaces reddantur. Quandò verò aliquis ex Gremialibus per sententiam alicujus Superioris ob aliquod delictum jam reperitur suspensus, tunc Præsidens Provincialis, & Assistentes procedere possunt simpliciter, & de plano ad privationem vocis, si tamen pro delicto tali in Nostris Constitutionibus pœna privationis Officii imposita fuerit.

De non ducendis certis casibus ad Capitulum vel Præsidentem.

VIII. Nullus ad Capitulum Provinciale, vel ad Præsidentem ejusdem ducat casus, qui per Definitorium, vel Provincialem possunt expediri, secus verò faciens non audiatur, sed pro temeritate puniatur.

De agendis post denunciationem factam & non factâ.

IX. Horâ vespertinâ congregentur Præsidens Provincialis, & Assistentes, & si aliqua denunciatio facta fuerit, & de plano causam examinent, & sententiam ferant, cui omnes parere teneantur sub privatione vocis activæ, & passivæ per duos annos; In ferendâ autem sententiâ, quando vota erunt æqualia, pro reo standum erit: si verò nulla denunciatio facta fuerit, declarent omnes legitimè vocem habere, & convocatis omnibus Gremialibus, & manifestato Decreto, indicant Congregationem Dominicâ sequenti post vesperas ad eligendos Definitores Provinciales, & Secretarium Capituli Provinciales, qui etiam erit Secretarius Provincialis, & cæteros loco post Subpriores præcedet.

De abdicatione Officii faciendâ à Provinciali, Definitoribus & Prioribus.

X. Die Dominicâ horâ præfatâ dicto Hymno *Veni Creator Spiritus*, & ab omnibus Capitularibus congregatis in loco Capituli surgens Præsidens absolvat ad cautelam à censuris Provincialem, & reliquos Capitulares: posteà omnes surgant, & sedeant, & Præsidens dicto *Adjutorium nostrum in Nomine Domini*, & responso *Deus* (quod in initio cujuscunque Capituli fiet) cæteris stantibus ipse solus Præsidens sedeat. Provincialis genibus flexis breviter, & generaliter culpam dicat, Officio renunciet, sigillum tradens surgat, & ad dextram Præsidentis sedeat, & postquam Provincialis se Officio abdicaverit, Definitores Provinciales, & Priores culpâ de more dictâ Officio se abdicent, sigillum reddant, & pro antiquitate, & dignitate Conventuum, suo quoque loco, & ordine sedeant, qui usque dum Capitulo finis imponitur, Vocales habeantur in illis tantum casibus qui ad Capitulum Provinciale spectant, & Constitutiones Nostræ sanciunt: gubernatio tamen Conventus usque ad finem Capituli Provinciali semper relinquitur.

De observandis circâ electionem Definitorum & Secretarii Capituli.

XI. Posteà Præsidens electionem quatuor Definitorum Provincialium faciendam proponat, quæ fiet ordine servato incipiendo à primo, & electis Definitoribus Provincialibus congregentur simul cum Præsidente, Provinciale absoluto, & Priore locali ad Secretarium Capituli Provincialis faciendum. Quod si Prior localis electus fuit in Præsidentem, vel Definitorem, tunc ejus loco omnes Vocales eligant unum ex Gremialibus ad complendum numerum septem Patrum, qui tamen exeat à Definitorio, quotiescunque aliquis fuerit electus in Provincialem, qui non sit de numero Definitorii, ad complendum tamen numerum accedet, quando aliquis de gremio Definitorii tertiâ vice non factâ electione Canonicâ, est unus necessario eligendus è duobus, & si illi duo fuerint ex Definitorio præter supradictum Patrem ultimo loco electum, accedent Definitores præteriti, seu Priores antiquiores, id est Conventuum digniorum, hoc ordine servato, ut primis Definitoribus succedant secundi. Quod si Provincialis fuerit electus in Definitorem, vel ipsemet Præsidens, vel alius pariter absens, tunc omnes Gremiales Capituli Provincialis eligent alios Patres ex præsentibus, & vocem habentibus in eodem Capitulo ad supplendum numerum septem Patrum, ita ut numerus septenarius semper integer sit, & impar remaneat.

De Litteris tradendis Definitoribus recenter electis.

XII. Præsidens statim designet duos ex Definitoribus recenter electis, quibus tradantur Litteræ, Capitulo seu Definitorio perlegentur, & Definitorium rescribet, quid respondere oporteat, ejusque nomine Definitores prædicti Litteras conficiant à Præsidente & Secretario subscribendas. Præcipimus autem in virtute Spiritus Sancti, & sanctæ obedientiæ, quod Litteras sine nomine, vel nomine ficto, vulgò dictas orbas, neque publicè, neque privatim inter se, nec singuli singulariter legant, sed statim ac apertæ, ac sine nomine repertæ fuerint, vel scindantur, vel comburantur, cum tales Litteræ ex malignitate contra proximi famam semper proveniant.

Ordo sedendi in Definitorio Provinciali.

XIII. Diebus sequentibus solum Definitorium Provinciale congregabitur, in quo hi solum conveniant; Præsidens in primo loco; Provincialis absolutus à dextris ejus, & à sinistris primus Definitor, & alii tres semper unus à dextris, & alter à sinistris, juxtà eorum electiones sedebunt, ultimum autem locum semper habebit Prior localis, vel Pater ejus loco electus, & suo loco quoque sedebit Secretarius, & ordinem hic in nominendis positum ipsi in dicendâ sententiâ servabunt.

Quod singulis diebus bis congregandum.

XIV. Congregabuntur autem bis singulis diebus, & primò Discreti juxtà antiquitatem, & dignitatem Conventuum, quorum sunt Discreti, tradant Definitorio Litteras Capituli sui Conventus ab omnibus subscriptas, & sigillatas, in quibus significent Definitorio quæ ipsis occurrerint proponenda.

De discussione Litterarum, à Discreto traditarum.

XV. Perleget Secretarius, præsente Discreto, ut rationem & declarationem reddat scriptorum, si interrogatus fuerit. Egresso Discreto inter se conferant Patres Definitorii, quænam ex scriptis consideratione sint digniora, & quæ Præsidens, & alii ex Patribus, vel tres ex Patribus, non incluso Præsidente consideratione digna judicaverint, à Secretario norentur in codice ad hoc deputato, ut auditis omnibus discutiantur in Definitorio, & decidantur.

Accessus Priorum & Vicariorum Conventuum.

XVI. Post Discretos Priores, & Vicarii Conventuum servatâ eâdem ratione antiquitatis per ordinem accedant ad Definitorium, & scripto proponent, quæ ipsis occurrerint; quod scriptum leget Secretarius præsente Priore, ut reddat rationem, & declarationem contentorum, & egresso eo statim conferant Patres Definitorii inter se, sicut de Discretis Conventuum dictum est.

Reliquorum Patrum Gremialium.

XVII. Post Priores accedant reliqui Patres Gremiales idem facturi, & posteà perlegantur summaria Litterarum per duos Definitores confecta.

Exindè Provinciæ status cognoscendus & discutiendus.

XVIII. Ex iis omnibus, & quæ unusquisque cogitavit, facile cognoscent statum Provinciæ, & quibus indigeat, & in sequentibus Sessionibus, & Congregationibus incipiente Præsidente, & post ipsum reliqui Patres proponent, discutient, & determinabunt, tàm quæ à præteritis proposita fuere, quàm quæ unusquisque proponenda censuerit.

Quomodo in proponendo & discutiendo se gerendum.

XIX. In proponendo autem, & discutiendo brevitatem, claritatem, & modestiam omnes observabunt, nullus cum altero contendet, neque extrà locum sibi dicendi proprium loquetur, absque expressâ Præsidentis veniâ. Postquam omnes rationes sibi occurrentes dixerint, propositio formetur cathegoricè, ita ut affirmando, vel negando possit decidi.

Decisio.

XX. Formatâ propositione, scriptâ per Secretarium, lectâ à Patribus, decidatur per fabas albas, vel nigras, & Secretarius scribet, quot suffragia fuerunt affirmativa, vel negativa, & si res fuerit gravis, & tres ex Patribus majorem rei relevantiam consideraverint, in sequentem sessionem decisio differatur.

De rebus ad Capitulum Generale deferendis.

XXI. Si quinque Patres ex septem Definitorii per suffragia secreta de propositis à Discretis Conventuum, aut ab aliquo ex Definitoribus excogitatis, decreverint aliquid Capitulo Generali pro totâ Congregatione proponendum esse, in fine Capituli Provincialis super propositionibus factis, communes Litteræ componantur ab eisdem septem Patribus, & Secretario subscribendæ, & sigillo Provinciæ munientur, & Discretus Provinciæ Capitulo Generali deferre, & contentorum in illis rationem reddere teneatur, prout à Patribus Definitorii fuerit informatus.

Constitutiones à Definitorio Provinciali earumque obligatio.

XXII. Ad hoc verò Definitorium Capituli Provincialis spectat aliqua Statuta, sive ordinationes pro bono regimine Provinciæ propriæ condere. Ordinamus autem, quòd eas facere non possint, nisi quinque ex septem Patribus concurrant, neque practicentur, nisi prius Capitulo Provinciali propositæ per majorem suffragiorum numerum, & à Vicario Generale Nostræ Congregationis fuerint approbatæ, & nisi in singulis subsequentibus Capitulis denuò examinatæ eodem modo, tàm à Definitorio, quàm à Capitulo confirmentur, eo ipso expirent. Volumus autem, quòd tantum de Capitulo in Capitulum vim obligandi habeant. Ordinationes verò, quæ fuerint confirmatæ, in proprio libro authentice inscribantur.

Inscribendæ & subscribendæ.

XXIII. Statuta sive Ordinationes Provinciæ scribantur in libro ad hoc deputato cum subscriptione Præsidentis Capituli Provincialis, Patrum Definitorii, & Secretarii.

Libri actorum & propositionũ.

XXIV. Erunt duo alii libri, in quorum uno scribantur omnia acta Capituli, & in altero propositiones, quæ ad Capitulum Generale per Discretum Provinciæ mittuntur, quæ eodem modo subscribentur.

Electio Provincialis.

XXV. Quibus omnibus expeditis ad electionem præmoneat Præsidens, quare feriâ quintâ congregatis omnibus Capitularibus post Missam de Spiritu Sancto celebratam de bonâ electione faciendâ sermonem habeat, statimque omnes genuflexi per quartam horæ partem orabunt, ut Deus eos dirigat, signoque surgendi dato à Præsidente, sedeant, & ad electionem procedant, ut suprà dictum est. In Provincialem regulariter eligatur semper aliquis Pater illius Provinciæ, pro quâ est electio facienda. Posteà Præsidens Provincialis absolutus, & primus Definitor scrutabuntur suffragia.

Confirmatio, & reliqua post electionem observanda.

XXVI. Electione factâ confirmet Præsidens electum Provincialem, ut Officium suum exercere possit, absque tamen præjudicio confirmationis faciendæ à Vicario Generale Nostræ Congregationis, qui de electione Canonicâ, & de electo certior factus, electum Provincialem confirmare teneatur, prout de jure. Incipiatque Te Deum Laudamus, & processionaliter ducant in chorum, vel Ecclesiam simul occurrentes reliqui Fratres, qui Provincialis sedeat, & incipiente Provinciale absoluto, reliqui manum ejus osculabuntur. At si aliquis Definitorum electus sit in Provincialem, antequam è Capitulo egrediantur, eligant novum Definitorem loco electi, qui erit ultimus inter Definitores.

Priorum & Vicariorum electio.

XXVII. Eâdem feriâ quintâ post vesperas, & si absens sit Provincialis, nullo enim modo expectandus est, sed ipso absente, vel præsente, Præsidens primum locum semper habeat, ad electionem Priorum, & Vicariorum procedatur, quos Difinitorium solum faciet. Ad electiones verò ritè faciendas quilibet Prior, & Discretus præstito juramento de veritate dicendâ, & non tacendâ, referat Definitorio sigillatim Sacerdotes sui Conventus ætate, & qualitatibus ornatos, qui in Priores eligi possunt.

De schedulis asservandis & Conventuum Ordine constituendo.

XXVIII. Omnium qui propositi sunt schedulam quilibet Definitor faciet, & conservet, ut eâ benè perpensâ ad electionem prudenter procedant. Priùs Conventuum ordinem juxtà dignitatem eorum, Definitorium constituet, ut priùs digniores provideantur, sed Conventus Novitiatus semper omnibus anteponatur.

De electione Suppriorum, Lectorum, & Magistrorum studentium.

XXIX. Procedendo ergo ad electiones Priorum Vicariorum, Subpriorum, posteà animadvertendo summopere in electione Superiorum Conventus Novitiatus, & Professorii, cum sint futuri Magistri Novitiorum, & recenter professorum, nisi aliter Definitorio Provinciali videbitur, quàm ob rem majora sunt requirenda in iis, quàm in quolibet Priore, ac in alio quocunque Subpriore. Electis Prioribus, Vicariis, & Subprioribus, eligentur Lectores, deindè studentium Magistri, qui & ex electis Lectoribus, vel ex aliis Patribus assumi poterunt.

De Compositione familiarum.

XXX. His factis familias component, ita ut in quolibet Conventu sint Sacerdotes sufficientes, Confessarii necessarii, tàm pro Fratribus, quàm pro Secularibus, & unus, vel plures Concionatores. Sint & duo Patres, qui in Examinatores possint eligi ad examinandum Novitios, promovendos ad Sacros Ordines, & munera Confessarii, & Concionatoris. Sint & Fratres Clerici, nec non Conversi, & Tertiarii, juxtà exigentiam locorum.

De eligendis duobus Discretis ad Capitulum Generale ituris.

XXXI. Die Sabbati iterùm congregetur Capitulum Provinciale, & ab omnibus Patribus eligentur duo Discreti, cum eorum substitutis ad Capitulum Generale ituri, qui habeant qualitates, & requisita, quæ præscribuntur in Bullâ Alexandri Papæ septimi, quæ incipit *Militantis Ecclesiæ* prout hactenùs factum, & observatum est.

Capituli Provincialis terminatio.

XXXII. Dominicâ post vesperas iterum totum conveniet Capitulum, & Præsidens omnia exequatur, quæ de Præsidente Capituli Generalis in Nostris Constitutionibus sancita sunt. Eodemque modo, qui ibi de Capitulo Generali præscribitur, Capitulum Provinciale terminabitur, omnes in osculo Sanctæ Pacis amplectendo & lecto Decreto Sacræ Romanæ & Universalis Inquisitionis, factâque fidei confessione, ac datâ absolutione generali prout de more, omnes discedent in nomine Domini.

De Definitorio Provinciali, & ejus Auctoritate.

Definitorum Officium.

I. Ut Prior Provincialis Provinciam faciliùs, & prudentiùs gubernare possit, quatuor Definitores in Capitulo Provinciali electos, in adjutorium illi adjungimus, eorumque Officium per triennium durabit usque ad novam Definitorum electionem. Ipsorum erit invigilare super observationem Constitutionum, ordinationem, & consuetudinum Provinciæ, reliquorumque ad perfectionem spectantium, & si in aliquo observationem labefactari viderint, Provincialem statim moneant verbo, vel scripto.

Eorum sigillum.

II. Litteras dare vel recipere poterunt absque Prioris licentiâ, vel scitu, & propriis utentur sigillis cum Cruce, tribus clavis, & spinea corona & characteribus, primi, secundi, & tertii, & quarti Definitoris Provincialis, quæ possint, unà cum Litteris, & scripturis secreto dignis conservari in oratoriis clave munitis, eo modo, quo aliis Superioribus conceditur.

Locus.

III. In omnibus locis post Priorem localem, cæteros loco præcedent, enitentur autem magis virtute, & exemplo præcedere, in quo si defecerint, Prior illos admoneat charitativè, & si se non emendaverint, Provincialem certiorem reddat. Declaramus quòd locus competens Definitoribus Provincialibus sit respectivè juxtà praxim Definitorum Generalium.

Annua Congregatio.

IV. Semel anno congregabuntur cum Provinciali in Conventu principaliore, & antiquiore Provinciæ, vel in Conventu assignato à Definitorio Dominicâ tertiâ post Pascha.

Spectantia

V. Ad Definitorium Provinciale spectat Magistrum

ad Definitorii Provinciale.

Novitiorum Professorum constituere, Conventum Novitiatus designare, si extrà Conventus Novitiatus aliquando Novitios educare oportet, Conventum assignabit ubi educandi sint: Renuntiationem alicujus officii, in quod aliquis à Capitulo Provinciali eligitur, admittere, aut in idem officium vacans aliquem substituere, qui si fuerit Definitor, ultimum locum inter alios habebit. Priorem aliquem ab uno amotum alicui alteri Conventui præficere, vel de novo eligere in his Conventibus, qui de novo accipiuntur. Ante triennium expletum Capitulum Provinciale ob causam urgentem, cum consensu tamen Definitorii Generalis convocare. Poterit quoque idem Definitorium aliquem ex quatuor Definitoribus Provincialibus causâ exposcente ab officio deponere, & à Prioratu, etiam Priorem, & Secretarium deponere: pœnâ ultimâ graviorem aliquem punire: bona mobilia, vel immobilia, non tamen notabilis pretii, utpotè excedentia summam ducentorum scutorum, ab uno in alium Conventum transferre.

De convocando Definitorio ultrà tempus assignatum.

VI. Si ultrà tempus assignatum ob causas urgentes Provincialis convocationem Definitorii necessariam esse duxerit, illud congregare poterit, & si primus Definitor, & alii duo convocari postulaverint, Provincialis id facere teneatur: quod si facere noluerint, Vicarium Generalem reddant certiorem, & quidquid ille determinaverit, exequantur sub pœnâ arbitrio ipsius Vicarii Generalis infligenda.

De absentiâ Definitoris.

VII. Nullus Definitor nisi legitimè impeditus, & de licentiâ Provincialis, & reliquorum Definitorum, quam ipsi petenti dare possunt, sub pœnâ depositionis abfit, quando Definitorium congregatur; neque hæc venia dari potest plus quam uni, & tunc loco absentis aliquem reliqui Patres Definitores, jam congregati eligent, qui ultimum locum habebit.

In Definitorio proponenda.

VIII. Proponet in Definitorio Provincialis quæ tractanda occurrent, si verò aliqua ipsæ prætermiserit, quilibet ex Patribus Definitorii, sentiente alio debere proponi petitâ veniâ proponat, ut decidatur; graviora verò dubia ab unâ Sessione; in aliam proponantur.

Executio decisorum in Definitorio.

IX. Quidquid in Definitorio decisum fuerit, Provincialis exequatur juxtà mentem Definitorii, quoad tempus, modum, & alias circumstantias, quod nisi præstiterit, admoneatur ab aliquo Definitorum reverenter, & si admonitus non paruerit, Vicarium Generalem certiorem faciant, qui pro culpæ modo illum puniat.

Definitorii duratio

X. Definitorium ultrà octo dies non durabit nisi alicujus gravissimi casus decisio protractiorem moram postulaverit; congregabuntur autem bis per singulos dies, ut quanto citiùs negocia expedire possint.

Juramentum secreti

XI. Strictissimo secreti sigillo omnia negocia Definitorii sileantur, & in primâ sessione de servando secreto omnes juramentum præstent. quod tunc obligabit, cùm major pars Definitorii statuerit in illo eventu juramentum debere observari, quod qui violaverit, per biennium voce, & officio careat, & qui alia quæ sub secreto juramenti non cadunt propalaverit, gravi pœna pro primâ vice puniatur.

De qualibet Provincialatus vacatione intrà triennium

XII. Si Provincialis morte præventus triennium percurrere nequeat, primus Definitor Vicarium Generalem statim certiorem reddat ob mortem Provincialis, & interim alios tres Definitores congregabit in Conventu, ubi tunc temporis primus Definitor reperietur, vel in loco commodiore ad hoc ab ipso primo Definitore deputato, & simul cum Priore illius Conventus, ubi Definitorium congregabitur: Qui eligent alios duos Patres, quibus electis omnes septem simul congregati de novo Provinciale duraturo usque ad Capitulum Provinciale electionem facient, quæ omnia quamprimum fieri poterit exequantur. Si autem Provincialis non è vitâ decesserit, sed ab infidelibus, aut inimicis captus fuerit, ita ut Provinciam suam gubernare nequeat, idem primus Definitor, cum aliis Definitoribus congregabitur, collegialiter congregati, Vicarium Provincialem præficiant, qui totam Provincialis auctoritatem habebit, si vero intra annum tertium post Definitorii Congregationem ultimam obierit, tunc primus Definitor, vel eo deficiente secundus usque ad finem ejusdem triennii præsidebit. Quæ autem hic pro casu Provincialis sancita sunt, volumus observari etiam in casu, quo Provincialis ad aliquod Officium Generale translatus, seu promotus fuerit, vel etiam in quocumque casu alio vacationis Provincialatus.

Quinam debeant ad Definitorium convenire.

XIII. Quotiescumque oportuerint Definitorium Provinciale congregare, ad illud conveniat ad numerum septem Patrum complendum, etiam is, qui Officium aliquod generale exercuit, eoque absente, etiam is, qui functus est Officio Provincialis, dummodò tamen inveniantur ab omnibus aliis Officiis actualiter absoluti, quòd si plures fuerint, qui prædicta Officia Generalia, aut Provincialia exercuerint, attendenda semper est inter ipsos major exerciti Officii dignitas, inter æquales autem in exercita dignitate prioritas electionis ad talia Officia, seu dignitates attendatur.

Definitorum Conventualiũ locus.

XIV. Definitores in illo Monasterio ubi sunt Conventuales signum dabunt, & præsidebunt in actibus Communitatis omnibus, qui loco inferiores sunt Subpriore. Item iisdem in communi tabulâ Officia non assignentur.

De defectu unius Definitoris, ad Definitorium accedere nolentis.

XV. Si quando sentiente Provinciale, & tribus Definitoribus, Definitorium tenere necesse videbitur, & unus Definitor interesse noluerit, elapsis octo diebus à tempore per tres Definitores præfixo, ad Definitorium celebrandum tempestivè per Litteras vocatus, si non accedit, eligatur à Provinciale & reliquis Definitoribus substitutus, ad Definitorium illud celebrandum, & celebretur Definitorium.

De Provinciale Officii sui partes non explente.

XVI. Si Definitores animadverterint Provincialem officio suo non satisfacere, vel quod pejus est abuti, neque bonis consiliis acquiescere, Vicarium Generalem re benè ponderatâ, & examinatâ moneant præsertim in iis eventibus, in quibus pœna depositionis seu suspensionis Provinciali decreta est.

Reelectio prohibita.

XVII. Prohibemus cæterum, & interdicimus reelectionis ad eadem Officia juxtà præscriptum Nostrarum Constitutionum part. 3. cap. 1. §. 7. & 8. quas vim omnem habere volumus tùm in Capitulis, tum in Definitoriis Provincialibus, ita ut Provincialis transacto triennio nullo modo possit reeligi & confirmari. Permittimus tamen quòd Definitores, & Priores confirmari possint, prout eædem Constitutiones sanciunt, & non aliter, servatâ tamen Constitutione Urbani VIII. quæ incipit, *Circumspecta*, quoad vacantiam Prioris Provincialis, non tamen quoad Definitores Provinciales.

Generalia & specialia eligendorum requisita.

XVIII. Ut autem in omnibus electionibus consulatur ut par est majori Provinciæ utilitati, ac de dignioribus, magisque idoneis semper provideatur, volumus, & ordinamus, quod generaliter loquendo nullus eligatur ad aliquod Officium nisi aptus, & assuetus sit vitæ communi, & qui regulari observantiæ non incumbunt, omninò rejicimus, omnium super hoc conscientias onerantes; insuper statuimus & declaramus primò, quòd nullus eligatur in Definitorem Provincialem, nisi per tres annos aut Prior, aut Lector, aut Prædicator, aut Magister, sivè Professorum aut Novitiorum exti-

teriti;

terit; secundò, nullus Priorum, & Superiorum poteſt eſſe Definitor; tertiò debent eſſe abſoluti à ſtudiis Philoſophiæ & Theologiæ cum atteſtatione ſuorum reſpectivè Lectorum, exceptis iis, qui fuerunt in Officiis Generalibus.

Factâ collatione cum originali aſſervato in Archivo Romano Jeſu Mariæ, concordat de verbo ad verbum, in quorum fidem &c.

Datum in eodem Conventu die 8. Maji Anno 1692.

Frater SIMPLICIANUS à S. Dorothea
Vicarius Generalis.

Loco † Sigilli.

E. LAURENTIUS à S. Franciſco
Sec. Cap. Gen.

XVIII. Gratiæ & Privilegia Conclaviſtis poſtremi Conclavis conceſſa.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Urbis.

Donatio ſcutorum decemmillium auri.

§. 1. MOtu proprio &c. Nos volentes Dilectos Filios Conclaviſtas, qui Conclavi, in quo Nos Divinâ favente clementiâ ad Summi Apoſtolatus apicem aſſumpti fuimus, Nobis, & Venerabilibus Fratribus Noſtris S. R. E. Cardinalibus, uti Familiares continui Commenſales inſervientes interfuerunt, quique eâ de causâ labores, vigilias, & incommoda plura ſubierunt, habitâ ratione obſequiorum hujuſmodi, favoribus, gratiis, & privilegiis pro cujuſque meritis exornare ipſoſque Conclaviſtas, quibus hodie, ac aliis participantibus deſcriptis in rolo, ſeu diviſione ſubſcripto, ſeu ſubſcripta per Dilectum etiam Filium Noſtrum Bandinum Tituli S. Thomæ in Parione nuncupat. Presbyterum Card. Panciaticum nuncupatum Prodatarium Noſt. ſummam decem millium ſcutorum auri in auro ſtamparum ex pretio tot officiorum vacabilium ad Nos ſpectantium gratiosè donavimus, in veros, indubitatos, & non fictos Familiares, & continuos Commenſales Noſtros, ac eos, qui ex illis Clerici exiſtunt, ſeu militiæ Clericali adſcribi deſiderant, quoſque tres præfatæ S. R. E. Cardinales ſingulatim in quolibet Ordine antiquiores gradu, nobilitate, & aliis meritis dignos tali dignitate judicaverint, in noſtros, & Sedis Apoſtolicæ Notarios, ſine tamen præjudicio Dilectorum Filiorum de numero participantium Notariorum recipimus, & tàm illos, quàm alios Conclaviſtas ſingulos, qui ſingulatim ab iiſdem tribus Cardinalibus digni tali honore reputati fuerint Sacri Palatii, & Aulæ Lateranenſis Comites, & Milites, & tàm illos quàm omnes etiam quoſcunque alios Conclaviſtas indiſtinctè, qui Nobiles non ſunt, Nobiles, quique Urbis, vel alicujus alterius ex Civitatibus temporali Dominio eidem S. R. E. mediatè, vel immediatè ſubjectis Cives eſſe voluerint, ſingulos in eâ ipsâ Civitate, quàm ſigillatim quiſque eorum elegerit, & ad quam ab eiſdem tribus Cardinalibus ſe admitti petierit, veros Cives ad inſtar, & ſine ullâ prorſus differentiâ inter eos, & ſingulos alios veros originarios, & antiquiſſimos etiam Nobiles, & participantes Cives ipſius Urbis, vel Civitatis, ita ut ipſum Jus Civilitatis ad quoſcunque illorum hæredes eodem modo tranſeat, creamus, conſtituimus, & deputamus, ac Nobilitatis, & Civilitatis titulo, honore, & inſigniis decoramus, aliorumque familiarium, & continuorum Commenſalium Nobis actu in Palatio Noſtro Apoſtolico inſervientium, ac in illius Tinello comedentium, & bibentium, ac Noſtrorum, & Sedis præfatæ Notariorum Palatii, & Aulæ prædictorum Comitum, Militum, & Nobilium, ac Civium hujuſmodi originariorum numero, & conſortio favorabiliter aggregamus, & pro veris, & indubitatis, non fictis familiaribus, continuis Commenſalibus, ac Notariis Noſtris, Comitibus, Nobilibus, Militibus, & Civibus deinceps haberi volumus, & reputari mandamus, eiſque ut in quibuſcunque impetrationibus, conceſſionibus, & Litteris, tàm gratiam, quàm juſtitiam ſeparatim, ſeu utramque mixtim concernentibus, ſe familiares, continuos Commenſales, Noſtroſque Comites, Milites, Nobiles, & Cives etiam originarios nominare poſſint, nec propterea impetrationes, conceſſiones, & Litteræ hujuſmodi ſubreptionis vitio ſubjaceant, ſed validæ, & efficaces exiſtant, ac ex nunc deinceps in perpetuum omnibus, & quibuſcumque, ac prorsùs ſimilibus antelationibus, prærogativis, privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, Decretis, declarationibus, derogationibus, mandatis, ſuſpenſionibus, favoribus, gratiis, privilegiis, indultis, ac Juribus, quibus alii Noſtri familiares tempore dictæ aſſumptionis Noſtræ ad Summi Apoſtolatus apicem, ac quibus alii ejuſdem Sedis Notarii, etiam de numero participantium exiſtentes, etiamſi habitum, & Rocchettum Notariorum ipſius Sedis non deferant, Palatiique, & Aulæ præfatorum Comites, Milites, Nobiles etiam originarii, ac antiquiſſimi Cives ejuſdem Urbis, vel Civitatis, quam ut præfertur elegerint, quique ex utroque Parente verè Nobili, & Cive originario, & antiquiſſimo procreati de jure, Statuto, conſuetudine, vel aliàs ex aliquo ſpeciali privilegio, ſeu aliàs quomodolibet etiam, quoad affectionem quorumcumque Beneficiorum Eccleſiaſticorum, etiam per quaſcunque Litteras, ſeu Conſtitutiones Apoſtolicas pro tempore editas utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere poſſunt, & poterunt quomodolibet in futurum ubique locorum in judicio, & extra, ſine tamen eorumdem Notariorum de numero participantium præjudicio, uti, frui, potiri, & gaudere liberè, & licitè valeant realiter, & integrè in omnibus, & per omnia, etiamſi in Urbe, & Civitate hujuſmodi non habitaverint, perinde, ac ſi de verè nobili genere, & ex utroque parente Nobili originario, ac antiquiſſimo Cive procreati forent, & hujuſmodi prærogativæ, privilegia, exemptiones, gratiæ, favores, conceſſiones, indulta, & jura, quæ pro aliis Nobilibus, & Civibus originariis emanârunt, & quæ ratione Nobilitatis, & Civilitatis naturalis, & originariæ aliis competunt, pro eiſdem Conclaviſtis in ſpecie emanâſſent, ſeu emanarent, & eis naturaliter de jure, Statùto, conſuetudine, fundatione, vel aliàs competerent, auctoritate, & tenore ſimilibus indulgemus.

Receptio in familiares.

In Notarios.

Exemptio ab habitatione in Civitate.

Electio Civitatis.

Etiam pro hæredibus

§. 2. Ac Conclaviſtas præfatos à ſolutione, & exactione quarumcunque decimarum, non tamen decimarum per fel. record. Innocentium PP. XI. Prædeceſſorem Noſtrum impoſitarum quarto Kal. Octobris Pontificatus ſui anno ſeptimo, & per eundem extenſarum, ſeu indictarum ad aliud triennium per Litteras in forma Brevis ſub die vigeſima quinta Novembris anno milleſimo ſexcenteſimo octuageſimo octavo Pontificatus ſui anno tertio decimo, nec non aliarum decimarum, ſubſidiorum, & onerum in ſubſidium expeditionis contra Turcas, & orthodoxæ fidei hoſtes impoſitarum, & impoſitorum, & cujuſcunque pedagii, ſubſidii, gabellæ, & cujuſcunque oneris ordinarii, & extraordinarii ubique locorum, & ex quacunque, quantumvis urgentiſſima, & inexcogitabili cauſa, &

Agabellis, & decimis aliiſque oneribus, exceptis Decimis ab Innocentio XI. impoſitis in ſubſidium expeditionis contra Turcas.

occasione etiam, ad instantiam Imperatoris, Regum, & Rerumpublicarum etiam Venetiarum, & aliorum quorumcunque Principum impositorum, & imponendorum pro tempore ex nunc, prout ex tunc, & è contra, & postquam casus hujusmodi impositionis, & solutionis evenerit, liberamus, & eximimus, liberosque, & exemptos fore, & esse decernimus; districtiùs inhibentes Dilectis Filiis nunc, & pro tempore existentibus ejusdem S.R.E. Camerario, Thesaurario, Præsidentibus, Clericis, ac quibuscunque aliis Officialibus Cameræ Nostræ Apostolicæ, ac Exactoribus decimarum, præterquam per dictum Innocentium Prædecessorem, ut præfertur, impositarum, pedagiorum, subsidii, gabellarum, & etiam præterquam per dictum Innocentium Prædecessorem, ut præfertur impositorum onerum hujusmodi, ac aliis personis, cujuscunque Ecclesiasticæ, vel Secularis Dignitatis, Status, Gradus, Ordinis, & conditionis existentibus, ne eos ad aliquam solutionem cogere, seu compellere, aut super præmissis, eorumque usu, possessione, vel quasi directè, vel indirectè quovis quæsito colore, vel ingenio molestare, vel aliàs quomodolibet impedire quoquomodo præsumant.

§. 3. Nec non eisdem Conclavistis, quod bona quæcumque ad ipsos, & eorum quemlibet spectantia, & per eos etiam ratione quorumcunque Beneficiorum Ecclesiasticorum cum curâ, & sine curâ Secularium, & quorumvis Ordinum, & Militiarum, atque Hospitalium quorumcunque Regularium, nec non Canonicatuum & Præbendarum, ac Dignitatum quarumlibet per eos aliàs obtentorum, & obtinendorum, aut aliàs quomodolibet, & quovis quæsito colore, vel ingenio, seu eorum industria, legitimè tamen, & aliàs licitè acquisita, & acquirenda, etiam in dicta Urbe, ejusque districtu, ac ubique existentia, spoliis minimè subjaceant, sed Conclavistæ præfati, etiamsi Religioni alicujus Militiæ, non tamen S. Joannis Hierosolymitani, adscripti, & in ea expresè professi fuerint, de illis in favorem quarumcumque Personarum, de jure tamen capacium, etiamsi Curiales esse desierint, & in quocumque loco, quantumvis remoto, etiam extra eorum propriam residentiam eos decedere contigerit, testari, vel alias disponere, iisque ab intestato decedentibus legitimi eorum hæredes quicunque succedere liberè, & licitè valeant, simili modo concedimus, & indulgemus, præcipientes, & mandantes eisdem præfatæ S.R.E. Camerario, Thesaurario, Præsidentibus Clericis, & quibusvis aliis spoliorum hujusmodi Collectoribus, & Subcollectoribus, ac Militiarum, non tamen dicti Sancti Joannis Hierosolymitani prædictarum Receptoribus, Officialibus, aut Prioribus, & quibusvis aliis Personis, tàm Secularibus, quàm Regularibus, etiam cujusvis Militiæ, & cujusvis gradus, status, ordinis, & præeminentiæ, etiamsi speciali nota digni existant, ne in hujusmodi bonis manus apponant, neque hæredes præfatorum Conclavistarum desuper molestare audeant, seu præsumant: ac etiam decernentes donationes etiam per viam Testamenti, & Codicillorum per ipsos Conclavistas de eorum bonis hujusmodi faciendas semper, & perpetuo validas, & efficaces fore.

Exemptio à Spoliis cum facultatibus testandi, exceptis Equitibus Sancti Jo. Hierosolymitani.

§. 4. Ac cum eisdem Conclavistis, etiam in Militia Sancti Joannis Hierosolymitani, & in quavis alia Militia expresè professis, quòd ratione quarumcunque pensionum annuarum eis, & eorum cuilibet super quorumvis Beneficiorum Ecclesiasticorum, & etiam Mensarum Episcopalium, Archiepiscopalium, Abbatialium, nec non Dignitatum quarumcumque, ac Monasteriorum, etiam per ejusdem S.R.E. Cardinales ad præsens obtentorum, & impostetum quomodolibet obtinendorum fructibus &c. ac etiam distributionibus quotidianis, non tamen ultrà summam 200. ducatorum auri de Camera, pro quolibet eorum nunc, & pro tempore reservatarum, & assignatarum, ac reservandarum, & assignandarum habitum, & tonsuram Clericales gestare, & in illis, dummodo aliàs ipsi habitum decentem, & honestum, ac per Milites præfatos gestari solitum deferant, incedere minimè debeant, nec ad id à quoquam desuper cogi, seu compelli minùsque aliquas sententias, censuras, nec etiam privationis, seu cessationis ipsarum pensionum pœnas occasione præmissorum incurrere possint, sed easdem pensiones usque ad præfatam summam 200. ducatorum hujusmodi ascendentes, & reservatas, & imposterum reservandas, ut præfertur, etiamsi matrimonium quoad Milites alicujus Militiæ, videlicet cum Militia compatibile jam contraxerint, vel posthac contrahere voluerint cum unica, & virgine tantùm recipere, & quoad vixerint, & quilibet eorum respectivè vixerit, retinere liberè, & licitè valeant, de speciali dono gratiæ dispensamus.

Facultas Equitibus cujuscunque Militiæ retinendi pensiones ad Summam ducatorum 200.

§. 5. Et insuper Conclavistis præfatis, & eorum singulis, ut quicunque loci Ordinarii, vel Canonici Metropolitanarum, vel Cathedralium, seu duarum insignium Urbis Collegiatarum Ecclesiarum, aut Personæ aliæ quæcunque Ecclesiasticæ in Dignitate Ecclesiasticâ constitutæ tam in Romanâ Curiâ, quàm extrà eam ad id per eos, & eorum singulos eligendi, seu eligendæ quascunque pensiones annuas, eis, & eorum singulis suis quibuscunque fructibus & juribus, obventionibus, & emolumentis universis, certis, & incertis quarumcumque Mensarum Episcopalium, Archiepiscopalium, & Abbatialium, ac etiam distributionibus quotidianis, etiam ratione servitii, & mercedis Dignitatum, Canonicatuum, & Præbendarum, cæterorumque aliorum quorumcumque Beneficiorum Ecclesiasticorum cum cura, & sine cura Secularium, & quorumvis Ordinum Regularium, non tamen per S. R. E. Cardinales obtentorum reservatas, seu reservandas, seu fructus &c. hujusmodi Beneficiorum reservatos & reservandos etiamsi semel, vel pluries translati fuerint usque ad summam centum ducatorum auri de Camera similium in toto, vel in parte, ac in una, seu pluribus vicibus, ac etiam in mortis articulo cassare, & extinguere, ac postquàm cassatæ, & extinctæ fuerint, alias similes pensiones annuas, seu fructus &c. hujusmodi usque ad summam præfatam centum ducatorum, uni, vel pluribus aliis Personis Ecclesiasticis, vel etiam Clericali caractere tunc temporis nondum insignitis, cum clausula tamen ex tunc, prout postquam dicto caractere ritè insigniti fuerint, seu aliàs pensionum, seu fructuum hujusmodi capacibus per eosdem Conclavistas, & illorum singulos nominandos, etiam quæcunque, quotcumque, & qualiacumque Beneficia Ecclesiastica obtinentibus, & expectantibus, similiter eis quoad vixerint, vel eorum Procuratoribus legitimis eisdem modo, & formâ, quibus eisdem Conclavistis reservatæ, seu reservati erant, etiam absque Beneficia hujusmodi obtinentium consensu integrè persolvendas, & per eos propriâ auctoritate percipiendas, exigendas, & levandas, aut percipiendos, exigendos, & levandos reservare, constituere, concedere, & assignare possint, ita ut præfati translatarii, in quasi possessione, pensiones, seu fructus &c. hujusmodi exigendi, in qua ipsi Conclavistæ tempore translationis per eos vigore præsentium faciendæ existebant, in omnibus, & per omnia surrogati esse censeantur, concedimus, & indulgemus, etiamsi similem gratiam à Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris aliàs forsan obtinuerint, seu quilibet eorum obtinuerit, tàm vigore aliorum privilegiorum Conclavistarum, quam etiam quocunque alio indulto, & privilegio, quorum effectum per hanc novam gratiam, & concessionem impedire nolumus, sed cumulativè concessam, & concessas esse volumus, ita ut quilibet eorum cumulativè, & ampliativè præfatis facultatibus præsentibus, & præteritis privilegiis, hac in re concessis uti, frui, & potiri possint. Decernentes novas reservationes, concessiones assignationes, & translationes pensionum, ac fructuum &c. hujusmodi

Facultas transferendi pensiones usque ad summam 100. ducatorum.

Ampliatio in non Clericos.

Cumulativa similium gratiarum.

jusmodi, ut præfertur, faciendas ex nunc, prout postquam factæ fuerint, plenam roboris firmitatem obtinere, ipsosque Beneficia, super quorum fructibus &c. aliisque hujusmodi reservatæ fuerint, obtinentes ad illas persolvendas efficaciter obligatos fore. Necnon Conclavistis præfatis, qui S. Joannis Hierosolymitani, seu cujusvis alterius Militiæ regularis etiam expressè professi sunt, ut etiam ab eorum Conventu absentes existant, dùm tamen quinquennalem, seu aliam debitam residentiam in Conventu fecerint, & consueta servitia præstiterint, quorumcumque Beneficiorum Ecclesiasticorum, ac quarumvis pensionum, & commendarum eorum Militiæ, seù Religionis capaces existant perindè, ac si in eadem Militia, seu Religione antianitatem de justitia consecuti fuissent, similiter indulgemus.

Concessio Antianitatis Equitibus.

§. 6. Præterea eosdem Conclavistas, si qui eorum defectum natalium patiantur: ex quocumque damnato, & illicito coitu, etiamsi ex Nobilibus Parentibus, & vilibus fœminis procreati existant, etiamsi aliàs legitimati existant, legitimamus. omnemque ab illis genituræ hujusmodi maculam, sivè notam abstergimus, & abolemus, ac legitimis natalibus restituimus, & cum eorum singulis, ut in quibuscumque bonis paternis, & maternis, ac aliorum Consanguineorum, seu Cognatorum, vel aliorum quorumcumgue, sine tamen præjudicio venientium ab intestato, vel fideicommisso, seu aliàs de jure validâ dispositione, & præterquàm in bonis Ecclesiasticis, & ab Ecclesiâ provenientibus succedere, & illa donationis, vel alio quovis titulo consequi, & habere: ac ad æquales portiones cùm legitimis succedere, eos ad omnia jura, legitimas successiones ex testamento, vel ab intestato, hæreditates, legata, libertates, restituendo realiter, & cum effectu, ac ad Dignitates, honores, & quæcumque alia officiâ secularia, publica, vel privata, etiam assumi, illaque gerere, & exercere in omnibus, & per omnia, ac si de legitimo matrimonio procreati forent, ac eodem defectu non obstante, si aliud Canonicum eis non obsistat impedimentum, ut Clericali charactere, qui illo nondum insigniti sunt, insigniri, ac ad omnes etiam Sacros, & Presbyteratus Ordines, si nondum ad illos promoti sint promoveri, ac postmodùm charactere, & Ordinibus hujusmodi, ac illorum privilegiis uti, ac in eisdem Ordinibus, etiam in Altaris ministerio ministrare, & quæcumque, & qualiacunque cum curâ, & sine curâ Beneficia Ecclesiastica, etiamsi personatus, administrationes, & officia, etiam curata, & electiva in Cathedralibus, & Metropolitanis, vel Collegiatis Ecclesiis, seu si Parochiales Ecclesiæ, vel earum perpetuæ Vicariæ, ac Canonicatus, & Præbendæ, Dignitates, non tamen majores post Pontificalem in Cathedralibus, nec principales in Collegiatis Ecclesiis hujusmodi fuerint, si sibi aliàs canonicè conferantur, aut ipsi eligantur, præsententur, vel aliàs assumantur ad illa, & instituantur in eisdem, recipere, & dummodo plura simul non sint quàm quæ à Concilio Tridentino permittuntur, quoad vixerint retinere liberè & licitè valeant, similiter dispensamus.

Legitimatio suprædictorum.

Habilitatio ad successiones honores, Ordines, & Beneficia.

§. 7. Ac omnes, & quoscumque defectus si qui forsan sint in omnibus, & quibuscunque provisionibus, ac permutationibus Beneficiorum quorumcunque eorundem Conclavistarum, tam ob multiplicitatem titulorum, ac ob incursionem quarumcunque censurarum, etiam irregularitatis, & similiter in expeditionibus Litterarum Apostolicarum super illis, quàm aliàs ex quavis causa provenientes quoad præteritum tantum, ac sine præjudicio Juris alicui quæsiti, & dummodo non intercesserit Simoniæ labes, nec aliqualis desuper pendeat, sanamus, ac provisiones hujusmodi vigore præsentium in utroque Foro, perinde ac si novas provisiones obtinuissent, revalidamus, & quatenus opus sit omnibus, & singulis eorum de omnibus, & singulis Dignitatibus, & aliis cum curâ, & sine curâ Beneficiis Ecclesiasticis quomodolibet qualificatis; & nuncupatis, etiam cujusvis Ordinis Regularibus per eos respectivè obtentis, de novo etiam respectivè providemus, ac omnes, & singulas pensiones eis, & eorum singulis super quorumvis Beneficiorum Ecclesiasticorum quomodolibet qualificatorum, & nuncupatorum, etiam alicujus Ordinis Regularium fructibus &c. ac etiam distributionibus quotidianis respectivè reservatas similiter de novo reservamus.

Sanatio defectuum provisionum.

§. 8. Ipsisque Conclavistis, eorumque singulis quoscumque fructus &c. Ecclesiasticos occasione quarumcumque Dignitatum, Canonicatuum, & Præbendarum aliorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum quorumcumque, ac quarumcunque pensionum annuarum ipsis, & eorum cuilibet respectivè collatorum, & reservatarum tàm ex antedictis, quàm ex aliis defectibus, & occasionibus, etiam ratione omissionis recitationis horarum Canonicarum, vel eorum non promotionis ad omnes etiam Sacros Presbyteratus Ordines, vel non susceptionis Gradus Doctoratus, indebitè perceptos cujuscunque quantitatis fuerint gratiosè remittimus, & condonamus.

Remissio fructuum malè perceptorum.

§. 9. Ac cum eis super inhabilitate, & irregularitate per eos propterea quomodolibet contracta, vel etiam ex eo quòd censuris hujusmodi ligati Missas, & aliâ Divina Officia, dummodo tamen non in contemptum clavium, celebraverint, aut aliàs in Divinis se immiscuerint, quòdque illâ, & præmissis eisdem non obstantibus ad omnes etiam Sanctos, & Presbyteratus Ordines aliàs ritè, & dummodo nullum aliud alicui obstet cananicum impedimentum, promoveri, & in illis, & in susceptis per eos aliàs ritè Ordinibus etiam in Altaris ministerio ministrare liberè, & licitè valeant, dispensamus.

Absolutio ab irregularitate.

§. 10. Quòdque omnes, & quæcunque gratiæ, provisiones, Commendæ, & quævis aliæ Litteræ Apostolicæ provisionum quorumcunque Beneficiorum hujusmodi, prout Nostris familiaribus continuis Commensalibus eisdem Conclavistis, & eorum cuilibet gratis dentur, concedantur, & expediantur, ac etiam Litteræ ipsæ in formâ Brevis, tâm de capiendâ possessione nomine dictæ Cameræ Apostolicæ, quàm aliàs, uti illis super provisionibus quorumvis Beneficiorum Ecclesiasticorum dari poterunt, similiter gratis dentur, concedantur, & expediantur, ac dari, concedi, & expediri omnino debeant, etiam præcipimus & mandamus.

Expeditio Litterarum Apostolicarum gratis.

§. 11. Ac eisdem Conclavistis, & eorum cuilibet, ut alia similia, vel dissimilia Indulta, privilegia, facultates, & gratias hactenùs eis; & eorum cuilibet per Nos, & Romanos Pontifices Prædecessores Nostros, & Sedem præfatam concessa in suo robore, & firmitate cum præsentibus stare, ac quorum omnium & singulorum tenores, perindè ac si de verbo ad verbum inserti forent, præsentibus haberi volumus pro expressis, quàm imposterum concedenda specialia, vel generalia, quibus per præsentes, ac præsentibus, per illa minimè in aliquo præjudicare intendimus, ita ut quotcunque, & qualiacunque fuerint, unum alteri derogare non censeantur, sed eos, & eorum quemlibet illis simul, ac cum præsentibus prædictis cumulativè, vel singulariter, prout eisdem Conclavistis, & eorum cuilibet magis expediens videbitur, frui, & gaudere posse decernimus, dummodò tamen præsentibus non adversentur, similiter concedimus, & indulgemus.

Confirmatio aliorū similium, vel dissimiliumPrivilegiorum.

§. 12. Postremò eosdem Conclavistas eorumvè aliquem ad præsentem motum proprium seu Litteras super præsentibus si videbitur conficiendas in dicta Camera insinuandum, aut admitti, & registrari petendum minimè teneri, nec illum seu illas, etiamsi motus proprius, & Litteræ hujusmodi intra legitimum tempus insinuatus, admissus, & registratus non fuerit, seu illæ insinuatæ, admissæ, seu registratæ non fuerint, propterea minus validum, seu validas censeri, sed suos plenarios effe-

Exemptio ab insinuatione in Camera.

ctus sortiri debere, ac motum proprium, & Litteras hujusmodi, & in eis contenta quæcunque sub quibusvis revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, Decretis, & Constitutionibus Apostolicis similium gratiarum revocatoriis, vel quæ eas limitarent, vel moderarentur, quæ à Nobis, & dicta Sede, & pro tempore, & ex quibusvis causis, etiam urgentissimis, etiam in favorem Fidei, & Divini cultus augmentum, etiam consistorialiter, vel aliàs quavis auctoritate hactenus, vel imposterum emanaverint, comprehensum, vel comprehensas esse, sed quoties illæ emanabunt, toties eum, & eas in pristinum statum restitutum, repositum, & reintegratum, seu restitutas, repositas, & reintegratas esse censeri.

Comprehensio Procuratoris in Privilegiis

§. 23. Et insuper cùm Dilectus Filius Antonius de Flore Clericus Neocastrensis Civitatis, vel Diœc. J. U. Doctor, ac Collegii eorumdem Clericorum Cam. Apost. Secretarius, & minutorum servitiorum Generalis Collector, tanquam dictorum Conclavistarum Procurator, in præmissis sedulam pro eis operam navaverit, propterea, & aliorum meritorum suorum, & obsequiorum Nobis, & dictæ Sedi impensorum intuitu volentes ipsum specialibus favoribus, & gratiis prosequi, eidem Antonio, licèt ipse in Conclavi prædicto non intervenerit, nihilominus omnibus, & singulis supradictis gratiis, privilegiis, facultatibus, immunitatibus, libertatibus, honoribus, prærogativis, præeminentiis, indultis, exemptionibus, cæterisque præmissis, non tamen, quoad participationem decem millium scutorum auri hujusmodi per Nos, ut suprà dictis Conclavistis, donatorum, & inter eos ut præfertur distributorum, seu distribuendorum, tanquam Conclavistæ frui, & gaudere liberè, & licitè possit, & valeat, perinde ac si Conclavi hujusmodi verè, & realiter interfuisset; Constitutionibus, & ordinationibus cæterisque supradictis, & aliis contrariis nequaquam obstantibus, motu, scientiâ, auctoritate similibus de speciali gratia indulgemus, sicque per quoscunque Judices etiam Commissarios quavis auctoritate fungentes, sublatâ eis, & eorum cuilibet in quavis causa aliter judicandi, & interpretandi facultate & auctoritate, judicari, & definiri debere; irritumque &c. attentari.

Expeditio gratiosa & per viam secretam.

§. 14. Et insuper Dilecto Filio Nostro Petro S. Laurentii in Damaso nuncupati Diac. Card. Ottobono nuncupato ejusdem S. R. E. Vicecancellario, & Litterarum Apost. Summatori, ac Dilectis Filiis Cameræ Apostolicæ Ministris loco Secretariorum Apostolicorum suppressorum Præsidenti Plumbi, aliisque Officialibus, ad quos Litterarum præfatarum desuper conficiendarum expeditio per viam secretam quomodolibet spectat, & pertinet, sub pœna indignationis Nostæ motu simili, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine paribus etiam mandamus, ut præfatas Litteras super prædictis omnibus, & singulis, tàm conjunctim, quàm separatim pro singulis quibus concessa fuerunt, ac seorsim, & separatim cum omnibus. & quibuscunque derogationibus, Decretis, & clausulis in eis concessis gratis, etiam quoad compositionem in Dataria Nostra, & per eandem viam secretam absque alio mandato expediant, & expediri faciant; insuper omnia & singula privilegia, gratias, & concessiones eisdem Conclavistis, & eorum cuilibet à diversis Summis Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris huc usque concessa, motu, scientiâ, & potestatis plenitudine similibus confirmamus, & approbamus, ac de novo liberalissimè concedimus.

Derogationes.

§. 15. Non obstantibus præmissis, ac de certo eorundem Notariorum numero, etiamsi ad illum non sit deventum, ac Nostrâ, & Cancellariæ Apostolicæ regulâ de præstando consensu in Pensionibus, & fel. record. Pii PP. IV. de similibus. & dissimilibus gratiis in dicta Camera infra tres menses præsentandis, & registrandis, ac Pii V. Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum contra illegitimos, nec non Pictavensis Concilii, ac Nostris, & Cancellariæ præfatæ regulis, etiam in crastinum dictæ assumptionis Nostræ ad Summi Apostolatus apicem editis, & in prædicta Cancellaria publicatis, ac etiam in universalibus, & provincialibus Conciliis editis specialibus, vel generalibus constitutionibus, & ordinationibus, ac Ecclesiarum, Monasteriorum, Ordinum, etiam S. Joannis Hierosolymitani, ac etiam Urbis Romæ, ac aliarum Civitatum, Oppidorum, & terrarum Cameræ prædictæ, & quarumvis Universitatum, etiam juramento &c. roboraris Statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, usibus, naturis, decretis & novis reformationibus etiam, legibus, tàm Pontificiis, quàm Imperialibus, Regiis, & Ducalibus, ac Sacris Canonibus, privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apostolicis, illis eorumque Superioribus, & personis, ac locis quibuscunque in genere, vel in specie, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam vim contractus, & Statuti perpetui continentibus, ac etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, & consistorialiter, ac aliàs in contrarium concessis, confirmatis, approbatis, innovatis Juribus omnibus. Quibus omnibus &c. etiamsi de illis &c. eorumque tenores &c. illis aliàs &c. permansuris, hac vice dumtaxat, & expresè motu pari derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque cum clausulis opportunis.

Fiat Motu proprio A.

Clausulæ extendibiles.

§. 16. ET cum absolutione à censuris ad effectum &c. Et quod obstantiæ etiam beneficiales Conclavistarum, & ab eis subrogatæ hujusmodi, & dispensationes, ac Indulta habeantur pro expressis, seu in toto, vel parte exprimi possint in Litteris, & in casibus regulæ de insordescentibus cum opportuna illius, nec non alterius regulæ de non tollendo jure quæsito derogatione, & quarumcunque aliarum Constitutionum Apostolicarum, & Conciliorum etiam generalium, & Statutorum, & stabilimentorum, usuum, naturarum, constitutionum Synodalium, Statutorum, & privilegiorum Populi Romani, & Cluniacensis, Cistercensis, Sancti Benedicti, Sancti Augustini, & aliorum Ordinum, & Militiarum, etiam Sancti Joannis Hierosolymitani, & Ecclesiis, & Monasteriis, Civitatibus, & locis, & personis, & dominiis temporalibus sub quibuscunque verborum formis, & cum quibusvis efficacissimis, & insolitis clausulis, & decretis, etiam Consistorialibus, etiam contra alienigenas, & alias personas certis modis non qualificatas, aut aliàs quomodolibet concessis, quorum tenores &c. latissimè, ac de verbo ad verbum, prout ipsis Conclavistis magis placuerit exprimi possint, etiam cum suspensione quarumcunque gratiarum, indultorum quibusvis ordinariis Collatoribus conferendi beneficia Ecclesiastica, etiam reservata ad eorum collationem &c. pertinentia, in omnibus, aut certis expressis causis quomodolibet concessis latissimè extendendis, ita ut omnia tollantur, & quòd sola præsentis motus proprii signatura sufficiat, & ubique fidem faciat in judicio, & extra: Regulâ contrariâ obstante. Et quòd præmissorum omnium, & singulorum indultorum, concessionum, gratiarum, derogationum, major, & verior specificatio, & expressio fieri possit in Litteris, si videbitur, in quibus singulorum Conclavistarum nomina; & cognomina, qualitates, ordines, gradus, Diœceses, Patria, & cætera requisita exprimi, & describi, seu pro expressis, & descriptis haberi possint inter eos Sacrista, & Magister Ceremoniarum Capellæ Nostræ, nec non Secretarius Collegii eorundem Cardinalium. & cæteri alii in notula per ipsos Magistros Ceremoniarum facta, & descripta adnotati, & descripti. Si aliàs

ad pensiones, & Beneficia hujusmodi habiles, & capaces fuerint, comprehendantur, & adnotentur, simul, vel ad partem, etiam in una non factâ mentione de alia, vel aliis, prout videbitur expediens.

§. 17. Volumus autem, quòd Litterarum super præsentibus conficiendarum, seu præsentis motus proprii transsumptis impressis, & sigillo, ac manu alicujus personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, & etiam subscriptis, eadem fides, tam in judicio, quàm extra illud adhibeatur, quæ originalibus Litteris, seu præsenti motu proprio originali adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ, aut exhibitus, vel ostensus foret. FIAT A.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Idibus Julii anno primo.

P. A. primo 15. Julii 1692.

Registrata libro primo Secretorum fol. 55.
Nomina autem ipsorum Conclavistarum sunt hæc, quæ sequuntur.

REverendissimus D. F. Joseph. Eusanius Aquilanus Episcopus Porphyriensis Sacrista.
Abbas Pettus Sanctes de Fantibus Presbyter Camerinensis.
Abbas Dominicus Cappellus Presbyter Asculanus Canonicus Insignis Basilicæ S. Mariæ Transtyberim.
Candidus Cassina Presbyter Novocomensis Canonicus prædictæ Insignis Basilicæ S. Mariæ Transtyberim.
Justinianus Chiapponius de Rossena Presbyter Regiensis, perpetuus Clericus Beneficiatus Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe.
Bernardinus Portus Presbyter Bononiensis, perpetuus Beneficiatus Basilicæ Lateranensis, Magistri Ceremoniarum.
Abbas Guido Passioneus Clericus Forosempronien-sis S. Collegii Secretarius.
Faustinus Crispoldus Clericus Perusinus.
Abbas Joannes de Camporealibus Presbyter Interamnensis.
Joannes Franciscus Agliaudus de Saviliano Laicus Taurinen. Diœcesis. Nostri dum Cardinalatus honore fungebamur.
Marchio Claudius Pallavicinus Clericus Parmensis.
Joannes Nisez Clericus Durbutensis Leodien Diœcesis.
Joannes Baptista Mazzarinus Clericus Ariminensis.
Alderani Ostien. Cybo.
Joannes Mancinus Presbyter à Palumbaria Sabinen. Diœcesis, perpetuus Beneficiatus Basilicæ Lateranensis.
Augustinus Lottus Laicus Romanus.
Dominicus Archangeli Clericus Senensis. Flavii Portuen. Chisii.
Comes Raymundus Ranutius de Marsciano Clericus Urbevetanus.
Thomas Hiacynthus Sangiorgius Presbyter è Saxoferrato Nucerinæ Diœcesis.
Nicolaus Carpius Laicus Januensis.
Jacobi Tusculani Fransoni.
Fr. Ugo Ferrettus Ord. S. Joannis Hierosolymitani Anconitanus.
Pomponius Lenzi Presbyter Maceratensis, perpetuus Beneficiatus Collegiatæ S. Mariæ in Via lata.
Alexander Tiburtius Clericus Conjugatus à S. Pojo Sabinensis Diœcesis.
Palutii Sabinen. de Alteriis.
Abbas Melchior de Polignac Clericus Anciensis,
Carolus de Serte Clericus Parisinus.
Carolus Regnault Laicus Rothomagensis.
Emanuelis Theodosii Albanen.
Bullionii Venerabilium Fratrum Nostrorum Episcoporum S. R. E. Cardinalium.
Severinus Lazarellus Presbyter à S. Severino in Piceno.
Ferdinandus de Valentibus Clericus à Trebia Spoletinæ Diœcesis.
Carolus Salandra Laicus Romanus.
Franciscí tit. S. Mariæ in Via Maidalchini.
Abbas Joannes Cecius Clericus Abbatiæ Sablacensis nullius Diœcesis, perpetuus Beneficiatus Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe.
Antonius de Comitibus Clericus Camerinensis.
Joannes Baptista Blancus Laicus Pisanus.
Caroli tit. S. Laurentii in Lucina Barberini.
Ludovicus Camposamperius Clericus Patavinus.
Carolus Franciscus Ignatius Hoffman Laicus Silesius Uratislavien.
Gregorii tit. Marci Barbadici.
Abbas Joseph de Annibaldensibus à Molaria Clericus Romanus.
Joseph Giacchius Presbyter à Monte Sicuro Anconitanæ Diœcesis.
Flaminius Peregrinus Laicus de Polo Tiburtinæ Diœcesis.
Joannis Nicolai tit. S. Mariæ Transpontinæ de Comitibus.
Paulus Lucatellus Archidiaconus Aquilejensis de S. Daniele Foro Julii.
Gaspar Minorellus Laicus Patavinus.
Joannis tit. SS. Viti, & Modesti Delphini.
Thomas Marchianus Presbyter Florentinus.
Bartholomæus Rocchus Laicus Bononiensis.
Nicolai tit. S. Callixti Acciajoli.
Alexander Bonaventura Presbyter Urbitanensis, ejusdemque Metropolitanæ Ecclesiæ Præpositus.
Petrus Franciscus Giampè Clericus de Fabriano Camerinen. Diœcesis.
Gasparis tit. S. Mariæ Transtyberim de Carpineo.
Joseph de la Tremoille de Noirmontier Abbas B. Mariæ de Insula Dei Presbyter Parisinus.
Olivarius Cerninus Ninon de la Foret Clericus Chorisopiten.
Joannes de la Chaize Clericus Parisinus.
Cæsaris SS. Trinitatis in Monte Pincio de Estrées.
Lucianus Borzon Clericus Parisinus.
Ludovicus Mandon Laicus Lemovicen.
Jacobus Prache Laicus Bellovacensis.
Petri tit. S. Eusebii Bonsii.
Abbas Paulus Farella Commendator S. Mauritii, & Lazari Presbyter Muranus.
Nuntius de Bavariis Clericus Triventinus
Jo. Baptista Bassius Laicus Romanus.
Fr. Vincentii tit. S. Xisti Ursini.
Joseph Maria Francischinus Presbyt. de Massa Firmanæ Diœc.
Jo. Jacobus Blattman Laicus de Zugh Constantiensis.
Barnabas Rafaldus Cleric. de Monte Apponum Firmanæ Diœcesis.
Federici tit. S. Anastasiæ Columnæ.
Joannes Baptista Gagnus Presb. Forolivienſis.
Joannes Nardier Laicus Burgundus.
Franciscí tit. S. Matthæi in Merulana Nerlii.
Dominicus de Benedictis à Trebia Spoletanæ Diœcesis, perpetuus Clericus Beneficiatus Insignis Collegiatæ Ecclesiæ S. Laurentii in Damaso de Urbe.
Roggerius Selvaggius Clericus à Monte Caveoso Matheranæ Diœcesis.
Hieronymi tit. S. Silvestri in capite Casanate.
Galeatius Campana Presbyter è Castro Parrani Urbevetanæ Diœc.
Joseph Ambrosius Laic. Romanus.
Galeatii tit. SS. Quirici, & Julitæ Marescoti.
Abb. Angelus Ferratinus Presb. Amerinus.
Gregorius Lucidus Presb. de Terra Staphily Auximanæ Diœcesis.
Fabritii tit. S. Chrysogoni Spadæ.
Joannes Baptista Novellus Laicus Romanus.
Franciscus Leporus à Castro Pici Presbyter Aquinatensis Diœcesis, & Archipresbyter Collegiatæ SS. Petri, & Pauli Carmaniolæ.
Franciscus Cleyton Laicus è Darbia in Anglia.

Fr.

Fr. Philippi Thomæ Huvard tit. S. Mariæ ſuper Minervam de Norfolcia.
Antonius Pierſantes Clericus de Matelica Camerienſis Diœceſis.
Timotheus Auguſtinellus Laicus Peruſinus.
Jacobus Papaccinus Laicus Bononienſis.
Joannis Baptiſtæ tit. S. Cæciliæ Spinulæ.
Franciſcus Merenda à Lugano Presbyter Novocomenſis Diœceſis.
Sebaſtianus Perottus ab Ateſte Laicus Patavinus.
Franciſci tit. S. Stephani in Monte Celio Bonviſii.
Maphæus Capponius Laicus Florentinus.
Deodatus Baroctus Laicus Florentinus.
Savi tit. S. Petri in Vincula Millini.
Joannes de Gambis Clericus Ravennatenſis.
Jacobus Franciſcus Placentinus Presbyter Ticinenſis.
Franciſcus Pezzanus Laicus Mediolanenſis.
Federiei tit. S. Alexi Vicecomitis.
Joſeph Fulchignonus Presbyter Romanus.
Joſeph Meſſaius à Liburno Laicus Piſanus.
Fr. Laurentius Brancati Baſilicæ SS. XII. Apoſt. de Lauræa.
Antonius Franciſcus de Palmerinis Clericus Piſanus.
Victorius Galiardus Presbyter Romanus.
Joſeph Tarus Laicus Mediolanenſis.
Jacobi tit. S. Mariæ in Aracœli de Angelis.
Joannes Andreas Siliquinus Clericus Diœceſis Montis Alti.
Joannes Georgius Henſel Laicus Saxo.
Opitii tit. S. Martini in Montibus Pallavici.
Carolus Joſeph Maſſiminus Presbyter Diœceſis Montis Regalis in Pedemontio.
Joſeph Lopes Cler. Ulixiponenſis.
Marcelli tit. S. Priſcæ Duratii.
Lucas Cornelius Presbyter Venetus.
Victor Felix Concius Presbyter Tudortinus.
Marci Antonii tit. S. Suſannæ Barbadici.
Joannes Simon Franzonus Presbyter de Locarno Canonicus Eccleſiæ Cathedralis Civitatis Comenſis.
Felix Antonius de Rubeis Laicus Fanenſis.
Caroli tit. S. Auguſtini Ciceri.
Ignatius Chriſtophorus Guarient à Rall, Auſtriacus Laicus Viennenſis.
Joannes Baptiſta Mariottus Clericus Romanus.
Leopoldi tit. S. Hieronymi Illyricorum Kollonitz.
Michael Antonius Baudrand Clericus Pariſinus Prior S. Martini de Roboribus in Carnotenſi Diœceſi.
Gaſpar Magnon Presbyter Gratianopolitanus Canonicus Eccleſiæ Cathedralis ejuſdem Civitatis Grationopolitanæ. Stephani le Camus.
Petrus Palatius Brixienſis.
Joannes Ludgero Storff Clericus Monaſterienſis.
Joannes Franciſcus Himber Sileſius Laicus Olomucenſis Diœceſis.
Joannis tit. S. Petri in Monte Aureo Goeſſen.
Mutius Sinibaldus Clericus Auximanus.
Blaſius de Clementibus Laicus Spoletinus.
Petri Matthæi tit. S. Marcelli Petrucci.
Bernardus Blaſquez Presbyter Corduben.
Chriſtophorus Pardus Zaragoſa Presbyter Malacenſis Diœceſis.
Fr. Petri tit. S. Crucis in Hieruſalem de Salazar.
Jacobus Fueillard Presbyter Cenomanenſis Diœceſis.
Blaſius Matthæinus Laicus Ariminenſis Diœceſis.
Joannis Caſimiri tit. S. Joannis ante Portam Latinam d'Enhoff.
Joſeph Ochoa Eques Ordinis S. Jacobi de Spata Laicus è Civitate S. Dominici Calaguritanæ Diœceſis.
Bartholomæus Belinginus Clericus Montis Regalis in Pedemontio.
Joſeph Maria Peregrinus Clericus Bononienſis.
Fr. Joſeph tit. S. Balbinæ de Aguirre.
Antonius Honuphrius de Martinis Presbyter Romanus.
Michaël Maganzius Clericus Abbatiæ S. Hilarii nullius Diœceſis Provinciæ Ravennatenſis.
Leandri tit. SS. Nerei & Achillei Colloredi.
Vincentius Antonius Capoccuis Presbyter Lycienſis Diœceſis.
Joannes Franciſcus Nicoſia Clericus Hieracenſis Diœceſis.
Dominicus Tartalionus Laïcus Neapolitanus.
Fortunati tit. SS. Joannis, & Pauli Carafæ.
Antonius de Rubeis Presbyter Aquitanus.
Dominicus Vaſellus Laïcus Piſtorienſis Diœceſis.
Bandini tit. S. Thomæ in Parione Panciatici.
Antonius de Simeonibus à Meſſapia Presbyter Brundufinæ Diœceſis.
Franciſcus Maria Maſſa Laïcus Imolenſis Diœceſis.
Jacobi tit. S. Marcellini, & Perri Cantelmi.
Nicolaus Tardinus Presbyter Bononienſis.
Vincentinus Bigordus Laicus Florentinus.
Ferdinandi tit. S. Clementis de Abdua.
Mathias de Charlan Clericus Diœceſis Burdegalenſis Abbas de Bonoloco, Canonicus Cathedralis Bellovacenſis.
Carolus Ludovicus Noblet Laïcus Pariſinus.
Natalius Mayeù Deſnoyers Laicus Diœceſis Bajocenſis.
Tuſſani tit, S. Agnetis extrà Mœnia de Janſon de Fourbin.
Solon Cambellus Clericus Conjugatus Spoletinus.
Jacobus Baccarius Laïcus Ariminenſis.
Joannis Baptiſtæ tit. S. Laurentii in Pane, & Perna Rubini.
Abbas Paulus Æmilius Mondellius Presbyter Tranenſis.
Dominicus Faldoſius Laïcus Florentinus.
Franciſci tit. S. Mariæ de Populo Judice.
Humanus Miccichellus à Farneſio Presbyter Aquæpendentis Diœceſis.
Iſidorus Buccius à Zagarolo Preneſtinæ Diœceſis.
Joannis Baptiſtæ tit. S. Bernardi Coſtaguti, Presbyterorum S. R. E. Cardinalium.
Joannes Baptiſta Martellus Clericus Firmanus.
Joſeph Venantius Laïcus Spoletinus.
Joannes Baptiſta Bellettanus Laïcus Venetus.
Urbani S. Mariæ in Via lata Sacchetti.
Franciſcus Antonius Palutius Presbyter Sabinenſis.
Manutius Nicolinus Laïcus de Capradoſſo Abbatiæ S. Salvatoris Majoris nullius Diœceſis.
Joannis Franciſci S. Nicolai in Carcere Tulliano Ginetti.
Joannes Palmegianus de Pinna Billorum Presbyter Feretranæ Diœceſis.
Aſcanius Bartoccinus Clericus de Marſciano Peruſinæ Diœceſis.
Joſeph Biſcinus Clericus Romanus.
Benedicti S. Agathæ Pamphilii.
Gregorius Muſcatellus Clericus Viterbienſis.
Lucas Antonius Maſinus Laïcus Florentinus.
Dominici Mariæ S. Euſtachii Curſii.
Comes Cæſar Alexander Machirellus Presbyter Imolenſis.
Dominicus Bergerius Laïcus Romanus.
Joannis Franciſci S. Cæſarei Nigroni.
Fr. Scipio Cigala Ordinis Sancti Joannis Hieroſolymitani Clericus Meſſanenſis.
Vincentius de Floribus Presbyter Civitatis Ducalis, ejuſdem Cathedr. Eccleſiæ Præpoſitus.
Franciſcus Gajus Laïcus Romanus.
Fulvii SS. Coſmæ, & Damiani Aſtalii,
Marchio Alexander Capponius Clericus Conjugatus Florentinus.
Petrus Andræas Forzonius Laïcus Florentinus.
Joſeph Bonellus Clericus Camerinenſis.
Franciſci Mariæ S. Mariæ in Dominicâ Medices.
Comes Banutius de Marſchiano Presbyter Romanus Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe.

Joseph Busserus Clericus Regiensis.
Joannes Baptista Ferrarius Laïcus Mutinensis.
Raynaldi S. Mariæ de Scala Estensis.
Julius Tassus Presbyter Regiensis Diœc. Canonicus Collegiatæ S. Nicolai in Carcere Tulliano de Urbe.
Dominicus de Simonibus Laïcus à Trebia Spoletinæ Diœcesis.
Laurentius Metteler Laïcus Pisaurensis.
Petri S. Laurentii in Damaso Ottoboni.
Dominicus Libanus Clericus Æsinus.
Natalis Ancaranus Laïcus Faventinus.
Caroli S. Mariæ in Cosmedin Bichii.
Abbas Felix Nigronus Clericus Lanuensis.
Matthæus Herculanus Clericus Diœc. Montis Alti.
Joseph Renati S. Georgii Imperialis.
Jacobus Antonius de Pretis Presbyter Urbinas.
Franciscus de Magistris Laïcus Romanus.
Aloysii S. Mariæ in Porticu Homodei.
Fabius de Abbatibus Oliverius Clericus Pisaurensis.
Christophorus Antonius Severus Clericus Feretranæ Diœcesis.
Joannes Francisci S. Hadriani Albani.
Pompejus Tortius Clericus Hortanus.
Antonius Simonettus Laïcus Romanus.
Franciscus S. Angeli in Foro Piscium Barberini.
Marchio Joannes Baptista del Drago Laïcus Romanus.
Thomas Lucarellus Laïcus Romanus.
Laurentii S. Mariæ in Aquiro de Alteriis Diac. S. R. E. Card. nuncupat.
Abbas Joseph Zassontius Presbyter Senensis Canonicus insignis Basilicæ S. Mariæ Transtyberim de Urbe.
Alexander Petrillus Clericus Lucensis. Bon. mem. Julii tit. S. Praxedis Spinulæ nuncupati defuncti.
Leonardus Calamarius Presbyter Romanus Archipresbyter Collegiatæ S. Luciæ de Tinta de Urbe.
Eustachius Becanus Clericus Leodiensis.
Christophorus Alexandrinus Clericus Viterbiensis.
Bon. mem. Fr. Raymundi tit. S. Mariæ Angelorum Capisucchi nuncupati defuncti.
Confessarius. Et Paulinus de Bernardinis Ordinis Prædicatorum Lucensis, Confessarius.
Fr. Magister Felicianus Corellus de Fulgineo Ord. Eremitatum S. Augustini Subsacrista.
Adjutores Joseph Michael de Rubeis Clericus Senensis cum prædicto Reverendissimo Episcopo Porphyriensi Sacrista.
Petrus Orlandus Presbyter Romanus cum dicto Secretario S. Collegii.
Henricus Tillon Clivensis Clericus Colonensis Diœcesis cum eodem Secretario S. Collegii.
Custos Fontis. Abbas Ludovicus Piccinus Clericus Æsinus Custos Fontis, & Aquarum Conclavis.
Joannes Baptista Fossombronus Aretinus.
Medici Chirurgus Angelus Modius de Cæsis Spoletinæ Diœcesis. Medici Physici.
Marius Cecchinus de Licciana Sarzanensis Diœcesis Chirurgus.
Aromatarii. Petrus Corsius Romanus Aromatorius.
Gregorius Moriconus Lucensis.
Barbitonsores. Paulus Matthæjus ab Ereto Sabinensis Diœcesis, ejus Auxiliatores.
Gerardus Wolff Colonensis.
Nicolaus Martinus Pistorensis Barbitonsores.
Paulus Joseph Manuccius ab Aqua Sparta Tudertinæ Diœcesis.
Paulus Bevilaqua à Monticello Tyburtinæ Diœcesis, eorum Auxiliatores.
Fabri. Stephanus Baldus Faber Lignarius.
Gaspar Rinaldus Faber Cæmentarius.
Antonius Nicolaus Ferrarinus à S. Genesio Camerinensis Diœcesis, Famulus Magistrorum Cæremoniarum.
Alexander Silvanus.
Ambrosius Rosarus.
Andræas Campus.
Andræas Fallarinus.
Angelus Messiconus.
Antonius Baroldus.
Antonius Crovellonus.
Antonius Sella.
Antonius Cantonus.
Bartholomæus Butius.
Bartholomæus Onginus.
Bernardinus Cambronus.
Carolus Marinus.
Dominicus Gionsius.
Donatus Augustinus.
Franciscus Catenaccius.
Franciscus Caitius.
Franciscus Gonella.
Jacobus Carrozza.
Jacobus Tonginus.
Jacobus Digiolus.
Jacobus Soliva.
Joannes Cordus.
Joannes Panesius.
Joannis Nobilis.
Joannes Antonius Bianchinus.
Joannes Baptista Blondus.
Joannes Baptista Ceccarellus.
Joannes Dominicus Zonus.
Joannes Jacobus Sonsia.
Joannes Maria Bergotus.
Martinus Vaninus.
Paulus Carpantius.
Raphael Ciampus.
Sanctes Martianus.
Thomas Mancinus, Scopatores Conclavis.

Constitutio moderatoria Donationum, & Distributionis redituum Ecclesiasticorum in Consanguineos, vel Affines Romani Pontificis, seu eorum loco adlectos, ac præscribens cautelas servandas circa signaturas earum gratiarum, quæ aliquando ægrotante Romano Pontifice per concessum fieri dicuntur. XXI.

INNOCENTIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

ROmanum decet Pontificem, tanquam fidelem servum, & prudentem, quem constituit Dominus super familiam suam, in Ecclesiæ Catholicæ conspectu actum suum ita ordinare, ut ipse quidem in diebus suis placeat Deo, & inveniatur justus, fiatque forma gregis ex animo, & bonus sit Christi odor in omni loco; Cæteri verò Antistites, & Ecclesiarum Prælati in partem sollicitudinis, cujus ei commissa est plenitudo, vocati, aliique Christifideles, quos curæ suæ divinitùs creditos in visceribus paternæ gerit charitatis, ejus exemplo, atque præceptis caduca Mundi hujus despicere, carnisque, & sanguinis laqueos effugere, ac de bonis, & rebus Ecclesiasticis juxta æquitatis, & justitiæ leges disponere, & spiritualium remigio alarum ad cœlestia contendere, atque evolare auxiliante Domino condiscant. Hinc ad ea Sacrorum Canonum instituta, quæ Episcopis, ne bonis, & reditibus Ecclesiæ consanguineos suos augere studeant, interdicunt, considerationis Nostræ aciem convertentes, etiam Nobis in suprema Beati Petri Apostolorum Principis, cui caro, & sanguis non revelavit, Sede constitutis ab ipso Pontificatus Nostri primordio servandam proposuimus, & hactenus Deo adjuvante servare studuimus disciplinam, ut in bonorum, & redituum ad hanc Sanctam Sedem, & Cameram Nostram Apostolicam spectantium distributione

Ju-

Justitiæ, atque Prudentiæ leges, & regulas accuratè custodientes, summam meritorum, nullam autem carnis, & sanguinis, aut cujuscunque humani affectus rationem haberemus. Et licèt in Dei misericordia speremus, tales Nobis successuros Romanos Pontifices, qui non minus hac in parte, quàm in reliquis munus suum impleant, & Ecclesiam Universam spiritualium aromatum odore perfundant; Nihilominus ea, quæ Nobis licere non patimur, aliis indicare, salubremque in Sancta Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum Matre, & Magistra circa præmissa normam, & legem constituere, atque stabilire decrevimus.

Statuit ne remunerationes Pontificiæ ad favorē suorum ex obventionibus Cameræ excedant metammeritorum.

§. 1. Habitâ igitur super his cum Venerabilibus Fratribus Nostris ejusdem S. R. E. Cardinalibus deliberatione matura, ac de illorum consilio pariter. & assensu ad Omnipotentis Dei gloriam, Apostolicæ Sedis honorem, ac Antistitum, Prælatorum, aliorumque Ecclesiasticorum ædificationem, & bonum exemplum, hac Nostra perpetuò valitura Constitutione statuimus, atque decernimus, salutarem hanc de cætero in dicta S. R. E. servari rationem, atque disciplinam, ut nec ab ullo Romanorum Pontificum Successorum Nostrorum ad favorem Nostrorum, sive suorum respectivè Fratrum, Nepotum, aliorumque quorumcumque Consanguineorum, seu Affinium, sivè illorum, quos in locum Nepotum, aliorumque Consanguineorum per cooptationem in Familiam, aut aliter adlegi, seù adsciscì contigerit, de bonis, pecuniis, locis Montium vacabilium, & non vacabilium, Officiis venalibus, illorumque pretio, creditis, reditibus, rebus, & juribus quibuscunque ad Sedem, & Cameram præfatas quovis modo spectantibus, vel quandocunque spectaturis, etiam ex emolumentis Datariæ, Cancellariæ Apostolicæ, Secretariæ Brevium, spoliorum Ecclesiasticorum, & quarumcunque Palatii Apostolici portionum, seù distributionum provenientibus, liberalitatis, & donationis, aliove quovis gratuito, seù lucrativo titulo directè, vel indirectè etiam servitiorum, & meritorum, quæ tamen talia non sint, ut ex lege justitiæ eam exigant remunerationem, aliove quolibet colore, seu prætextu, sivè etiam suprà veram ipsorum servitiorum, & meritorum rationem ullo modo in posterum disponatur.

Paupertas illorum sublevanda eo modo quo extraneorū.

§. 2. Quòd si Fratres, Nepotes, Consanguinei, vel Affines, seù illorum loco adlecti, sivè adsciti præfati inopiâ laboraverint, poterit Romanus Pontifex pro tempore existens pro timorata sua conscientia illorum paupertatem eodem omninò modo sublevare, quo Pauperum extraneorum inopiæ subvenire fas est.

Ad evitandam transgressionem hujus moderationis sub prætextu stipendiorum in Muneribus, & Officiis Secularibus illa supprimit.

§. 3. Ne autem, quod directè prohibetur, indirectè permittatur, magnorum stipendiorum, seù honorariorum nonnullis Sedis prædictæ Officiis, seù muneribus, quæ Consanguineis, vel Affinibus, seù adlectis, vel adscitis præfatis concedi, ut plurimùm consueverunt, assignatorum ratione, stipendia, provisiones, sivè salaria, & honoraria, & aliàs quomolibet nuncupari solita emolumenta quæcunque, quæ antehac per Cameram prædictam in Civitate Avenionensi, & Comitatu Venayssino Nostris in spiritualibus, & temporalibus Vicario Generali, ac in illis, & vicinis quinque Provinciis ejusdem Sedis de Latere Legato præstari, & solvi plerunque solita, & consueta, fuerunt: Superintendentis verò Generalis Negotiorum Sedis Apostolicæ, nec non totius Militiæ, tàm Equestris, quàm Pedestris Status Nostri Ecclesiastici Gubernatoris, & Capitanei Generalis, itidemque Classis, & Triremium Pontificiarum Præfecti, illiusque, & illarum Commissarii, & Locumtenentis Generalis, Arciumque, & Turrium ad littora Maris tàm Adriatici, quàm Thyrreni existentium Superintendentis Generalis, Præfecti quoque Generalis utriusque Custodiæ Corporis Romani Pontificis, ejusque Locumtenentis Generalis, item Castellani Arcis Sancti Angeli de Urbe, Gubernatoris, ut aliàs deputabatur, Civitatis Beneventanæ, cujus tamen Gubernium ad instar aliorum prædicti Nostri Status, prout impræsentiarum servatur, remaneat, & Arcis Beneventanæ Præfecti; Item Gubernatoris Oppidi Nostri Civitatis Vetulæ, ac demùm Perusinæ, Anconitanæ, & Novæ Asculanæ respectivè Arcium Præfecti, seù Castellani, Officia, & munera ipsa cum omnibus, & singulis illorum, & cujuslibet eorum Juribus, prærogativis, stipendiis, salariis, & emolumentis quibuscunque perpetuò supprimimus, & abolemus, illaque deinceps, quomodocunque, & quandocunque renovari prohibemus, nec cuiquam de cætero assignari, & præstari, seu concedi, & conferri respectivè volumus, atque decernimus. Quod si pro rerum qualitate, temporumque contingentia, manifesta, urgensque necessitas munera, seu Officia Militaria hujusmodi, vel aliqua ex eis de novo instituì exegerit, Viros ad illa assumi volumus, & mandamus, strenuos, & fideles, eximia virtute præstantes, reique Militaris apprimè peritos, & in illa diuturno, ac probato usu exercitatos, quibus Romanus Pontifex pro tempore existens secundum datam sibi à Domino Sapientiam pro ratione laboris, industriæ, atque periculi competentia, & congruentia stipendia assignabit.

Advenientе necessitate mandat assumi idoneos cum stipendio assignando ad mensuram laboris & meritorum.

Attinentes Ecclesiastici non onerentur reditibus Ecclesiasticis ultra meritum, & dignitatis gradum.

§. 4. Porrò si Nostri, Successorumque Nostrorum Romanorum Pontificum pro tempore existentium Fratres, Nepotes, & alii quicunque Consanguinei, seu Affines, sivè veri, sivè, ut præfertur, adlecti, & adsciti, vitam Ecclesiasticam elegerint, ac Ecclesiarum, & Monasteriorum, aliorumque Beneficiorum, & Officiorum Ecclesiasticorum, ac annuarum pensionum super eorum fructibus consecutionis capaces fuerint, eam in redituum, & proventuum Ecclesiasticorum distributione eis facienda servari volumus moderationem, ut nonnisi juxtà eorum merita, & non ultra, congruam pro gradus, vel dignitatis, quem, vel quam in Ecclesia obtinuerint, nullo ad consanguinitatem, affinitatem, seu adlectionem ergà Romanum Pontificem habito respectu, sustentationem, ejusmodi reditus, & proventus Ecclesiastici eis distribuantur. quo custoditâ in omnibus Ecclesiasticæ disciplinæ, atque Justitiæ distributivæ regulâ, nemini relinquatur conquerendi, vel obloquendi occasio, sed Ecclesiastica stipendia ministrantibus in Ecclesia Dei æqua lance pro uniuscujusque merito assignentur.

Si fuerint Cardinales provideatur usque ad duodecim millia annua.

§. 5. Quoad illos autem ex Fratribus, Nepotibus, aliisque Consanguineis, seu Affinibus Romanorum Pontificum pro tempore existentium præfatorum; sivè veris, sivè, ut præfertur, adlectis, & adscitis, quos eximiis eorum ita exigentibus meritis, ad sublimem Cardinalatus Dignitatem assumi contigerit, eam quoque de cætero servati volumus moderationem, ut Ecclesiæ, Monasteria, Commendæ, aliave cujusvis generis Beneficia, & Officia Ecclesiastica, ac pensiones annuæ super illorum fructibus unicuique eorumdem respectivè conferenda, commendanda, & concedenda, ac reservandæ, & assignandæ, verum valorem annuum duodecim millium scutorum monetæ Romanæ, computatis insimul Beneficiorum, & Officiorum quibuscunque fructibus, & pensionum quantitatibus, in totum non excedant: In ea tamen taxatione non comprehendantur emolumenta Officiorum ejusdem Apostolicæ Sedis, & Romanæ Curiæ S. R. E. Cardinalibus demandari, seu concedi solitorum, aliorumque munerum, quæ ipsis non ad vitam, vel in perpetuum, sed ad tempus seu beneplacitum Romani Pontificis pro tempore existentis demandata, seu concessa fuerint. Declarantes, quòd deinceps præfati qui vitam Ecclesiasticam eligerint, seu ad sublimem Cardinalatus Dignitatem fuerint assumpti, quoscunque Titulos fructuum reservationibus gravatos, sivè præventivas, vel eventitias pensiones ultrà moderationem, ut supra respectivè præscriptam nullatenùs assequi valeant.

Si excedatur, curâ Pontificis successoris rescindatur excessus.

§. 6. Quod si forsàn (quod absit) modus circa præmissa sic congruentur, salubriterque præscriptus in posterum excedatur, curæ erit Romanis Pontificibus Successoribus, donationes gratuitas, seu lucrativas dispositiones, excessivas subventiones,

munerum, & Officiorum, seu illorum stipendiorum, & emolumentorum concessiones, ac reditum, & proventuum Ecclesiasticorum distributiones, nec non collationes, commendas, concessiones, reservationes, & assignationes, aliaque præmissa contra, vel ultrà modum, ut præfertur, præscriptum factas, seu facta rescindere, revocare, & in nihilum redigere, ac ut præfertur, donata, elargita, concessa, collata, commendata, reservata, & assignata à Consanguineis, & Affinibus, sivè veris, sivè adlectis, & adscitis præfatis, eorumque Hæredibus, & Successoribus respectivè, etiam manu Regia, & de Apostolicæ potestatis plenitudine vindicare, & auferre, ac Cameræ Apostolicæ applicare, & incorporare, aliisque respectivè conferre, commendare, concedere, & assignare, ac aliàs desuper opportunè providere, seu disponere.

Forma servanda in expediendis gratiis per Concessum ægrotante Pontifice.

§. 7. Quia verò ægrotante Romano Pontifice nonnunquam contigit, ut Signaturæ gratiarum, quæ per Concessum fieri dicuntur, modum illum excederent, quem ipse Romanus Pontifex, dum benè valebat, servare consueverat: Statuimus, atque decernimus, ut ii, quibus ejusmodi Signaturas per Concessum à Romano Pontifice ægrotante etiam per Chirographum speciale manu ipsius Romani Pontificis subscriptum, vel aliàs quomodocunque committi contigerit, cujuscunque status, gradus, ordinis, & dignitatis fuerint, etiamsi Cardinalatus honore præfulgeant, nullas hujusmodi gratias signare, vel expedire valeant, nisi fuerint ad illas adhibiti duo ejusdem S. R. E. Cardinales, qui una cum Signatore præfato coram ipsomet Romano Pontifice eas concedente, ac expediri mandante, earundem Gratiarum supplicationibus, sivè minutis, aut Chirographis, aliisque concessionum scripturis subscribant, alioquin quidquid secùs actum, signatum, gestumve fuerit, nullum, irritum, & invalidum, nulliusque sit roboris, vel momenti, & qui huic saluberrimæ sanctioni contravenerint, ab ipso Romano Pontifice sanitati restituto, vel ejus Successoribus condignis pœnis puniantur.

Observantia jurandæ à novis Cardinalibus, & in Conclavi, & a Pontifice electo.

§. 8. Ut autem præmissa omnia, & singula perpetuò, & inviolabiliter observentur: Volumus & Apostolica auctoritate decernimus, ut sicut ejusdem S. R. E. Cardinales in Romana Curia præsentes hanc Constitutionem, quantum in eis erit, observare, illique non contravenire, nec ullis contrafacientibus, etiam Romanis Pontificibus, consentire, nec absolutionem à juramento præstito petere, nec oblatam, aut concessam acceptare promiserunt, & jurarunt, idem quoque per absentes ab eadem Curia dictæ S. R. E. Cardinales, quandocunque ad eam advenerint, ac per futuros Cardinales in assumptione Pilei promitti, & jurari debeat, promissioque, & juramentum hujusmodi in formula juramenti per eosdem Cardinales præstari soliti adjungatur, & adscribatur. Occurrente autem quandocunque ejusdem Apostolicæ Sedis vacatione iidem Cardinales in Conclavi, quando de observandis fel. rec. Prædecessorum Nostrorum Julii Papæ II. super electione Romani Pontificis, Pii Papæ V. ne Civitates, & loca S. R. E. infeudentur, & Sixti Papæ V. de pecuniis in Arce S. Angeli positis inde non amovendis, aliisque nonnullis Constitutionibus Apostolicis juramentum præstare solent, etiam de præsenti Constitutione per quemlibet eorum, qui in Romanum Pontificem electus fuerit, inviolabiliter observanda, & postmodum ipse ad Supremi Apostolatus Officium assumptus post assumptionem hujusmodi hoc ipsum promittere, & jurare debeat, servatis etiam aliis omnibus, & singulis illis, quæ circa juramentum hujusmodi in præfata Sixti Prædecessoris Constitutione Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo octuagesimo sexto, undecimo Kalendas Maji Pontificatus sui Anno primo edita præscribuntur.

§. 9. Has quoque Nostras Litteras in libellum redigi, & post prædictas Julii, Pii, & Sixti, quæ in Conclavi legi solent, aliorumque Prædecessorum Nostrorum Constitutiones adjungi, & in quinterno Cancellariæ Nostræ Apostolicæ unà cum aliis Constitutionibus Apostolicis adscribi, & ad valvas Ecclesiæ Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum, dictæque Cancellariæ, & in Acie Campi Floræ de Urbe publicari, ipsarumque præsentium Literarum transsumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eamdem prorsùs fidem, tam in judicio, quam extra illud ubique haberi volumus, quæ iisdem præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Adnectenda aliis Constitutionibus jurari solitis in Conclavi.

Sanctio pœnalis.

§. 10. Nulli ergo omninò hominum liceat paginam hanc Nostrarum Constitutionis, Suppressionis, Abolitionis, Taxationis, Statutorum, Decretorum, Voluntatum, & Mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo nonagesimo secundo decimo Kal. Julii Pontificatus Nostri Anno Primo.

P. A. Primo 22. Junii 1692.

† Ego Innocentius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus promitto, voveo & juro.

† Ego Alderanus Episcopus Ostiensis Cardinalis Cybo promitto, voveo, & juro.
†
† Ego Jacobus Episcopus Tusculanus Cardinalis Franzonus promitto, voveo, & juro.
† Ego P. Episcopus Prænestinus Cardinalis de Alteriis S. R. E. Camerarius promitto, voveo, & juro.
†
†
† Ego F. Tit. S. Praxedis Presbyter Cardinalis Maidalchinus promitto, voveo, & juro.
† Ego Carolus Tit. S. Laurentii in Lucina Presbyter Card. Barberinus promitto, voveo, & juro.
†
†
†
† Ego Nicolaus Tit. S. Calixti Presbyter Card. Acciajolus promitto, voveo, & juro.
† Ego Gaspar Tit. S. Mariæ Transtyberim Presb. Card. Carpineus promitto, voveo, & juro.
† Ego Cæsar Tit. SS. Trinitatis in Monte Pincio Presbyter Cardinalis De Estrees promitto, voveo, & juro.
†
†
† Ego Franciscus Tit. S. Matthæi in Merulana Presbyter Cardinalis Nerlius promitto, voveo, & juro.
† Ego Hieronymus Tit. S. Sylvestri de Capite Presbyter Cardinalis Casanate promitto, voveo, & juro.
† Ego Galeatius Tit. SS. Quirici, & Julittæ Presbyter Cardinalis Marescottus promitto, voveo, & juro.
† Ego Fabritius Tit. Sancti Chrysogoni Presbyter Card. Spada promitto, voveo, & juro.
† Ego P. Thomas Hovardus Tit. S. M. super Minervam Presb. Card. de Norfolcia promitto, voveo, & juro.
† Ego Jo. Baptista Tit. S. Cæciliæ Presbyter Cardinalis Spinula promitto, voveo, & juro.
†
†
†
† Ego Fr. Laurentius Basilicæ SS. XII. Apostolorum Presbyter Card. de Laurea promitto, voveo, & juro.

† Ego Jacobus Tit. S. Mariæ de Aracœli Presb. Card. de Angelis promitto, voveo, & juro.

†
†
†

† Ego M. Antonius Barbadicus Tit. S. Susannæ Presbyter Card. S. Susannæ promitto, voveo, & juro.

†
†
†

† Ego Joannes Tit. S. Petri in Monte aureo Presbyter Card. de Goessen promitto, voveo, & juro.

†

† Ego P.M. Tit. S. Marcelli Presbyter Card. Petruccius promitto, voveo, & juro.

†
†
†

† Ego Joseph Saenz Tit. S. Balbinæ Presbyter Cardinalis de Aguirre promitto, voveo, & juro.

† Ego Fortunatus Tit. SS. Joannis, & Pauli Presbyter Card. Carafa promitto, voveo, & juro.

† Ego Bandinus Tit. S. Pancratii Presbyter Card. Panciaticus promitto, voveo, & juro.

†

† Ego Ferdinandus Tit. S. Clementis Presbyter Card. de Abdua promitto, voveo, & juro.

† Ego Tussanus Tit. S. Agnetis extra mœnia Presbyter Cardinalis de Janson Forbin promitto, voveo, & juro.

† Ego Jo. Baptista Tit. S. Laurentii in Pane, & perna Presbyter Cardinalis Rubinus promitto, voveo, & juro.

†

† Ego I. B. Tit. S. Anastasiæ Presbyter Card. Costagutus promitto, voveo, & juro.

†
†
†
†
†
†

† Ego Urbanus Sanctæ Mariæ in Via Lata Diaconus Card. Sacchettus promitto, voveo, & juro.

†
†
†

† Ego Fulvius SS. Cosmæ, & Damiani Diaconus Card. Astallius promitto, voveo, & juro.

†
†

† Ego Petrus Sancti Laurentii in Damaso Diaconus Cardinalis Otthobonus S. R. E. Vice-Cancellarius promitto, voveo, & juro.

† Ego C. S. Mariæ in Cosmedin Diaconus Card. Bichius, promitto, voveo, & juro.

†

† Ego Aloysius S. Mariæ in Porticu Diaconus Card. Homodeus promitto, voveo, & juro.

† Ego Joannes Franciscus S. Adriani Diaconus Card. Albanus promitto, voveo, & juro.

† Ego Franciscus S. Angeli in foro Piscium Diaconus Card. Barberinus promitto, voveo, & juro.

† Ego Laurentius S. Mariæ in Aquiro Diaconus Card. de Alteriis, promitto, voveo, & juro.

Loco ✠ plumbi.

B. Card. Prodatarius. I. F. Card. Albanus.

Visa de Curia I. Sacripantes.

D. Ciampinus.

Registrata in Secretaria Brevium.

Anno à Nativitate Domini Nostri JESU Christi millesimo sexcentesimo nonagesimo secundo, Indictione decimâquintâ, die verò vigesimâ octavâ Junii, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri Domini INNOCENTII Divinâ Providentiâ Papæ XII. Anno Primo; supradicta Constitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Ecclesiæ S. Johannis Lateranensis, Floræ, & in aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per me Andream Dominicum Simoncellum ejusdem Sanctissimi Domini Nostri Papæ Cursorem.

Agapitus de Magistris Cursorum Magister.

Constitutio super facultatibus Majoris Pœnitentiarii. XX.

INNOCENTIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei; Ad perpetuam rei memoriam.

ROmanus Pontifex omnium Christifidelium Pater, & Pastor, ejus, qui ut peccatores pretiosi sui Sanguinis profusione redemptos salvos faceret, semetipsum exinanivit, vices gerens in terris, ad ea per quæ sibi cœlitus commissi gregis saluti uberiùs consulitur, præcipuis debet, & indefessis studiis incumbere, sibique in Petro Apostolorum Principe attributam potestatem, qui infallibili Christi Domini testimonio, quidquid solverit super terram, erit solutum & in Cœlis, per se, & respectivè per alios provida dispensatione exercere. Hujus considerationis intuitu Romani Pontifices Prædecessores Nostri Pœnitentiariæ Apostolicæ Officio, & Majori Pœnitentiario quamplures, & amplas facultates concesserunt, illasque aliquando, in iis præsertim, quæ forum internum non concernebant, reformarunt, & quandoque ampliarunt & immutarunt, prout rerum, & temporum circumstantiis, opportunitatibus, & vicissitudinibus attentè pensatis, censuerunt in Domino salubriter expedire. Exordium ex debito Pastorali. Refert in genere dispositiones Antecessorum.

§. 1. Aliàs siquidem post antiquiores Officii hujusmodi status fel. rec. Pius Papa VI. Prædecessor Noster Officiorum, & Tribunalium Romanæ Curiæ reformationi Pastorali solicitudine intentus, ad ejusdem Pœnitentiariæ Officium, in quo morum censura, & animarum salus præcipuè vertitur, considerationis suæ oculos direxit; habitaque desuper cum tunc existentibus S. R. E. Cardinalibus deliberatione matura, ipsoque Majore Pœnitentiario, ac ejus Officialibus auditis, ac omnibus maturè consideratis, de eorundem Cardinalium consilio, quòd de cætero perpetuis futuris temporibus pro tempore existens Major Pœnitentiarius, Regens, Correctores, Scriptores, & Procuratores, ac alii quicumque ejus Officiales, & Ministri ab eorum omnium, quæ in tunc confectis capitulis, & prohibitionibus continebantur, & forum internum, seu pœnitentialem plerumque non respiciebant, concessione, & commissione penitus cessare, & abstinere deberent, per quasdam suas Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo secundo quinto Nonas Maji Pontificatus sui anno tertio expeditas Literas auctoritate Apostolica statuit, & ordinavit. Refertur Constitutio Pii IV. qua moderatus fuit facultates respectu Fori externi.

§. 2. Successivè recol. mem. Pius Papa etiam PrædecessorNoster tempus, & necessitatem, suique instituti rationem postulare perpendens, ut in multis Romanæ Curiæ rebus novam deinceps formam proponeret, ejusmodi verò curam ipsum impensiùs solicitare, ut ad ea in primis incumberet, quæ salutem, & periculum respiciebant animarum, ac à præfato Pœnitentiariæ Officio initium capere, novamque illi pro futuris facultatem statuere volens, de Apostolicæ pote- Refertur alia Constitutio B. Pii V. revocatoria concessorum, etiam vivæ vocis oraculo.

ſtatis plenitudine omnem, & quamcumque ejuſdem Officii, & Pœnitentiarii Majoris auctoritatem, juriſdictionem, & poteſtatem ordinariam, & delegatam, ac omnia, & quæcunque privilegia, facultates, & indulta illis, cæteriſque omnibus dictæ Pœnitentariæ tunc exiſtentibus Collegiis & perſonis ab ipſius Officii inſtitutione per quoſcunque Romanos Pontifices Prædeceſſores ſuos, ac ſeipſum, & Sedem Apoſtolicam, etiam motu proprio, & ex ipſius certa ſcientia, deque prædictæ poteſtatis plenitudine, tam in genere, quàm in ſpecie, ac de mandato ſpeciali, & expreſſo, etiam vivæ vocis oraculo emiſſo, & ex quibuſcunque cauſis conceſſa, confirmata, ac etiam pridem à memorato Pio IV. Prædeceſſore reformata, reſtricta, & moderata, quibuſcunque concepta formulis, ac etiam reſtrictivis, derogatoriarum derogatoriis, aliiſque fortioribus, & efficacioribus, etiam vim contractus inducentibus clauſulis, nec non irritantibus, & aliis decretis ſuffulta, quorum omnium tenores haberi voluit pro expreſſis, quæcunque eſſent, (poteſtate Minorum Pœnitentiariorum ſuorum, & ordinationibus de illis, eorumque ſtatu tunc pridem editis Litteris ſalvis, & integris remanentibus) revocavit, ſuppreſſit, & abolevit, & aliàs prout in ejuſdem Pii V. Prædeceſſoris quarto Kal. Maji Anno præfatæ Incarnationis milleſimo quingenteſimo ſexageſimo nono, & Pontificatus ſui quarto deſuper expeditis Litteris uberiùs continetur.

Narratur eundem B. Pium V. alia Conſtitutione ordinaſſe numerum Miniſtrorum & facultates.

§. 3. Utque memoratus Pius V. Prædeceſſor habita de Miniſtrorum qualitate, numero, functionibus, & officiis ratione explicata, novam futuris formam de integro præſcribere valeret, qua ipſum Pœnitentiariæ Officium certis quibuſdam facultatibus, quæ aliis officiis magis conveniebant, exoneratum, atque expeditum, deinde ea quæ Animarum ſalutem præcipuè concernebant, attentiore ſtudio proſequeretur, quinto decimo Kal. Julii ejuſdem Anni milleſimi quingenteſimi ſexageſimi noni duas edidit Conſtitutiones, in quarum prima, quæ incipit, *In omnibus rebus*: Miniſtrorum qualitatem, numerum, functiones, & officia in poſterum ordinavit: In alia verò, quæ incipit, *Ut bonus Pater familias*: Pœnitentiariæ hujuſmodi Officium nonnullis ibidem relatis facultatibus dumtaxat, quas pœnitentialis muneris maximè proprias, ac egentium Chriſtifidelium remedio accommodatas cenſuit, communivit.

Ampliationes factæ ab eodem B. Pio V. & Gregorio XIV.

§. 4. Deinde nihilominus idem Pius V. Prædeceſſor, ejuſque Succeſſores Rom. Pontifices quampluribus vivæ vocis oraculis, & piæ mem. Gregorius Papa XIV. pariter Prædeceſſor Noſter etiam ſuis in forma Brevis die decima Aprilis Anni milleſimi quingenteſimi nonageſimi primi expeditis Litteris, reformatas, ut præfertur, memorati Officii facultates multoties ampliarunt, & extenderunt.

Urbanus VIII. poſteà in nonnullis moderatus fuit.

§. 5. Verum hujuſmodi facultatibus valdè, ut præfertur, multiplicatis, & adauctis, ſim. memoriæ Urbanus Papa VIII. etiam Prædeceſſor Noſter memoratorum Pii IV. & Pii V. Prædeceſſorum veſtigiis inhærens, per ſuas die decima ſeptima Septembris Anni milleſimi ſexcenteſimi trigeſimi quarti Pontificatus ſui duodecimi in forma Brevis pariter expeditas Litteras, prævia, quoad inibi deſcripta capita, quarumcunque facultatum, ſeu Indultorum, ac vivæ vocis oraculorum deſuper conceſſorum, & aliter emanatorum, quæ iiſdem Litteris adverſarentur, revocatione, Motu proprio, ex certa ſcientia & matura deliberatione ſuis, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ſtatuit, & ordinavit, quòd de cætero perpetuis futuris temporibus Major Pœnitentiarius, & ejuſdem Pœnitentiariæ Regens, cæteriique ejus Officiales, & Miniſtri pro tempore exiſtentes, à particularium caſuum, & negotiorum inibi expreſſorum conceſſione, commiſſione, & expeditione, quæ aliàs nullæ eſſent eo ipſo, penitùs ceſſare, & abſtinere deberent.

§. 6. Adhuc tamen, & poſt hujuſmodi particularem reformationem alia Romanorum Pontificum ad hæc uſque tempora vivæ vocis oracula facultates hujuſmodi ampliantia, & reſpectivè moderantia ſupervenerunt.

Succeſſerunt ampliationes Succeſſorum per vivæ vocis oracula.

§. 7. Hinc Nos Animarum ſaluti, ac facultatum unicuique Officio, & Tribunali competentium ordini, & diſtinctioni, quantùm Nobis ab Alto conceditur, conſulere volentes, ac propterea Litterarum Apoſtolicarum, & vivæ vocis oraculorum præfatorum multiplicitatem, varietatem, & immutationes ſedulâ meditatione penſantes, Noſtræ Pœnitentiariæ, ac Majoris Pœnitentiarii facultates ſeligere, & ſelectas, cæteris excluſis, compilare, & in unum redigere decrevimus, ut quouſque facultates hujusmodi extendantur, ac quomodo, & in quibus caſibus exerceri poſſint, & debeant, certè, promptè, & diſtinctè ſub unica, & omnium comprehenſiva ſanctione innoteſcant.

Sub hac unica Conſtitutione compilantur facultates attendendæ, & non aliæ.

§. 8. Omnium itaque, & ſingularum Litterarum, & oraculorum hujuſmodi, ac aliarum, & aliorum, quæcumque ſint, & ſi quæ ſint, tenores pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, ac ſalvis, & in ſuo robore, & ſtatu permanentibus iis, quæ in altera ex præfatis ejuſdem Pii V. Prædeceſſoris Conſtitutionibus incipiente, *In omnibus*: ſuper Miniſtrorum Pœnitentiariæ præfatæ qualitate, numero, functionibus, & officiis ordinata fuerunt, ac etiam ſalva ſemper Majoris Pœnitentiarii facultate Romanum Pontificem in quibuſcunque particularibus caſibus, tametſi per præſentes Noſtras Litteras non conceſſis, imò prohibitis, conſulendi, ita ut ipſi Majori Pœnitentiario de Romani Pontificis ſpeciali mandato deſuper vivæ vocis oraculo ſibi facto procedere aſſerenti, indubia fides debeat adhiberi, Motu proprio, ex certa ſcientia, ac matura deliberatione Noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine infraſcriptas tantùm facultates eidem Pœnitentiariæ, & Majori Pœnitentiario de cætero competere, ac in illa, & ab illo in hunc, qui ſequitur modum, exerceri poſſe hac Noſtra perpetuò valitura Conſtitutione, ſtatuimus, atque decernimus.

Præſervatur Conſtitutio B. Pii V. ſuper numero, & qualitatibus Officialiũ Pœnitentiariæ.

Nec non futura vivæ vocis oracula.

§. 9. Noſtro itaque, & pro tempore exiſtenti Majori Pœnitentiario concedimus, ut omnes, & ſingulos cujuſcunque qualitatis, dignitatis, & gradus Eccleſiaſticos ſeculares, & cujuſvis Ordinis, Congregationis, Societatis, & Inſtituti Regulares, nec non laicos quoſcunque utriuſque ſexus, tam præſentes, quàm abſentes, ab omnibus, & quibuſcunque culpis, criminibus, & exceſſibus, quantumcunque gravibus, & enormibus, à tam publicis, quàm occultis quandocunque, & quomodocunque commiſſis & perpetratis, nec non ab omnibus excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis præmiſſorum occaſione latis, & per illos incurſis, etiam in caſibus nedum Superioribus Regularibus, & Ordinariis, ſed etiam Nobis, & Sanctæ Sedi ſpecialiter, ac etiam per literas, quæ die Cœnæ Domini quotannis promulgantur, reſervatis, injuncta ſemper iiſdem pro modo culpæ pœnitentia ſalutari, & aliis, quæ fuerint de jure injungenda, abſolvere, & abſolvi mandare poſſit, & valeat; Regulares nimirum à culpis, & cenſuris præmiſſis in utroque foro, & Eccleſiaſticos ſeculares necnon laicos à prædictis culpis, & cenſuris in foro conſcientiæ tantùm; Eoſdem verò Eccleſiaſticos ſeculares, necnon laicos tunc in utroque foro abſolvere, & abſolvi mandare poſſit, quando agitur de excommunicatis, & ſuſpenſis à ſententia generali, vel ſpeciali Delegatorum, aliorumque Judicum, quorum juriſdictio expiraverit, ſeu etiam de illis, quorum abſolutio per eoſdem Judices, aut alios fuerit ad Romanum Pontificem & ad dictam Sanctam Sedem remiſſa, ſeu pariter de iis, qui legitimo impedimento detenti præſentiam Judicum, vel illorum, qui eos excommunicarunt, aut ſuſpenderunt, aut alium, ſeu alios, adire non potuerint.

Pœnitentiarius Major abſolvere poteſt omnes ab omnibus cenſuris quibuſcumq; reſervatis.

Regulares in utroque foro; Eccleſiaſticos Seculares, & Laicos in foro conſcientiæ tantùm.

In quibus caſibus etiam iſtos in utroque foro.

Absolvendi in utroque foro debent paruisse judicato, & parti satisfecisse, vel satisfactionem obtulisse.

§. 10. Ita tamen ut prædicti à censuris ab homine latis, seu declaratis in utroque foro, ut præfertur, absolvendi, in suis congruis casibus respectivè judicato paruerint, & parti satisfecerint, vel quamprimùm potuerint, alioquin in easdem censuras reincidant, satisfaciant: Eadem verò parte oblatam convenientem satisfactionem, quæ tamen in sententiis, seu decretis individuata non sit, irrationabiliter recusante, possit Major Pœnitentiarius Judicis, coram quo censurarum causa pendet, conscientiæ remittere, ut convenientem satisfactionem arbitretur, illaque per reum oblata, & per aliam partem irrationabiliter recusata, valeat, adhuc firma remanente hujusmodi oblatione, ad absolutionem procedere.

Venientes Romã absolvi possunt ad effectum consequendi Indulgentias

§. 11. Romam quoque advenientes ab omnibus per quemcumque Judicem, vel aliàs quomodocunque, non tamen in Romana Curia nominatim promulgatis, seu alibi promulgatis, & in eadem Curia notoriis censuris, ad effectum dumtaxat, ut Indulgentias Sacra Urbis loca piè, ac religiosè invisentibus concessas, liberè, & licitè consequi valeant, ita ut, simul ac Indulgentias præfatas consequuti fuerint, iisdem, quibus antea censuris constricti teneantur, absolvere, & absolvi mandare possit, & valeat, Quod si censuris ab homine nominatim ligati pro absolutione Romam advenerint, sed pro illa obtinenda fuerint ad eorum Judices remissi, & probabile mortis periculum in itinere pertimescunt, poterit Major Pœnitentiarius ad congruum tempus ab ipso pro hujusmodi itinere agendo arbitrandum, sub conditione, si hujusmodi periculum immineat, & cum reincidentia, si præfati idem periculum evaserint, in foro conscientiæ tantùm absolvere, & absolvi mandare.

Ab Urbe remittendi ad Judices absolvi possunt in casu, & durante periculo.

§. 12. Nequeat tamen in ullis casibus publicis, qui in præfatis Litteris die Cœnæ Domini legi consuetis continentur, etiamsi Sedes Apostolica tunc vacaret, aut Romanus Pontifex propter infirmitatem, vel etiam cautam ita fuisset impeditus, ut celeriter consuli non posset, Principes, & alios Jus Imperii etiam Vicario nomine habentes, ac Dominia, & Respublicas, seu personas illorum, & illarum Administrationem habentes, vel habere solitas, nec non Episcopos, & alios Superiores Prælatos absolvere, & mandare.

Non potest absolvere à reservatis in Bulla Cœnæ Principes, aut Jura Imperii exercentes, seu Episcopos, & Prælatos in casibus publicis.

§. 13. Minusque possit etiam in occultis, etiam in foro conscientiæ tantùm, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, & alios cujuscunque qualitatis, status, gradus, conditionis, dignitatis, & præeminentiæ fuerint, qui vivente Romano Pontifice de quopiam eligendo, vel excludendo tractaverint, suffragia inierint, ambitusve, aut pactiones fecerint, seu Sede Apostolica vacante in censuras, seu pœnas in felicis record. Gregorii Papæ XV. & præfati Urbani VIII. etiam Prædecessorum Nostrorum super electione Romani Pontificis pro tempore facienda, decimo septimo Kalend. Septembris Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo vigesimo primo, & quinto Kal. Februarii Anno ejusdem Incarnationis millesimo sexcentesimo vigesimo quinto respectivè emanatis Litteris contentas, quomodolibet inciderint, absolvere, & absolvi mandare.

Non potest absolvere Cardinales, & alios Sede plena tractantes de futuro Pontifice eligendo, & contravenientes in electione Constitutionibus

§. 14. Nec pariter possit, etiam in occultis, etiam in foro conscientiæ tantùm eos, cujuscunque qualitatis, status, dignitatis, præeminentiæ, & conditionis fuerint, qui Astrologia judiciaria, vel aliàs per se, vel per alios de statu Reipublicæ Christianæ, sive de vita, aut morte Romani Pontificis pro tempore existentis, inquirentes, ejusdem Urbani Prædecessoris Pridie Kal. Aprilis Anno ejusdem Incarnationis millesimo sexcentesimo trigesimo primo contra illos editis Litteris contravenerint, absolvere, & absolvi mandare.

Neque per Astrologiam Judiciariam inquirentes de vita Pontificis, & de statu Reipub. Christianæ.

§. 15. Nec similiter valeat in casibus publicis, etiam in judicium non deductis, violatæ Immunitatis, seu libertatis Ecclesiasticæ ullatenùs absolvere, seu absolvi mandare.

Neque in casibus publicis violatæ Immunitatis Ecclesiasticæ.

§. 16. Eos tantùm hæreticos in foro conscientiæ dumtaxat absque alia abjuratione coram Ordinario, aut Inquisitore facienda, absolvat, seu mandet absolvi, qui cum nemine de suis hæresibus loquuti sunt, & omninò sunt occulti, etiamsi aliquos extrinsecos actus fecerint, ex quibus argui potuissent hæretici, dummodò tamen ad eosdem actus, quamvis de sui natura noscibiles seu ad notitiam deducibiles, quantùm ipsi sciant, & prout credunt, nullus advertit; Apostatas quoque à fide catholica, & hæreticos in eodem foro conscientiæ duntaxat absolvat, seu absolvi mandet in iis solum casibus, in quibus necesse non est complices denunciare, quando nimirum iidem complices mortui, seu ex regionibus palàm infectis, & in illis degunt, non tamen quandò complices Itali, vel Hispani, seu ex illis regionibus essent, in quibus S. Inquisitionis Officium ad Majorem Pœnitentiarium absolvendos remitteret, interdicta.

Potest absolvere Hæreticos occultos in foro conscientiæ.

Et Apostatas à Fide, quando non est necesse denunciare complices

§. 17. Munera à Regularibus contra recolen. mem. Clementis Papæ VIII. pariter Prædecessoris Nostri Anno Incarnationis præfatæ 1594. tertiodecimo Kal. Julii editam Constitutionem ultrà valorem decem scutorum monetæ recipientes, exceptis rerum medicinalium, seu devotionis muneribus, antè factam restitutionem non absolvat, nec mandet absolvi; Infrà verò prædictum valorem, nonnisi factâ arbitrio ipsius Majoris Pœnitentiarii, seu per eum eligendi Confessarii eleemosynâ, quæ in beneficium Religionis, seu Conventus, cui de jure facienda esset restitutio, si cautè fieri potest, erogetur, absolvat, seu mandet absolvi.

Potest absolvere recipientes munera à Regularibus, factâ eleemosynâ.

§. 18. Moniales, & quascunque personas, quæ in casibus publicis clausuram earundem Monialium ad malum finem violaverint, & respectivè ausæ fuerint violare, non absolvat, nec mandet absolvi, nisi in casibus, in quibus ipsi Episcopi, seu Ordinarii pro ipsis delinquentibus supplicaverint, & casus ad Congregationem S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositam deducti non fuerint.

A casibus violatæ clausuræ Monialium quando possit absolvere.

§. 19. Confessarios Monialibus nullatenus concedat, & Capuccinos in illis regionibus, in quibus iidem Confessionibus audiendis operam dare non solent, in Confessarios non deputet.

Monialibus non det Confessarios, & de Capuccinis non deputandis.

§. 20. Ad hæc de super quacunque irregularitate, & inhabilitate ex quocunque delicto, etiam homicidio voluntario, & ex quocunque defectu proveniente, in casibus tamen occultis, & in foro conscientiæ tantùm, prævia in gravioribus casibus matura discussione facienda in Pœnitentiariæ Signatura, dispensare, vel dispensari mandare possit, tam cum Ecclesiasticis Secularibus, quàm cum Laicis respective, cum quibus expediens videbitur, ut Ordinibus initiari, & in susceptis etiam sacris, & Presbyteratus ordinibus ministrare, & ad Superiores conscendere, ac Dignitates etiam Cathedrales, & Metropolitanas, ac quæcunque Beneficia Ecclesiastica quandocunque ante dispensationem alioquin canonicè obtentas, vel obtenta, retinere, necnon hujusmodi Beneficia, & Dignitates (exceptis, quando agitur de homicidio voluntario, vel alio gravissimo excessu, Ecclesiis Cathedralibus, & Metropolitanis) etiam post delictum assequi valeant.

Dispensare potest in foro conscientiæ super quacunq; irregularitate ad ordines, & beneficia.

§. 21. Cum Hæreticis, & Apostatis à fide Catholica, quando hæresis, & apostasia hujusmodi nullatenùs est propalata, & casus gravitas non suadet Pœnitentes ad S. Inquisitionem remittendos esse, super quacunque irregularitate, inhabilitate, & infamia exinde contracta, tam ad Ordines, sive susceptos, sive suscipiendos, quàm ad beneficia dispensari mandare possit, & valeat.

Etiam cum Hæreticis, & Apostatis à Fide, nisi ob gravitatem remittendi ad S. Inquisitionem.

§. 22. Cum malè promotis occultis, non obstante ejusdem memor. Sixti Papæ V. etiam Prædecessoris Nostri Anno Incarnationis prædictæ millesimo quingentesimo octogesimo nono Nonis Januarii edita Constitutione, & signanter cum promotis per saltum, etiam prætextu licentiarum de promovendo extrà tempora, vel non servatis interstitiis, vel sine litteris dimissorialibus proprii Ordinarii, non

Dispensare possit in foro conscientiæ cum malè promotis in casu gravis scandali.

dispen-

dispenset, nisi in foro conscientiæ, quando periculum adesset gravium scandalorum, tunc enim possit in forma Pœnitentiariæ consueta dispensare, ut scilicet omissos Ordines secretè recipiant à quolibet Catholico Antistite gratiam, & communionem cum Sede Apostolica habente, & tunc, & extrà tempora, & non servatis interstitiis, & absque præfatis dimissoriis.

Etiam cum promotis simoniacè.

§. 23. Cum promotis ad Sacros Ordines, qui simoniam cum Episcopis promoventibus commiserint, dispensare, & dispensari mandare possit in occultis dumtaxat, & in foro conscientiæ tantùm, cum clausula monitis monendis, & injuncta gravi pœnitentia, acre præsertim discussa in Signatura.

Quoad Beneficia dispensare possit super simonia ignoranter commissa.

§. 24. A dispensationibus, seu convalidationibus titulorum etiam in occultis casibus abstineat, cum agitur de simonia reali scienter contracta, & de beneficiis, super quibus contracta est ipsa simonia; At si illa contracta fuisset ignoranter etiam ignorantiâ juris inculpatâ, possit Major Pœnitentiarius in occultis, & in foro conscientiæ tantùm dispensare, & beneficiorum post simoniam obtentorum titulos convalidare, modò Orator de eadem simonia certior factus, quam primùm commodè potuerit, petierit dispensationem, omni alia facultate in cæteris simoniæ casibus, & præsertim publicis, interdicta.

Titulos Beneficiorum in concursu obtentorum convalidare.

§. 25. Titulos Beneficiorum in concursu obtentorum in foro conscientiæ tantùm in occultis convalidare possit, quando tamen inhabilitas provenit ex aliqua censura, vel quia illâ irretitus impetrans administravit.

De non condonandis fructibus amissis ob non susceptum munus consecrationis.

§. 26. A convalidatione titulorum, & condonatione fructuum abstineat quoad illos, qui de Ecclesiis Cathedrabus provisi, infrà præfinitum tempus munus consecrationis non susceperint.

De condonatione fructuum beneficialium in occultis tantum cum distinctione modi juxta Nationum, & personarum differentiam.

§. 27. A compositione pariter, & condonatione fructuum beneficialium, & Ecclesiarum Episcopalium, ac etiam distributionum quarumcumque quovis modo malè perceptorum in casibus non occultis, abstineat: In occultis verò possit cum Gallis, Belgis, Gemanis, Polonis. & ulterioribus componere, vel etiam condonare, injunctâ eisdem pœnitentibus erogatione eleemosynæ ipsius Majoris Pœnitentiarii, vel Confessarii ab ipso deputandi arbitrio limitandæ. Cum reliquis autem videlicet Italis, Hispanis, Lusitanis, & adjacentium Insularum personis discretè compositionem concedere, & ea mediante fructus condonare, pecuniis exindè exactis receptori emolumentorum Datariæ nostræ integraliter consignatis: Pauperibus tamen, quorum inopia compositionem non admittit, possit condonare, injunctâ eleemosynâ modo supradictâ, quæ nihilominùs sine præjudicio illorum, quibus distributiones accrescere, vel non decrescere debent, sint, & censeantur ordinata.

Dispensare potest cum Regularibus super quibuscunque irregularitatibus ad ordines, vocem, officia, & beneficia ordinis.

§. 28. Cum Regularibus autem super irregularitate quorumcumque criminum quandocunque perpetratorum, vel incursus in censuras occasione, vel quia iidem sic ligati suos Ordines, non tamen in contemptum clavium, exercuerunt, aut illis se immiscuerunt, seu aliter quomodolibet contracta, ut eadem irregularitate, & quibuscumque aliis defectibus non obstantibus, susceptis ordinibus, & eorum privilegiis uti, ac in illis etiam in Altaris ministerio ministrare, & ordines non susceptos suscipere, & in iisdem similiter etiam in altaris ministerio ministrare, nec non quæcunque, quotcunque, & qualiacunque suorum ordinum, & Congregationum, alioquin canonicè obtenta officia, beneficia regularia, munia, præeminentias, dignitates, & prælaturas etiam majores, & principales, retinere, & exercere, nec non eadem, seu easdem (non tamen Generalatum) ad quæ, seu quas in futurum canonicè, & juxta eorumdem Ordinum, & Congregationum Regularia Instituta, eligentur, vel aliter assumentur, recipere, assequi, gerere, & liberè exercere etiam licitè valeant, dispensare, eosque in pristinum, & ad eum, in quo ante præmissa quomodolibet erant, statum, & ad vocem activam, & passivam restituere, reponere, & plenariè reintegrare, & pœnas illis gratiosè remittere, & condonare, nec non pro majori absolutionum, & dispensationum præfatarum firmitate quibusvis Constitutionibus, ordinationibus, statutis, & privilegiis quomodolibet obstantibus sufficienter derogare, Major Pœnitentiarius præfatus possit, & valeat.

Id possit in utroque foro, auditis Superioribus pro foro externo.

§. 29. Volumus tamen, ut in hujusmodi casibus occultis in foro conscientiæ tantùm, in publicis verò casibus in utroque foro, auditis tamen, & supplicantibus Superioribus, bonumque testimonium de ipsis Regularibus ferentibus, gravatâ in iis eorumdem Superiorum conscientiâ, & maturâ circumspectione, semper adhibitâ, cum iisdem Regularibus ut prætertur, dispensare, & dispensari mandare valeat.

Homicidas, & Banditos ad ingressum in Religionem habilitare, & Fisco, ac parte concordatis pro ingressu post professionem dispensare super Irregularitate.

§. 30. Cum homicidis, bannitis, aliisque delinquentibus, qui memorati Sixti Prædecessoris Anno Incarnationis præfatæ millesimo quingentesimo octogesimo septimo, sexto Kal. Decembris expeditis Litteris, Religionem ingredi, & in ea professionem emittere inhabilitantur, si expedire videbitur, habilitare, & habilitari mandare, ac cum iis, qui homicidia voluntaria commiserint, ut etiam uti Clerici aliquam ex approbatis Religionibus ingredi, ibique profiteri, in utroque foro, quando sic expedire videbitur, dispensare, & dispensari mandare valeat, ea tamen lege, ut sic habilitandi, seu dispensandi Fiscum, & Partem prius concordaverint, & professionem emittant, nec ante professionem hujusmodi in susceptis ordinibus ministrare, nec ad superiores ordines ascendere possint.

Circa Apostatas, & transitum de una ad aliam Religionem aliàs providebitur.

§. 31. Quoad Apostatas, & transitum Regularium de una ad aliam Religionem, citra aliquam innovationem interim faciendam, an, & quales facultates Majori Pœnitentiario remanere, reformari, seu concedi conveniat, de nonnullorum S. R. E. Cardinalium desuper à Nobis deputatæ Congregationis consilio suis loco, & tempore decernemus.

Dispensare potest super occultis impedimentis non dirimentibus matrimonium.

§. 32. In matrimoniis contrahendis possit idem Major Pœnitentiarius in foro conscientiæ tantùm super impedimentis occultis, quæ matrimonium non dirimunt, dispensare, vel dispensari mandare: At à dispensationibus super quocunque impedimento ex quovis gradu, sivè consanguinitatis, sivè affinitatis ex copula licita, sive ex cognatione spirituali proveniente, etiam in foro conscientiæ tantùm, tametsi impedimentum sit occultum, & periculum scandalorum immineat, in iisdem matrimoniis contrahendis abstineat.

Non potest super dirimentibus etiam occultis.

§. 33. In contractis verò matrimoniis à dispensatione, seu matrimonii revalidatione in gradibus primo, & secundo, seu secundo tantùm consanguinitatis, vel affinitatis ex copula licita etiam in occultis pariter abstineat, præterquam si in hujusmodi secundo tantùm gradu impedimentum saltem per decennium duraverit occultum, & oratores simul publicè contraxerint, & convixerint, & uti conjuges legitimi reputati fuerint. In tertio autem, & quarto gradibus publicis revalidare matrimonia nulliter contracta ex causa subreptionis, vel obreptionis occultæ Litterarum Apostolicarum, præterquam si falsitas constat in narratione præcedentis copulæ, quæ tamen anteà non intercesserat.

Non potest revalidare matrimonia nulla ob impedimentum primi, & secundi gradus.

In impedimento secundi potest post decennii.

§. 34. Quod si oratores, qui obtinuerint, à Nostra Dataria dispensationem super gradu prohibito tam in primo, & secundo, quàm in secundo tantùm, ac etiam in tertio, vel quarto, tacitâ copulâ inter eos sequutâ, quam sine honoris detrimento detegere non valeant, & ratione hujusmodi taciturnitatis petant dispensationem pro matrimonio contrahendo, seu revalidationem matrimonii contracti, possit idem Major Pœnitentiarius, si copula sit adhuc secreta, in foro conscientiæ tantum concedere, facta quando agitur de primo, & secundo, vel secundo tantùm gradu compositione quinquaginta ducatorum auri de Ca-

In quibus casibus possit in aliis gradibus.

De servandis in casu nullitatis dispensationis ob tacitam copulam.

mera ad Datariam transmittendorum, ad effectum, ut inconcussi moris est, erogandi in eleemosynas, nisi prior gratia expedita fuisset in forma pauperum, quo casu etiam hæc gratia absque ulla compositione similiter expediatur.

Circa eadem mendacis expressionis intentionis.

§. 35. Si verò oratores, qui obtenta dispensatione à Dataria super impedimento primi, & secundi, sivè secundi dumtaxat gradus consanguinitatis, seu affinitatis, cum expressione quidem carnalis copulæ, sed tacitâ occultâ, & malitiosa intentione in ipsa copula habita ad facilius habendam dispensationem, pro revalidatione hujusmodi dispensationis recurrant ad dictam Pœnitentiariam, possit idem Major Pœnitentiarius desuper dispensare cum miserabilibus personis explicitè affirmantibus, se uti tales, & sub illa expressa qualitate, & forma miserabilium dispensationes à Dataria obtinuisse: Cum iis verò qui non tanquam pauperes, sed uti ex honestis familiis, sivè uti nobiles sivè uti illustres fuerint similiter ab eadem Dataria dispensati, idem Major Pœnitentiarius non dispenset, nisi solutâ prius in Dataria, ad effectum pariter erogandi in eleemosynas, taxâ cum Datario pro tempore existente concordandâ. Quòd si supplicantes sint pauperes ita, ut verè, & realiter integram summam taxatam, vel aliquam ejus partem solvere nequeant, præfatus Major Pœnitentiarius in simul cum eodem Datario opportunè provideat.

Dispensare potest in impedimento Affinitatis ex actu fornicario.

§. 36. Super impedimento occulto affinitatis ex copula illicita, seu ex actu fornicario proveniente, quotiescunque adsit rationabilis causa, licèt periculum revelationis, seu scandalorum non immineret, vel non adesset, in matrimoniis tam contractis, quàm contrahendis, in foro conscientiæ tantùm; quoties verò affinitas hujusmodi post contractum matrimonium supervenerit, ut debitum peti possit, in eodem conscientiæ foro dispensare, & dispensari mandare possit, & valeat.

Etiam in impedimento criminis, utroque, vel altero machinante.

§. 37. Super occulto impedimento criminis adulterii, si fuerit cum fide data, dumtaxat neutro machinante, commissum, possit tam in contrahendis, quàm contractis matrimoniis dispensare: Si verò crimen hujusmodi fuisset utroque, vel altero machinante patratum, possit dispensationem concedere, rarò tamen, & quando necessitas postulaverit ratione alicujus gravis imminentis periculi, quod prudentia Majoris Pœnitentiarii, re præsertim discussa in Congregatione, vel Signatura arbitrandum erit.

Dispensare etiam quãdo plura simul sunt impedimẽta, & prolem nunciare legitimam.

§. 38. Declaramus tamen, quòd facultates præfatæ à Nobis Majori Pœnitentiario, & ejusdem Pœnitentiariæ officio concessæ circa dispensationes matrimoniales locum habeant, etiamsi gradus, & impedimenta hujusmodi multiplicia sint quacunque, & quantacumque multiplicitate; Volentes in Litteris hujusmodi dispensationum matrimonialium posse prolem, ubi opus erit, sivè susceptam, sivè suspiciendam, non tamen in adulterio conceptam, in foro conscientiæ tantùm legitimam decernere, nec non apponi clausulam *nullis &c.* prout in hujusmodi materiis hactenus ipsa Pœnitentiaria servare consuevit.

Facultas commutadi Vota simplicia etiam jurata.

§. 39. Vota simplicia quæcunque quomodolibet, tametsi privato juramento confirmata, etiam castitatis, religionis, visitationis liminum Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli de Urbe, Sepulchri Dominici, & Jacobi de Compostella, possit idem Major Pœnitentiarius in alia pietatis opera commutare, votorum implementum differre, ab illorum transgressionibus absolvere, & cum iis, qui matrimonium contrahendo votum castitatis transgressi, ad licitè debitum conjugale petendum, dispensare, & respectivè commutari, differri, absolvi, & dispensari mandare semper in foro conscientiæ tantùm possit, & valeat, consideratis causis commutationum, dilationum, absolutionum, & dispensationum hujusmodi, & adjectis clausulis, quas apponere, iisque injunctis, quæ injungere hactenus Pœnitentiaria laudabiliter consuevit.

§. 40. Super recitatione Divini Officii, seu Horarum Canonicarum propter aliquam impossibilitatem, seu moralem difficultatem cum commutatione in alias preces, vel orationem, seu illarum injunctione facultatem habeat dispensandi.

Commutandi obligationem recitandi Officium Divinum.

§. 41. Juramenta quæcunque, in quibus exploratum erit, nullum cujusquam agi præjudicium, facultatem habeat in foro conscientiæ dumtaxat relaxandi.

Relaxandi juramẽta.

§. 42. Quoad malè ablata, vel retenta, quando Domini sunt incerti, & casus sunt occulti, partem aliquam delinquentibus pauperibus, si eorum qualitate, & necessitate pensatis, ita videbitur, remittere, seu condonare vel remitti, seu condonari mandare possit, residuum verò pauperibus, vel in pia opera in locis, si fieri potest, ubi illa ablata, exorta, seu usurpata sunt, distribui, seu converti mandet.

Pro malè ablatis, quando Domini sunt incerti, quid injungendũ.

§. 43. Cum puellis, quæ virgines non sunt, & dotes petunt, seu obtinuerunt à Confraternitatibus, aut aliis locis, vel dispensatoribus piis, quibus injunctum est, ut illas Virginibus tantùm dent, seu distribuant, in occultis, & in foro conscientiæ tantùm, quatenus illæ in posterum honestè vivant, facultatem habeat dispensandi.

Condonãdi dotes debitas Virginibus obtentas à non Virginibus

§. 44. Dubia in materia peccatorum, seu forum pœnitentiale aliàs quomodolibet concernentia cum consilio Doctorum, & Theologorum suorum valeat declarare.

Facultas declarandi dubia conscientiæ.

§. 45. Commissiones Majoris Pœnitentiarii, etiamsi committens, illis nondum præsentatis, re integra desinat quomodocunque Pœnitentiarius existere, non expirent.

Commissiones Pœnitentiariæ non expirant cessante Pœnitentiario Sede Apostolica vacante in quibus cesset facultas.

§. 46. Sede Apostolica vacante Major Pœnitentiarius, ejusque Officiales ea tantum facere, & expedire valeant, quæ ad forum conscientiæ pertinent, in reliquis eorum officium conquiescat, & à quibuscunque matrimonialibus, & aliis dispensationibus, ac absolutionibus, & declarationibus, necnon quibusvis aliis expeditionibus forum fori mixtim, vel separatim quomodolibet respicientibus, omnino abstineant.

Substituendi pro Officialibus infirmis.

§. 47. Quotiescunque Procuratores, & Scriptores Pœnitentiariæ secretæ aliqua mala valetudine detinentur, vel ex aliqua legitima causa Major Pœnitentiarius expediens judicaverit, possit alios in eorum locum durante infirmitate, seu causa subrogare, seu substituere, præstito solito juramento, & cum iisdem obligationibus, quibus alii Procuratores, & Scriptores titulati adstringuntur.

Forma servanda in admittendis Pœnitentiariis minoribus

§. 48. Nullus Minor Pœnitentiarius trium Basilicarum Urbis possit admitti, seu recipi ad officium, nisi priùs à Majori Pœnitentiario, ac Pœnitentiariæ Congregatione, seu Signatura fuerit examinatus, & approbatus, & postquam admissus fuerit, nequeat sine ejusdem licentia discedere, seu admitti, idemque servetur quoad Minores Pœnitentiarios Lauretanos, quibus, & aliis supradictis Major Pœnitentiarius possit facultatem ad libitum concedere, & quorum examen possit in absentia etiam Episcopo in partibus sibi beneviso, committere.

Indulgentia pro submittentibus caput ferulæ Majoris Pœnitentiarii

§. 49. Omnibus Christifidelibus, qui ex veteri, & laudabili instituto Pœnitentiarium Majorem munere suo statutis diebus in hebdomada majori solemni ritu fungentem piè, reverenterque adierint, sesequè pœnitentiali virga tangendos submiserint, centum dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxandi perpetuam facultatem eidem Majori Pœnitentiario confirmamus, & quatenùs opus sit, de novo concedimus.

Clausulæ roborativæ cum decreto irritanti.

§. 50. Decernentes præsentes Litteras etiam ex eo, quòd Major Pœnitentiarius, ac præfatæ Pœnitentiariæ Regens, & Officiales prædicti, ac alii quicunqe in præmissis quomodolibet interesse habentes, seu habere prætendentes, eisdem præmissis non consenserint, aut vocati, seu auditi non fuerint, aliaque quavis causa quantumvis legitima, & juridica, de ullo subreptionis,

vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis Nostræ, vel alio quocunque defectu notari, impugnari, redargui, retractari, in jus, vel controversiam revocari nullatenus posse, sed semper, & perpetuò validas, firmas, & efficaces existere, & à Majori Pœnitentiario, Regente, & Officialibus prædictis aliisque, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; Sicque per quoscunque Judices Ordinarios, & Delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, sublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, ubique judicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane, quidquid secus super omnibus, & singulis præmissis, vel circa ea à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariis.

§. 51. Non obstantibus præmissis, & aliis quibuscunque Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, & dictæ Pœnitentiariæ, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus quibuscunque, ac quibusvis vivæ vocis oraculis, privilegiis, indultis, & Litteris Apostolicis ejusdem Pœnitentiariæ Officio, illiusque Majori Pœnitentiario, ac Officialibus, & Ministris, & quibusvis aliis, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, & Decretis in genere, vel in specie, etiam motu proprio, & aliàs quomodolibet per Prædecessores Nostros Romanos Pontifices, ac etiam Nos concessis, innovatis, confirmatis & approbatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil, penitùs omisso, & formâ in illis traditâ observatâ, iisdem præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, ad effectum præsentium, illis aliàs in suo robore permansuris, harum serie derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

A. 1692. 3. Septemb. P. A. 2.

§. 52. Nulli ergo omninò hominum liceat paginam hanc nostrarum compilationis, concessionum, prohibitionum, decretorum, statuti, voluntatis, declarationis, confirmationis, derogationis, aliorumque præmissorum infringere, seu ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo nonagesimo secundo, tertio nonas Septembris Pontificatus Nostri Anno Secundo.

B. Card. Prodatarius

J. F. Card. Albanus.

Visa de Curia J. Sacripantes.

D. Ciampinus

Loco † plumbi

Registrata in Secretaria Brevium.

Publicatio

Anno à Nativitate Domini Nostri JESU Christi millesimo sexcentesimo nonagesimo secundo, Indictione decimâquintâ, die verò decimanonâ Septembris, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri Domini INNOCENTII Divinâ Providentiâ Papæ XII. Anno Secundo, supradicta Constitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Ecclesiæ S. Johannis Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ, in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Petrum Cannamelinum ejusdem Sanctiss. D. N. Papæ Cursorem.

M. Aurelius Pelliccio Curs. Magister.

Constitutio revocatoria Tribunalium particularium, Judicum specialium, & facultatum eis à Prædecessoribus diversis temporibus concessarum. XXIII.

INNOCENTIUS EPISCOPUS.

Servus servorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

ROmanus Pontifex curæ agri Dominici more diligentis patris familias indesinenter invigilans, ut juxtà verbum propheticum noxia evellat, & destruat, utilia verò plantet, & ædificet, ea etiam, quæ aliàs rationabilibus tunc suadentibus causis à Sede Apostolica concessa fuerunt, ex aliis validioribus, seu supervenientibus rationibus, quibus præsertim faciliori, ordinario, & juridico justitiæ cursui in Romana Curia cæterarum magistra uberiùs consulitur, ad viam juris reducere, moderari, immutare, & revocare non desinit, & in his solicitudinis suæ studium interponit, quando & prout in Domino conspicit salubriter expedire.

Aboletur Judicum particularium facultas eligendi Notarios sibi benevisos.

§. 1. Hinc est quòd Nos sedulâ meditatione pensantes, privilegia privativarum, seu cumulativarum jurisdictionum, etiam cum facultate proprios, seu benevisos Notarios habendi, seu deputandi, quàm pluribus præfatæ Curiæ particulariter institutis Judicibus, seu Tribunalibus à Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris, aliquorum Seculorum spatio concessa, ita paulatim quidem, sed in immensum excrevisse, ut Judicum, & Tribunalium ordinariorum jurisdictio magnoperè decreverit, & super hujusmodi jurisdictionum conflictu, & Judicum competentiâ frequentes contentiones, expeditam causarum terminationem cum litigantium damno, & Causidicorum incommodo differentes irrepserint; Ac propterea inter alia, quæ circa eandem Curiam emendanda, reformanda, & rectiùs ordinanda suscepimus, quantum Nobis ex alto conceditur, hujusmodi absurdis occurrere, ac præfatæ Curiæ, ejusque Judicum, & Tribunalium majori decori, & ordini, sicut Justitiæ ratio, & publica utilitas postulant, hac Nostrâ speciali Constitutione prospicere volentes, motu proprio, ex certa scientia, & maturâ deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, nec non de nonnullorum Dilectorum Filiorum ejusdem Curiæ Prælatorum, & Virorum pietate, doctrinâ, prudentiâ, & rerum usu præstantium, ad hunc effectum de mandato Nostro pluries congregatorum consilio, omnia, & singula hujusmodi particularia Tribunalia, & speciales Judices vigore privilegiorum præfatorum in eadem Curia hactenùs constituta, seu constitutos, tenore præsentium penitùs, & omninò supprimimus, abolemus, & abrogamus, & propterea ad viam Juris reducimus omnia, & singula, indulta, facultates, & privilegia habendi, seu deputandi tam in prima, quam in ulterioribus instantiis omnes prædictos particulares Judices quocunque nomine nuncupatos, ac etiam Assessores, Congregationibus etiam S.R.E. Cardinalium, Ecclesiis, & Basilicis, etiam Patriarchalibus, Monasteriis, Abbatiis, Collegiis, etiam Nationalibus, etiam sub cura, & administratione Presbyterorum, seu Clericorum Regularium Societatis Jesu existentibus Archihospitalibus, & Hospitalibus etiam S. Spiritus in Saxia, & Neophytorum Archiconfraternitatibus, Confraterni-

tatibus, etiam Annunciationis B. M. Virginis, Montibus etiam Pietatis, Monasteriis etiam Mulierum Pœnitentium, Ordinibus, Congregationibus, & Institutis, etiam Societatis Jesu, Curiis, & Judicibus, etiam Burgi, & Arcis S. Angeli, Militiis, etiam S. Joannis Hierosolymitani, quibuscumque Universitatibus & Consulatibus, etiam Artium, Conservatoriis Domibus piis, etiam Almæ Domui Lauretanæ, Capellis, etiam ad Præsepe Jesu Christi, & Imaginis Beatæ Mariæ Virginis in Basilicæ Sanctæ Mariæ Majoris, Altaribus, cæterisque aliis Locis Piis quocumque pariter nomine nuncupatis, seu Cardinalibus eorum Protectoribus, Archipresbyteris, Abbatibus, Vicariis, aliisque Administratoribus quibuscumque, ac Præfectis, etiam Palatii Nostri Apostolici in quibusvis causis Civilibus, criminalibus, aut mixtis, activis & passivis dictarum Ecclesiarum, locorum piorum, aliorumque ut supra, nec non eorum Officialium, Dignitatum, Canonicorum, Beneficiatorum, Affectuariorum, Emphyteutarum, Colonorum, aliorumque quomodolibet inservientium iisdem Locis piis, illorumque bonis, & Tenutis, etiam cum quibusvis facultatibus, & auctoritatibus eligendi Notarios sibi benevisos, ac procedendi summariè, de plano, solâ facti veritate inspectâ, sine strepitu, & figura Judicii, manu Regiâ, ac quacunque Appellatione, reclamatione, recursu, revisione, supplicatione, seu restitutione in integrum remotis, seu cum aliis similibus, aut majoribus facultatibus etiam per Nos, & quoscunque Romanos Pontifices Prædecessores Nostros, sub quibusvis verborum tenoribus, & formis, & cum quibuscumque, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis Decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, vel ad Imperatoris, Regum, Reginarum, Rerumpublicarum, & Principum quorumlibet preces, & instantiam, seu eorum contemplatione, & intuitu, ac etiam in limine fundationis, seu quâcumque causâ, non tamen verè onerosa, videlicet congruæ, & effectivæ solutionis Cameræ Nostræ legitimè factæ, & non aliàs, vel pro bono publico spirituali, aut temporali, etiam ex causa studii, & Catholicæ Fidei, ac aliàs quomodolibet in Contrarium præsentium concessa, confirmata, & approbata, ac pluries, & quantiscumque vicibus innovata, quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita, & certa forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, formas, causas, & occasiones, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, servatis, & specificatis respectivè habentes, perinde, ac si præfata indulta, facultates, & privilegia concessa, confirmata, & innovata non fuissent, ad effectum præsentium specialiter expresse, plenissimè, & amplissimè derogamus, & derogatum esse volumus, & mandamus.

Facultates Vicario Generali concessæ reducuntur ad statum ante Constitutionem Pauli V.

§. 2. Iisdem pariter modo, & forma omnia, & quæcunque indulta, facultates, & privilegia Dilecto Filio Nostro, ac pro tempore existenti in Urbe, ejusque districtu Vicario in spiritualibus Generali sub quibusvis formis, Decretis, clausulis, aliisque supradictis per quoscunque Romanos Pontifices Prædecessores Nostros, & præsertim per fel. rec. Clementem Papam X. etiam Prædecessorem Nostrum quibusdam suis Prid. Idus Augusti Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo septuagesimo primo, expeditis Litteris concessa, ad statum in quo erant ante Litteras piæ memoriæ Pauli Papæ V. pariter Prædecessoris Nostri Kal. Martii anno ejusdem Incarnationis millesimo sexcentesimo undecimo super reformatione Tribunalium Urbis editas, & respectivè juxta easdem Litteras in judicialibus reducimus.

§. 3. Liceat tamen Judicibus, ut supra suppressis, & abrogatis, qui vigore privilegiorum, ut præfertur, processerunt, causas coram iisdem hactenus jam instructas seu aliàs legitimè contestatas, prædictis non obstantibus, per totum mensem Decembris proximè venturi, prout juris fuerit, expedire, itaut eo tempore elapso hujusmodi causæ ad Judices ordinarios, & competentes Romanæ Curiæ in statu & terminis ipso facto devolvantur.

Permittitur causarum intrà mensem Decembris expeditio.

§. 4. Quod si hujusmodi causis interim expeditis appellari, reclamari, supplicari, recurri, aut restitutio in integrum peti contigerit, appellationes hujusmodi, reclamationes, supplicationes, recursus, & restitutionis in integrum petitiones non ampliùs ad Tribunalia antiquorum privilegiatorum, sive ad Protectores, Archipresbyteros, aliosque ut suprà, sed ad signaturam Justitiæ, & respectivè ad suos Superiores, & Ordinarios, prout in cæteris causis per Judices ordinarios expeditis servatur, devolvantur, & devolutæ sint, & esse censeantur.

Appellationes in iisdem causis ad Signaturam Justitiæ devolvendæ.

§. 5. Similiter etiam in casu appellationum, reclamationum, supplicationum, recursuum, ac restitutionis in integrum petitionum à sententiis, & Decretis Judicum per eosdem privilegiatos extra Curiam præfatam deputatorum, seu deputandorum in posterum interponendarum, eædem appellationes, reclamationes, supplicationes, recursus, ac restitutionis in integrum petitiones non amplius ad supranominatos, cujuscunque dignitatis etiam Cardinalitiæ sint, qui etiam ratione Episcopatuum, Guberniorum, Abbatiarum, Commendarum, aut ex alio quovis titulo, vel privilegio hujusmosmodi jurisdictionem tum in committendo, tum in decernendo, vel in judicando usque ad præsens in Urbe ipsa, vel aliàs exercuerunt, sed ad Judices ordinarios, & competentes ejusdem Romanæ Curiæ devolvantur indifferenter, & parimodo, sicuti in cæteris causis per alios Judices de partibus expeditis servatur, nullâ habitâ ratione privilegiorum, & antiquarum facultatum.

Et ad Judices Ordinarios Romanæ Curiæ.

§. 6. Habentes autem facultatem eligendi in partibus Judicem secundarum instantiarum, teneantur illum ibidem per unicam, & universalem deputationem ad omnes hujusmodi causas constituere; Et si vel super recusatione, vel super modo procedendi coram dicto Judice deputato emergat controversia, ad signaturam Justitiæ, prout in cæteris causis, & negotiis fieri solet, recurratur. In tertiis verò, seu ulterioribus instantiis eo modo, quo in causis appellationum à Judicibus de partibus ad Romanam Curiam legitimè devolutarum procedi solet, observetur.

De facultate eligendi Judicem secundarum instantiarum.

§. 7. Quoad Consulatus Artium, & Universitates etiam Medicorum, & Mercatorum, sublatis omnibus Assessoribus, & abrogatâ in judicialibus quâcunque Consulum, & Universitatum jurisdictione, itaut eorumdem & earumdem jurisdictio, ex nunc etiam quo ad causas instructas, & legitimè contestatas penitùs, & omninò cessare debeat, & cessasse intelligatur succedant, & procedant competentes Judices. Ordinarii juxta eorum ordinarias facultates, nullâ ut suprà habitâ ratione privilegiorum, & antiquarum facultatum, inter quos sit Locus prævention, adhibitis, quatenùs Judicibus ipsis opus videatur, iisdem Consulibus, solummodo tanquam peritis in rebus, & negotiis eorum artem concernentibus. Excipimus tamen, & sub præsenti nostra Constitutione comprehensos esse nolumus tum Consules Agriculturæ, illorumque Assessorem, tum Notarios Curiæ Burgi, Mercatorum, & Aromatariorum pro eorum officiis titulo oneroso acquisitis, seu administratis, donec aliter provideatur.

De jurisdictione Consulatuum artium, Universitatum mercatorū Consulum agriculturæ, &c.

§. 8. Ad hæc Basilicæ Collegia, Hospitalia, cæteraque memorata Loca pia, quæ ex concessio-

Loca pia suprà memorata nihil pro instrumento

in causis eorum interesse cõcernentibus persolvant.

ne Apostolica, vel inveteratâ consuetudine electionem, & usum proprii Notarii, in primis, vel ulterioribus instantiis habebant, & in posterum in causis, in quibus agatur de vero, ac proprio interesse dictarum Ecclesiarum, & Locorum piorum, non teneantur ad aliquam solutionem extractus, seu registri, sed Notarii quorumvis Tribunalium debeant in dictis causis, & in qualibet instantia conficere Instrumentum Actorum, nec quicquam sub quovis prætextu etiam excessivitatis scripturæ, petere vel exigere valeant.

Præservationes.

§. 9. Postremò declaramus, per præsentes Nostras Litteras nullatenus ademptam esse Cardinalibus Archipresbyteris Titularibus, seù Protectoribus, eorumque Vicariis, aliisque deputatis facultatem, seu jurisdictionem in iis, quæ servitium Ecclesiæ, seu Loci pii, circa tamen disciplinam Ecclesiasticam, & morum correctionem duntaxat concernunt; Minusque sub iisdem præsentibus Tribunalia Cameræ Apostolicæ, Legatum Avenionensem, Judicem Fabricæ S. Petri, neque ipsas Congregationes in solito Liberculo, seu Elencho Congregationum, ac Tribunalium Urbis descriptas comprehendi.

Decretum super obstativis.

§. 10. Decernentes easdem præsentes Literas, & in eis contenta quæcunque, etiam ex eo quòd omnes, vel singuli supradicti, ac alii quicunque in præmissis quomodolibet jus, vel interesse habentes, seu habere prætendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ, vel dignitatis, seu aliàs specificâ, & individuâ mentione, & expressione digni existant, iisdem præmissis non consenserint, nec ad ea vocati, seu auditi fuerint, tametsi suorum indultorum, vel privilegiorum vigore consentire, seu vocari semel vel pluries quoquomodo debuissent, aut ex alia quantumvis juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore Juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel interesse habentium consensus, alioque quolibet, etiam quantumvis magno, ac formali, & substantiali defectu notari, impugnari, infringi, in controversiam revocari, ad terminos, Juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcunque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari nullatenus posse, sed semper, & perpetuò validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere debere, & ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari.

Decretum irritans & Clausula, sublata.

§. 11. Sicque & non aliter per quoscunque Judices ordinarios, & delegatos, quavis auctoritate præeminentia, aut potestate fungentes, & functuros, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & S.R.E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, sublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & definiri debere. irritum quoque, & inane, si secus super his à quoqam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariis.

§. 12. Non obstantibus omnibus, & singulis præmissis, & quatenus opus sit, nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de jure quæsito non tollendo, & pariter quatenus opus sit, recol. mem. Pii Papæ IV. similiter Prædecessoris nostri de gratiis qualecunque interesse Cameræ Apostolicæ concernentibus in d. Camera intra certum inibi præscriptum tempus præsentandis, & registrandis, ita ut præsentes in ea præsentari, & registrari nullo unquam tempore, vel modo necesse sit, nec non aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Urbis Nostræ, dictarumque Ecclesiarum, omniumque, & singulorum supradictorum quibusvis, etiam juramento, vel alia quavis firmitate, sub quibuscunque verborum tenoribus, formis, clausulis, decretis, aliisque supradictis in contrarium præmissorum roboratis, seu confirmatis, & innovatis statutis, ac usibus, stylis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, quibus paritur modo, forma, & tenore præmissis, ad effectum præsentium, illis aliàs in suo robore permansuris, ampliſſimè ut præfertur derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Sanctio pœnalis.

§. 13. Nulli ergo omninò hominum liceat paginam hanc Nostrarum suppressionis, abolitionis, abrogationis, reductionum, derogationum, voluntatis, mandati, declarationis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

D. 17. Septembris 1692. P.A. secundo.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo ſecundo, quintodecimo Kalendas Octobris Pontificatus Nostri Anno ſecundo.

J. F. Card. ALBANUS.

B. Card. Prodatarius

Visa de Curia J. Sacripantes.

Loco † plumbi

D. Ciampinus

Registrata in Secretaria Brevium.

Anno à Nativitate Domini Nostri JESU Christi milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo ſecundo, Indictione decimâquintâ, die verò decima octavâ Septembris, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Christo Patris, & Domini Nostri Domini INNOCENTII Divinâ Providentia Papæ XII. Anno Secundo, ſupradicta Conſtitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Eccleſiæ S. Johannis Lateranenſis, Baſilicæ Principis Apoſtolorum, & Cancellariæ Apoſtolicæ, in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Petrum Cannamelinum ejuſdem Sanctiſſ. D. N. Papæ Curſorem. M. Aurelius Pelliccia Curſ. Magiſter.

DECRETUM.

Super abolitione Privilegiorum conceſſorum Judicibus particularibus, & reductione Tribunalium ad jus commune, ſivè ad Judices Ordinarios Romanæ Curiæ.

AD radicitus ſubmovendum quotidianos Juriſdictionum conflictus, ac intolerabiles abuſus, qui in Romana Curia ex multitudine Judicum particularium exercentium ex privilegio privativam, ſeu cumulativam juriſdictionem nimis irrepſerunt, Congregatio particularis à Sanctiſſimo Domino Noſtro Innocentio Divinâ Providentia Papa XII. ſpecialiter (ut infrà) deputata cenſuit, nullum aliud magis proprium, juſtius, & aptius remedium dari poſſe huic graviſſimo malo, per quod juriſdictio Judicum, & Tribunalium Ordinariorum ad nihilum fere redacta reperitur, quam mediante nova Conſtitutione per Sanctitatem ſuam promulganda penitùs tollere, & abrogare omnes prædictas Judicaturas particulares vigore privilegiorum hactenus erectas, & conſtitutas, & proinde ad viam Juris reducere omnia & ſingula Indulta, facultates, & privilegia eligendi, ſeu deputandi tàm in prima, quàm in ulterioribus inſtantiis omnes prædictos Judices particulares, quocumque nomine nuncupatos, conceſſa per Prædeceſſores Romanos Pontifices Congregationibus etiam S. R. E. Cardinalium, Eccleſiis, & Baſilicis, etiam Patriarchalibus, Univerſitatibus, Monaſteriis, Collegiis, etiam ſub Cura, & adminiſtratione Patrum Societatis Jeſu exiſten. Hoſpitalibus, Archihoſpitalibus etiam S. Spiritus in Saxia, Confraternitatibus, Archiconfraternitatibus, Conſervatoriis, Domibus Piis, etiam Almæ Domus Laurerianæ, Cappellis, Altaribus, Montibus, etiam Pietatis, cæteriſque aliis Locis Piis, quo-

cumque

cumque pariter nomine nuncupatis, seu Cardinalibus eorum Protectoribus, Archipresbyteris, Abbatibus, Vicariis, aliisque Administratoribus quibuscumque in quibusvis Causis Civilibus, Criminalibus, aut mixtis dictarum Ecclesiarum, Locorum Piorum, aliorumque ut supra, nec non eorum Officialium, Dignitatum, Canonicorum, Beneficiatorum, Assictuariorum, Emphyteutarum, Colonorum, aliorumque quomodolibet inservientium eisdem Locis Piis, illorumque bonis, & Tenutis, etiamsi Privilegia prædicta appareant, seu fuerint concessa Motu propio, Consistorialiter, seu in limine fundationis, sive ex causa onerosa, vel pro bono publico spirituali, aut temporali, & quantumvis exiterint semel, ac pluries per Sedem Apostolicam confirmata, & innovata, cum quibusvis facultatibus, & authoritatibus eligendi Notarios sibi bene visos, ac procedendi summariè, de plano, sola facti veritate inspecta, sine strepitu, & figura judicii, Manu Regia, ac quacumque appellatione, reclamatione, recursu, revisione, supplicatione, seu restitutione in integrum remotis, seu cum aliis similibus, aut majoribus facultatibus, ac quibuslibet efficacissimis clausulis munita noscantur, etiamsi istæ continerent derogatorias ad futura, seu derogatorias derogatoriarum, seu mandarent revocari non posse, nisi auditis etiam pluries habentibus interesse, ita ut Constitutionis per Sanctitatem Suam promulgandæ effectus sit, quòd in omnibus, & per omnia prædicta privilegia, facultates, & Indulta quocumque titulo, causa, vel ratione, aut verborum amplitudine edita, seu concessa habeantur, ac si non emanassent, aut numquam fuissent confirmata, vel innovata.

Mens autem, ac Sensus Congregationis fuit, & est sub præsenti ordinatione non comprehendere causas jam instructas, seu aliàs legitimè contestatas coram Judicibus particularibus, quivè propterea ea non obstante poterunt ad illarum expeditionem prout Juris fuerit procedere: Verùm si causis hujusmodi expeditis appellari, reclamari, supplicari, recurri, aut in integrum peti restitutio contingat, appellationes hujusmodi, reclamationes, supplicationes, recursus, ac petitiones restitutionis in integrum devolvantur ad Signaturam Justitiæ, prout practicatur in cæteris Causis expeditis ab Judicibus Ordinariis, nec ampliùs redire possint ad Tribunalia antiquoram privilegiatorum, sive ad Protectores, Archipresbyteros, aliosque ut supra: prout nec etiam in casu recursuum, & appellationum in posterum interponendarum à sententiis, & Decretis Judicum per eosdem privilegiatos extra Curiam deputatorum, seu deputandorum, hujusmodi recursus, & appellationes ampliùs ad supranominatos, sed ad Judices Ordinarios, & competentes Romanæ Curiæ devolvi debeant.

Declarando tamen, quod per præsentem ordinationem non censeatur ullo modo adempta Cardinalibus Archipresbyteris, Protectoribus, seu Titularibus, eorumque Vicariis, aliisque deputatis facultas, seu Jurisdictio in his, quæ concernunt servitium Ecclesiæ, seu Loci Pii, circa disciplinam Ecclesiasticam, & Morum correctionem dumtaxat; prout quod neque sub eadem ordinatione comprehensa sint Tribunalia Cameræ Apostolicæ, Legatus Avenionensis ac Judex Fabricæ S. Petri, neque Congregationes descriptæ in solito liberculo, seu Elencho Congregationum, ac Tribunalium Urbis. Quo vero ad interesse Notariorum, nec non ad artes, & Consulatus Urbis, censuit eadem Congregatio, esse in posterum particulariter providendum. Facta sub eadem die 31. Augusti 1692. per me infrascriptum relatione præmissæ resolutionis Sanctissimo D. Nostro, Sanctitas sua præcepit, illam publicari, & interim omnino observari, donec desuper edatur Bulla, ac si eadem jam emanasset.

Ansaldus de Ansaldis S. S. D. N. Auditor.

Sequuntur nomina Prælatorum aliorumque qui prædictæ Congregationi particulari à Sanctissimo specialiter deputatæ intervenerunt.

Reverendiss. P. D. Prosper Bottinus Archiepiscopus Miren. Fisci, & Cameræ Advocatus, & Promotor Fidei Reveren. P. D. Jacobus Emerix S. Rotæ Advocatus.

Reverend. P. D. Matthæus Ysore de Heruault Sac. Rotæ Decanus.

R. P. D. Federicus Caccia Sac. Rotæ Auditor.

R. P. D. Joseph Molines Sac. Rotæ Auditor.

R. P. D. Curtius Origus Signaturæ Justitiæ Auditor.

R. P. D. Joseph Sacripantes S.D.N. Subdatarius.

R. P. D. Ferdinandus Nuptius Rev. Cameræ Apostolicæ Commissarius Generalis.

R. P. D. Ansaldus de Ansaldis Auditor Sanctissimi.

D. Fattinellus de Fattinelliis Primus Collateralis Curiæ Capitolii.

D. Jo. Dominicus Raynaldus Locumtenens Criminalis Eminentissimi D. Card. Vicarii.

Pro D. Successore D. Nicolai Florelli olim A. C. & S. Palatii Apostolici Notarii.

Angel. Montan. pro R. C. Administrator Deputatus.

Die mense, & anno, quibus supra, supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad Valvas Curiæ, & in Acie Campi Floræ, & aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Sebastianum Vasellum SS. Domini Nostri Papæ Curs.

M. Aurelius Pelliccia Mag. Cursor.

Confirmatio Decretorum & Ordinationum Prioris Generalis Ordinis Fratrum Mariæ Virginis de Monte Carmelo. XXIII.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Militantis Ecclesiæ regimini per ineffabilem Divinæ bonitatis abundantiam, nullo licèt meritorum Nostrorum suffragio, præsidentes, ea quæ à Religiosorum Ordinum Superioribus ad bonarum artium, & Sacræ Theologiæ studia, ex quibus Ecclesiæ, & religioni multum decoris, atque utilitatis provenire solet, opportunis rationibus promovenda providè, sapienterque constituta, & ordinata esse noscuntur, ut firma semper, atque inviolata persistant, Apostolici muniminis Nostri præsidio, cum id à Nobis petitur, libenter roboramus.

Recenset Decreta & Ordinationes de quibus in Rubr.

§. 1. Exponi siquidem nuper fecit Dilectus Filius Joannes Feyxoò de Villalobos Prior Generalis, Ordinis Fratrum SS. Mariæ Virginis de Monte Carmelo, quòd ipse, ut sacrarum eisque ancillantium bonarum Litterarum studia in eodem Ordine, ac præcipuè in Provinciis Italiæ ipsius Ordinis magis in futurum vigeant, peculiarem muneris sui sollicitudinem adhibere satagens, vigore specialis facultatis sibi ad id in Capitulo Generali dicti Ordinis novissimè in hâc Alma Urbe celebrato attributæ, ac cum approbatione Venerabilis Fratris Nostri Palutii Episcopi Prænestinensis S.R.E. Cardinalis de Alteriis nuncupatis Ordinis prædicti apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectoris, nonnulla super præmissis Decreta, Ordinationes, & provisiones fecit tenoris, qui sequitur videlicet.

Proœmiũ ab expellenda ignorantia & fovendis bonarum Litterarũ studiis.

Frater Joan. Feyxoò de Villalobos Sacræ Theologiæ Magister, ac humilis Prior Generalis totius Ordinis Fratrum Beatissimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo antiquæ, & regularis observantiæ &c. Omnibus & singulis notum est, quòd Sacra nostra Religio à primis ejus Institutoribus uberes in Ecclesia Dei fruges ex laudabilibus bonorum Fratrum operibus, & exemplis provenientes, totis studiis proferre consuevit, ut liquidò constat, tum ex Nostris Constitutionibus, præscribentibus, quòd Priores Provinciales, & locales in nostro Ordine, nec minimum quidem apicem quoad studia prætermittere negligant, & potiùs præ oculis semper habeant, quod magis floreant in favorem, gloriam, & decus Religionis. Tum ex Bullis fel. rec. Gregorii XIII. *Ut Laudes*; Julii II. *Ad Sacrum Ordinem*: & Sixti IV. *Dum attenta ibi fructus quoque uberes, quos dictus Sacer Ordo in agro Militantis Ecclesiæ in propagatione Religionis, & Fidei Orthodoxæ hactenus produxit utiliter, & producit, ac in futurum producturum speramus.* &c. Hinc

nostro-

nostrorum Patrum vestigia sectantes, & Nostris Constitutionibus, imò Sapientiæ Divinæ Cap. 13. loquente: Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei, quæ propterea præponitur Regnis, & Sedibus, & cum qua, ut dilucidè proclamat Salomon, omnia bona venire solent, adhærere cupientes, omni contentione elaborandum duximus, ut à Nostris subditis exulet ignorantia omnium malorum fœcundissima parens. Quare ut in tota Religione, & præcipuè in Provinciis Italiæ præfata bona radices fundere, & mala ex nimia in admittendis studentibus, ac gradibus conferendis facilitate fortè obventura, vitari omninò valeant; De consensu, & instante Zelo Nostri Eminentissimi Cardinalis Protectoris de Alteriis, ac de Consilio Gremialium Nostrorum super hoc Nostram conscientiam gravantium, pro eisdem Provinciis, aliisque in quibus vigent gradus, & non sunt pro illis statuta specialia sequentia Decreta inviolabiliter observanda emanare statuimus.

Requisita admittendorum ad habitum.

Primò cum certissimum sit Religionum omnium sivè progressum, sivè defectum à receptione, & educatione pendere; mandamus, ut nullus admittatur ad habitum nisi, à Rev. admodum P. Provinciali, ac tribus, vel saltem duobus Examinatoribus in Capitulis Provincialibus, vel juxta exigentiam ab eo deputandis, per suffragia secreta adjudicetur peritus in Grammatica, & Litteris humanis: Quibus per Magistrum ab eodem Provinciali designandum, qui eos edoceat ipso adhuc Novitiatus anno, quotidiè saltem per horam incumbere teneantur, ut si ad professionem admittantur, præhabitis deinde à Conventu testimonialibus aliàs ad omnium graduum collationem requisitis, de vita, & moribus faciliùs ad cursum artium valeant promoveri, prout omnes in posterum promovendos mandamus.

De instituendis in qualibet Provincia Collegiis, & de Lectorum circa res in eis tractandas officio.

Secundò instituantur in omni Provincia quatuor Collegia, vel plura, aut pauciora juxta capacitatem Provinciarum, & Conventuum possibilitatem, unũ pro cursu Philosoph. per triennium à Lectoribus absque ulla interruptione complendum duraturo: in quo propterea incipiendo Lector à Summulis prosequi debeat usque ad completam Metaphysicam, nec ullo modo distrahatur simul legendo v. g. uni, vel pluribus Logicam, aliis verò Summulas, vel Physicam, aut Metaphysicam, sed iisdem, quibus incepit Summulas, & qui nullatenùs ab eo Conventu, vel Collegio, nisi maximi delicti causâ erunt in posterum removendi, habitis quotidiè circulo, & duabus Lectionibus per horam divisivè totum cursum triennalem prosequatur, & qui si intrà triennium promovendi sint ad Philosophiam, instituatur pro his in alio Conventu à Provinciali designando, alter Lector, qui eodem modo suum cursum prosequatur: Alterum pro cursu Theologiæ, in quo collocentur Cursores per quatriennium, & Lectores, seu Regentes habeant quotidiè manè per unam horam Lectionem ad mentem Angelici Præceptoris, vel resoluti Nostri Doctoris, aliorumque ipsorum fidelissimorum Sequacium, & in Constitutionibus tum actualibus, tum pro tempore habendis explicandis, & vespere per aliam horam circulum, seu conclusiones (nisi velint pro majori studentium profectu manè, & vespere Lectionem simul cum circulo facere) quibus teneantur per se, vel per Magistrum studentium præsidere arguentes ad placitum in ipso actuali circulo, ut omnes parati ad arguendum accedere teneantur deputando, & negligentes rigidè puniendo: Eâ tamen denique Lege, quod ubi erunt duo Regentes titulo primi, & secundi Regentes juxtà Nostras Constitutiones potituri, manè, & vesperè per horam divisivè Lectiones, & circulum cum obligatione præsidendi alternativè per mensem habeant una cum conclusionibus publicis quolibet mense, & ubi fuerit unicus Regens, quolibet bimestre cum interventu aliarum Religionum, quibus tamen non per Magistrum studentium, sed per seipsos præsidere teneantur. Tertium ad quod transeant deindè Cursores, qui ad illud deputabuntur pro lecturis suo tempore obtinendis, in quo quotidiè per horam manè, & per aliam vesperè habeantur Conclusiones juxtà sequentem dispositionem; in primo anno de primo; in secundo de secundo; in tertio de tertio, in quarto de quatuor libris sententiarum, in quinto de Sacramentis, ita tamen, quod in alia parte, in qua finient in quolibet anno, prosequantur in sequenti, & intra quinquennium notitiam, seu species totius Theologiæ Scholasticæ, & moralis, circa quæstiones magis selectas, graviores, & tutiores in probabilitate, relictis minùs probabilibus, juxtà legem æternam, divinam, naturalem, positivamque Ecclesiasticam secundùm judicium, prudentiam, & conformitatem dictaminis rationis, per judicium reflexum viri sapientis, medio judicio determinato absoluto non fluctuante. Quartum denique pro Theologia morali, in quo instituatur Lector, qui illam methodicè doceat omnes manè, & vesperè, habendo qualibet hebdomada circulum, sivè conclusionem de aliqua quæstione per spatium horæ cum dimidia ad quam ad invicem arguant studentes, & teneatur Prior cum aliis Patribus etiam non studentibus accedere, quæ quidem Lectura suffragabitur Lectoribus pro suis gradibus acquirendis. Quæ Collegia ita volumus fore distincta, ut in uno, eodemque Conventu nullo modo, nisi sit ex principalioribus, & ditissimis, deputentur simul duo studia, sivè Philosophiæ sivè Theologiæ, aut Philosophiæ, & Theologiæ.

Mittendi ad primum & quartũ Collegia.

Tertiò qui ad cursum artium reputabuntur proindè idonei, mittantur ad primum Collegium, in quo studeant per tres annos Philosophiæ, modo & formâ ibi præscriptis, & cursu expleto præviis punctis, sive Lectionibus, ac publicis disputationibus super universa Philosophia, comprehensa Methaphysicâ ad tenorem Constitutionum, examen pro Cursoratu consequendo subire teneantur, & qui reperti fuerint apti ad dandam Theologiæ operam, instituantur Cursores: qui vero inepti mittantur ad quartum Collegium, in quo Theologiæ morali incumbere teneantur, ut hoc exercitio præditi tutiùs administrationi Sacramentorum præsertim Pœnitentiæ pro fidelium salute incumbere valeant.

Pro Cursoribus institutis.

Quartò, Cursores deindè sic instituti, mittantur ad secundum Collegium, in quo per quatriennium Theologiæ scholasticæ studere teneantur, modo & formâ ibi præsignatis: & Regentes, seu Lectores debeant tractatus, sivè materias à Præfecto studiorum, vel primo Regente, juxta dispositionem tamen præscriptam eligendas, & nunquam intrà idem tempus repetendas, perfectè complere intrà cursum: quo quatriennio expleto ab Examinatoribus à Generali pro tempore deputandis examinentur pro Lecturarum concursu, & qui ad eum reperientur idonei, mittantur ad tertium Collegium, in quo manè, & vesperè habeant quotidiè circulum conclusionum, modo & forma ibi statutis, & præviis deindè duabus saltem conclusionibus habendis, una in eodem Collegio, reliquæ verò in aliis Collegiis vel Capitulis Provincialibus, in quibus tamen eligantur magis acuti, & perspicaces pro honore Provinciæ, & Religionis, ad Lecturas, ut infrà, obtinendas disponantur, qui verò inepti adjudicentur, in Concionibus, quatenus habiles ab eisdem Examinoribus reputentur, se exerceant, ut sic Religioni valeant inservire.

De biennali concursu.

Quintò. Cum tempus aliàs à Provincialibus (una cum Conventu ad studia tamen designato) juxtà Oppositorum commoditatem quolibet biennio, quatenùs sint sufficientes Oppositores, præscribendum, pro Lecturis advenerit, fiat Concursus omnium, qui dicta requisita compleverint (sivè sint illius, sivè alterius Provinciæ, & jure retento ad Lecturas obtinendas, tum in propria Provincia tempore oppositionis, ad quod habiles jure legitimo declarantur omnium jurgiorum viam claudendi causâ, tum in ea, in qua reperiuntur saltem per hoc sexennium, licèt sint alienæ Provinciæ) & intra spatium viginti quatuor horarum unusquisque

tria

tria dubia per unam horam super tribus punctis sorte desumptis proponat propriam sententiam aperiendo. Pro Philosophia ex Aristotele in Logica, octo Libris Physicorum de anima, & de Generatione & Corruptione. Pro Theologia verò ex Magistro sententiarum Petro Lombardo: & per aliam horam plenè satisfaciat difficultatibus à duobus Cooppositoribus per duo media propositis, nisi maluerint eligere (quod eorum arbitrio omninò relinquimus) ex tribus punctis unum, ex quo genuinam, vel magis consonam quæstionem per spatium unius horæ proponant & probent, ad quam tamen teneantur pariter duo Cooppositores duo media similiter proponere.

De electione Lectorum.

Sextò, oppositionibus expletis conveniant statim Provincialis ejusque Socius Prior Conventus, Regentes sivè Lectores actuales una cum Præfecto, aliisque Magistris de numero in eodem Conventu degentibus, qui quidem omnes eisdem oppositionibus assistere teneantur & per vota secreta conferatur respective Lectura illi, qui plura vota habuerit, & æqualibus votis, qui fuerit professione antiquior, (salva tamen semper Generalium auctoritate instituendi tum Præfectos, tum Regentes studiorum, quos aptiores judicaverint, præsertim Studiis Generalibus) relictâ deinde alteri primâ Lecturâ vacaturâ absque novæ oppositionis obligatione; Et declaratis aliis, qui in suffragiis fuerint inferiores, vel Lectoribus Theologiæ Moralis per hoc sexennium tantùm, vel Magistris studentium, tum Philosophiæ, tum Theologiæ, ut in exercitiis Litterariis regentes adjuvent, simulque se disponant ad suum cursum Philosophicum conficiendum, & sic subtiliùs, ac perfectiùs suum munus adimplere possint tempore, quo ad oppositionem iterum redeuntes, eligentur Regentes, sive Lectores. Mandamusque, ut tam Lectores, quam Magistri studentium eligantut juxta merita, & antiquitatem in justitia, & æquitate, quam omnino intendimus, non autem ad libitum Provincialis, seu Regentium, super quo eorum conscientias oneramus, ne in sententiam electionis indigni, relicto digniore, prolabantur.

Lectorum munus.

Septimò, Lectura obtentâ legant per tres annos totam Philosophiam in primo Collegio, modo & formâ ibi declaratis, quo triennio expleto gradum Baccalaureatus à Generali consequantur, ad Theologiæ Lecturam complendam per alios quinque annos ante gradum Magisterii, quem à Nobis, ac Successoribus juxtà Breve Urbani VIII. deinde obtinebunt, deputandi.

Quid eisdem pro Baccalaureatus gradu obtinêdo incumbat.

Octavò. Lectores usque modo jam instituti (& idem proportionabiliter dicendum veniet de Baccalaureis, qui nondum biennium Baccalaureatus compleverint) qui vel tempus pro Baccalaureatu consequendo nondum adimpleverunt, vel eo adimpleto nondum patentes Litteras Baccalaureatus obtinuerunt, sive legerint, sive non, computato illis tempore elapso, ac si omnes actu legissent, teneantur præviâ tamen pro his, qui non legerunt, prædictâ oppositione reliquum supplere temporis lecturæ usque ad complementum triennii pro Baccalaureatu consequendo, juxta præsentia statuta requisiti, quo obtento una cum Lectura, modo, & formâ quibus supra promoveantur suo tempore, & prævia præsentatione Provinciæ ad gradum Magisterii.

De Baccalaureis, ad Lecturam concurrere nolentibus & tempus otiosè transigentibus.

Nonò Baccalaurei denique, qui omnia hactenùs requisita pro Magisterii gradu obtinendo adimpleverint, sed ob causas Nobis notas præsertim intra quatuor elapsos annos ad examen accedere non potuerint, sicut, & alii, qui juxtà Capituli Generalis Decretum sub pœna privationis graduum, & privilegiorum Romam accedere tenentur, accedant ad examen, ut juxtà eorum capacitatem providere valeamus, proportione servatâ de Magisterio juxta relata. Qui verò noluerint ad Lecturas concurrere, approbati tamen sint ab aliquo Ordinario pro audiendis secularium Confessionibus, & in illis laudabiliter se exercuerint, consequentur gradum Baccalaureatus de Morali, & fruentur præcedentiâ decem annorum ultra tempus professionis supra Patres simplices, quo etiam titulo, seu gradu, & præcedentiâ gaudebunt illi omnes qui peracto studio Theologiæ Moralis methodice traditæ fuerint approbati ab aliquo Ordinario, & in hujusmodi Confessionibus per quatriennium saltem laudabiliter se exercuerint, & qui denique otiose, & sine aliquo fructu tempus transigere volunt, subjaceant Decreto Capituli Generalis, careantque gradibus, & privilegiis, ita ut inter Patres simplices computentur, nisi in concionibus dederint Religionis splendorem, quo casu decorabuntur gradu Baccalaurei de Pulpito cum eodem privilegio, quo fruentur Baccalaurei de Morali.

De tempore recreationis & conferentiarum.

Decimò. Ut autem omnia majori studentium profectu valeant adimpleri, eisdem studentibus, sive Philosophis, sive Theologis inhibemus, ne à Conventu unquam exeant, nisi cum Regentibus occasione recreationis, quæ unica tantum erit qualibet hebdomadâ, vel causâ exercitii Litterarii, aut maximæ necessitatis à Regentibus approbatâ, & præviâ Superioris, & Lectoris licentiâ, etiam tempore vacationis, id est æstivo, vel Quadragesimali. Quatenus aliquis Regens, vel Magister studentium in Conventu remanserit, quo diebus Lunæ, Mercurii, & Veneris, ne species acquisitas deperdant, mane, aut vespere, circulum, aut conferentiam habeant per unam horam, ad quam omnes præsertim Regentes accedere teneantur, eodem prorsus modo, quo in diebus Dominicis, vel eo impedito, alio die commodiori, cujusque hebdomadæ totius anni, & singulis saltem mensibus, cum concursu aliarum Religionum, Conclusiones haberi volumus, & mandamus.

Diversa officia simul non gerenda, item de vestiario solvendo & Fratrum decedentium exspoliis.

Undecimò. Et cum plurimum pariter officiat, quòd ad alia Religionis munera, ut evenire solet, simul applicentur Regentes actuales, cum aliàs nequeant duobus Dominis servire, districtè inhibemus, ne aliquod officium, etiam Prioratus simul exercere valeant: Et pro eorum, ac studentium necessitatibus mandamus Prioribus sub pœna privationis officii negligentibus statim infligendâ, ut sub determinato tempore solvant vestiarium tùm Regentibus, tum studentibus, ac eorum Magistris. Decernentes exspolia Fratrum decedentium fore applicanda, sive expendenda pro libris necessariis in quolibet Conventu, præsertim ubi sunt studia (quorum librariis omninò applicandos pariter volumus eorumdem decedentium libros) etsi libri sufficientes jam fuerint, pro indigentiis dictorum Regentium, ac studentium.

In primo Capitulo Provinciali numerus Magistrorum determinandus.

Duodecimò, Præcipientes denique ultimò omnibus Provincialibus, quòd in primo Capitulo Provinciali debitâ portione servatâ juxtà quantitatem, & qualitatem Conventuum Provinciæ, assignetur numerus determinatus Magistrorum in futurum servandus, præsentibus Magistris cum omnibus gratiis, privilegiis, ac prærogativis manentibus: De reliquo autem nullus instituatur Magister cum suffragio in Capitulo, nisi sit de illo numero determinato, in quo juxtà suam antiquitatem Magisterii à die datarum Litterarum subintrare debeant. In quorum fidem &c. Datum Romæ die 20. Augusti anni 1692.

Confirmatio præmissorum Decretorũ Apostolica

§. 2. Cùm autem sicut eadem expositio subjungebat, dictus Joannes Prior Generalis præmissa, quo firmiùs subsistant, & serventur exactiùs, Apostolicæ confirmationis Nostræ patroci-

nio

nio communiri summoperè desideret. Nos ipsius Joannis Prioris Generalis votis in hac re, quantùm cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, omnia, & singula Decreta, ordinationes, provisiones, & Capitula præinserta auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, salvâ tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Decreta pro firmitate.

§. 3. Decernentes ipsas præsentes Litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia pleniss imè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariis.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non præfatorum Ordinis, & Provinciarum, aliisvè quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transsumptorum fides.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium Litterarum Transsumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsùs fides tam in judicio, quam extrà illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

D. 11. Octobris 1692. P. A. secundo.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 11. Octobris 1692. Pontificatus Nostri Anno secundo.

J. Franciscus Card. Albanus.

XXIV.

Suppressio Venalitatis Officiorum Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generalis Auditoris, nec non ejusdem Cameræ Thesaurarii Generalis, duodecim Clericorum, & Præsidentis.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Procemii à dilectione Justitiæ.

AD hoc unxit Nos Deus oleo lætitiæ præ consortibus Nostris, ut justitiam, quæ est præparatio Sedis Nostræ, incessantibus studiis diligamus, quod tunc laudabiliter, ut par est, nullo Nostrorum meritorum suffragio, sed ineffabili Omnipotentis Dei bonitate, & providentia adimplemus, cum viâ regiâ incedentes, neque ad dexteram declinantes, neque ad sinistram aliqualiter deviantes, jus suum unicuique tribuere, eosque, quos præsertim juri, nedum in causis privatorum, sed Fisci Nostri dicendo, nec non Sedis, & Cameræ Apostolicæ bonis, juribus, & reditibus administrandis, & tuendis respectivè in partem solicitudinis evocamus, personarum acceptione non facta, divitiarum sorte posthabita, ac meritorum, & virtutum collatione dumtaxat librata, undequaque dignos, & præstantiores eligere satagimus.

Officia Cameralia ob necessitatem vendebantur.

§. 1. At dùm ad præcipua Romanæ Curiæ Prælatorum, nimirum causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generalis Auditoris, ac ejusdem Cameræ tum Thesaurarii Generalis, tum duodecim Clericorum Præsidentium, nec non alterius Præsidentis vacabilia, & interim fructifera Officia, quæ rationabilibus olim suadentibus causis, seu gravibus tunc urgentibus necessitatibus aliàs decuit recepto pretio concedi, & successivè durantibus, & plerumque adauctis iisdem necessitatibus, vel causis, opus, seu opportunum visum fuit, similibus concessionibus instaurari, mentis Nostræ oculos sedula meditatione convertimus; exindè viros alioquin dignos, solvendo tamen pretio hujusmodi impares, aliquandò prætermitti, necesse esse, non sine gravi animi Nostri mœrore perpendimus.

Ad occludendum os Detractoribus Romanæ Curiæ restituitur Cameralibus pretium, & summa expensa in expeditione ascendentia in totum ad scuta 1020716.

§. 2. Hinc, ut sola virtutum præstantia in hujusmodi Officialium circumspecta, & justa electione præponderet, atque contrà præfatam Romanam Curiam obloquendi, & oblatrandi invidis, & insensis ejus detractoribus calumniosa hujusmodi tollatur occasio, quantùm Nobis ex Alto conceditur, providere volentes, justum Officiorum prædictorum, & cujuslibet illorum pretium, quin etiam quidquid pro expeditione in eorumdem officiorum acquisitione fuerat expensum, ascendentes in totum ad summam decies centenorum, & viginti millium septingentorum sexdecim scutorum monetæ Romanæ, unicuique ex præfatis Officialibus pro sui Officii valore, & expensis prædictis, in primis, & ante omnia, prout in Nostro die undecima currentis mensis Octobris desuper confecto, & manu Nostra subscripto Chirographo, cujus tenorem haberi volumus pro expresso, uberiùs continetur, restitui mandavimus.

Supprimitur venalitas in posterum, & Officia decernuntur ad beneplacitum Pontificis duratura.

§. 3. In cujus exequutionem, cum pretii, & expensarum hujusmodi integra, & effectiva restitutio, iisdem Officialibus in id consentientibus, subsequuta fuerit, Officiorum prædictorum venalitati in posterum occurrere volentes: Motu proprio, ex certa scientia, & matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, memoratorum Officiorum venalitatem tenore præsentium penitùs, & omninò tollimus, supprimimus, extinguimus, removemus, & abolemus: Volentes, & mandantes, ut hujusmodi Officia antehac in perpetuum, seu ad vitam concedi solita, in posterum ad Nostrum, & Romani Pontificis pro tempore existentis, & dictæ Sedis Apostolicæ beneplacitum, Viris vitæ, & morum integritate præstantibus, Literarum scientiâ præditis, rerumque humanarum experientiâ insignibus, ad majorem Dei gloriam, Romanæ Curiæ, & Prælaturæ decorem, nec non virtutis incitamentum, & præmium, gratis, & nullo recepto pretio concedantur.

Fructus omnes, & emolumenta eorundem Officiorum applicantur Cameræ.

§. 4. Volumus tamen, & decernimus, omnia, & singula emolumenta tam ordinaria, quam extraordinaria, jura, bona, fructus, reditus, & proventus certos, & incertos, dicta Sede tam plena, quam vacante, undecumque provenientes, etiam ex annatis, quindenniis, minutis servitiis, mulctis, pœnis, compositionibus, sigillis, expeditionibus, ac Litteris patentalibus, nec non jocalia, & regalias solvi solitas à quibusvis personis, & Communitatibus, & præsertim à Camera Apostolica, illiusque Appaltatoribus, Thesaurariis, Censuariis, aut Feudatariis in quocunque anni tempore,

& signanter in vigilia, ac festo Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac in Nativitate Sanctissimi Domini Nostri Jesu Christi, & denique obventiones, & responsiones quascunque quocunque nomine nuncupatas, quæ prius in compensationem pretii persoluti memoratis Officialibus respectivè debebantur, & solvebantur, penitus, & omninò cessare debere, illaque omnia, & singula pro indemnitate ejusdem Cameræ Apostolicæ urgentibus necessitatibus pressæ, & nuper etiam pretii, & expensarum restitutione præfatis Officialibus, ut præfertur, facta, magis gravatæ, motu, scientia, deliberatione, ac potestatis plenitudine paribus restituimus, reunimus, incorporamus, & applicamus.

Decreta roborantia cum clausula sublata, & decreto irritanti.

§. 5. Decernentes easdem præsentes Litteras, etiam ex eo, quod præfati causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generalis Auditor, ac ejusdem Cameræ Thesaurarius Generalis, duodecim Clerici Præsidentes, ac alter Præsidens, & alii quicunque in præmissis quomodolibet jus, vel interesse habentes, seu habere prætendentes, eisdem præmissis non consenserint, aut vocati, seu auditi non consenserint, aut vocati, seu auditi non fuerint, tametsi suorum indultorum, seu privilegiorum vigore consentire, vocari, seu audiri semel, vel pluries quoquomodo debuissent, aut ex aliqua quacumque, quantumvis juridica, & privilegiata causa, de ullo subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis Nostræ, vel interesse habentium consensûs, alioque quocunque, etiam quantumvis magno, formali, & substantiali defectu notari, impugnari, redargui, retractari, in jus, vel controversiam revocari, ad terminos juris reduci, seu adversùs illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcunque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, nullatenùs posse, sed semper, & perpetuò validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere debere, & ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore quandocunque, & quomodocunque spectabit, inviolabiliter observari; Sicque, & non aliter per quoscunque Judices ordinarios, & Delegatos quavis auctoritate, præeminentia, aut potestate fungentes, & functuros, etiam præfatæ Cameræ Clericos Præsidentes, causarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, Sublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate judicari, & definiri debere; Irritum quoque, & inane, si secus super his à quoquam scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogationes.

§. 6. Non obstantibus, quatenùs opus sit, de jure quæsito non tollendo, aliisque Nostris, & Cancellariæ Apostolicæ regulis, & felicis recordationis Symmachi, Pauli Papæ Secundi, Pauli Papæ Quarti, & aliorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum de rebus Ecclesiæ non alienandis, & alienatis recuperandis, ac recol. mem. Pii Papæ Quarti similiter Prædecessoris Nostri de gratiis qualecunque interesse dictæ Cameræ concernentibus intrà certum inibi expressum tempus exhibendis, & registrandis, itaut easdem præsentes Litteras ibidem exhiberi, & registrari nunquam necesse sit, aliisque quibusvis Constitutionibus, & ordinationibus, ac Tribunalium, Officiorum, & Officialium præfatorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis statutis, consuetudinibus, & decretis, etiam Cameralibus, & Consistorialibus, necnon quibuscumque eorumdem officiorum erectionibus, & concessionibus, etiam præsentium Possessorum, tametsi aliàs factis ad vitam, seu in perpetuum, ac etiam ex causa onerosa, seu correspectiva, vel per viam contractus, seu vim contractus habente; Privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis, Tribunalibus, Officiis, seu Officialibus præfatis sub quibuscunque tenoribus, & formis, cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & efficacissimis, & insolitis clausulis, & decretis, in genere, vel in specie, etiam motu, & potestatis plenitudine similibus, aut aliàs quomodolibet per Nos, & Romanos Pontifices Prædecessores Nostros in contrarium eorundem præmissorum concessis, ac etiam pluries confirmatis, innovatis, & approbatis: Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur, & insererentur, iisdem præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum harum serie specialiter, & expresse motu, scientiâ, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Sanctio pœnalis.

§. 7. Nulli ergò omninò hominum liceat paginam hanc nostrarum suppressionis, extinctionis, remotionis, abolitionis, voluntatis, mandati, decretorum, restitutionis, reunionis, incorporationis, applicationis, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

D. 23. Oct. 1692. P. A. 2.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo nonagesimo secundo, Decimo Kal. Novembris, Pontificatus Nostri Anno Secundo.

B. Card. Prodatarius J. F. Card. Albanus.

Visa de Curia J. Sacripantes.

D. Ciampinus.

Loco ✠ plumbi

Registrata in Secretaria Brevium.

Publicatio.

Anno à navitate D. Nostri Jesu Christi millesimo sexcentesimo nonnagesimo secundo, Indictione decimâ quintâ, die verò vigesima tertia Octobris, Pontificatus autem sanctissimi in Christo Patris & Domini Nostri, Domini Innocentii Divinâ providentiâ Papæ XII. Anno secundo supradicta Constitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Ecclesiæ S. Joannis Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellaria Apostolicæ, in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per me Sebastianum Vasellum ejusdem Sanctissimi Domini Nostri Papæ Cursorem.

Pro D. Mag. Curs. Thomas Orlandus Apost. Curs.

Confirmatio, Reformatio, & Concessio respectivè Jurisdictionum, & Facultatum Tribunalis, & Magistratus Viarum. XXV.

INNOCENTIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei; Ad perpetuam rei memoriam.

Motiva Constitutionis pro decore, & commodo Urbis Caput Orbis.

SAcerdotalis, & Regiæ Urbis Nostræ ad illud sublimatæ fastigium, ut per Beati Petri Sedem Caput Orbis effecta, latius præsideat Religione Divina, quàm unquam imperaverit dominatione terrena, venustati, decori, & commodis etiam temporalibus eò Nos convenit amplio ri cura prospicere, quo ipsam, ubi præcipuorum

Apostolorum

Apostolorum glorificatus est exitus, & quam in communem patriam Christianus populus universus agnoscit, singulari dilectione gerimus in paternæ visceribus Charitatis: Dùm verò in eadem Sede, meritis licèt imparibus, superna dispositione locati, Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum exemplo, ad Urbem præfatam considerationis nostræ oculos principaliter convertimus, ejus etiam Districtus, aliorumque Nobis, & Romanæ Ecclesiæ etiam in temporalibos subjectorum locorum commodioribus viis, aliisque utilitatibus in Sudditorum nostrorum, & quorumcunque Romipetarum beneficium respectivè consulere non prætermittimus.

Martinus V. Magistratum Viarum restabilivit cum ampliſſimis facultatibus.

§. 1. Alias siquidem fel. recordationis Martinus Papa V. Prædecessor Noster, cùm rei evidentiâ edoctus fuisset, quòd præfata Urbs, ejusque Districtus ex defectu Officii Magistrorum, quod antiquitùs pro viarum, stratarum, platearum, & locorum tam publicorum, quàm privatorum, necnon ædificiorum, lapideorum, & ligneorum, parietum, tignorum, bancorum, tectorum, tabulatorum, mœniorum, apothecarum, & pontium, portarum, transituum, aquarum decursuum, canalium, & meatuum, necnon urbanorum, & rusticorum prædiorum, pratorum, hortorum, atque vinearum finium, restaurationum, servitutum, & libertatum administratione, institutum, & ordinatum fuerat, in præmissis grandem patiebatur deformitatem; Necnon accepisset, nonnullos Cives, & Incolas res fœtidas, & corruptas in vias, stratas, plateas, & loca publica, & privata hujusmodi projicere, seu vias, stratas, plateas, & loca publica, & Ecclesiastica occupare, alienare, & in usus proprios deducere, & propterea hujusmodi deformitatibus, excessibus, & incommodis posse tenùs occurrere cupiens, Officium Magistratus hujusmodi juxtà illius institutionem auctoritate Apostolica suscitavit, reintegravit, & restituit; Duos quoque Urbis, & Districtus præfatorum Viarum Magistros ad suum beneplacitum deputavit, cum solitis ab antiquo jurisdictionibus, potestatibus, honoribus, privilegiis, libertatibus, atque oneribus universis in præmissis, & circà ea concernentibus, dependentibus, & annexis, etiam cum facultate faciendi Submagistros, necnon hujusmodi excessus reparandi, corrigendi, & emendandi absque cujusvis vocatione, seu citatione, sed juxtà datam illis à Domino prudentiam, etiam per demolitionem quorumcunque ædificiorum, necnon præmissorum occasione gravatos absque lite, sed summariè, simpliciter, de plano, & quibuscunque tunc expressis non obstantibus relevandi, restituendi, & reponendi, Contradictores quoque, & rebelles privandi, banniendi, arrestandi, incarcerandi, omniaque, & singula faciendi, & exercendi, quæ Magistri illorum Prædecessores facere, & exercere potuerunt, seu etiam debuerunt, & alias, prout in ejusdem Martini Prædecessoris secundo Kal. Aprilis Pontificatus sui Anno octavo expeditis Literis plenius continetur.

Narrantur dispositiones Sixti IV. Leonis X. Pii IV. Beati Pii V. & Greg. XIII.

§. 2. Successivè alii Romani Pontifices Prædecessores Nostri, & præsertim similis recordationis Sixtus IV. Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo octuagesimo Pridie Kal. Julii, Leo X. Anno ejusdem Incarnationis millesimo quingentesimo decimoseptimo, quarto Nonas Novembris, & Pius IV. Anno Incarnationis præfatæ millesimo quingentesimo sexagesimo quinto Decimo Kal. Septembris per suas respectivè editas Literas S. R. E. Camerario, & præfatis Viarum Magistris, plerasque conjunctim, aliquas verò separatim exercendas jurisdictiones, facultates, & functiones confirmarunt, ameliarunt, & respectivè concesserunt. Quas, & alias hujusmodi Literas cum decreto Cameræ Apostolicæ de Inquilinis in emptione domorum præferendis, tametsi recol. memor. Pius Papa V. etiam Prædecessor Noster per quasdam suas Motus proprii Cedulas sub Datum quarto Idus Aprilis, & quinto Nonas Julii Pontificatus sui Anno sexto, quoad jus congrui, & nova (non tamen Sacra, aut publica) construenda ædificia, ad terminos Juris communis reduxerit, nihilominùs piæ mem. Gregorius Papa XIII. similiter Prædecessor Noster per alias suas Anno Incarnationis præfatæ millesimo quingentesimo septuagesimo quarto Kalendis Octobris editas Literas, prædictis memoratorum Sixti, Leonis, ac Pii IV., & Pii V. Literis, quatenus ad aliquid eorum, quæ in iisdem suis Literis continebantur, pertinebant, & de aliquo eorum statuebant, & disponebant, antiquatis, abrogatis, & penitus revocatis, & sublatis, plurima innovavit, statuit, decrevit, & ordinavit circà ædificia, & ornatum dictæ Urbis, ac coactas, seu voluntarias venditiones, & jus congrui, seu retractus earumdem venditionum occasione competens, seu institutum, in eadem Urbe, tum intrà tria, & respectivè duodecim à præfata Urbe milliaria, cum multis facultatibus, & jurisdictionibus plerumque à præfatis Camerario, & Viarum Magistris conjunctim exercendis.

Subduntur facultates concessæ per dispositiones particulares, & de exercitio Judicialium per Assessorem.

§. 3. Aliæ quoque, & quidem multiplices jurisdictiones, facultates, curæ, & functiones in quampluribus sive prædictorum, sive aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum Chirographis, Literis in forma Brevis, ac Motus proprii cedulis, necnon in ejusdem Urbis à Sede Apostolica confirmatis statutis eidem S. R. E. Camerario, Præsidi, & Magistris Viarum præfatis, aliquandò singulis separatim, aliquandò aliquibus mixtim, & aliquandò omnibus insimul concessæ, seu demandatæ fuerunt, exercitium tamen judicialis, & contentiosæ jurisdictionis in iis, quæ dictis Viarum Magistris injuncta fuerant, penes eorum Assessorem ab eadem Apostolica Sede deputatum existere consuevit.

Confirmat dispositiones antecedentes in iis, quæ non adversantur Constitutioni præsenti.

§. 4. Hinc Nos abusibus, qui desuper irrepserant, occurrere, justitiæ administrationi in præmissis plenius consulere, ac præfatæ Urbis ornatui, necnon ejusdem, illiusque Districtus, & Ditionis Ecclesiasticæ respectivè Viarum, locorum, & aliorum quorumcunque in præfatis Literis, & ordinationibus quoquo modo contentorum instructioni, conservationi, reparationi, restaurationi, & expurgationi, quantum Nobis ex Alto concedi tur, uberiùs respectivè providere cupientes; Ac propterea omnium præfatarum, & aliarum, si quæ sint, Literarum tam sub plumbo, quàm in forma Brevis, motus proprii cedularum, chirographorum, ordinationum, & statutorum quorumcumque circà præmissa existentium tenores, ac si de verbo ad verbum inserti essent, pro plenè, & sufficienter expressis habentes, de dilectorum filiorum nonnullorum Romanæ Curiæ Prælatorum, & Virorum pietate, doctrinâ, prudentiâ, & rerum usu præstantium specialiter ad id à Nobis deputatorum, qui rem maturè examinarunt, consilio, ac etiam Motu proprio ex certa scientia, & matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, memoratas Literas, cedulas, chirographa, ordinationes, & statuta in iis, quæ præsentibus, & omnibus, & singulis hic contentis quoquo modo non adversantur, earumdem tenore præsentium approbamus, confirmamus, & innovamus, illisque perpetuum, & inviolabilis firmitatis robur adjicimus, & ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, penitùs, & omninò observari volumus, & mandamus.

Et decernit intelligendas juxta præsentem.

§. 5. Decernentes, omnes, & singulas hujusmodi Literas, sanctiones, statuta, & ordinationes tam speciales Tribunalis, seu Magistratus, quàm generales, & in parte de eodem Tribunali, seu Magistratu tractantes, necnon omnes, & singulas jurisdictiones, facultates, curas, & functiones, & administrationes hujusmodi quoquo modo concessas,

non aliter quàm ad formam harum præsentium observari, exequi, & intelligi posse, & debere, perindè, acsi ab initio institutæ, & respectivè concessæ, attributæ, directæ, & demandatæ fuissent personis, modis, ac formis in præsenti nostra in perpetuum valitura Constitutione contentis, quam, supplendo omnem, & quamcumque alioquin necessariam, seu opportunam expressionem, ac sublatis omnibus, & quibuscumque contrariis, diversis, seu differentibus, omninò, & inviolabiliter servari, adimpleri, & exequi volumus, & mandamus.

Assessoris Officii suppressio.

§. 6. Reformationem vero Tribunalis, seu Magistratus hujusmodi à jurisdictionis norma, & distinctione incipientes, prævia pretii, ac impensæ expeditionis restitutione jam facta ei, qui Magistrorum Viarum Assessoris officium hactenùs obtinuit, officium hujusmodi penitùs, & omninò supprimimus, abolemus, & abrogamus.

Causæ, in quibus in simul procedebant Camerarius, & Assessor spectat ad Camerarium.

§. 7. Jurisdictionem in omnibus, & singulis causis in juris congrui, seu retractûs cum omnibus, & singulis ab eo dependentibus, annexis, & connexis, in quibus antehac memorati Camerarius, ac Magistrorum Viarum Assessor insimul procedebant, in posterum ad eumdem Camerarium privativè quoad alios spectare: Hujusmodi autem causas in gradu appellationis iisdemmet modis, & formis, quibus hactenùs observatum fuit, ad Præsidem Viarum devolvendas esse, & ab illo ad Tribunal Cameræ supradictæ appellandum esse decernimus.

Appellatio ad Præsidem, & ab isto ad Cameram.

In omnibus aliis Jurisdictio privativè ad Præsidem Viarum.

§. 8. In reliquis omnibus causis, & negotiis, eorumque annexis, connexis, & dependentibus, omnem, & quamcunque necessariam, & opportunam jurisdictionem pro tempore existenti Viarum Præsidi, privativè quoad alios concedimus, & ad eumdem, à quo ad Cameram præfatam pariter appelletur, spectare volumus, & mandamus.

Magistris Viarum præservatur coercitio momentanea.

§. 9. Magistris tamen Viarum tam in Urbe, quàm in ejus Districtu præfatis occasiones, seu in actu vias ejusdem districtus invisendi, facultatem coërcendi contravenientes constitutionibus, bannimentis, statutis, & ordinationibus Tribunalis, seu Magistratus, necnon ipsorum Magistrorum, vel alterius eorum præceptis, seu jussibus, usque ad eorumdem contravenientium carcerationem, ac etiam excarcerationem, in forma tamen extrajudiciali, prout etiam procedendi in simili forma contrà hujusmodi contravenientes ad pignorationem pro mulctis, & pœnis pecuniariis in præfatis bannimentis contentis, ac eorumdem pignorum restitutionem (reservatis semper prædicto Viarum Præsidi ulteriori cognitione, & recursu) præservamus, & quatenùs opus sit, etiam concedimus.

Iisdem Magistris relinquitur administratio, & Jurisdictio œconomica.

§. 10. Iisdem quoque Viarum Magistris curam, superintendentiam, & administrationem instruendi, reficiendi, restaurandi, manutenendi, mundandi, & expurgandi vias, plateas, & loca Urbis, nec non confirmandi, eligendi, & amovendi Architectos, Submagistros, Operarios, & Artifices prædicto Magistratui Viarum inservientes, salvo semper jure Præsidis eosdem ex justa causa removendi, prout etiam facultatem licentias hactenùs ab iisdem dari solitas, & in posterum pro indemnitate Magistratus, & Officialium juxtà modum præscribendum registrandas, & sigillo Præsidis gratis muniendas, concedendi, salvo ad memoratum Præsidem, auditis Magistris, ab hujusmodi licentiarum denegatione, seu indebita concessione recursu, similiter præservamus, & quatenùs opus concedimus.

Officialium deputatio spectat ad Præsidem.

§. 11. Eidem Præsidi Procuratorem Fiscalem, Ratiocinatorem, & Exactores quarumcunque taxarum, vel exactionum, tam in Urbe, quàm in ejus Districtu supradictis, nec non Mandatarium, & Viarum Commissarium, cum Magistrorum præfatorum consilio, & Baroncellum ad ejus libitum deputandi, & amovendi facultatem concedimus: Reservatâ tamen Venerabili Fratri Nostro Palutio Episcopo Prænestino ejusdem S. R. E. Cardinali de Alteriis nuncupato dictæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerario prædictos Procuratorem Fiscalem, Ratiocinatorem, & Mandatarium, donec vixerit, deputandi, & amovendi, facultate.

Jura Card. Camerarii super foro Agonali uniuntur Tribunali Viarum.

§. 12. Ad hæc omnes, & singulas jurisdictiones, facultates, curas, & emolumenta quæcunque pro tempore existentibus ejusdem S. R. E. Camerariis in platea Agonis competentes, & competentia, seu ab illis exerceri, & percipi hactenùs consuetas, & consueta, ex nunc prout ex tunc, sequuto obitu memorati Palutii Episcopi Cardinalis, & Camerarii, cui pariter, donec vixerit, nullum jus hujusmodi adimere volumus, & declaramus, ab eodem Camerariatus Officio penitùs, & omninò dismembramus, & separamus, illasque, & illa Tribunali, & Magistratui Viarum sub cura, regimine, & jurisdictione solius pro tempore existentis Præsidis Viarum ad limites, & formam præsentium, absque ulla prorsùs inter dictam Agonis, & alias plateas Urbis differentia, seu distinctione restituimus, seu unimus, annectimus, & incorporamus, & restitutas, seu unitas, annexas, & incorporatas esse volumus, & mandamus.

Eidem Tribunali applicat Jurisdictiones aliarum viarum.

§. 13. Ex nunc autem omnes, & singulas jurisdictiones, facultates, curas, & administrationes hujusmodi cuicunque personæ, etiam præfatæ S. R. E. Cardinali, etiam ejusdem S. Romanæ Ecclesiæ Vice-Cancellario, Collegiis, Capitulis, Locis piis, Basilicis, & Ecclesiis, etiam Patriarchalibus, & quibuscunque, quavis dignitate, vel præeminentiâ tam Seculari, quàm Ecclesiastica fungentibus, etiam speciali, & individua mentione dignis, super plateis, viis, & locis Urbis præfatæ quoquo modo concessas, vel competentes, nec non emolumenta, de quorum percipiendorum valido, & subsistenti jure, quod respectu aliorum, quàm Ecclesiarum, & Locorum piorum, ex titulo verè, & proportionatè oneroso, & correspectivo esse debeat, legitimè non constiterit, supprimimus, abolemus, & abrogamus, ac ab eisdem, seu eorum officiis, vel muneribus separamus, & dismembramus, illasque, & illa modo, & formâ præmissis ex nunc Tribunali Viarum sub cura, regimine, & jurisdictione pro tempore existentis Præsidis Viarum hujusmodi restituimus, seu unimus, annectimus, incorporamus, & quatenùs opus sit, de novo concedimus.

Exemptiones, & Immunitates revocantur, omnesque tenentur ad solutionem taxarum.

§. 14. Præterea inhærentes aliàs factis Chirographis, & Ordinationibus Tribunalis, & Magistratus hujusmodi, quæcunque privilegia, & exemptiones, & quasvis Literas patentes ibidem revocatas, & præsentibus adversantes, nullatenùs suffragari declaramus, illaque, & illas iterum revocamus, cassamus, & annullamus; Volentes, & mandantes, omnes, & singulos, nemine prorsùs excepto, in iisdem Chirographis specificatos, seu comprehensos etiam Palatii Nostri Apostolici, & cujuscunque Judicis, & Tribunalis, tametsi speciali, & individuâ notâ dignorum, nec non dictæ S. R. E. Cardinalium, Basilicarum, Ordinum, Congregationum, & Societatum, etiam Jesu, Ministros, & Officiales quoscunque, & quibusvis Literis patentibus munitos, ac Neophytos, & milites, etiam auxiliatores Arcis S. Angeli, & Alabardarios nuncupatos Gubernatoris Urbis quoscunque, & quotcunque, etiam in minori, & modico, seu minimo numero, ad solutionem, & contributionem quarumcunque taxarum, & impositionum, æquè ac alios non privilegiatos, teneri, & obligatos esse, nec non jurisdictioni Tribunalis, & Magistratus hujusmodi, ac omnibus, & singulis illius constitutionibus, & ordinationibus quibuscunque pariter esse, & remanere subjectos. Prout etiam præfata chirographa, & ordinationes innovantes, & ampliantes, à decretis, mandatis, & sententiis super solutione quarumcunque taxarum, seu contributionum à Tribunali, seu Magistratu præfatis impositarum, & imponendarum, & respe-

A Decretis pro solutione taxarum negatur appellatio, imò

ctivè

etiam recursus quoad suspensivum.

ctivè super affictuum, seu appaltuum ab Affictuariis, seu Appaltatoribus debitorum, seu debendorum solutione, nec non super rationibus per administratores, seu œconomos reddendis, & super restitutione, vel solutione eorum, quæ per eosdem administratores, seu œconomos exacta fuerint, nullam admittendam esse appellationem, seu recursum in suspensivo, sed in devolutivo tantùm, itaut quæcunque appellationes, & recursus, seu citationes, inhibitiones, supersessoriæ, & decreta in vim appellationum, seu recursuum hujusmodi faciendæ, seu facienda, absque ullo attentatorum, pœnarum, seu nullitatum incursu, possint impunè sperni.

Solutio præscripta remanet lapsu triennii.

§. 15. Solutiones quarumcunque taxarum, pro quibus judicialiter mediante contestatione litis, vel saltem tentatâ aliqua executione mandatorum, actum non fuerit, triennio ex nunc quoad præteritas, & à die impositionis quoad futuras taxas computando, præscribantur.

De electione, & duratione Præsidis Viarum, & Magistrorum.

§. 16. Cæterùm Præses Viarum hujusmodi non amplius ad annum in Camera prædicta, ut moris erat, sorte extrahatur, sed à Nobis, seu Romano pontifice pro tempore existente ad Nostrum, & ejusdem pro tempore existentis Romani Pontificis, & dictæ Sedis beneplacitum, in posterum deputetur. Ex Magistris verò Viarum non amplius uterque insimul, sed alteruter tantùm, ut unus semper pendentibus Magistratus negotiis instructus remaneat, dimittatur.

Forma deliberandi appaltus super Juribus viarum.

§. 17. Appaltus expurgationis Urbis, nec non unius Julii, qui singulis trimestribus pro qualibet apotheca solvitur, itidemque curruum, seu rhedarum, ac cisiorum vulgò calessi, locari solitorum, præfato Palutio Cardinale, & Camerario pariter donec vixerit, insimul cum Præside, & Magistris Viarum hujusmodi; Alii verò appaltus, affictus, ac post obitum memorati Palutii Episcopi Cardinalis etiam dicti appaltus expurgationis Urbis, & præfati Julii, necnon curruum, seu rhedarum, & cisiorum prænominatorum in Congregatione singulis hebdomadis pro negotiis dicti Tribunalis, seu Magistratus facienda, cui iidem Præses, Magistri Viarum, & alii Ministri de more interfint, apertis semper in supradictis congressibus cedulis oblationum, & facta deliberatione meliorem conditionem facienti respectivè concludantur, & stipulentur.

Taxa emolumentorum impressa exposita habeatur.

§. 18. Renovetur, seu fiat, facta imprimatur, & impressa in locis à Præside præfato præscribendis exponatur, & retineatur distincta, & moderata Taxa omnium, & singulorum emolumentorum tam Tribunalis, seu Magistratus, quàm singulorum ejus ministrorum, seu Officialium, nihilque prorsus præter, vel contra eamdem, sub pœnis arbitrio memorati Præsidis infligendis, percipiatur, vel exigatur.

Exactores non adnotantes exacta tenentur de falso.

§. 19. Teneantur singuli Exactores sub pœna falsi distinctè, & diligenter annotare omnes, & singulas taxas, & quoscunque earumdem debitores, prout etiam omnes, & singulas etiam minimas exactiones, ac personas, à quibus exegerint, intra quindecim dies post quamlibet, licèt minimam exactionem computandos, istaque omnia diligenter, fideliter, & distinctè describere in Libris in Officio Notarii Tribunalis retinendis, & cuicunque quodlibet interesse habenti promptè exhibendis.

Emolumenta eroganda pro expurgatione Viarum.

§. 20. Omnia, & singula emolumenta Tribunalis, seu Magistratus, etiam ex taxa curruum, & cisiorum præfatorum locari solitorum, necnon ex pretio situum publicorum, in beneficium Tribunalis, seu Magistratus, vel implementum ejus onerum, & præsertim in expurgationem viarum convertantur.

Magistri Viarum contenti stipendio publici abstineant à muneribus, & emolumentis.

§. 21. Magistri Viarum nulla prorsùs etiam minima, ac etiam sponte oblata, tum in pecunia, tùm in qualibet specie, & tàm ordinaria, quàm extraordinaria, certa, & incerta emolumenta, ratione eorum muneris, seu quarumcumque licentiarum, accessuum, & functionum posthac amplius exigere, seu percipere quoquo modo valeant, sed solo annuo stipendio scutorum quadringentorum monetæ Romanæ pro quolibet eorum, ex emolumentis Magistratus extrahendo, quod illis constituimus, & assignamus, omninò debeant esse contenti.

Vigilantia pro conservandis viis Consularibus.

§. 22. Viæ Consulares districtus Urbis propriis sumptibus, & expensis personaliter revideantur, & recognoscantur, saltem semel in anno pro qualibet via per dictos Magistros Viarum, quo verò ad Præsidem præfatum ejus arbitrio, & ultrà hujusmodi accessus, in quibus necessitatibus, reparationibus, & commoditatibus hujusmodi viarum debeant iidem respectivè consulere, & providere, semper invigilent, ac certiorari satagent de omnibus earumdem viarum necessitatibus, & incommodis, etiam per Literas circulares Gubernatoribus, & Communitatibus, seu Universitatibus Civitatum, Terrarum, seu Locorum, in quorum Territoriis viæ præfatæ consistunt, ut responsiones, & aliæ informationes desuper habitæ, in Congregatione præfata, ad effectum opportunè desuper providendi, referantur, & examinentur.

Jurisdictio Præsidis Viarum qualis in Districtu, & extra.

§. 23. Præsidis Viarum superintendentia, & facultates vias Consulares Ditionis Ecclesiasticæ extra præfatum districtum existentes comprehendant, & ejusdem Ditionis Gubernatores subjecti sint ordinationibus memorati Præsidis, qui de viarum præfatæ Ditionis instructione, refectione, restauratione, & manutentione, non tamen in judicialibus, debeat esse solicitus. In districtu verò omnem suam jurisdictionem in viis tàm Consularibus, quàm non Consularibus respectivè valeat exercere.

Decreta borantia cum clausula sublata. & Decreto irritanti.

§. 24. Decernentes, easdem præsentes Literas, & in eis contenta quæcunque, etiam ex eo, quod omnes, & singuli supradicti, ac alii quicunque in præmissis quomodolibet jus, vel interesse habentes, seu habere prætendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ, vel dignitatis, seu alias specifica, & individua mentione, & expressione digni existant, iisdem præsentibus non consenserint, nec vocati, seu auditi fuerint, tametsi suorum indultorum, vel privilegiorum vigore consentire, seu vocari, & audiri semel, vel pluries quoquo modo debuissent, aut ex alia quantumvis juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in Corpore Juris clauso, ullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel interesse habentium consensus, alioque quolibet, etiam quantumvis magno, & formali, ac substantiali defectu notari, impugnari, infringi, in controversiam revocari, ad terminos juris reduci, seu adversùs illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcunque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari nullatenus posse, sed semper, & perpetuò validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere debere, & ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque, & quomodocunque spectabit, inviolabiliter observari; Sicque, & non aliter per quoscunque Judices Ordinarios, & Delegatos quavis auctoritate, præeminentia, aut potestate fungentes, & functuros, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & dictæ S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, Sublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & definiri debere; Irritum quoque, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogationes contrariorum.

§. 25. Non obstantibus omnibus, & singulis præmissis, & quatenus opus sit, nostrâ, & Cancellariæ Apostolicæ regulâ de jure quæsito non tollendo, necnon præfati Pii VI. Prædecessoris de gratiis qualecunque interesse Cameræ Apostolicæ concernentibus, in dicta Camera intra certum inibi præscriptum tempus præsentandis, & registran-

dis, necnon aliis quibuſcunque Apoſtolicis, ac etiam in Generalibus Conciliis editis, & edendis Conſtitutionibus, Ordinationibus, ac Urbis, & Curiæ Romanæ, & Cameræ Apoſtolicæ, ejuſdemque Curiæ Tribunalium, quarumcumque Eccleſiarum, etiam Patriarchalium S. Joannis in Laterano, Principis Apoſtolorum, & S. Mariæ Majoris, Monaſteriorum, Hoſpitalium, Locorum piorum, necnon Ordinum, Congregationum, & Societatum, etiam Jeſu, & quibuſvis aliis, etiam juramento, vel alia quavis firmitate roboratis ſtatutis, uſibus, ſtylis, conſuetudinibus, & decretis, etiam novis reformationibus quibuſcunque, legibus, & canonibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis, ſub quibuſcunque verborum tenoribus, & formis, & cum quibuſvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, & decretis in genere, vel in ſpecie, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, vel ad quorumvis inſtantiam, ac etiam conſiſtorialiter, aut aliàs quomodolibet per Nos, & Romanos Pontifices Prædeceſſores Noſtros in contrarium eorumdem præmiſſorum conceſſis, ac etiam pluries confirmatis, innovatis, & approbatis, quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita formâ ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitùs omiſſo, & forma in illis traditâ obſervatâ, exprimerentur, & inſererentur, iiſdem præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum harum ſerie ſpecialiter, & expreſsè, motu, ſcientia, deliberatione, & poteſtatis plenitudine paribus, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, & derogatum eſſe volumus, & mandamus, nec non omnibus illis, quæ iidem Prædeceſſores Noſtri in præmiſſis quibuſcunque eorum Litteris, & Chirographis voluerunt non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Affixio vim habeat intimationis perſonalis.

§. 26. Volumus autem, quòd poſtquam præſentes valvis Eccleſiæ Lateranenſis, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum, & in Acie Campi Floræ de Urbe per aliquem ex Noſtris Curſoribus affixæ, & publicatæ fuerint, omnes, & ſingulos tam in Urbe, quàm in Diſtrictu, & Ditione præfatis exiſtentes, perindè obligent, & arctent, ac ſi unicuique eorum perſonaliter, & nominatim intimatæ fuiſſent; Quódque earum tranſſumptis, etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorsùs fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ iiſdemmet præſentibus, ſi exhibitæ, vel oſtenſæ fuiſſent, adhiberetur.

Fides Tranſſumptorum.

Sanctio pœnalis.

§. 27. Nulli ergo omninò hominum liceat, paginam hanc Noſtrarum approbationis, confirmationis, innovationis, voluntatum, mandatorum, decretorum, ſuppreſſionum, abolitionum, abrogationum, præſervationum, conceſſionum, declarationum, ſeparationum, reſtitutionum, unionum, annexionum, incorporationum, revocationis, caſſationis, annullationis, Conſtitutionis, aſſignationis, derogationis, aliorumque præmiſſorum infringere, ſeu ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

28. Novemb. 1692. P. A. 2.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo ſecundo, quarto Kalend. Decembris Pontificatus Noſtri Anno ſecundo.

J. F. CARD. ALBANUS.

B. Card. Prodatarius

Viſa de Curia J. Sacripantes.

Loco † plumbi

D. Ciampinus.

Regiſtrata in Secret. Brevium.

Anno à navitate D. Noſtri Jeſu Chriſti milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo ſecundo, Indictione decimâ quintâ, die verò vigeſimâ octavâ Novembris, Pontificatus autem ſanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini Noſtri, Domini Innocentii Divina providentia Papæ XII. Anno ſecundo ſupradicta Conſtitutio affixa. & publicata fuit ad valvas Eccleſiæ S. Joannis Lateranenſis, Baſilicæ Principis Apoſtolorum, & Cancellaria Apoſtolicæ, in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis, per me Antonium Canutum ejuſdem Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ Curſorem.

Affixio, & publicatio 28. Novemb. 1692.

JO. GRECUS Curſ. Magiſter.

Diverſæ Ordinationes pro Provincia Nationis Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci tàm de Obſervantia, quàm Recollectorum reſpectivè nuncupatorum. Intuitu obedientiæ ab eis nuper præſtitæ Miniſtro Generali dicti Ordinis. XXXIV.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Prœmium.

INjuncti Nobis cœlitùs Paſtoralis Officii ſolicitudo Nos admonet, ut paternam Chriſti fidelium, divinis obſequiis ſub arctioris vitæ inſtituto laudabiliter incumbentium, curam gerentes, eos in pace, & juſtitia continere, ac enata inter ipſos animorum diſſidia, ne amabilis concordiæ, fraternæque charitatis ſerenitatem diutiùs conturbent, opportunis rationibus recidere, nec non illorum ſtatui, & quieti, quantùm Nobis ex alto conceditur, conſulere ſtudeamus.

Narratur cauſa diſceſſus à Capitulo Generali.

§. 1. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Ludovicus Duval, & Claudius Bonaventura Sicault, nec non Edmundus Godelle, & Salvianus Paquin Procuratores, ſeu Deputati Provinciarum Nationis Gallicæ Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci tam de Obſervantia, quàm Recollectorum reſpectivè nuncupatorum, quod cùm aliàs, videlicet anno MDCLXXXVIII. tunc exiſtentes Vocales ejuſdem Nationis Electionibus, aliiſque in Capitulo Generali dicti Ordinis in hac Alma Urbe celebrato actis, ob ſibi tunc denegatam ad Generalatum, aliaque Officia generalia ejuſdem Ordinis, quam prætendebant, Alternativam, intereſſe recuſaverint, eaque de cauſa à Capitulo Generali prædicto receſſerint: Ipſum vero Capitulum Generale ad electionem trium Definitorum Generalium pro prædicta Natione, cæteroqui eligi ſolitorum, minimè devenerit; abindè omnes, & ſingulæ perſonæ utriuſque ſexus Provinciarum hujuſmodi obedientiam tum exiſtenti in memorato Capitulo Generali electo, ac ſubinde dilecto filio moderno Miniſtris Generalibus ejuſdem Ordinis nullatenus hucuſque præſtiterunt.

Oblatio redeundi ad unionem, & obedientiam.

§. 2. Cùm autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, jam nunc perſonæ hujuſmodi unionem ſpiritus in vinculo pacis ſervare cupientes, tam eidem moderno, quàm ejus pro tempore Succeſſoribus Miniſtris Generalibus dicti Ordinis canonicè eligendis debitam obedientiam, juxtà Apoſtolicarum, & ipſius Ordinis Conſtitutionum præſcriptum, præſtare, dictumque Capitu-

lum Generale pro ritè, & canonicè celebrato habere paratæ sint; quinimò ipsi Exponentes earumdem Personarum nomine obedientiam hujusmodi jam præstiterint, seque supradictum Capitulum Generale pro ritè, & canonicè celebrato habere declaraverint; Verùm præmissa, atque inde secuta, quò dictarum Provinciarum religiosæ tranquillitati plenè provisum sit, Apostolicum paternæ providentiæ Nostræ præsidium exposcant: Nobis propterea Exponentes præfati humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportunè providere, & ut infrà indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Absolutio ad effectū.

§. 3. Nos igitur, qui Ordinem præfatum in visceribus gerimus charitatis, perturbationibus, & incommodis, quæ præmissorum occasione in dies oriri possent, maturè occurrere, & opportunum jam exortis remedium adhibere cupientes, ipsosque Exponentes, & alios infrascriptos dicti Ordinis Professores specialis favore gratiæ prosequi volentes, ac eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, nec non causæ, & controversitæ super alternativa præfata statum, & merita, nominaque, & cognomina, ac qualitates Judicum, & Collitigantium, seu Contendentium quorumcunque, & alia quælibet, etiam specificam, & individuam mentionem, & expressionem requirentia, præsentibus, pro plenè, & sufficienter expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ac audita super præmissis Dilectorum Filiorum Procuratoris Generalis, ac aliorum Superiorum utriusque familiæ dicti Ordinis, quos desuper audiendos duximus, relatione, causam, & controversiam præfatas in statu, & terminis, id quibus de præsenti quomodolibet reperiuntur, tam à dicto Capitulo Generali, quàm ab aliis quibuscunque Judicibus, & Tribunalibus, ad Nos, & Sedem Apostolicam, prout juris fuerit, terminandas, auctoritate Apostolica tenore præsentium avocamus. Portò cum iidem Exponentes dictarum Provinciarum nomine etiam institerint, ut Quartum Definitorem Generalemex Fratribus Recollectis Provinciarum hujusmodi addere, & deputare vellemus, Nobis similiter, & Sedi præfatæ facultatem statuendi hac in re quicquid in Domino expedire censuerimus, harum serie reservamus.

Avocatio omnium controversiarum ad suam Sanctitatē.

Inhibitio omnibus aliis.

§. 4. Ac proindè omnibus, & singulis Nationis, & Ordinis præfatorum Superioribus, Fratribus, & personis, ne tàm conjunctim, quàm divisim in præmissis, vel eorum aliquo directè, vel indirectè, aut aliàs quomodolibet quicquam innovare, vel attentare audeant quovis modo, seù præsumant, districtè inhibemus, illisque præcipimus, & mandamus, ut à quibusvis attentatis, seu innovatis hujusmodi humiliter abstineant, donec à suprema Nostra, & ejusdem Sedis æquitate habeant Justitiæ complementum.

Agens istarum Provinciarum quomodo deputandus.

§. 5. Præterea, ut de cætero ad munus Agentis, seu Negotiorum Gestoris, quem Provinciæ præfatæ in Romana Curia habere consueverunt, quoties illud vacare contigerit, is tantummodo assumatur, quem pro tempore existens Minister Generalis dicti Ordinis ex tribus Religiosis sibi ad id per Superiores pro tempore pariter existentes earumdem Provinciarum præsentandis idoneitate, & meritis præstantiorem esse judicaverit, auctoritate, & tenore præfatis statuimus, & ordinamus.

Absolutio postquam præstiterint obedientiam.

§. 6. Cæterùm omnes, & singulas Personas utriusque sexus Provinciarum, & Nationis hujusmodi, quæ post celebrationem dicti Capituli Generalis obedientiam pro tempore existentibus Ministris Generalibus ejusdem Ordinis, sicut præmittitur, hactenùs non præstiterunt, ex nunc, prout ex tunc, postquam obedientiam hujusmodi à dictis exponentibus illarum nomine præstitam, ac declarationem circa memoratum Capitulum Generale ab eis factam, ut præfertur, realiter, & cum effectu ratificaverint, à censuris quibuslibet, si quas propter præmissa quomodolibet incurrerunt, seu incurrisse dici, censeri, vel prætendi possent, eadem autoritate harum serie in utroque foro absolvimus, & totaliter liberamus. At cum illis ex Fratribus Provinciarum, & Nationis præfatarum, qui censuris hujusmodi, si quas, propter eadem præmissa incurrerunt, innodati Sacrosanctum Missæ Sacrificium (non tamen in contemptum Clavium) celebraverint, seu aliàs in suis Ordinibus ministrarunt, super irregularitate per eos quomodolibet indè contracta, ita ut illa, iisdem præmissis non obstantibus, dummodo nullum aliud Canonicum eis obstet impedimentum, Clericali charactere, quo aliàs ritè insigniti fuerunt, illiusque Privilegiis, ac susceptis per eos pariter ritè quatuor Minoribus, nec non Sacris Subdiaconatûs, Diaconatûs, & Presbyteratûs Ordinibus uti, & quatenùs illos nondum susceperint, ad eos, si ad id idonei reperiantur, servatis aliàs servandis, promoveri, & promoti in illis, etiam in Altaris Ministerio, ministrare liberè, & licitè possint, & valeant, in utroque pariter foro dispensamus.

Convalidatio gestorum durante inobedientia.

§. 7. Personas itidem supradictas, & earum quamlibet, si quam propter eadem præmissa privationis vocis activæ, & passivæ pœnam incurrerunt, ad vocem activam, & passivam hujusmodi adversùs præmissa opportunè rehabilitamus, illasque in integrum, & pristinum, ac eum, in quo anteà quomodolibet erant, statum, restituimus, reponimus, & plenariè reintegramus. Omnes insuper, & singulos tàm Capitulares, quàm Definitoriales, & alios quoslibet, tam judiciales, quàm extrajudiciales actus, & functiones in supradicto rerum statu, aliàs tamen legitimè, per quoscunque Superiores, Fratres, & Personas dicti Ordinis in memoratis Provinciis, earumque, & aliis quarumcunque Civitatum, Terrarum, & locorum Chatissimo in Christo Filio Nostro Ludovico Francorum Regi Christianissimo subjectorum Conventibus, Monasteriis, ac Domibus Regularibus tàm Virorum, quàm Mulierum ejusdem Ordinis hactenus gestos, & factas respectivè cum omnibus inde, cæteroqui pariter legitimè secutis, dicta autoritate earundem tenore præsentium validamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, etiam substantiales, si qui desuper propter præmissa quomodolibet intervenerunt seu interveniisse dici, censeri, vel prætendi possent, sanamus, & supplemus.

Deputatio trium Definitorum usque ad futurum Capitulū Generale.

§. 8. Ne autem Natio prædicta tribus Definitoribus Generalibus pro ea hactenùs, sicut præmittitur, eligi solitis diutiùs destituta remaneat, Dilectos Filios Guglielmum Beccard, & Nicolaum Potin de Observantia, ac Hiacynthum le Febure Recollectorum respectivè Fratrum Nationis, & Ordinis hujusmodi Professores, de quorum fide, prudentia, rerum agendarum usu, pietate, integritate, charitate, & Religionis zelo plenam in Domino fiduciam habemus, præfati Ordinis Definitores Generales pro memorata Natione Gallica usque ad proximè futurum Capitulum Generale ejusdem Ordinis duraturos, cum omnibus, & singulis præeminentiis, prærogativis, facultatibus, autoritate, privilegiis, gratiis, & Indultis, ac honoribus, & oneribus solitis, & consuetis, ita ut ipsi Officia Definitorum Generalium hujusmodi usque ad idem proximè futurum Capitulum Generale gerere, & exercerè liberè, licitè, & valide possint, & valeant in omnibus, & per omnia, perinde, ac si ad illa in Capitulo Generali dicti Ordinis de pleno Vocalium consensu, servatisque omnibus servandis, canonice electi fuissent, eadem

autoritate harum serie creamus, facimus, ac constituimus, & deputamus.

Decreta roborantia cum clausula sublata, ac decreto irritanti.

§. 9. Decernentes easdem præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos, & quas spectat, & pro tempore quandocunque spectabit in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter, & inconcuſſè obſervari, & adimpleri; Sicque, & non aliter in præmiſſis per quoſcunque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & dictæ Sedis Nuncios, & alios quoslibet quacumque præeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & autoritate, judicari, & definiri debere; Ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis autoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogationes.

§. 10. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon quatenus opus ſit, præfatorum Ordinis, Nationis, Provinciarum, Conventuum, Monaſteriorum, & Domorum Regularium, aliiſque quibuſvis, etiam juramento, & confirmatione Apoſtolica, aut quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Conſuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apoſtolicis illis, eorumque Superioribus, & perſonis quibuſvis, ſub quibuſcunque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriam derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis in genere, vel in ſpecie, etiam Conſiſtorialiter, & aliàs quomodolibet in contrariũ præmiſſorum conceſſis, confirmatis, ac pluries innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & individua, & expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum omnium, & ſingulorum tenores, formas, cauſas, & occaſiones præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, inſertis, & ſpecificatis reſpectivè habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſè derogamus, & derogatum eſſe volumus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Obligatio ratificandi & continuandi in obedientia.

§. 11. Volumus autem, ut intrà quatuor menſes proximos nomine quarumcunque Perſonarum Nationis, Provinciarum, Conventuum, Monaſteriorum, ac Domorum Regularium hujuſmodi Dilecti Filii Superiores earumdem Provinciarum, ſeu alii, ad quos ſpectat, debitam ſubjectionem, & obedientiam, juxtà Apoſtolicas, ac Ordinis hujuſmodi Conſtitutiones, eidem Moderno, ejuſque pro tempore Succeſſoribus Miniſtris Generalibus canonicè eligendis à ſupradictis Exponentibus præſtitam, ac declarationem circà proximè præteritum Capitulum Generale præfatum ab eis factam, ut præfertur, realiter, & cum effectu ratificare, necnon in ſubjectione, & obedientia hujuſmodi ſincerè in poſterum permanere, præſentiumque Litterarum diſpoſitioni in omnibus, & per omnia acquieſcere omninò teneantur; alioquin eædem præſentes nullæ ſint eo ipſo.

Servanda pro abſolutione.

§. 12. Inſuper volumus, ut Perſonæ ſupradictæ, ſi quæ propter præmiſſa abſolutione in foro conſcientiæ indigeant, pœnitentiam, quam eis Sacerdos idoneus propter eadem præmiſſa reſpectivè impoſuerit, omninò adimpleant; alioquin ipſæ præſentes eis quoad abſolutionem in foro conſcientiæ hujuſmodi minimè ſuffragentur.

Fides tranſſumptorũ.

§. 13. Utque earumdem præſentium tranſſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica Dignitate conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in Judicio, & extrà illud habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 9. Decembris 1692. Pontificatus Noſtri Anno Secundo.

J. F. Card. Albanus.

A.1692.9. Decembris.

Actus obedientiæ præſtitæ in Romana Curia à Patribus Procuratoribus, ſeu Deputatis Provinciarum Nationis Gallicæ dicti Ordinis.

NOs infraſcripti Procuratores, ſeu Deputati Provinciarum Nationis Gallicæ Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci tam de Obſervantia quàm Recollectorum reſpectivè nuncupatorum, non ſolùm nomine proprio, ſed etiam nomine omnium, & ſingulorum Provincialium, Superiorum, & Perſonarum utriuſque ſexus dicti Ordinis in eiſdem Provinciis, aliiſque quibuſcunque Regi Noſtro Chriſtianiſſimo ſubjectis locis exiſtentium ſincero corde, & pura fide proteſtamur, & declaramus, nos paratos, & promtos ſemper fuiſſe, & eſſe moderno Reverendiſſimo Patri Miniſtro Generali ejuſdem Ordinis, ejuſque pro tempore Succeſſoribus Miniſtris Generalibus canonicè eligendis debitam ſubjectionem, & obedientiam juxtà Regulæ Noſtræ Seraphicæ, nec non Apoſtolicarum, & ipſius Ordinis Conſtitutionum præſcriptum reddere, & præſtare, prout præſentium Litterarum vigore, nomine ut ſuprà reddimus, & præſtamus; Capitulumque Generale ejuſdem Ordinis Romæ Anno 1688. habitum pro ritè, & canonicè celebrato nos habere, eodem pariter nomine declaramus. Promittentes hujus noſtræ ſubjectionis, & obedientiæ: nec non declarationis circà ſupradictum Capitulum Generale à Nobis factæ veram, & realem ratificationem intrà terminum quatuor menſium proximorum à Patribus Superioribus Provincialibus dictarum Provinciarum Gallicarum, aliiſve, ad quos ſpectabit, obtinere, nec non quod tam Nos, quàm illi, cæterique prædictarum Provinciarum Fratres, & Moniales in ſubjectione, & obedientia hujuſmodi, ſicut præmittitur, præſtita, ſincerè in poſterum permanebimus, omni, & quocumque contrario prætextu, colore, & tergiverſatione poſtpoſitis; Quod ſi intra dictum terminum ratificationem prædictam non obtinuerimus, ex nunc, prout ex tunc, nullitati omnium, & quarumcunque gratiarum à S. Sede in præſens obtinendarum, nos, Superioreſque ſupradictos ſubjicimus, ſubjectoſque eſſe declaramus. Romæ hac die octava Decembris Anno 1692.

F. Ludovicus Duval Sacræ facultatis Pariſienſis Doctor Theologus, & Magni Conventus Fratrum Minorum Pariſienſium Procurator Generalis, & Diſcretus.

Fr. Claudius Bonaventura Sicault Doctor in Theologia, Provinciæ Turoniæ Majoris Exdefinitor, & Provinciarum Gallicarum de Obſervantia Procurator.

Fr. Edmundus Godelle Cuſtos Recollectorum Provinciæ S. Antonii in Arteſia.

Fr. Salvianus Paquin Guardianus Recollectorum Rothomagenſis.

Indictio Viſitationis Apoſtolicæ omnium Eccleſiarum, & Locorum piorum Almæ Urbis, nec non Orationis quadraginta horarum, cum Indulgentiarum elargitione ad implorandam divinam opem pro recta Viſitationis hujuſmodi directione. XXVI.

INNOCENTIUS EPISCOPUS XII.

Dilectis Filiis Univerſo Clero, & Populo Romano Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

ACRUM Univerſalis Eccleſiæ ſuperna Cœleſtis Patris familias præordinatione curæ

Exordium

Nostræ demandatum omni studio, atque industria, quantum Nobis ex alto conceditur, custodire, atque excolere jugiter satagentes, spiritualibus hujus Almæ Urbis Nostræ, quæ propioribus charitatis vinculis Nobis conjungitur, quamque ipse Christus Dominus tot præclaris amoris significationibus præ cæteris dilexisse visus est, augendis, promovendisque bonis peculiarem Apostolici muneris nostri solicitudinem impensiùs adhibere non prætermittimus.

Motivum indicendæ Visitationis Apostolicæ.

§. 1. Cùm enim Sancta hæc Romana Ecclesia veluti Civitas supra Montem posita, ac supra fundamentum Apostolorum ædificata, omnium in se oculos undequaque convertat, ex ea potissimùm non solùm doctrinæ, sed vitæ, ac virtutum omnium exempla in reliquas Christiani Orbis Ecclesias, quarum Mater, & Magistra est, oportet promanare. Quamvis itaque eam esse, miserante Domino, ejusdem Urbis Cleri, & Populi pietatem reputemus, ut Christi bonus odor exinde in exteras quoque Regiones diffundi possit, nihilominus quia post primi Parentis labem semper ad inferiora nos deprimit nostræ mortalitatis infirmitas, & carnis fragilitate austerior paulatim observantia relaxatur, unde & de mundano pulvere etiam religiosa corda sordescere, & in Agro Domini spinas, & tribulos identidem germinare quotidiana experientiâ perdocemur: Memores Nos ideò in sublimi hoc Apostolicæ Sedis fastigio constitutos, ut noxia evellamus, atque utilia plantemus, nihil Nos salubrius aggredi posse cogitavimus, quam si jam usque à primis fere Ecclesiæ temporibus traditum, & ab ipsa Sacrosancta Tridentina Synodo tantopere commendatum, quodque non minùs sapienter constitutum, quam re, atque usu frugiferum compertum semper fuit, ac salutare, Pastoralis Visitationis auxilium adhiberemus; Qua quidem spirituali veluti cultura & vitiorum zizania, quæ suffocant sementem Patrisfamilias, eradicentur, & uberior benedicente Domino electi sanctorum operum frumenti messis exurgat.

Effectus pro quibus indicitur.

§. 2. Ut igitur divinus in Urbe præfata cultus amplificetur, Ecclesiastica floreat disciplina, boni firmentur mores, corrupti corrigantur, omnisque Populus in via Domini prælucente Clero feliciter progrediatur, Summi, & Æterni Pastoris exemplo excitati, cujus illa sunt verba: Ecce ego requiram oves meas, & visitabo eas, sicut visitat Pastor gregem suum: statuimus, Deo dante, hunc peculiarem Agrum, & Gregem Nostrum recognoscere, omnesque dictæ Urbis tàm Patriarchales, quàm Collegiatas, & Parochiales Ecclesias, earumque Capitula, & personas, item Monasteria, Conventus, & Ecclesias quorumvis Ordinum, tàm Virorum, quàm Mulierum, Hospitalia, Collegia, Confraternitates Laicorum, Montem Pietatis, & omnia quocunque censentur nomine, loca pia, visitare.

Assumentur in Adjutores Visitationis Card., & Episcopi.

§. 3. Porrò in hujusmodi operis consortium, quippe quod, tametsi per Nos ipsos illud inchoare, prosequi, & perficere vehementer optaremus, nihilominus tam aliorum, eorumque gravissimorum negotiorum mole, quàm nostrarum virium infirmitate præpediti, absque aliorum adjutorio explere posse planè diffidimus, nonnullos ex Venerabilibus Fratribus Nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, necnon Episcopos, & Romanæ Curiæ Prælatos aliquos advocabimus, ultrà alios super negotiis Visitationis Apostolicæ Ecclesiarum, & locorum piorum ejusdem Urbis auctoritate Apostolica dudum institutæ deputatos, quorum consilio, atque operâ in re tam salubri, atque ardua utamur.

Indictio Visitationis.

§. 4. Ad Omnipotentis itaque Dei laudem, & gloriam, Sanctæque Romanæ Ecclesiæ exaltationem vobis Visitationem Nostram indicimus, quam à Sacrosancta Primaria Lateranensi Ecclesia inchoabimus, ac subinde statuendis diebus, adjuvante Domino, prosequemur.

§. 5. Universos proinde, & singulos per viscera misericordiæ Dei Nostri, in quibus visitavit nos Oriens ex alto, monemus, & obsecramus, ut memores vocationis vestræ, tempus hoc acceptabile, & promovendæ animarum saluti destinatum agnoscentes, præparetis corda vestra Domino, vitæque, ac morum emendatione, necnon bonorum operum studio visitationem nostram ita præveniatis, ut ex ea fructum centuplum expectare possimus.

Implo ratio Divini auxilii per Orationē quadraginta horarum.

§. 6. Cæterum, quia imbecillitatis Nostræ probè conscii, plantare frustrà, ac rigare conaremur, nisi laboribus Nostris ope misericordiæ suæ adesse dignaretur, qui incrementum dat Deus, suique super nos sancti Spiritus liberali manu spargeret unctionem, idcircò ad cœlestem opem concordibus votis efficaciùs implorandam, volumus, ut proximâ sextâ feriâ in nonnullis præfatæ Urbis Patriarchalibus, Collegiatis, & aliis præcipuis Ecclesiis per dilectum filium Nostrum in eadem Urbe Vicarium in Spiritualibus Generalem præscribendis, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum solemni ritu in Altari proponatur, & quadraginta horarum oratio de more celebretur.

Concessio Indulgentiæ pro fidelibus orationibus

§. 7. Hæc autem ut ferventiori Spiritus ardore, majorique fructu fiant, cælestium munerum thesauros, quorum dispensationem Nobis credidit Altissimus, aperire, & erogare decrevimus, Omnibus itaque, & singulis utriusque sexus Christi fidelibus Romæ degentibus, qui verè pœnitentes, & confessi, proxima die Dominicæ, quæ erit in Septuagesima, sacra Communione refecti fuerint, piasque in quavis Ecclesia ad Deum preces effuderint, ut hæc Nostra visitatio utilis sit Ecclesiæ, & animarum saluti, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam concedimus, & elargimur.

Hortatio ad bonam frugem.

§. 8. Agite igitur dilecti filii, Pastoralem solicitudinem, quam paterna charitate vobis impendimus, & hujus nostræ visitationis labores orationibus sublevate, actusque vestros ita disponite, ut non in vacuum gratiam Dei recipiatis, sicque ipsi per omnia placere satagite, ut non modo fides, sed & sancta conversatio vestra annuntiari possit in universo Mundo, vestrique omnium mores in faciem Ecclesiarum Romanum illum Clerum, ac Populum ostendant, quem Beatissimus Princeps Apostolorum Petrus in Christiana Religione primus instituit, & gentium Magister, ac Doctor Paulus præ omnibus erudivit, atque ita in omnibus honorificetur Deus, ut cum ad judicandum venerit, & scrutabitur Hierusalem in lucernis, exaltet nos in tempore visitationis ad videndum in bonitate Electorum suorum, ad lætandum in lætitia gentis suæ, ac laudetur cum hæreditate sua in perpetuas æternitates. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 11. Jan. 1693. Pontificatus Nostri Anno secundo.

D. 11. Januarii 1693 Pont. A. 2.

J. F. Card. Albanus.

Publicatio

Anno à Nativitate Domini Nostri JESU Christi millesimo sexcentesimo nonagesimo tertio, Indictione prima, die verò duodecima mensis Januarii Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri, Domini INNOCENTII Divinâ Providentiâ Papæ XII. Anno Secundo; Supradicta Indictio affixa, & publicata fuit ad valvas Ecclesiæ S. Johannis Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ, in Acie Campi Floræ, & in aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per me Agapitum de Magistris ejusdem Sanctissimi Domini Nostri Papæ Cursorem.

Joannes Grecus Magister Cursorum.

Facul-

XXVII.

Facultates S. R. E. Cardinalium in Adjutores Visitationis Ecclesiarum, & locorum piorum Urbis assumptorum.

Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus pro Visitatione Ecclesiarum, & Locorum Piorum Almæ Urbis à Nobis instituta specialiter deputatis.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Venerabiles Fratres Nostri salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Continuando à præcedenti assumptione Cardinalium in Adjutores declarat facultates.

§. 1. CUM in Pastorali visitatione, quam nuper inchoavimus, & Deo adjuvante prosequi intendimus, Cleri nimirum Romani, & omnium Almæ hujus Urbis Ecclesiarum, piorumque locorum, & operum, Vos potissimum ex Sacro Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Collegio delegerimus, & nobis in eo munere adjutores assumpserimus, adeoque vestrâ operâ in iis, quæ per nosmetipsos præstare non valemus, diligenter inquirendis, examinandis, & exequendis uti cupiamus; Idcircò, ut vestrum ea in re ministerium plus habeat autoritatis, & firmitatis, uberioremque ad cultus divini propagationem, ac animarum salutem, Deique gloriam pariat fructum, providere volentes, vobis, & vestrum cuilibet insolidum circa Visitationem ipsam, eaque durante mandata quæcumque etiam vivæ vocis oraculo per vos à nobis accepta, illis ad quos ea res pertinet referendi, & oretenus per nos ordinata mandandi, quibus relationi, ac mandatis vestris, & cujuslibet vestrum de ordine nostro factis hujusmodi plenam, & indubiam fidem ab omnibus adhiberi, atque firmiter obtemperari tanquam mandatis Nostris Apostolicis volumus, & jubemus; Mandata quoque, & præcepta quæcumque necessaria, & opportuna illis in rebus, quæ visitationis, hujusmodi præparationem, statum, progressum, & executionem concernunt, decernendi, faciendi, atque exequi jubendi; Personas quascumque tam Ecclesiasticas Seculares, & cujusvis Ordinis etiam Cistercienses, ac Sancti Antonii Viennensis, necnon Congregationis, Societatis, etiam Jesu, ac Instituti, necnon Militiarum, etiam Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, Regulares, quàm etiam Laicas pro rebus, & negotiis ad visitationem hujusmodi pertinentibus ad vos vocandi, & personaliter coram vobis comparendum citandi, opportunisque Juris, & facti remediis compellendi.

Mandat adhiberi fidem ordinandis per Card. vivæ vocis oraculo.

Facultas mandandi & exequi mandandi.

Vocandi, & cogendi quoscumque & quales cumque ad comparendum.

Cogendi, ad respondendum, & ferendū testimoniū etiam per censuras

§. 2. Similes item personas quascumqne, & tanquam principales, & tanquam testes, seu tanquam principales, quoad se, & tanquam testes quoad alios examinandi, & ut veritati testimonium perhibeant, admonendi, ac etiam cogendi, juramenta eis deferendi, & ab eis exigendi, & recipiendi ad Sacrorum Canonum præscriptum, ac recusantes per censuras Ecclesiasticas, aliasque pœnas, etiam corporales vobis benevisas compescendi, Memorialia etiam nobis inscripta, & directa, atque instructiones, relationes, delationes, querelas etiam secretas contra quascumque personas accipiendi, & Nobis referendi, seu aliàs, prout rerum, & personarum qualitas requiret, juxta ordinationes nostras, & ex autoritate vobis tradita providendi, Congregationes aliquarum personarum, quæ vobis in consilium super præmissis adhibendæ videbuntur, faciendi, & illas easdem personas autoritate nostra vocandi, & cum eis de negociis visitationis hujusmodi tractandi, consultandi, & deliberandi.

Recipiendi memorialia directa Pontifici etiam secreta, & providendi.

Adhibendi in consilium personas sibi benevisas.

§. 3. Quotiescumque etiam vobis videbitur, ac etiam seorsum à nobis, & iteratis vicibus quarumvis dictæ Urbis, seu extra illam, intra tamen illius districtum consistentium, Patriarchalium, Collegiatarum, Parochialium, seu aliarum Ecclesiarum S. R. E. Cardinalibus ratione tituli, aut denominationis sui Cardinalatus, & aliàs quomodolibet, vel ex quavis causa subjectarum, seu cujusvis Cappellæ, vel Oratorii, necnon Monasteriorum tàm virorum, quàm mulierum, Prioratuum, Domorum, & locorum Secularium, seu cujuslibet Ordinis, etiam Mendicantium, ac etiam Cistercien. & Sancti Antonii Viennen. necnon Congregationis, Societatis, etiam Jesu, ac instituti, & Militiæ etiam Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani, etiamsi illorum capita existant, Regularium, & Hospitalium etiam Nationalium, & Sancti Spiritus, in Saxia, ac etiam exemptorum, nobisque, & Apostolicæ Sedi immediatè subjectorum, & generaliter quorumcumque locorum, & Operum piorum quomodolibet nuncupatorum, & quocumque privilegio, exemptione, & immunitate suffultorum, eorumque Capitulorum, Conventuum, Universitatum, Collegiorum, Congregationum, Confraternitatum, Archiconfraternitatum, etiam Laicorum, etiam nullo alio speciali nostro expectato ordine, vel mandato, aut etiam requisito consensu, vel licentia visitationem faciendi, ac illa, & quælibet illorum visitandi, & in illorum statum, formam, Regulas, Instituta, Regimen, Statuta, consuetudines, vitamque, ritus, mores, disciplinam, doctrinam, & idoneitatem singularum personarum conjunctim, vel divisim, & tam in capite, quàm in membris, necnon circa divinum cultum, religiosam functionem, Ecclesiarum decorem, fructuum, & introituum dispositionem, regularem Religiosorum tam virorum, quàm mulierum observantiam, aliaque omnia, & singula ad actum hujusmodi visitationis quomodocumque spectantia diligenter inquirendi, & ad hunc effectum quæcumque illorum Archivia, Bibliothecas, & quæcumque in illis continentur Documenta, & Instrumenta authentica, scripturas, libros rationum dati, & accepti, computa, & ratiocinia perlustrandi, inspiciendi, perscrutandi, præsertim verò Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, Sacras Reliquias, & quibus ipsum Augustissimum Sacramentum, & Sacræ Reliquiæ, & res ad alia Ecclesiastica Sacramenta pertinentes continentur, Sacra Vasa, Pyxides, thecas, tabernacula, necnon indumenta, ornamenta, & instrumenta, & supellectilem Ecclesiasticam etiam pretiosam diligenter, & accuratè inspiciendi, & ad prædicta exhibenda quascumque personas cogendi, & compellendi.

Ecclesiæ, & loca visitanda, & quoties, etiam Nationalia.

Materia, & subjecta Visitationis.

§. 4. Ac in præmissis omnibus, & singulis quæcumque correctione, emendatione, & reformatione indigere cognoveritis, corrigendi, emendandi, & reformandi, processusque necessarios desuper faciendi, & Nobis referendi, seu juxta Ordinationes nostras in his opportunè providendi, mandata, decreta, statuta, & Ordinationes executioni demandandi, ac custodiri, & observari præcipiendi, demumque omnia alia, & singula, quæ hujusmodi visitationis negocium, ulteriorem progressum, executionem, & in ea facta, & facienda decreta, statuta, & Ordinationes concernunt, & concernent, seu ad ea quomodolibet spectant, & spectabunt faciendi, gerendi, exequendi, mandandi, & ordinandi.

Ordinationes faciendi.

§. 5. Contradictoresque, & vobis in præmissis inobedientes, & rebelles, eisque auxilium, consilium, vel favorem publicè, vel occultè, directè, vel indirectè quomodolibet præstantes per suspensionis, ac etiam privationis Beneficiorum, & Officiorum Ecclesiasticorum, ac per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, & temporales, etiam mancipationis carceri, aliaque opportuna Juris, & facti remedia, appellatione postpositâ compescendi, auxiliumque brachii secularis, si opus fuerit, invocandi, plenam, liberam, amplam, & universam tribuimus potestatem.

Exequendi appellatione remota per juris, & facti remedia etiã carceris, & privationis.

§. 6. Man-

Præcipit obediri.

§. 6. Mandantes propterea omnibus, & singulis ad quos spectat, & spectabit, quacumque dignitate, autoritate, potestate, & præeminentia fungentibus, ut vobis, & cuilibet vestrum in præmissis omnibus, & singulis promptè pareant, & obediant, alioquin sententias, sive pœnas, quas ritè tuleritis, seu statueritis in rebelles ratas habebimus, & faciemus autore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Intendit servari ordinem præcedentiæ, eoque non servato nulli jus acquiri, vel præjudicari.

§. 7. Cæterùm in visitatione hujusmodi Ordinem præcedentiæ inter Ecclesias, Monasteria, & loca quæcumque per vos visitanda, quantum commodè fieri poterit, servari volumus; nulli tamen Ecclesiæ, Monasterio, vel loco, nec ulli Capitulo, Collegio, Conventui, Confraternitari, Archiconfraternitati, aut personæ tam conjunctim, quàm divisim, seu aliàs quomodolibet ejusdem visitationis sive Ordinis hujusmodi in illa servati, vel non servati occasione in aliquo, etiam minimo, quoad præcedentiam, aliasque prærogativas quascumque præjudicari, aut quicquam novi Juris acquiri decernimus, & declaramus.

Visitandi Infirmos, & semel impartiendi benedictionem Apost.

§. 8. Præterea cupientes in prædicta nostra Pastorali Visitatione animarum saluti, quantum in nobis est, prodesse, ac etiam corporales Christi pauperum, præsertim Infirmorum, indigentias paterna charitate sublevare: Circumspectioni vestræ, & vestrûm cuilibet præsentium serie mandamus, ut conjunctim, vel divisim Parochias Ecclesiarum diligenter perlustrare, & perquirere studeatis, atque earum pauperes Infirmos graviter decumbentes singulos nostro nomine visitetis, Apostolicam, & nostram eis benedictionem, ut moris est, semel impartiamini, eosque paternis monitis, & salutaribus consolationibus recreetis, hortantes ipsos, ut in humilitate, & patientia propter Deum corporis infirmitatem, & dolores sustineant, & ad parendum Divinæ voluntati, quandocunque ei placuerit ipsos ex hoc seculo revocare, se piè, & Christianè præparent, sinceroque corde ad Deum conversi humiliter ab eo suorum peccatorum veniam petant, atque omnia Ecclesiastica Sacramenta, quibus Christifideles ex hac vita migraturi se præmunire solent, & debent, devotè, & reverenter suscipiant.

Indulgentia plenaria pro iisdem Infirmis.

§. 9. Nos enim eorum singulis, ante, vel post vestram visitationem, ut præmittitur, pœnitentibus, confessis, & Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento refectis, semel plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem elargimur.

Eleemosyna pro iisdem ab Eleemosynario Palatii.

§. 10. Volumus autem, ut eo interim vobiscum adducatis Dilectum Filium Nostrum, & Palatii Apostolici Eleemosynarium, qui, prout cujusque eorumdem pauperum egestas, & personarum conditio postulaverit, etiam oblatis nostra impensâ charitatis subsidiis, pecuniis, cibis, potu, pharmacis, vestibus, medicorum ope, cæterisque ad victum, seu ad recuperandam valetudinem necessariis, temporalibus, quibus nunc urgentur, eorum necessitatibus succurrat.

Derogatio obstantibus, seu contrariis.

§. 11. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, etiam Conciliaribus, ac Ecclesiarum, Monasteriorum, Hospitalium, Ordinum, Congregationum, Societatis, Militiarum etiam dicti Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani, Archiconfraternitatum, Confraternitatum, & aliorum locorum, & Operum piorum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus etiam immemorabilibus, stabilibus, stabilimentis, usibus, & naturis, ac Stylo Curiæ; privilegiis quoque, Indultis, exemptionibus, & Litteris Apostolicis præmissis, & cujusvis illorum, ac Superioribus, & personis eorum quomodolibet nuncupatis, & qualificatis, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, & decretis, etiam irritantibus in genere, vel in specie, etiam motu proprio, vel ad Imperatoris, Regum, Reginarum, Rerumpublicarum, & Principum quorumlibet preces, & instantiam, seu eorum contemplatione, & intuitu, ac etiam consistorialiter, & alias quomodocumque, & quandocumque concessis, confirmatis, & pluries innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, formas, & occasiones præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, insertis, & servatis respectivè habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse, ac plenissimè derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 16. Januarii 1693. Pontificatus Nostri Anno secundo.

Dat. 16. Jan. 1693. P. A. 2.

J. F. CARD. ALBANUS.

Facultas pro DD. S. R. E. Cardinalibus in Adjutores Visitationis Ecclesiarum, & Locorum Piorum Urbis assumptis exercendi Pontificalia in eisdem Ecclesiis, & locis piis.

XXVIII.

Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus pro Visitatione Ecclesiarum, & Locorum piorum Almæ Urbis à Nobis instituta specialiter deputatis.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Venerabiles Fratres Nostri salutem, & Apost. benedictionem.

Exordium

OFficii Nostri est Pastoralia munera, quæ Divinâ favente clementiâ administranda suscepimus, ea prompto, hilarique animo prosequi, eos verò, quos in eisdem Pastoralibus muneribus prosequendis assumpsimus, & deputavimus, nostræ item mentis est opportunis facultatibus adhuc munire, ut illis suffulti incumbentia onera meliùs subire, & inceptum opus perficere quam, primùm valeant.

Continuando cum facultate visitandi, Cardinalibus Episcopis concedit facultatem exercendi Pontificalia.

§. 1. Cùm itaque occasione Visitationis Nostræ Apostolicæ, quàm in universæ Almæ Urbis, ejusque Districtûs Ecclesiis, Monasteriis, locisque Sacris, & piis nuper indiximus, & per Nosmetipsos obire cœpimus, non rarò comperiri possit, necesse esse in aliquibus ex Ecclesiis hujusmodi Altaria conseerari, campanas, ornamenta, indumentaque Ecclesiastica benedici, Sacramenta ministrari, & alia Pontificalia munera exerceri, Illis ex Vobis in eadem Visitatione Adjutoribus per Nos assumptis, qui consecrationis Episcopalis munus susceperunt, & eorum cuilibet plenam per præsentes concedimus facultatem, ut in quibuscunque, tam intra eandem Urbem, ac propè, & extra illius muros, quàm etiam intra ejusdem Urbis districtum sitis Ecclesiis, etiam Patriarchalibus, nec non Monasteriis, Prioratibus, & Domibus Secularibus, seù cujuscunque Ordinis Mendicantium, vel non Mendicantium, Militiæ, Congregationis, aut Instituti Regularibus, tam virorum, quam mulierum, atque Hospitalibus, Oratoriis, Sacellis, Cœmeteriis, locisque piis, ac religiosis, tam exemptis, Nobisque, & Apostolicæ Sedi immediatè subjectis, quàm etiam non exemptis, & quibusvis etiam S. R. E. Cardinalibus ratione tituli, aut denominationis, seù Cardinalatûs, aut aliàs quomodolibet, & ex

quavis

quavis causa subjectis, Altaria, ac ipsasmet Ecclesias consecrare, aut illa, vel easdem Ecclesias, aut illis annexa reconciliare, seu etiam Cœmeteria, Campanas, Calices, Patenas, Cruces, indumenta, & ornamenta Ecclesiastica quæcumque, & aquam, ut moris est, benedicere, Sacramentum Confirmationis, quod ex ritu in Visitatione ministrari consuevit, quibus, ubi, quando, & quoties illis, seu cuilibet eorum expedire videbitur, ministrare, Sacrosanctum quoque Missæ Sacrificium, nec non Vesperas, & quæcunque alia divina Officia solemni, & Pontificali ritu in Ecclesiis, & locis, in quibus illi id ad majorem animarum consolationem, spiritualemque profectum, & ad ipsam etiam, quam intendimus, reformationem inducendam pertinere judicaverint, celebrare, & decantare, Verbi Dei Prædicationes, & Conciones ad Dei amorem, & timorem in cordibus fidelium excitandum, & accendendum publicè ad Clerum, & Populum, seu aliàs privatim, prout occasio, & necessitas postulabit, habere, aliaque omnia, & quæcunque munia Pontificalia, etiam quæ notam, aut expressionem requirerent magis specialem, & sub generali hujusmodi concessione non comprehenduntur, etiam erga personas alioquin habiles, & idoneas exercere, etiam nullo alio à Nobis expectato, aut requisito mandato, liberè & licitè valeant.

§. 2. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac in Conciliis, etiam Generalibus editis, dictarumque Ecclesiarum, Monasteriorum, Ordinum, Congregationum, Militiarum, Hospitalium, aut Domorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Consuetudinibus; Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 16. Januarii 1693. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

D. 16. Januarii 1693 A. P. 2.

J. F. Card. Albanus.

dependentibus, emergentibus, annexis, & connexis, totoque negotio principali ad Vos auctoritate Nostra avocare, illasque summariè, simpliciter, & de plano, sine strepitu, & figura Judicii, solâ facti veritate inspectâ, & manu Regia audire, cognoscere, & fine debito, prout juris fuerit, terminare.

§. 2. Præterea, ubi contigerit, alicui Altari, etiam pro defunctis privilegiato, seu Capellæ tàm magnum Missarum celebrandarum numerum ex variis defunctorum legatis impositum esse, ut singulis diebus præscriptis nequeat illis satisfieri, quidquid magis ad Dei honorem, Ecclesiarum utilitatem, salutemque animarum eorum, qui legata pia reliquerunt, etiam per translationem partis Missarum hujusmodi ad aliud Altare, seu Altaria, etiam non privilegiata, videritis expedire, re tamen diligenter perspectâ, statuere, & ordinare, ut in eisdem Altaribus commodiùs, ac plenius piæ defunctorum voluntati satisfiat, ita quòd Missæ ad alia Altaria hujusmodi, ad quæ illarum celebrationem transtuleritis celebratæ, illis pro quibus celebrabuntur, perindè suffragentur, ac si ad Altaria privilegiata, seu aliàs juxta eorumdem defunctorum voluntates celebratæ fuissent, cæteraque omnia, & singula in præmissis, & circa ea necessaria, seu quomodolibet opportuna, etiamsi talia sint, vel fuerint, quæ magis specialem, specificam, & expressam requirerent mentionem, facere, dicere, gerere, & exequi liberè, & licitè possitis, & valeatis, Apostolica auctoritate tenore præsentium, plenam, & amplam facultatem concedimus, & impartimur.

Providendi pluralitati Missarum in eodem Altari, etiam per translationem.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dictorum defunctorum, etiam ultimis voluntatibus, quas quoad præmissa sufficienter, & expressè commutamus, nec non Nostrâ, & Cancellariæ Apostolicæ regulâ de non concedendis Indulgentiis ad instar, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 16. Januarii 1693 Pontificatus Nostri Anno Secundo.

Derogationes.

D. 16. Januarii 1693 P. A. 2.

J. F. Card. ALBANUS.

XXIX.

Facultas pro DD. S. R. E. Cardinalibus in Adjutores Visitationis Ecclesiarum, & Locorum piorum Urbis assumptis avocandi ad se causas occasione Visitationis hujusmodi pendentes, nec non transferendi celebrationem Missarum ab Altaribus, ad quæ ob earum multitudinem non possunt celebrari, ad alia Altaria.

Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus pro Visitatione Ecclesiarum, & Locorum piorum Almæ Urbis à Nobis instituta specialiter deputatis.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Venerabiles Fratres Nostri salutem, & Apostol. benedictionem.

Ulterior facultas Cardinalibus Visitatoribus avocandi à quibuscunque Judicibus causas occasione Visitationis pendentes.

§. 1. UT in prosequendo Visitationis Ecclesiarum, & piorum Locorum Almæ Urbis Nostræ munere, ad quos Vos specialiter ex Sacro Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Collegio delegimus, Causæ occurrentes, omni qua fieri potest celeritate, justitia mediante, terminentur, quantum cum Domino possumus, providere volentes; Motu proprio, ac ex certa scientia Nostra ultra alias facultates per diversas Nostras in simili forma Brevis expeditas Literas Vobis attributas, ut omnes, & singulas Causas occasione Visitationis hujusmodi coram quibuscunque Judicibus tàm Ordinariis, quàm Delegatis pendentes, & etiam instructas, in statu, & terminis, in quibus reperiuntur, cum omnibus, & singulis earum incidentibus,

XXX.

Facultas pro DD. S. R. E. Cardinalibus in Adjutores Visitationis Ecclesiarum & Locorum piorum Urbis assumptis, & aliis personis quibuscunque, immiscendi se criminalibus ratione ejusdem Visitationis.

Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus pro Visitatione Ecclesiarum, & Locorum piorum Almæ Urbis à Nobis institutæ specialiter deputatis.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Venerabiles Fratres nostri salutem, & Apost. benedictionem.

Facultas recipiendi querelas, & accusationes Visitationis.

§. 1. QUoniam in prosequendo munere Visitationis Ecclesiarum, & piorum Locorum hujus Almæ Urbis Nostræ, ad quod Vos specialiter ex sacro Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Collegio delegimus, facilè contingere poterit, ut aliqua negotia criminalia pertractanda sint, Nos conscientiarum, ac status vestrorum securitati opportunè providere volentes, Vobis, & cuilibet vestrûm, ut tam conjunctim, quàm divisim durante hujusmodi Visitatione, & illius occasione dumtaxat, quascumque querelas, accusationes, denuntias, contrà quascumque personas, tam Ecclesiasticas, Seculares, vel Regulares, quàm Laicas cujuscumque status, gradus, dignitatis, & præeminentiæ existentes, recipere, & audire, causasque exindè, aut aliàs quomodolibet ex dicta Visitatione, vel illius cau-

Cognoscendi causas etiam criminales

sa emergentes, tam Ecclesiasticas, quàm profanas, ac tam civiles, quàm criminales, & mixtas, sivè ad Procuratoris Fisci, sivè ad aliorum quorumcumque instantiam, aut ex Officio audire, cognoscere, quandoque Nobis referre, & Nobiscum communicare, ac juxtà mandata nostra, seu aliàs, prout Justitia suaserit, & ordo dictaverit rationis, illas decidere, & terminare, aliasque in illis vos immiscere, sine aliquo conscientiæ scrupulo, aut censurarum Ecclesiasticarum, vel etiam irregularitatis incursu, etiamsi indè sanguinis effusio, membrorumque mutilatio, aut etiam ultimi supplicii pœna infligenda venerit, dummodò vos ipsos à sententia sanguinis per vos ipsos ferenda abstineatis, liberè, & licitè valeatis, licentiam concedimus, & indulgemus.

Præservatio abirregularitate.

§. 2. Utque liberiùs ab omnibus denunciationes, querelæ, & accusationes, ac causæ quæcumque ad dictam Visitationem pertinentes deferri possint, omnibus similiter, & singulis personis, tam Laicis, quàm Clericis, etiam in Sacris, & Presbyteratus Ordinibus constitutis Secularibus, & quorumvis Ordinum, Congregationum, & Instituti Regularibus, quavis etiam Episcopali, vel majori Ecclesiastica, vel mundana dignitate, vel præeminentiâ fulgentibus, qui in actu ejusdem Visitationis, seu aliàs illius occasione aliquid quod ad prædictas causas pertineat, per viam denunciationis, querelæ, vel accusationis palàm, vel occultè, sponte, vel ad aliorum etiam Procuratoris Fisci instantiam in judicio, vel extrà judicium revelaverint, aut in præmissis testimonium dixerint, vel aliquid propterea scripserint, subscripserint, indicaverint, vel interrogati responderint, vel ad reos detegendos, convincendos, capiendos, custodiendos, puniendos, indicia, votum, consilium, auxilium, vel favorem per se, vel alium directè, vel indirectè præstiterint, sivè tanquam Judices Ordinarii, vel Delegati, Custodes, Scribæ, Testes, Tabelliones, Consultores, Procuratores, Advocati, seu aliàs se in præmissis quomodolibet ingesserint, ut nullam propterea pœnam, vel censuram Ecclesiasticam, aut irregularitatis notam incurrant, concedimus pariter, & indulgemus.

Etiam pro aliis qui in hoc quomolibet se ingesserint

Derogationes.

§. 3. Non obstantibus Generalis Concilii, atque aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac cujuscumque Ordinis, & Monasterii, atque Ecclesiarum, & aliorum piorum Locorum quorumcumque, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis, statutis, & consuetudinibus, cæteris que contrariis quibuscumque.

Dat. 16. Jan. 1693. P. A. 2.

Datum Romæ, apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 16. Januarii Pontificatus Nostri Anno Secundo.

J. F. Card. ALBANUS.

XXXI.

Deputatio Judicis Causarum, & Executoris Decretorum Visitationis Apostolicæ.

Venerabili Fratri Sperello Episcopo Interamnensi.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Venerabilis Frater salutem, & Apost. benedictionem.

Exordium à causa finali celeris executionis.

§. 1. Ut ea, quæ in Visitatione Ecclesiarum Almæ Urbis Nostræ à Nobis, seu S. R. E. Cardinalibus, in Adjutores Visitationis hujusmodi per Nos specialiter assumptis, salubriter decreta erunt, debitæ executioni quamprimum demandentur, & controversiæ illius occasione, præsertim inter personas Ecclesiasticas, quas litium dispendiis à Dei servitio avocari minimè decet, ad nostram audientiam deducendæ, quantocitiùs terminentur; Te, de cujus probitate, & doctrina plurimum in Domino confidimus, Judicem Causarum, & Executorem Decretorum Visitationis prædictæ autoritate Apostolica tenore præsentium constituimus, & deputamus; Dantes tibi plenam, & liberam facultatem, quæ à Nobis, & Cardinalibus prædictis in eadem Visitatione decreta, statuta, & ordinata erunt, exequi, & observari faciendi, contra inobedientes, aut negligentes, necnon cujuscumque criminis, occasione dictæ Visitationis detecti, reos, & delinquentes, eorumque complices, & fautores cujuscumque Status, Dignitatis, Ordinis, & conditionis fuerint, per viam accusationis, querelæ, vel denunciationis, etiam summariè, simpliciter, & de plano, sine strepitu, & figura Judicii, sola facti veritate inspecta, inquirendi, & procedendi, reosque, prout Canonicæ requirunt sanctiones, & aliàs nostro, seu eorundem Cardinalium arbitrio, puniendi, ac tam super præmissis, quàm etiam alias quascumque in eadem Visitatione, aut etiam antea, per Nos tamen tibi e iam absque speciali commissione committendas Causas Ecclesiasticas, vel profanas, civiles, criminales, aut mixtas inter Capitula, Conventus, Collegia, Universitates, Confraternitates, Archiconfraternitates, eorumque Superiores, ac singulares personas Ecclesiasticas, Seculares, vel cujusvis Ordinis etiam Mendicantes, Regulares, etiam exemptas, & quovis Privilegio, vel immunitate suffultas, etiam Nobis, & Apostolicæ Sedi immediatè subjectas, seu etiam inter Laicos motas, & movendes, cum earum omnibus incidentibus, emergentibus, annexis, & connexis, etiam summariè, simpliciter, & de plano, & aliàs, ut præfertur, terminis substantialibus, unico contextu, vel etiam non servatis, sed illorum loco præfixo termino arbitrio tuo, & de ejusdem Visitationis mandato procedendo, audiendi, ac fine debito terminandi, & ad hunc, cæterorumque contingentium effectum, quoscumque etiam per Edictum publicum, constito summariè, & extrajudicialiter de non tuto accessu, citandi, & monendi, eisque, ac quibusvis Judicibus, & cæteris personis, quibus, & quoties opus fuerit, etiam per simile edictum, ac etiam sub censuris, & pœnis Ecclesiasticis, necnon pecuniariis tuo arbitrio moderandis, & applicandis, inhibendi, contra inobedientes quoscumque censuras, & pœnas, ipsas etiam iteratis vicibus aggravandi, auxiliumque brachii secularis invocandi, mandata, prohibitiones, inhibitiones, & monitoria, etiam sub censuris, & aliis pœnis prædictis, cæterisque tibi benevisis remediis, omni, & quacumque appellatione postposita, decernendi, omniaque in præmissis, & circa ea necessaria, & quomodolibet opportuna faciendi, mandandi, & exequendi, etiam quæ expressionem requirerent magis specialem, & sub generali concessione non venirent, dummodo inconsultis Nobis, aut Cardinalibus prædictis, & nisi de eorum voto in aliquo præmissorum non procedas, nec sententiam feras, aut quicquam exequaris, nec te in aliquo immisceas.

Deputatio in Judicem & Executorem Visitationis.

Appellatione postposita.

Non procedit nisi consulto Pontifice, aut Cardinalibus Visitatoribus.

§. 2. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quarumcumque, etiam Patriarchalium Ecclesiarum, Monasteriorum, Domorum, & Ordinum, Confraternitatum, Archiconfraternitatum, Congregationum, & Hospitalium, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apostolicis, illis, earumque Superioribus, & personis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo obore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 7. Februarii M. DC. XCIII. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

Derogationes.

Dat. 7. Februarii 1693. P. A. 2.

J. F. Cardinalis Albanus.

XXXII.

Facultas Congregationi, & Judici Sacræ Visitationis Apostolicæ standi simplici indicationi scripturarum, & Jurium in Tribunalibus, Archiviis, & Notariorum Officiis Urbis existentium, ac dicto Judici procedendi absque Voto ejusdem Congregationis usque ad sententiam exclusivè.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium Epilogus Brevium præcedentium.

§. 1. ALiàs Nos nonnullos ex Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium Collegio Adjutores in munere Paſtoralis Viſitationis Noſtræ Eccleſiarun, & Locorum, ac operum piorum hujus Almæ Urbis aſſumpſimus, ac illis inter alia facultatem faciendi in præmiſſis proceſſus neceſſarios, aliaque omnia, & ſingula, quæ hujuſmodi Viſitationis negocium, ulteriorem progreſſum, executionem, & in ea facta, & facienda mandata, decreta, ſtatuta, & ordinationes concernunt, & concernent, ſeu ad ea quomodolibet ſpectant, & ſpectabunt, faciendi, gerendi, exequendi, mandandi, & ordinandi, necnon omnes, & ſingulas Cauſas occaſione dictæ Viſitationis coram quibuſcumque Judicibus tàm Ordinariis, quàm Delegatis pendentes, & etiam inſtructas ad ſe autoritate noſtra avocandi, illaſque ſummariè, ſimpliciter, & de plano, ſine ſtrepitu, & figura judicii, ſola facti veritate inſpecta, & manu Regia audiendi, cognoſcendi, & fine debito, prout juris foret, terminandi conceſſimus; Ac Venerabilem Fratrem Sperellum Epiſcopum Interamnenſem in Judicem Cauſarum, & Executorem Decretorum Viſitationis hujuſmodi cum diverſis facultatibus deputavimus, ea lege, ut inconſultis Nobis, aut Cardinalibus præfatis, & niſi de eorum voto in aliquo non procederet, nec ſententiam ferret, aut quicquam exequeretur, nec ſe in aliquo immiſceret, & aliàs, prout in diverſis Noſtris in ſimili Brevis deſuper expeditis Litteris, quarum tenores præſentibus pro expreſſis haberi volumus, uberiùs continetur.

Addit facultatem ſtandi ſimplici indicationi, & ſimplicibus copiis ſcripturarum.

§. 2. Nunc autem celeriori Cauſarum præfatarum expeditioni, & partium diſpendiis, quantùm cum Domino poſſumus, opportunè providere cupientes, motu proprio, ac ex certa ſcientia noſtra, ut tam, Congregatio dictorum Cardinalium per Nos aſſumptorum, quam idem Sperellus Epiſcopus Judex, & Executor, ut præfertur, deputatus in omnibus litibus, & cauſis, quæ coram ipſis reſpectivè in vim facultatum eis reſpectivè per Litteras præfatas attributarum forſan motæ ſunt, & in futurum movebuntur inter quaſcunque perſonas tam Eccleſiaſticas, quàm Laicas, ſeu Eccleſiarum, piorumque Locorum, & operum hujuſmodi Oeconomos, Miniſtros, & Officiales, Executores, ſeu Procuratores quocunque nomine cenſeantur pro & contra, ſimplici, & nudæ Scripturatum, ac Jurium in Tribunalibus, ſeu Archiviis, aut Notariorum Officiis ejuſdem Urbis exiſtentium indicationi, eorumque notis, ac privatis copiis ſtare, & illis ad probationem eamdem fidem in Judicio adhibere poſſint, quam adhiberent, ſi illa in forma publica, & authentica forent tranſſumptata, aut aliàs originaliter exhibita, autoritate Apoſtolica, tenore præſentium, concedimus, ſtatuimus, & ordinamus.

Prohibitionem Judicis, & Executoris Viſitationis non procedendi inconſultò moderatur uſque ad definitivam excluſivè.

§. 3. Necnon eidem Sperello Epiſcopi, Judici, & Executori, ut etiam inconſultis Nobis, ſeu Cardinalibus præfatis, & abſque eorum voto in cauſis ſnpradictis, uſque ad ſententiam definitivam, aut decretum vim definitivæ habens excluſivè, ſervatâ in cæteris formâ, & diſpoſitione dictarum Litterarum ſuper ejus deputatione hujuſmodi emanatarum, procedere liberè, & licitè valeat, facultatem tribuimus, & impartimur. Non obſtantibus quoad ea, quæ præſeutibus quomodolibet adverſantur, præfatis Noſtris Litteris, ac omnibus, & ſingulis illis, quæ in eis voluimus non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 11. Februarii 1693. Pontificatus Noſtri Anno Secundo.

Dat. 11. Febr. 1693. P. A. 2.

J. F. Cardinalis Albanus.

Conſtitutio ſuper exemptione Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & Prælatorum Inferiorum Regni Neapolis à Spoliis, & fructibus inconſumptis, & incommixtis ſuarum Eccleſiarum ad Cameram Apoſtolicam hactenus ſpectantibus, & deinceps in beneficium Eccleſiarum applicandis, & erogandis.

XXXIII.

INNOCENTIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei; Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium

INſcrutabili Æternæ Sapientiæ arcano univerſi Orbis Eccleſiis, meritis licèt imparibus, præſidentes, vigilis more Paſtoris, in omnes agri Dominici partes mentis noſtræ oculos circumferimus, ut quidquid earumdem Eccleſiarum, illarumque Antiſtitum ſtatui, decori, commodis, tranquillitati, & neceſſitati convenire cenſemus, ad majorem Dei gloriam, ſollicitis, & beneficis ſtudiis promoveamus, prout rerum, locorum, & temporum circumſtantiis attentè penſatis, in Domino conſpicimus ſalubriter expedire.

Conſideratur tenuitas reditnum Epiſcopatuum in Regno Neapolis.

§. 1. Hinc dum ad Regni Neapolis Metropolitanas, & alias Cathedrales Eccleſias, ut plurimùm inopes, & exiguas, utpotè inter ſe valdè propinquas, & ad magnum numerum centum triginta quinque, comprehenſis invicem unitis, aſcendentes, quot in pluribus, ac etiam majoribus Regnis, & Dominiis non exiſtunt, convertimus noſtræ conſiderationis intuitum, non ſine gravi animi mœrore perpendimus, pleraſque earum Archiepiſcopales, & Epiſcopales, nec non aliquorum Præſulum Inferiorum, ſeu Dignitatum quaſi Epiſcopalem juriſdictionem, ſeu Ordinariorum jura habentium Menſas, ob diœceſim anguſtias, incolarum, & agricolarum deficientiam, terræmotuum frequentiam, aliaſque temporum injurias, dignitatis ſplendori neceſſariis, ſeu congruis carere reditibus, iſtoſque reſpectu aliquarum Menſarum hujuſmodi vix ad annuam ſummam ſcutorum ducentorum, vel aliam paulò majorem aſcendere; Et propterea præfatas Metropolitanas, & alias Cathedrales, cæteraſque dictorum Prælatorum Inferiorum Eccleſias illâ, quam Dei Domus expoſceret, majeſtate, & eleganti ſtructura, nec non decenti ſupellectile ſacra, neceſſariiſque reparationibus indigere, Miniſtrorum quoque Eccleſiaſticorum ſufficientiam, & idoneitatem ob hujuſmodi vel inopiam, vel non opulentiam deſiderari, piaque opera inibi in dies decreſcere, & alicubi defeciſſe. Unde etiam aures benigniùs, & attentiùs porreximus querimoniis nuper ad Nos pro parte Ven. fratrum Noſtrorum Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum ejuſdem Regni delatis de Spoliorum Subcollectoribus, quibus tamerſi per opportunas Sedis Apoſtolicæ, ejuſque Officialium proviſiones ſatis mandatum fuiſſe noſcatur, ut viventibus Præſulibus hujuſmodi à bonorum ex reditibus ſuarum Eccleſiarum, & multò magis aliunde per eos acquiſitorum ſequeſtratione, poſſeſſione, & occupatione prorſus abſtinerent; nihilominus aliqui ex iiſdem Subcollectoribus, ſuis facultatibus abutentes, nec pœnas, quibus in tranſgreſſores, ut par eſt, juſtitia mediante, animadverti non fuit prætermiſſum, reformidantes, quinimò ubi magis commiſeranda fuiſſet inopia, vel anguſtia, moleſtias, & rigorem lucri gratiâ multiplicantes, ſub ſequeſtrationis, aſſecurationis, vel alio prætextu hujuſmodi, Archiepiſcopos, Epiſcopos. & Prælatos Inferiores ægritudine preſſos, & in extremis etiam laborantes commodo, uſu, & poſſeſſione bonorum præfatorum, vel aliquorum ex illis privare, ſeu aliter ipſos, ipſisque inſervientes perturbare præſumpſerunt.

Indigentia Eccleſiarum.

Moleſtia Subcollectorum pro aſſecurandis Juribus Cameræ Epiſcopo Infirmo vivente.

Eximit à Spolio

§. 2. Cupientes propterea ejuſmodi malis opportunum adhibere remedium, ac decori, commodis, &

indi-

aliàs debito Cam. Apost.

indigentiis respectivè Ecclesiarum, & Antistitum hujusmodi, istorumque in extremis, & sic de summa rerum agentium, tremendumque Dei judicium mox subiturorum, quantùm fieri potest, quieti, & tranquillitati in hac parte consulere; Motu proprio, ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ab omni, quocunque jure, quod ad Cameram Nostram Apostolicam ex antiquissima consuetudine, & Constitutionibus Apostolicis hactenùs spectasse dignoscitur, percipiendi, exigendi, habendi, & assequendi omnes, singulas, & quascunque pecunias, res, effectus, jura, se moventia, & bona etiam stabilia, cujuscunque pretii, valoris, speciei, qualitatis, & quantitatis existant, per memoratos Archiepiscopos, Episcopos, & Prælatos Inferiores dicti Regni, etiam ex Ordinibus Regularibus assumptos, ex reditibus, fructibus, & proventibus suarum Ecclesiarum quomodocumque verè, & proprie acquisita, Spolia nuncupata, nec non fructus naturales à solo separatos, & civiles tempore mortis perceptos, seu exactos ex reditibus præfatarum Ecclesiarum, etiam inconsumptos, & incommixtos, non tamen pendentes, seu inexactos, specialis dono gratiæ perpetuis futuris temporibus dictos Archiepiscopos, Episcopos, & Prælatos inferiores Regni præfati omninò eximimus, & liberamus, ac exemptos, & liberatos esse, fore, & censeri volumus, & mandamus.

Spolium tamen ipsum cedit Ecclesiæ, cui præerat Prælatus.

§. 3. Ad effectum tamen, & non aliàs, aliter, nec alio modo, ut præmissa omnia, & singula ad præfatas Metropolitanas, aliasque Cathedrales, & reliquas, quibus memorati Archiepiscopi, & Episcopi, seu Prælati præfederint, illisque non indigentibus, ad Parochiales Ecclesias eorum regimini commissas spectare, ac ad earumdem favorem, & in beneficium, seu utilitatem cedere, applicari, converti, seu erogari debeant.

Prælati possunt etiam designare in quid sit erogandũ.

§. 4. Præfatis tamen Archiepiscopis, Episcopis, & Prælatis, ut congruos usus, applicationes, & erogationes præmissorum in beneficium, & utilitatem hujusmodi Ecclesiarum in quos, seu quas eadem præmissa applicanda, eroganda, seu expendenda esse censuerint, designare valeant, permittimus, indulgemus, & opportunam facultatem desuper concedimus, & impartimur, ac super præmissis omnibus etiam conscientiam præfatorum Archiepiscoporum, Episcoporum, & Prælatorum oneramus.

Non facta designatione designat Successor cum consilio Capituli.

§. 5. Quod si Archiepiscopi, Episcopi, & Prælati prædicti ad hujusmodi designationem, seu dispositionem devenire noluerint, vel nequiverint, adhuc præmissa omnia, & singula ad dictas Ecclesias, præfertur, similiter spectare, & ad favorem, seu in beneficium, usum, & utilitatem earumdem Ecclesiarum, prudenti Archiepiscoporum, Episcoporum, & Prælatorum hujusmodi Successorum arbitrio, cum suorum Capitulorum scientia, & consilio convertenda, applicanda, & eroganda esse, & fore, omninò volumus, & mandamus.

Inhibetur Capitulis, ne vivente Episcopo impediant usum.

§. 6. Ad hæc Capitulis, & Canonicis dictarum Ecclesiarum, & aliis quibuscunque inhibemus, ne viventes etiam ægrotantes, & in extremis constitutos Archiepiscopos, Episcopos, & Prælatos præmissorum, vel aliquorum ex illis sub sequestrationis, assecurationis, vel alio prætextu privare, seu illos, illisque inservientes quoquomodo perturbare, seu molestare præsumant, sed dumtaxat postquam iidem Archiepiscopi, Episcopi, & Prælati fuerint viam universæ carnis ingressi, memoratis Capitulis, eorumque Vicariis Capitularibus respectivè præmissorum Inventarium ritè, & fideliter conscribendi, illaque interim assecurandi, Archiepiscopis verò, Episcopis, & Prælatis præfatis Successoribus super præmissis, prout de jure inquirendi, procedendi, judicandi, & exequendi, ac cum scientia, & consilio suorum respective Capitulorum, ut præfertur, convertendi, applicandi, & erogandi, omnem, & quamcunque facultatem, jurisdictionem, & auctoritatem necessariam, & opportunam respectivè concedimus, & impartimur.

Inventariũ faciendum post mortem Episcopi.

Episcopus successor inquirat super fidelitate Spolii Antecessoris.

§. 7. Propterea Litteras Apostolicas fel. rec. Pauli III. Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quadragesimo secundo, tertio nonas Januarii, & Pii IV. die vigesima sexta Maji millesimo quingentesimo sexagesimo, aliorumque Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum, si quæ sunt, super præmissis editas, etiam speciali, & individuâ notâ dignas, nec non omnes, & quascunque facultates, jurisdictiones, & auctoritates, tàm in genere, quàm in specie, dilecto filio moderno, ac pro tempore existentibus in dicto Regno Sedis præfatæ Nunciis, & Collectoribus generalibus, illorumque Subcollectoribus concessas in omnibus, & singulis, quæ præmissis adversantur, moderamur, reformamus, & ad limites, ac formam præsentium reducimus, & pro moderatis, reformatis, & reductis haberi volumus, & decernimus, illis aliàs in suo robore permansuris; Sicque, & non aliter facultates, jurisdictiones, & auctoritates hujusmodi in posterum quomodocunque concedendas, observari, attendi, & exequi volumus, & mandamus; Districtiùs etiam inhibentes omnibus, & singulis nunc, & pro tempore in dicto Regno existentibus Subcollectoribus, seu aliis Officialibus, & Ministris, ne sub indignationis Nostræ, privationis Officiorum, aliisque gravibus arbitrariis pœnis audeant quoquo modo, seu in aliqua parte præsentibus contravenire.

Pauli III. & Pauli V. aliorumque Litteræ Apostolicæ, ac facultates Nuncii, & Subcollectorum in his reformantur.

§. 8. Per præsentes tamen non intendimus recol. mem. Romanorum Pontificum pariter Prædecessorum Nostrorum Pii V. super rebus sacris, vasibus, ornamentis, & paramentis Ecclesiasticis, ad Ecclesias, quibus defuncti præfederant, spectantibus, tertio Kal. Septembris anno ejusdem Incarnationis millesimo quingentesimo sexagesimo septimo: Julii III. die 26. Junii Anno Incarnationis præfatæ millesimo quingentesimo cum illius declarationibus: Sixti V. die prima Januarii anni millesimi quingentesimi octuagesimi noni: & Urbani VIII. die 5. Aprilis anni millesimi sexcentesimi vigesimi octavi super fructibus Ecclesiarum tempore mortis Archiepiscoporum, seu Episcoporum, vel aliorum pendentibus, vel inexactis, necnon præfatorum Pii IV. die 25. Aprilis anni millesimi quingentesimi sexagesimi primi, & Sixti V. Kal. Februarii anno prædictæ Incarnationis millesimo quingentesimo nonagesimo, super dictarum Ecclesiarum fructibus pro tempore, quo illarum Sedes vacaverint, aliasque, si quæ sint, super his editas Litteras Apostolicas, harum omnium, & singularum tenores circa præmissa pro expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, in aliquo immutare, infringere, seu revocare, sed easdem in suo robore, & statu quoad hæc salvas, illæsas, & illibatas adhuc permanere declaramus, volumus, atque sancimus.

Præservantur Litteræ Apost. super Sacris Supellectilibus.

Præservantur Jura Cam. Apost. pro fructibus pendentibus, inexactis, & tempore Episcopatus vacantis.

§. 9. Decernentes, easdem præsentes Litteras, & in eis contenta quæcunque, etiam ex eo quòd omnes, & singuli supradicti, ac alii quicunque in præmissis quomodolibet jus, vel interesse habentes, seu habere prætendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ, vel dignitatis, seu aliàs specifica, & individua mentione, & expressione digni existant, iisdem præmissis non consenserint, nec ad ea vocati, seu auditi fuerint, tametsi suorum indultorum, vel privilegiorum vigore consentire, seu vocari, & audiri semel, vel pluries quoquomodo debuissent, aut ex alia quantumvis juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in Corpore Juris clauso, ullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis Nostræ, vel interesse habentium consensûs, alioque quolibet, etiam quantumvis magno, ac formali, & substantiali defectu notari, impugnari, infringi, in controversiam revocari, ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcunque juris facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari nullatenus posse, sed easdem præsentes Litteras semper, & perpetuò valiDecreta roborantia cum clausula sublata, & Decreto irritanti.

das

das, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere debere, & ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore quandocunque, & quomodocunque spectabit, inviolabiliter observari. Sicque, & non aliter per quoscunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores; S. R. E. Camerarium, & Cardinales, etiam de Latere Legatos, nec non Cameræ præfatæ Thesaurarium Generalem, & Præsidentes Clericos, præfatumque in dicto Regno Nuncium, & Collectorem, aliosque quoscunque qualibet auctoritate, præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, Sublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & definiri debere; Irritum quoque, & inane si secus super his à quoquam scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariis.

§. 10. Non obstantibus præmissis, & quatenùs opus sit de jure quæsito non tollendo, aliisque Nostris, & Cancellariæ Apostolicæ regulis, & piæ mem. Symmachi, Pauli II. Pauli IV. aliorumque Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum de rebus Ecclesiæ non alienandis, & alienatis recuperandis, ac præfati Pii IV. de gratiis qualecunque interesse dictæ Cameræ concernentibus intra certum inibi expressum tempus exhibendis, & registrandis, ita ut præsentes Literas ibidem exhiberi & registrari nunquàm necesse sit, aliisque quibuscunque Apostolicis, & in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, nec non Ecclesiarum præfatarum, ac Nunciaturæ Neapolis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis statutis, decretis, usibus, stylis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, & indultis, ac Litteris Apostolicis sub quibusvis tenoribus, & formis, cum quibuscumque, etiam derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibus, aliisque decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine sibilibus etiam consistorialiter, ac aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, ac etiam pluries confirmatis, innovatis, & approbatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur, & insererentur, iisdem præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum harum serie specialiter, & expressè, plenissimè, & ampliissimè derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Fides transsumptorum.

§. 11. Volumus autem, ut earumdem præsentium Litterarum transsumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsùs fides in judicio, & extrà illud habeatur, quæ haberetur præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio pœnalis.

§. 12. Nulli ergo omninò hominum liceat paginam hanc Nostrarum exemptionis, liberationis, voluntatum, mandatorum, permissionis, indulti, concessionum, onerationis, moderationis, reformationis, reductionis, decreti, inhibitionis, declarationis, sanctionis, & derogationis infringere, seu ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

D. 28. Jan. 1693. P. A. 3.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo nonagesimo tertio, tertio Kal. Februarii Pontificatus Nostri Anno tertio.

J. F. CARD. ALBANUS.

B. Card. Prodatarius.

Visa de Curia J. Sacripantes.

D. CIAMPINUS.

Loco † plumbi.

Registrata in Secret. Brevium.

Publicatio

Anno à Nativitate Domini Nostri JESU Christi millesimo sexcentesimo nonagesimo quarto, Indictione secunda, die vero ultima Januarii, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris & Domini Nostri, Domini INNOCENTII, Divinâ Providentia Papæ XII. Anno Tertio: Supradicta Constitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Ecclesiæ S. Joannis Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ, in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per me Marcum Aurelium Pellicciam ejusdem Sanctissimi Domini Nostri Papæ Cursorem.

THOMAS ORLADUS Curs. Magister.

XXXIV. Constitutio, quòd de cætero Officia, loca Montium Vacabilia Romanæ Curiæ, cujuscumque qualitatis sint, per assumptionem ad Cardinalatum illa obtinentium, minimè vacent.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exorditur ab animo vindicandi Romanam Curiam etiam ab umbra maculæ.

EX quo humilitatem Nostram in sublimi Sedis Apostolicæ specula, nullo meritorum Nostrorum suffragio, collocavit Altissimus, nihil profectò (quantùm Divina bonitas dedit) prætermittere conati fuimus, quo Romanæ hujus Curiæ, quam præcæteris ordinatissimam esse decet, decoram undique faciem, ac pulcherrima integritatis laude præfulgentem, sine ruga, & sine macula omnium oculis exhiberemus; præcipuè verò quamcumque ab ea cupiditatis, quæ radix omnium malorum est, suspicionem pro viribus tolleremus, ut ita ii, qui ex adverso sunt, vereantur, nihil habentes malum dicere de Nobis.

Narratur Constitutio moderatoria liberalitatis in Nepotes

§. 1. Hoc sanè consilio per Nostram nuper editam Constitutionem, Carnis, & sanguinis laqueos abrumpere satagentes, salutarem præscripsimus modum circa donationes, & distributionem reddituum Ecclesiasticorum in Consanguineos, vel Affines Romani Pontificis pro tempore existentis, inviolabiliter servandum.

Narratur altera sublatæ solutionis pro Officiis Cameralibus.

§. 2. Eodem subindè animo, tametsi probè sciremus, falsò non minùs, quàm injustè ejusdem Curiæ detractores conqueri de Causarum Cameræ Nostræ Apostolicæ Auditoratus; ac dictæ Cameræ Thesaurariatus Generalium, nec non Clericatuum, & Præsidentatus respectivè Officiorum venalitate, ac si nimirùm pretium, quo aliàs præfata Officia vendebantur, spei cujusdam ad altiores Ecclesiæ gradus ascendendi merces esset, hique propterea pecuniæ potiùs, quàm virtutis intuitu tribui viderentur; cùm tamen revera pretium hujusmodi nonnisi pinguium proventuum, qui ex Officiis prædictis percipiebantur, compensatio foret, neque id unquam impedimento fuerit, quemadmodùm experimentiâ compertum est, quin ii, qui eorum eximiis ita exigentibus meritis, à memoratis Officiis ad sublimiores evecti sunt dignitates, undequaque laudatissimi, ac veri Catholicæ Ecclesiæ cardines extiterint; Nihilominùs ut omnis

ini-

iniquitas oppilaret os suum, ac ne Viri alioqui digni, solvendo tamen pretio dictorum Officiorum impares, ab iis assequendis in posterùm arcerentur, per aliam similem Nostram desuper editam Constitutionem eorundem Officiorum venalitatem perpetuò suppressimus, extinximus, & abolevimus.

Additur motivum præsentiũ Constitutionis, ne per assumptionem ad Cardinalatum vacent Officia, & loca Montiũ vacabilium, ut omnis obloquendi occasio arceatur.

§. 3. Verùm, cùm non omnia uno, eodemque tempore excogitari, nedùm perfici potuerint, & plura adhùc remaneant ultrà prædicta in eadem Romana Curia diversorum generum Officia venalia, quæ sive vigore quorumdam Decretorum à diversis Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris in Consistorio editorum, ac etiam nonnullarum Litterarum Apostolicarum desuper editarum, sive alia forsan ratione, per assumptionem illa obtinentium ad Cardinalatus honorem vacare consueverunt; indeque nonnullis aliqua etiamnum de amplissima Ecclesiastica dignitate lucrum captandi occasio supereſſe videatur; dignam profectò pastorali munere Nostro, quo non ea quæ Mundi sunt, sed Animarum lucra inquirere admonemur, rem facturi Nobis videmur, si in his quoque Pontificiæ Nostræ solicitudinis partes interponamus.

Officiorum pretium solvitur pro pinguibus emolumentis non pro gradu ad Dignitates, dum complura obtinentur ab incapacibus Dignitatis

§. 4. Quamvis enim certissimum sit, atque omnibus exploratum, longè iniquiores hac in re querelas illorum esse, quorum os maledictione, & amaritudine plenum est, & quisque prudens rerum æstimator facilè agnoscat, nonnisi emolumentorum ex Officiis secundò dictis provenientium causâ illorum pretium solvi, nullâ prorsùs excelsioris acquirendi gradus habita ratione, cùm præsertim pleraque ex ejusmodi Officiis à laicis conjugatis, Infantibus, imò etiam Mulieribus obtineri dignoscantur, tantumque absit quod Romani Pontifices pro tempore existentes in Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Promotionibus quidquam de his Officiis cogitare consueverint, ut potiùs non rarò acciderit illos, an promoti per eos Officia hujusmodi obtinerent, prorsùs ignorasse.

Ut clarius appareat solum in promotione reflecti ad merita, decernitur officia non vacare.

§. 5. Nos tamen temporale quodcumque commodum, quòd ex eorumdem Cardinalium creationibus quomodolibet, etiam indirectè, ac præter intentionem, Nobis aut Successoribus Nostris Romanis Pontificibus provenire posset, penitùs removere, atque ita omnem vel minimam suspicandi occasionem eliminare volentes, ne Nos, aut iidem Successores Nostri in tam sublimis muneris amplitudine conferenda alio, quàm egregiæ Virtutis, & insignium meritorum intuitu ducamur, necnon ulterius considerantes admodùm æquum esse, ut ad tanti honoris fastigium evecti, quos pro statu suo juxtà gradus celsitudinem decenter sustinendo majorum expensarum onera subire oportet, præfatorum Officiorum vacatione patrimonii sui detrimentum minimè patiantur: Motu proprio, non ad cujusquam Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, & matura delibratione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, nulla de cætero Officia, & loca Montium vacabilia Romanæ Curiæ tàm hactenùs erecta, quàm in posterum forsan erigenda, cujuscumque speciei, naturæ, qualitatis, & quantitatis existentia, & quocumque nomine nuncupata, etiamsi Prælatitia, aut aliàs specifica, & individua mentione, & expressione digna sint, per promotionem de personis illa obtinentium ad Cardinalatus honorem à Nobis, seu Romanis Pontificibus Successoribus Nostris quandocumque faciendam, vacare, sed ea, sicuti præmittitur, obtinentes, si Officia quidem, & loca hujusmodi talia sint, quæ per Cardinales obtineri nequeant, illa ut prius demittere & resignare.

Promoti compatibilia cum dignitate retineant, incompatibilia resignent.

§. 6. Si verò talia sint, quæ per Cardinales obtineri possint, illa una cum eadem Cardinalatus dignitate etiam ut prius retinere, ac omnibus, & singulis prærogativis, præeminentiis, facultatibus, honoribus, emolumentis, cæterisque juribus solitis, & consuetis eis ratione eorumdem Officiorum, & locorum quomodolibet competentibus, & competituris uti, frui, & gaudere, absque alia nova declaratione, indulto, seu dispensatione nostra, aut eorumdem Romanorum Pontificum Successorum Nostrorum desuper facienda, neque ipsos, aut ab eis causam habentes quoscumque pro Officiis, & locis præfatis, eorumque emolumentis perceptis, & in futurum percipiendis, à Camera Nostra Apostolica, seu quovis alio molestari quovis quæsito colore, aut causa ullo unquam tempore posse, aut debere, tenore præsentium perpetuò statuimus, & ordinamus.

Decreta roborantia cum clausula sublata, & decreto irritanti.

§. 7. Decernentes easdem præsentes Litteras & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo quod quicumque in præmissis jus, vel interesse principaliter, vel secundariò, & aliàs quovis modo habentes, seu habere quomodolibet prætendentes ad illa vocati, & auditi, seu causæ, propter quas ipsæ præsentes emanarint, adductæ, verificatæ, & justificatæ non fuerint, aut ex alia quacumque, quantumvis justa, juridica, & rationabili, ac etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessariò exprimenda foret, causa, occasione, colore, ingenio, prætextu, & capite, etiam in Corpore Juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel opreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, & interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam maximo, essentiali, & substantiali, ac incogitato, & inexcogitabili defectu, notari, impugnari, invalidari, annullari, retractari, rescindi, in controversiam vocari, aut ad terminos Juris reduci, seu adversus illa aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque Juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrato, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso quempiam in Judicio, vel extrà illud uti, seu se juvare posse; sed ipsas præsentes Litteras, & in eis contenta hujusmodi semper, & perpetuò firma, valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter, & inconcusse observari; sicque, & non aliter in præmissis omnibus, & singulis censeri, atque ità per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Camerarium, & alios Cardinales, etiam de Latere Legatos, dictæque Cameræ Præsidentes, Clericos, & alios Officiales, & Ministros, cæterosque quoslibet quavis autoritate, & potestate fungentes, & quandocumque functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & autoritate, judicari, & definiri debere; Ac irritum, & inane quicquid secus super his à quoquam quavis autoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogationes.

§. 8. Non obstantibus præmissis, ac quatenùs opus sit, Nostris, & Cancellariæ Apostolicæ Regulis, etiam illa de Jure quæsito non tollendo, nec non fel. rec. Symmachi, Pauli II. Pauli IV. necnon aliorum quorumcumque Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum de rebus Ecclesiæ, & Cameræ præfatæ non alienandis, & malè alienatis recuperandis, & illis non obligandis, nec rec. mem. Pii Papæ IV. Prædecessoris pariter Nostri de gratiis qualecumque interesse Cameræ prædictæ concernentibus in eadem Camera, ejusque libris intrà certum tunc expressum tempus præsentandis, insinuandis, & regiſtrandis, ita ut præsentes Litteras ibidem præsentari, vel insinuari, aut regiſtrari nunquam necesse sit, aliisque Constitutionibus, & Ordinat. Apostolicis, ac dictæ Cameræ, aliisve quibuslibet Statutis, regulis usibus, stylis, & consuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis; privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apost. eidem Cameræ, ac quibusvis aliis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis, etiam

etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, ac Consistorialiter, & aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & approbatis, ac pluries, & quantiscumque vicibus innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium & singulorum tenores, formas, causas, & occasiones præsentibus pro plenè, & sufficienter, ac exactissimè, & accuratissimè expressis, insertis, servatis, & specificatis respectivè habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse, ac plenissimè, & ampliissimè derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides transsumptorum.

§. 9. Volumus autem, ut earumdem præsentium Litterarum transsumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsùs fides in judicio, & extrà illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. 1. Febr. 1693. Pont. Anno 2.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die prima Febr. 1693. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

J. F. Card. Albanus.

Anno à Nativitate Domini Nostri JESU Christi millesimo sexcentesimo nonagesimo tertio, Indictione prima, die vero tertia Mensis Februarii, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, Domini Nostri Domini INNOCENTII Divinâ Providentia Papæ XII. Anno Secundo; Supradicta Constitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Ecclesiæ S. Jo. Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ, in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per me Agapitum de Magistris ejusdem Sanctissimi Domini Nostri Papæ Cursorem.

Joannes Græcus Magister Curs.

XXXV. Constitutio Moderatoria facultatum Protectorum Ordinum Regularium.

INNOCENTIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Causa finalis hujus Constitutionis salubrius regimen Regularium.

§. 1. Christi fidelium, qui spretis seculi hujus illecebris sub suavi Religionis jugo Divini Numinis sese manciparunt obsequiis, salubriori regimini, & felicioribus in Domino progressibus, quantùm Nobis ab Alto conceditur, prospicere satagentes, inter multiplices curas, quibus occurrentium, negotiorumque varietatibus obsidemur, ad illam quoque nostræ considerationis aciem dirigimus, per quam hujusmodi Religiosorum Ordines S. R. E. Cardinalium protectioni commissi, ita ejusdem protectionis perfruantur subsidio, ut claustralis disciplinæ vigor illibatus permaneat, Institutique observantia sarta recta servetur, ac propterea, quæ curæ hujusmodi Protectorum, & quæ censuræ Superiorum regularium respectivè, & magis aptè conveniunt, congrua distinctione ordinentur, seu potiùs, quæ respectu alicujus Ordinis, per Romanos Pontifices Prædecessores Nostros providè desuper ordinata noscuntur, quoad illum confirmationis nostræ munimine constabiliantur, & quo ad eumdem, & alios Ordines præfatis Protectoribus, sive similiter, sive dissimiliter commendatos, pro una, eademque regula ad, limites tamen præsentium, pariformiter constituantur.

Intendit distinguere quæ cõpetunt Protectoribus, & quæ Superioribus.

§. 2. Sanè licèt Sanctus Franciscus de Assisio in ejus Regula, per Sedem Apostolicam confirmata, hisce verbis præceperit -- Per obedientiam ad hoc injungo Ministris, ut petant à Domino Papa unum de Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, qui sit Gubernator, Protector, & Corrector istius Fraternitatis, ut semper subditi & subjecti pedibus ejusdem S. R. E. stabiles in Fide Catholica paupertatem, & humilitatem, & sanctum Evangelium Domini Nostri Jesu Christi, quod firmiter promisimus, observemus -- Nihilominùs nonnulli Romani Pontifices Prædecessores Nostri Protectoris hujusmodi facultates declarandas, finesque, quibus illæ concludi deberent, præscribendos esse, in Domino existimarunt, suisque desuper editis Litteris decreverunt.

Referuntur verba S. Francisci de Protectoribus

Pontifices Prædecessores qualiter intelligenda declararunt.

§. 3. Cùm enim aliqui eorumdem Protectorum suam potestatem nimium extendisse dicerentur in pluribus, ex quibus in Ordine Minorum graves perturbationes, & scandala fuissent exorta, fel. rec. Gregorius Papa XI. Prædecessor Noster suis sexto Kal. Junii Pontificatus sui Anno Tertio expeditis Litteris, ut idem Ordo in sua primæva quiete permaneret, de virtute in virtutem iret assiduè, & quibuslibet amotis præpedimentis, eradicatisque spinis, & tribulis, fructum non solùm consuetum, sed etiam uberiorem afferret, ad radicalem submotionem turbationum, & scandalorum ejusmodi jam exortorum, & ne orirentur in posterùm provideri, ac ejusdem Ordinis pro tempore existentibus Protectoribus transgressionis suæ potestatis occasionem tollere efficaci remedio cupiens: Auctoritate Apostolica eisdem Protectoribus districtiùs inhibuit, ne præsumerent quæcunque ordinata, statuta, sivè disposita, aut ordinanda, statuenda, seù disponenda per Generalia, vel Provincialia, aut Custodialia Capitula infringere, reprobare, corrigere, suspendere, aut dispensare super ipsis, seù contra ea, vel eorum aliquid quomodolibet immutare, nisi contra præmissos articulos in præfata regula, ut præfertur positos, vel aliquam ipsorum existeret manifestè.

Gregorius XI. inhibuit ne Protectores disponerent contra statuta in Capitulis Generalibus, nisi essent contra Regulam.

Neque ullum Prælatum, aut Officialem ponerent, aut deponerent, seu suspenderent, aut impedirent.

§. 4. Aut quemcumque Prælatum, seù Officialem dicti Ordinis, seù alicujus loci ejusdem, quocunque nomine nuncuparetur, ponere, seù instituere; aut deponere, destituere, seù privare, aut à suo Officio suspendere, seù impedire super ejus libero exercitio quovis modo.

Idem de Lectoribus, seu studentibus.

§. 5. Aut aliquem Fratrem Ordinis antedicti ad Lectoratum, aut quamcunque lecturam, seù studium, vel gradum promovere, aut promotos ab eis removere, seù etiam revocare.

Idem de mittendis, aut mutandis Religiosis Conventuum.

§. 6. Aut de loco ad locum mittere, aut mutare, sive alicui Fratrum eorumdem eundi ad quodcunque Monasterium, vel locum alium, vel domum, vel aliquam personam, licentiam impartiri.

Idem quoad Religiosorum delicta punienda, vel condonanda.

§. 7. Et ne insuper quemvis singularem Fratrem memorati Ordinis de quocunque crimine, vel delicto punire, vel à pœna, seu pœnitentia liberare, aut eam minuere, augere, vel immutare.

Idem de usu Cameræ, vel aliorum.

§. 8. Aut etiam alicui Fratri locum, Cameram, Cellam, libros, vel alias res dicti Ordinis concedere, vel ejus usui deputare.

Idem de non amovendis deputatis per Prælatos.

§. 9. Aut quemcunque per Prælatos ejusdem Ordinis, aut alios deputatum quomodolibet amovere.

Intendit comprehendere æqualiter omnes Ordines.

Protectores se non ingerant in rebus aut correctione fratrum nisi in casibus Regulæ, aut Communitate, seu Generali Capitulo deviante.

§. 10. Nec etiam de rebus, aut correctione Fratrum dicti Ordinis, nisi in casibus præmissis contentis in præfata regula, seù eorum aliquo, se aliquatenùs intromittere quovis modo, ita ut dictus Ordo, seu Fratres ejusdem Ordinis in nullo subesset futuris Protectoribus, nisi in casu, in quo ipsorum Fratrum Communis, vel generale Capitulum (quod abesset) à prædictis articulis, vel eorum aliquo deviassent, alioquin si secus fecissent, id decrevit irritum, & inane.

Fratres utentes

§. 11. Et nihilominùs Fratres, qui contra ejusmodi inhibitionem quidquam impetrassent, seu post

inhi-

impetratis contra hanc inhibitionem puniuntur

inhibitionem ejusmodi usi fuissent etiam per alios impetratis, punirentur, illis pœnis, quibus fuissent pro gravibus culpis secundum statuta dicti Ordinis puniendi, & nihilominùs essent actibus privati legitimis, & à suis, si quæ habuissent, suspensi Officiis ipso facto.

Parænesis Greg. XI. ad Protectores, ne daretur ansa alteri remedio.

§. 12. Cæterùm memoratus Gregorius Prædecessor eosdem futuros Protectores hortatus fuit attentiùs, quòd per facti efficaciam sic nominis sui Officii procurarent effectum, ut Ordo ipse per eos non læderetur in aliquo, sed potiùs ab adversis, pro tempore forsan imminentibus, suo opportuno defensionis clypeo protegeretur, & à noxiis præservaretur: sic acturi providè, & æquitatis, ac modestiæ limites servaturi, ut non traheretur ad noxam, quod provisum fuerat ad salutem, sed ex charitativis gestis eorum Ordo præfatus quietem, & consolationem perciperet, & ipsi Protectores magnum apud Deum præmium sortirentur, & super contrario non oporteret dictæ Sedis providentiam aliud remedium adhibere.

Sixtus IV. aliàs Generalis Ordinis Sancti Francisci expertus fuit utilitatẽ præfatæ inhibitionis Greg. XI.

§. 13. Successivè rec. mem. Sixtus Papa IV. etiam Prædecessor Noster, qui cùm sibi in minoribus constituto memorati Ordinis generalis cura, & administratio incubuisset, saluberrimum, opportunum, & necessarium dicto Ordini fuisse conspexerat, ut Protectores ultrà præfixum ab ejusdem Ordinis regula, auctoritatem non extenderent, nam expertus fuerat, & viderat, quanta pax, quies, utilitas, quantaque commoda præfato Ordini, & Fratribus ejusdem ex firma, & inconcussa præfatarum Litterarum dicti Gregorii pariter Prædecessoris observantia provenerant, quæ, & quantæ perturbationes, jacturæ, incommoda, damna, & gravia scandala in dicto Ordine suscitata fuerant, quoties illius Protectores suæ auctoritatis limites excedere attentantes, in particularibus dicti Ordinis, & Fratrum ejusdem causis, & negotiis se intromittere, & usurpata sibi auctoritate ea videre, cognoscere, judicare, & decernere voluerant: Cupiens ut Religio, & Ordo præfatus, quem affectuosissima charitate complectebatur, ut potè quia in eo à teneris annis enutritus, & doctrinà, ac regularibus disciplinis, & moribus institutus fuerat, quieto consistens statu, virtutibus, & meritis augeretur, & multiplicaretur, ut Fidei Catholicæ, & Christianæ Reipublicæ augmentum, & multiplex, ac solidum fundamentum ex ejusdem Ordinis Fratrum operibus, & exemplis, sapientiâ, splendore, ac fructuosis studiis, & prædicationibus provenirent, promptissimo, & liberali animo uti dignum censuit, & debitum, ut ea, quæ pro ipsius Ordinis quiete, pace, tranquillitate, & prosperitate à Romanis Pontificibus Prædecessoribus providè statuta, & ordinata fuerant, illibata perdurarent, suæ approbationis munimine solidavit, interpretatus fuit, & declaravit, prout ipsius Ordinis tranquillitati conspexit salubriter expedire.

Ideo confirmavit Constitutionem ejusdem Gregorii.

§. 14. Præmissa igitur dictarum memorati Gregorii Prædecessoris Litterarum insertione, ac præviâ hujusmodi narrativâ, idem Sixtus Prædecessor, ut de cætero ipsius Ordinis professoribus omnis evagandi extra Religionem occasio tolleretur, & vera suis Prælatis obedientia, in qua Religionis verum, & solidum firmamentum, & robur consistit, exhiberetur, præfatique Ordinis, & Fratrum ejusdem negotia, & causæ non alibi, neque per alios, quàm in ipso Ordine, & per ipsius Prælatos tractarentur, agitarentur, judicarentur, & determinarentur, tunc existentis Generalis dicti Ordinis Ministri, & totius generalis Capituli in hac parte supplicationibus inclinatus, inhibitionem, & Literas præfatas memorati Gregorii Prædecessoris auctoritate Apostolica suarum tenore Literarum approbavit, & robur perpetuæ firmitatis obtinere debere decrevit.

Declaravit auctoritatẽ Protectoris in casu deviationis à fide, vel Regula intelligi de devianti bus universis, non autem singulis in quovis numero.

§. 15. Et per eas Protectori præfato pro tempore existenti, nisi in illis casibus, & articulis in regula dictorum Fratrum expressis, & præfati Gregorii Prædecessoris Litteris declaratis, neque in illius, dum non universi, sed aliqui ipsius Ordinis professores in quovis numero à Fidei unitate, Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ obedientia deviarent, vel regulam præfatam non servarent, sed de eorumdem deviantium, & non observantium regulam correctione, aut reductione, ac aliis quibuslibet causis, & negotiis dicti Ordinis se intromitteret, inhibitum fuisse, dicta auctoritate decrevit, & declaravit.

Parænensis Sixti IV. ad futuros Protectores de præmissis observandis.

§. 16. Hortatusque fuit illum, qui ad Officium Protectionis hujusmodi, quod tunc per obitum bon. mem. Bessarionis Episcopi Sabinensis dicti Ordinis, dum viveret, Protectoris, vacabat, assumi, & deputari contigisset, & ipsius Successores dicti Ordinis Protectores, ac eis in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipiendo inhibuit, ne extra prædictos articulos, & casus in regula præfata contentos, & expressos, nec etiam in illis, cum non universus Ordo, sed aliqua ipsius pars, vel speciales personæ errarent, ipsorum Fratrum querelas audire, seù de ipsorum causis, & negotiis contra Literas, & declarationes hujusmodi intromittere se quoquo modo præsumerent, sed curarent, vigilarent, & intenderent, uti erat eorum Officium, & prædicti Sancti Francisci, & præfatæ Sedis intentio fuerat, ipsum Ordinem in quieto, tranquillo, & pacifico statu conservare, & augere, & ab impugnantibus, molestantibus, & perturbantibus protegere, defendere, & tueri, ne secus agendo Ordinem præfatum non solùm non protegerent, conservarent, & exaltarent, ut tenebantur, sed in animarum suarum pernicem, & dicti Ordinis detrimentum, & scandalum perturbarent, destruerent, & construerent, ut in ejusdem Sixti Prædecessoris Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo septuagesimo secundo, quinto Kal. Februarii Pontificatus sui Anno Secundo expeditis Literis continetur.

Julius II. approbavit utramque Constitutionẽ Greg. XI. & Sixti IV.

§. 17. Quas, at alias præfatas memorati Gregorii Prædecessoris Literas piæ mem. Julius Papa II. Prædecessor Noster, qui in minoribus constitutus Cardinalatus honore fulgens, dicti Ordinis Protector viginti sex annis, & ultra fuerat, dictosque Fratres tanquam peculiares filios in visceribus charitatis gerens, eadem commoda, & tranquillitatem sinceris affectibus exoptabat, prævia ambarum præfatarum insertione, aliis suis Litteris sub Dat. Anno Incarnationis præfatæ millesimo quingentesimo octavo, Idibus Octobris, Pontificatus sui Anno Quarto, approbavit, ac earumdem suarum Litterarum patrocinio communivit.

Nova confirmatio earundem Constitutionum Gregor. XI. Sixti IV. & Julii II.

§. 18. Cupientes itaque, & pluries animo attentè revolvimus, etiam in hac parte Apostolicæ solicitudinis studium apponere, ac nolentes salutaris provisionis remedium jamdiu à Nobis præmeditatum, ac etiam à quampluribus diversorum Ordinum Regularibus suppliciter petitum, diutiùs differre, dictorumque Romanorum Pontificum Prædecessorum vestigiis inhærentes, Motu proprio, ex certa scienti, & matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, nec non de non nullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, & Dilectorum Filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum pietate, doctrina, prudentia, & rerum usu præstantium ad hunc effectum de mandato Nostro congregatorum Consilio; præfatas memoratorum Gregorii, Sixti, & Julii Prædecessorum Litteras tenore præsentium approbamus, confirmamus, innovamus, & ad primævum statum, pristinumque usum reducimus, & reintegramus, illisque in omnibus, & per omnia perpetuum, & inviolabilis firmitatis robur adjicimus.

Declarat hanc moderationem habere locum quoad omnes Ordines.

§. 19. Insuper, ut in omnibus, & singulis quorumcunque Regularium Ordinibus memoratorum Protectorum curæ commissis, seù committi consuetis, una, eademque, & pariformis hujusmodi Protectionum sit, & perpetuò esse debeat regula, & disciplina, omnia, & quæcunque tàm in præfatorum

Prædeceſſorum, ut præfertur, confirmatis, quàm in præſentibus Noſtris Litteris contenta, in omnibus, & ſingulis, ſivè Sancti Franciſci, ſivè cujuſcunque alterius Regulæ, vel Inſtituti, ac quomodocunque erectis, reformatis, ſeu exiſtentibus ac erigendis, reformandis, ſeu futuris, & quomodolibet nuncupatis, ſeu nuncupandis Ordinibus, Religionibus, Congregationibus, vel Reformationibus tàm virorum, quàm mulierum, curæ Protectorum Ordinis, cujus illi, ſeu illæ exiſtunt, generaliter commiſſorum, ſeu commiſſarum, obſervanda, attendenda, ac omnimodæ exequutioni demandanda eſſe & fore, motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus, hac in perpetuum valitura Conſtitutione ſancimus, & mandamus.

Et Protectores ſe ingerere non debere in nullo negocio, ſeu cauſa, quæ non concernat univerſum Ordinem, ſeu totum corpus Religionis.

§. 20. Et nihilominus ne hujuſmodi Protectores in aliquibus negociis, cauſis, ſeu rebus, quæ univerſum Ordinem, ſeu totum corpus Religionis non concernunt, ex quacunque cauſa, occaſione, titulo, ſeu prætextu ſeſe quoquo modo intromittant, ſeu ingerant, etiam tenore præſentium penitùs prohibemus, ſtatuimus, atque decernimus.

Admit Protectoribus quaſcunque cauſas in quacunque inſtantia, & remittit ad Sac. Congreg.

§. 21. Hinc cum, retento præfatarum à Nobis confirmatarum, & ad omnes Ordines Regulares extenſarum, ac præſentium Noſtrarum Litterarum themate, congruere, & in conſequentiam venire videatur, ut memorati Protectores etiam à cognitione, & definitione cauſarum, ſeu litium, vel negotiorum dictos Regulares, vel eorum bona, jura, domos, aliaque ut præfertur particulariter concernentium pariter, ſeu magis abſtinerent: Vice autem verſa cauſæ, lites, inſtantiæ, petitiones, vel negotia hujuſmodi, ſivè ex indultis, privilegiis, aut Conſtitutionibus Apoſtolicis, ſivè ex Regulis, vel Statutis, ſeu Ordinationibus aliquorum Ordinum, ſivè ex declarationibus, vel decretis dictæ S. R. E. Cardinalium aliquibus Congregationibus præpoſitorum, ſivè ex uſu, vel quacunque conſuetudine, in aliqua inſtantia, ſeu gradu cujuſcunque appellationis, vel recurſus, à memoratis Protectoribus, ſeu eorum aliquibus hactenus cognita, examinata, ſeu judicata fuerint, vel cognoſci, examinari, ſeu judicari potuiſſe, vel debuiſſe dignoſcerentur, ſeu prætenderentur: Propterea ut modus, forma, & ordo in præfatis confirmatis, & extenſis, ac præſentibus Noſtris Litteris conſtituti, ſuum plenarium, & conſimilem etiam in hac parte ſortiantur effectum, omnibus, & ſingulis præfatis Indultis, Privilegiis Conſtitutionibus, Regulis, Statutis, Ordinationibus, Declarationibus, Decretis, uſibus, & conſuetudinibus, quorum omnium, & ſingulorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſerti eſſent, pro plenè, & ſufficienter expreſſis habemus, pleniſſimè, & ampliſſimè motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus derogamus, & derogatum eſſe volumus, & mandamus, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ac quamcunque inſtantiam, ſivè gradum cujuſcunque appellationis, vel recurſus coram Protectoribus, ſeu ad Protectores hujuſmodi, removentes, tollentes, ſeu reſecantes, quamcunque inſtantiam, prout de jure, & juxta Ordinis inſtituta relinquimus, & cujuſcunque appellationis, ſeu recurſus gradum, quem ſingulis Cardinalibus Protectoribus tenore præſentium omninò, & abſolutè adimimus, ipſis Cardinalibus, inſimul tamen in Congregatione negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita convenientibus, earundem tenore præſentium reſtituimus, concedimus, tribuimus, & impartimur, ſeu veriùs utrumque; ſeu duplicem appellationis gradum, qui ſuper præmiſſis priùs ad Cardinales Protectores præfatos, & ſucceſſivè, vel reſpectivè, omiſſo medio, ad memoratam Congregationem devolvebantur, in eadem Congregatione conſolidamus, annectimus, & unimus, & ad unum cognitionis, ſeu appellationis gradum reducimus.

§. 22. Ad hæc cum pariter ex Indultis, Privilegiis, ſeu Conſtitutionibus Apoſtolicis, vel ex Regulis, Statutis, ſeu Ordinationibus, ſivè ex uſibus, & conſuetudinibus, vel aliàs quoquo modo, aliqua nonnullos Prælatos, Superiores ſeu alios in aliquibus Ordinibus eligendi, ſeu deputandi, vel alia quæque facultas, ſeu auctoritas nonnulla quæcunque gerendi, committendi, mandandi, demandandi, ſeu ordinandi præfatis Protectoribus, ſeu aliquibus eorum quomodolibet attributa, commiſſa, commendata, ſeu demandata ſpecialiter, vel generaliter contra formam præfatarum Gregorii, & Sixti Prædeceſſorum Litterarum exiſtat; Hinc Nos hujuſmodi electiones, ſeu deputationes ad limites Sacrorum Canonum, ſeu Regularum, & Inſtituti, vel ad modum, & formam in Comitiis generalibus, ſeu per Nos auctoritate Apoſtolica ſtatuendum, & ſtatuendam reducimus, & reductas eſſe volumus, & mandamus:

Facultates Protectoribus ſuper nonnullis viogre Conſtitutionum, vel aliunde competentes reducit ad formam ſtatuendam.

§. 23. Quo verò ad cætera, facultatem, ſeu auctoritatem, quam iiſdem ſingulis Cardinalibus Protectoribus in præmiſſis, & circa ea penitùs adimimus, eorumdem Cardinalium Congregationibus, juxta cujuslibet Congregationis facultates, congrua congruis referendo, ſimiliter reſtituimus, concedimus, tribuimus, & impartimur; ſub ea tamen moderatione, ſeu declaratione, ut præfatæ Congregationes in illis dumtaxat, quæ ad Protectores hujuſmodi ex Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ſeu ex Statutis, Regulis, vel Conſtitutionibus cujuslibet reſpectivè Ordinis, non autem ex uſu, conſuetudine, vel aliàs ſpectarunt, loco eorumdem Protectorum ſubrogentur, & ſubrogatæ ſint, & intelligantur.

Sacræ Congregationes ſubrogantur Protectoribus in iis, quæ competebant ex Conſtitutionibus, non ex uſu vel conſuetudine.

§. 24. Quia verò ſæpè ſæpius contingit, ut in Cauſis, ſeu negotiis, quæ in memoratis dictorum Cardinalium Congregationibus proponuntur, exquiratur ſuper expoſitis informatio, ac quandocunque etiam votum, ſeu delegetur reſolutorum exequutio, eandem proportionem, ſeu diſtinctionem, quam præmiſimus, etiam in hac parte ſervari mandamus, ut nimirum in reſpicientibus totum Ordinem Protectorum Curæ, ut præfertur, commiſſis, ſeu relictis, iiſdem Protectoribus:

Sacre Congregationes valeant à Protectoribus informationes exquirere, & executionem remittere in iis dumtaxat, quæ concernunt univerſum Ordinem.

§. 25. In certis verò Cauſis, & Negotiis, Superiori Generali, ſivè Procuratori Generalis, & in utroque, ſeu alterutro caſu, etiam Congregationi, ſivè Aſſiſtentium, ſivè Definitorum, ſivè Conſultorum, ſivè aliter quomodocunque nuncupatæ hic in Urbe, vel in alio Italiæ loco exiſtenti, in qua Ordinis negotia tractantur, ſeu tractari ſolent, vel debent, & quoad illos Ordines, in quibus hujuſmodi inſimul, & continue conveniens Congregatio non exiſtit, ſed extra Italiam, eidem Procuratori Generali, vel ſoli, vel inſimul etiam nonnullis aliis ejuſdem Ordinis Superioribus, ſeu Prælatis, tametſi in diverſis locis in Italia, ſeu extra eam reſpectivè, ut præfertur, commorantibus, arbitrio ſemper cujuslibet ex præfatis Cardinalium Congregationibus, juxta rerum, locorum, & perſonarum qualitates & circumſtantias reſpectivè, informatio, & Votum ut præfertur, nec non exequutio hujuſmodi, congrua congruis referendo, & ſervatâ cæteroquin quoad ſingulos Ordinis formâ propriæ Regulæ, Statutorum, ſeu Inſtituti, remittatur, delegetur, ſeu committatur.

In relquis ex quirenda, informatio & dirigenda executio Superioribus Regularibus pro loci, & Inſtituti qualitate.

§. 26. Perpendentes etiam Chriſtianæ Reipublicæ pro cæteris expedire, ut Ordinibus Regularibus Prælati inculpatæ vitæ, morumque integritate, virtutibus, meritis, rerumque experientia præſtantiores, & aptiores præficiantur, & ad hunc effectum omnimodam, & ab humanis reſpectibus undequaque immunem, & ſacroſanctam libertatem in illorum electionibus, nedum mirabiliter conferre, ſed requiri, memoratos Protectores in Domino hortamur, & enixè obſecramus, ac Electoribus pariter in Domino, & in virtute Sanctæ Obedientiæ diſtrictè præcipimus, ſeu hortationes, obſecrationes, & præcepta hujuſmodi renovamus, ut in Comitiis præſertim Generali-

In Electionibus Generalibus Protectores favere debent Vocalium libertati.

neralibus, quibus eosdem pro tempore præsidere, & respectivè interesse contigerit, nedum interesse, & aliis intrà Claustra degentibus, sed exteris ipsis quibuscunque, etiam Laicis, quacunque majestate, præeminentia, gradu, & dignitate fulgentibus, propriæ indifferentiæ, ac unici in Dei gloriam, & Religionis bonum respectûs, ita se præbeant singulare specimen, & exemplar, talemque hujus rectæ intentionis, & melioris operationis odorem diffundant, ut illi propterea vexationes, & importunas commendationes, ubi Spiritus Paracletus spirat, & præsidet, inutiles, & incongruas esse, seu fore, certiùs agnoscentes, ab iisdem prorsus abstineant, seu desistant, indèque tàm intrinsecus, quàm extrinsecus, omnibus vexationibus, commendationibus, machinationibus, humanisque finibus eliminatis, & explosis, integra, illibata, & intacta Vocalibus remaneat eligendi facultas, & tàm Superioris Generalis, quam aliorum respectivè Prælatorum, undequaque libera, optima, & canonica sequatur electio, ad quam cum Voto, si quod, & eo modo, quod Protectori juxta cujusque Ordinis Regulas, Statuta, vel aliàs competit, Deum, ejusque honorem, & gloriam dumtaxat præ oculis habens, concurrat.

Absentium vota in electionibus non supplenda

§. 27. Nolumus tamen absentium vota, nec Protectoris, nec cujuscunque alterius, nec etiam ipsarum Cardinalium Congregationum auctoritate suppleri, seu alios Vocales eorumdem absentium loco, seu vice subrogari, deputari, seu eligi, sed jus eligendi in solis, juxta juris, & Instituti regulas ad hunc effectum assumptis, & in destinatis loco, & tempore convenientibus consolidari, seu aliàs, prout de jure, permanere omninò volumus, & mandamus.

Interdicta Protectoribus, si nihilominùs ab iis fiant, declarantur nulla.

§. 28. Ut autem præmissa, omnia, & singula eò magis debitum consequantur effectum, & exequutioni demandentur, ac ad majorem cautelam, seu declarationem, omnia, quæcumque, & singula, quæ in præmissis confirmatis, & extensis, & præsentibus Nostris Litteris sunt quoquo modo explicitè, vel implicitè memoratis Protectoribus interdicta, in posterum annullamus, cassamus, & irritamus, seu potiùs nulla, cassa, inania, irrita, nulliusque roboris, & momenti ipso jure, & ipso facto omni meliori modo declaramus, atque decernimus.

Mandatur Protectoribus ne faciant, & Regularibus ne obediant, nec tolerent.

§. 29. Mandantes iisdem nunc, & pro tempore in futurum existentibus Protectoribus, ne cuncta, vel singula præmissa quoquo modo injungant, faciant, mandent, committant, permittant, sivè tolerent; necnon quibuscunque Regularibus utriusque sexus, tùm Superioribus, etiam Generalibus, tùm Subditis, ne iisdem omnibus, & singulis ut præfertur præmissis pareant, obediant, morem gerant, adhæreant, seu illa tolerent, vel permittant, sivè omnia, vel singula præmissa quæcunque fiant, seu attententur per sententias, vel decreta, sive in forma judiciali, sivè extrajudiciali, tàm per patentes, quàm per privatas Litteras, seu epistolas, sivè per se ipsos, sivè per quoscunque alios, nedum per viam præcepti, jussionis, mandati, vel commissionis, sed etiam commendationis, & sivè palam, sivè secretè, tum in quibuscumque scriptis, tùm oretenùs, & tàm directè, quàm indirectè, mediatè, vel immediatè, ac aliis quibuscunque formis, & modis nihil penitùs omisso, præfatorum omnium conscientias desuper onerantes.

Concessas, & concedendas Protectori facultates revocat & moderatur ad terminos hujus Constitutionis.

§. 30. Propterea omnes, quascunque, & singulas facultates, auctoritates, & jurisdictiones quomodocumque, qualitercunque, & quandocunque, tàm in genere, quàm in specie omnibus, & singulis antehac, sivè nunc existentibus Protectoribus hujusmodi, & tam eorum personis, quàm gradui, muneri, vel Officio concessas, & attributas, vel communicatas, seu ab illis quoquo modo exerceri consuetas, etiam speciali, & individua mentione, moderatione, seu revocatione dignas, earumdem omnium, & singularum tenores, ac si de verbo ad verbum inserti essent, pro plenè, & sufficienter expressis habentes, in omnibus, & singulis, quæ præmissis adversantur, moderamus, reformamus, & ad limites, modum, formam, & tenorem præsentium reducimus, & pro sic moderatis, reformatis, & reductis haberi, censeri, & intelligi volumus, & decernimus, Sicque pariter, & non aliàs quàm servatâ formâ præsentium, omnium, ac singulorum in illis contentorum facultates, jurisdictiones, & auctoritates hujusmodi, necnon deputationes eorundem Protectorum in posterùm quomodocunque concedendas, attribuendas, seu communicandas, & respectivè faciendas, observari, attendi, intelligi, & exequi omninò volumus, & mandamus.

Moderationis Executores deputat Sac. Congregationem Episcoporum, ac Regularium, & Auditorem Cameræ.

§. 31. Quocirca præfatæ Cangregationi memoratorum negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum Cardinalium, & dilecto filio Curiæ Causarum Cameræ Apostolicæ Generali Auditori per Apostolica scripta motu simili mandamus, quatenùs omnibus, & singulis præmissis semper salvis, & in suo robore permanentibus, Congregatio, vel Auditor præfati præsentes Litteras in ea parte, quæ prædictam moderationem, seu limitationem facultatum Protectorum hujusmodi, ac in contrarium desuper ab iisdem Protectoribus gerendorum, nullitatem, seu irritationem dumtaxat concernunt, ubi, & quandocumque opus fuerit, quoties pro parte quorumcunque desuper interesse habentium Congregatio, vel Auditor præfati fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque desuper efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant, auctoritate nostra easdem præsentes in dicta parte dumtaxat firmiter observari, & singulos, quos eædem Literæ in dicta parte concernunt, illis pacificè gaudere, non permittentes eos quomodolibet indebitè molestari, contradictores auctoritate nostra, appellatione postpositâ compescendo.

Decreta roborantia.

§. 32. Decernentes, easdem præsentes Litteras, & in eis contenta quæcunque, etiam ex eo quod omnes, & singuli supradicti, ac alii quicunque cujusvis status, ordinis, conditionis, præeminentiæ, vel dignitatis, seu aliàs specifica, & individua mentione, & expressione digni, in præmissis quomodolibet jus, vel interesse habentes, seu habere prætendentes, iisdem præmissis non consenserint, nec ad ea vocati, seu auditi fuerint, tametsi suorum indultorum, vel privilegiorum vigore consentire, seu vocari, & audiri semel, vel pluriès quoquo modo debuissent, aut ex alia quacunque juridica, privilegiata, & rationabili, ac etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessariò exprimenda foret, causâ, & occasione, colore, prætextu, titulo, etiam onerosò, & capite, etiam in Corpore Juris clauso, ullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel interesse habentium consensûs, aliove quolibet etiam maximo, substantiali, essentiali, & formali, aut incogitato defectu notari, impugnari, infringi, invalidari, retractari, rescindi, in controversiam revocari, ad terminos Juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcunque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, quempiam in Judicio, vel extrà illud, uti, seu se juvare nullatenùs posse, sed easdem præsentes Literas, & in eis contenta quæcumque semper, & perpetuò firma, valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere debere, & ab omnibus ad quos spectat, & pro tempore quandocumque, & quomodocunque spectabit, inviolabiliter, & inconcusse observari.

Decretum irritans, & clausula sublata.

§. 33. Sicque, & non aliter per quoscunque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & quoscunque Nuncios, & Cardinales, etiam de latere Legatos, necnon quascunque eorumdem Cardinalium Congregationes, & quosvis alios qualibet auctoritate, præeminentiâ, & potestate fungentes, & quandocunque functuros, Sublata eis, & eorum

cuilibet

cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & definiri debere, Irritum quoque, & inane, quidquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogationes.

§. 34. Non obstantibus omnibus, & singulis præmissis, & quatenùs opus sit, Nostris, & Cancellariæ Apostolicæ regulis, & signanter illa de jure quæsito non tollendo, & alia, quòd Cardinales in Constitutionibus, & regulis per Nos edendis non comprehendantur, nisi illæ eorumdem Cardinalium favorem concernant, vel ipsæ edendæ Constitutiones de illorum, seù majoris partis eorum consilio editæ fuerint, aliisque quibuscunque, etiam in Generalibus, Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, etiam Apostolicis; Necnon quorumcunque, & singulorum Ordinum Regularium, Religionum, Congregationum, seu Reformationum Institutis, Regulis, Statutis, Decretis, & Ordinationibus quibuscunque, etiam in limine erectionis, fundationis, seu reformationis: etiam in Comitiis Generalibus quoquomodo factis, ac usibus, stylis, & consuetudinibus quibuscunque, etiam centenariis, & immemorabilibus, Privilegiis, quoque & Indultis, ac Litteris Apostolicis quibuscunque, sub quibusvis tenoribus, & formis, & cum quibuscunque, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, ac aliàs quomodolibet, in contrarium præmissorum concessis, editis, confirmatis, & approbatis, ac pluriès, & quantiscumque vicibus innovatis; Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, formas, causas, & occasiones, ac si de verbo ad verbum, nihil penitùs omisso, & formâ in illis traditâ observatâ exprimerentur, & insererentur, iisdem præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, insertis, servatis & specificatis respectivè habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum harum serie specialiter, & expresse ac plenissimè, & amplissimè derogamus, & derogatum esse volumus, & mandamus, cæterisque contrariis quibuscumque,

Fides Transsumptorum.

§. 35. Volumus autem, ut earumdem præsentium Litterarum transsumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extrà illud habeatur, quæ haberetur præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio pœnalis.

§. 36. Nulli ergo omninò hominum liceat paginam hanc nostrarum approbationis, confirmationis, innovationis, reductionum, reintegrationis, sanctionis, mandatorum, prohibitionis, statuti, decretorum, derogationum, voluntatum, ademptionum, restitutionum, concessionum, consolidationis, annexionis, unionis, hortationis, obsecrationis, præcepti, renovationis, annullationis, cassationis, irritationis, declarationis, onerationis, moderationis, & reformationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo nonagesimo tertio, Dat. 16. Febr. 1693 P. A. 3.

Quartodecimo Kal. Martii Pontificatus Nostri Anno Tertio.

B. Card. Prodotarius. J. F. Card. Albanus.

Visa de Curia J. Sacripantes.

D. Ciampinus.

Loco † Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

Anno à Nativitate D. N. Jesu Christi millesimo sexcentesimo nonagesimo quarto, Indict. secunda, die vero decima septima Februarii, Pontific. autem Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. INNOCENTII Divinâ Providentiâ Papæ XII. Anno Tertio, Supradicta Constitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Ecclesiæ Sancti Joannis Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ, in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Joannem Baptistam de Comitibus ejusdem Sanctissimi D. N. Papæ, Cursorem.

Petrus Cannamellinus Curs. Magister.

Confirmatio Decreti Sacræ Congregationis Rituum super approbatione Sententiæ Ordinarii de cultu immemorabili exhibito Beatæ Joannæ Filiæ Alphonsi V. Lusitaniæ Regis Religiosæ Ordinis Sancti Dominici cognomento Sanctæ Principissæ, & casu excepto, à Decretis Urbani Octavi. XXXVI.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium

SAcrosancti Apostolatus cura, quam inscrutabilis Divinæ Sapientiæ, atque bonitatis altitudo humilitati nostræ, meritis licèt, & viribus longè impari, imponere dignata est, Nos urget, ut piis Orthodoxorum Regum magno in Ecclesiam Dei meritorum fulgore conspicuorum votis ad augendam in terris sacrarum Virginum cum Cœlesti Sponso in beata æternitate regnantium, illarum præsertim, quæ in diebus peregrinationis suæ, tametsi in rerum humanarum sublimitate positæ essent, non sperarunt tamen in lubrico divitiarum, sed divini Spiritus depromptum infusione Apostolicum consilium secutæ, cogitarunt quæ sunt Domini, ut essent sanctæ corpore, & spiritu, venerationem laudabiliter tendentibus, favorabilem assensum libentissimè præbeamus.

Decretum S. Congregat. super cultu Immemorabili hujus Beatæ, ac propterea hujus casus exceptio à Decretis Urbani VIII. de non cultu.

§. 1. Cum itaque aliàs, videlicet die X. Julii MDCLXXXVIII. Congregatio Venerabil. Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus Præpositorum Processus super sanctitate vitæ, & virtutibus Beatæ JOANNÆ cl. mem. Alphonsi V. dum vixit, Portugalliæ, & Algarbiorum Regis Illustris natæ, ac Religiosæ Ordinis Sancti Dominici cognomento Sanctæ Principissæ die XII. Maji MCCCCXC. defunctæ auctoritate ordinaria confectos examinaverit, ac commissione introductionis Causæ Beatificationis, seu Canonizationis ejusdem Beatæ JOANNÆ admissa, eaque subindè à fel. rec. Innocentio Papa XI. Prædecessore Nostro signata, in illius executionem vigore Litterarum remissorialium, & compulsorialium, alii Processus in Colymbrin. Elboren. & Ulyxbonen. respectivè Civitatibus super cultu immemorabili ipsi Beatæ JOANNÆ præstito, & casu excepto à Decretis rec. mem. Urbani Papæ VIII. Prædecessoris pariter Nostri in Congregatione Sanctæ Inquisitionis editis Apostolica auctoritate fabricati fuerint, ac Venerabilis Frater modernus Episcopus Colymbrien. prædictæ Congrega-

gregationis Cardinalium Judex Delegatus super eisdem cultu immemorabili dictæ Beatæ JOANNÆ cum scientia, & tolerantia Ordinariorum exhibito, nec non casu, ut præfertur, excepto sententiam protulit; demùm verò ad enixas preces Charissimi in Christo Filii Nostri Petri Portugalliæ itidem, & Algarbiorum Regis Illustris, accedentibus etiam supplicationibus Venerabilium Fratrum Episcoporum, nec non Dilectorum Filiorum Religiosorum, Senatuum, Collegiorum, Academiarum, & Universitatum Regni Lusitanici, & ad iteratas instantias Dilecti pariter Filii Paulini Bernardini Fratris expressè professi Ordinis Prædicatorum, in Sacra Theologia Magistri, Causæ Beatificationis, seu Canonizationis hujusmodi Postulatoris in eadem Congregatione Cardinalium proposito dubio: An Sententia supradicta esset confirmanda in casu, & ad effectum, de quo agebatur, relatisque contentis in dictis Processibus, eisque seriò, & diligenter discussis, atque examinatis, dicta Congregatio Cardinalium, audito pariter in scriptis, & in voce Dilecto Filio Promotore Fidei, de cultu immemorabili constare prædictamque Sententiam confirmandam esse censuerit.

De Officio & Missa cum Octava, prout in rubrica.

§. 2. Hinc est, quod Nos piis, & devotis Petri Regis supplicationibus Nobis super hoc humiliter porrectis favorabiliter annuere cupientes, Decretum à memorata Cardinalium Congregatione editum, ut præfertur, quod scilicet de cultu immemorabili dictæ Beatæ JOANNÆ, & casu excepto à Decretis præfati Urbani Prædecessoris constet, Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; salva tamen semper in præmissis auctoritate præfatæ Congregationis Cardinalium.

Confirmatio Pontificis dicti Decreti.

§. 3. Decernentes easdem præsentes Litteras firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & spectabit, infuturum plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; Ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula sublata.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Derogationes.

§. 5. Volumus autem, ut ipsarum præsentium Litterarum transsumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides tàm in judicio, quam extrà illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Fides Transsumptorum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 4. Aprilis 1693. Pontificatus Nostri Anno secundo.

Dat. 4. Aprilis 1693 P. A. 2.

J. Franciscus Card. Albanus.

XXXVII. Constitutio ut Officium, & Missa Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ cum Octava ubique Terrarum in posterum ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus tàm Secularibus, quàm Regularibus, qui ad horas Canonicas tenentur, de præcepto recitetur.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

IN excelsa Sedis Apostolicæ specula, meritis licèt imparibus, per ineffabilem divinæ bonitatis abundantiam constituti, muneris Nostri esse arbitramur, ut gloriosissimæ Virginis Dei Genitricis Mariæ cultum, & venerationem in Terris, quantum Nobis ex alto conceditur, augere jugiter satagamus. Itaquè pro singulari Nostra ergà eamdem Beatissimam atque Augustissimam Virginem Cœli Reginam devotione, nec non etiam piis, & enixis Charissimi in Christo Filii Nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici supplicationibus Nobis per Dilectum filium nobilem Virum Modernum Ducem de Medina Cœli pro eodem Carolo Rege apud Nos, & Sedem præfatam Oratorem super hoc humiliter porrectis, benignè inclinati, ut Officium, & Missa Conceptionis ejusdem Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ cum Octava, & lectionibus in Octavario Romano dudum à Congregatione tùm existentium S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum approbato contentis, & à die octava ad decimam quintam Decembris ritè dispositis, quod jam pridem ex diversis ejusdem Sedis indultis, seu decretis in plerisque Christiani Orbis Provinciis, & Regnis recitati consuevit, ubique terrarum in posterum ab omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus, tàm Secularibus, quàm Regularibus, qui ad horas canonicas tenentur, de præcepto recitetur, auctoritate Apostolica tenore præsentium mandamus, & decernimus. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem præsentium Litterarum transsumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis eadem prorsùs fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 15. Maji 1693. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

Dat. 15. Maji 1693. P. A. 2.

J. F. Card. Albanus.

Die, Mense, & Anno quibus supra dicta Constitutio affixa fuit ad valvas Principis Apostolorum, ad valvas Curiæ Innocentianæ in Monte Citorio, & in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Joannem Græcum Apostolicum Cursorem.

Publicatio

Pro D. Mag. Cursorum Gregorius Staggius SS. D. N. Papæ Cursorum Decanus.

Erectio, Fundatio, & Deputatio, & Dotatio Hospitii Apostolici Pauperum Invalidorum in Urbe instituti. XXXVIII.

INNOCENTIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

AD exercitium pietatis habentis juxta Apostolorum promissionem vitæ, quæ nunc est pariter, & futuræ, & præsertim Hospitalitatis, cujus studio intenti quandoque Angelos ipsos exceperunt hospitio, mentis Nostræ oculos sedula meditatione convertentes, ut extremæ Pauperum invalidorum Almæ Urbis Nostræ mendicitati consulamus, voce illa Domini per Prophetam dicentis commonemur: Frange esurienti panem, & egenos, vagosque induc in domum tuam: Mandato itidem illo, quod Deus suo Populo Electo per Moysen injunxit, excitamur: Omninò indigens, & mendicus non erit inter vos: Magno demum timore corripimur, dum animo interim perpendimus tremendum novissimæ discussionis examen, in quo Filius Hominis, cùm in Sede Majestatis advenerit, singula in Pauperes pietatis, & charitatis opera sibi facta, aut abnegata rependet, illaque Electis, qui ea exercuerunt, memorabit comiter ad sempiternam retributionem, & gloriam, Repro-

Procœmium ab obligatione subveniendi Pauperibus invalidis.

bis

bis autem, qui ea abnegarunt, exprobrabit acriter ad æternam perditionem, & pœnam.

Hospitale Invalidorum à Sixto V. fundatum, & alia Urbis non sufficiunt.

§. 1. Sanè licèt fel. rec. Sixtus Papa V. Prædecessor Noster providere fategerit, ne ulteriùs Mendici per Urbem præfatam dispersi, & vagantes victum quæritarent, indeque, ut eorumdem animæ simul, & corporis saluti consuleret, Domum hospitalem ad Mendicos hujusmodi utriusque sexus excipiendos, alendos, & vestiendos, propè Pontem Sixtum nuncupatum ad Tyberis ripam fundaverit, erexerit, instituerit, & dotaverit; Quin in Urbe præfata quamplura alia, & quidem ditissima existant Hospitalia, Confraternitates, Conservatoria, Loca, & Opera pia pro variis Pauperum subventionibus instituta, ac valdè considerabiles, & in dies excrescentes eleemosynæ per Romanos Pontifices Prædecessores Nostros, & Nos pariter dispensari consuevissent, & soleant; Nihilominus provida, & pia simul ejusdem Sixti Prædecessoris intentio, tum propter Domus præfatæ alioquin amplæ, sed omnes Mendicos non capientis, tum proprer dotis, alioquin considerabilis, sed omnium Mendicorum substentationi imparis, insufficientiam, tum propter præfati Hospitalis, vel institutum, vel usum recipiendi, & alendi dumtaxat Viros, & Mulieres, non autem Pueros, & Puellas, nec Pauperibus extra illud commorantibus subveniendi, præmeditatum tollendæ mendicationis effectum sortiri non valuit, immenso adhuc eorum superexistente numero, qui vel revera pauperes, & corpore, aut ætate invalidi, per se, aut per alios victum sibi quærere non valentes, vel paupertatem, & invaliditatem simulantes, vel utcunque per se, aut aliis ad id obligatis victum quærere non curantes, nedum per eandem Urbem mendicabant, sed in ipsis etiam Ecclesiis, in quibus ut plurimùm reverentiæ erga Dei Domum, & Sanctissimum Eucharistiæ etiam expositum Sacramentum immemores, ejulatibus, querimoniis, & importunis petitionibus Fideles precibus, Sacrificio Missæ, & divinis Officiis intentos, distrahebant, quin nonnulli crapulæ, & vitiis dediti, flagitiosam vitam agebant, filiosque similibus moribus imbutos educabant, ac vagi, certumque domicilium, & exinde proprium Parochum non habentes, nulliusque censuræ subjecti, quandoque etiam Sacramentis Ecclesiæ contra ejus præcepta refici, seu communiri impunè negligebant.

Distractiones Fidelium tempore divinorum officiorum ob mendicantes.

Vita laxa nonnullorum mendicantium

Narrat in struxisse Palatium Lateranense, & in eo, & in loco pio S. Michaelis Pauperes collocasse.

§. 2. Cupientes itaque pium, & salutare opus aliàs à nonnullis Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris, & præcipuè rec. mem. Pio IV., & Gregorio XIII. inchoatum, semper tamen, ex eo, quòd illi certos reditus pro alimentis Pauperum non assignaverat, irrito conatu dimissum, & ab eodem Sixto Prædecessore constitutum quidem, sed plenario, ut præfertur, destitutum effectu, ampliare, & quantum Nobis ab Alto conceditur, perficere, quo possemus Ecclesiarum reverentiæ consulere, animarum saluti prospicere, verè pauperibus invalidis subvenire, paupertatem, & invaliditatem simulantium fraudibus obviare, quòrumcunque otiosè vivere eligentium desidiæ occurrere, ac salubriori ejusdem Urbis regimini providere, Vagos hujusmodi, & mendicantes omnes revera pauperes, & corpore, vel ætate invalidos, sibique propriis labore, & industria victum quærere non valentes, nec à quibus ali deberent, & possint, habentes, Viros nimirum, Mulieres, & Puellas in Lateranense Nostrum Palatium, Pueros verò in locum seu ædificium ad Tyberis ripam magnam nuncupatam, sub invocatione S. Michaelis hactenus constructum, induximus, dictumque Palatium congrua suppellectile, ac necessariis, & opportunis utensilibus, & mobilibus, non mediocri sumptu comparatis, sufficienter instruximus, parique sumptu tali structurâ distinximus, ut Viri à Mulieribus, & Puellis in discretis, & propriis cujuslibet sexus refectoriis, mansionibus, porticibus, atriis, cellis, Officinis, ingressibus, & scalis, ac in omnibus prorsus sejuncti, & separati commorari interim potuerint, & in posterum possint. Et ne Conjugati, quos, seu quorum alterum hujusmodi paupertas, & invaliditas mendicare coëgerant, subventionis Nostræ remanerent expertes, iisdem, licèt etiam Hospitium præfatum commorantibus, alicujus eleemosynæ subsidio, seu distributione providimus.

Erigit, fundat, & constituit Hospitium Pauperum Invalidorum.

§. 3. Hinc ut ea, quæ, Domino bonorum omnium auctore inspirante, ad ejus majorem gloriam, proximique tùm spiritualem, tùm corporalem salutem, & ædificationem incepimus, eodem incrementum dante, ad illam saltem, cui Cameræ Nostræ Apostolicæ variis necessitatibus pressæ, exiguæ vires suppetere hactenus valuerunt, formam, subsistentiam, & perfectionem reducamus, majorique, quo possumus, commissæ Nobis divinitus auctoritatis munimine constabiliamus, ac propterea ne de infrascriptis Hospitii erectione, fundatione, donationibus, & unionibus, earumque veritate, tenore, validitate, subsistentia, perpetuitate, irrevocabilitate, & immutabilitate ullo unquam tempore, ullo jure, ullove modo, via, seu prætextu dubitari possit, seu contingat; Motu proprio, ex certa scientia, & matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine Hospitium Apostolicum Pauperum invalidorum tenore præsentium perpetuò erigimus, fundamus, & constituimus, seu illud à Nobis jam incœptum, fundatum, & constitutum perpetuò approbamus, confirmamus, & innovamus, ac hujusmodi erectioni, fundationi, & constitutioni perpetuæ, inviolabilis, & irrefragabilis Apostolicæ firmitatis robur, & efficaciam adjicimus.

Pro habitatione Pauperum assignat, & donat Palatium Lateranense constructum à Sixto V. restauratum à Sua Sanctitate.

§. 4. Pro hujusmodi autem Pauperum invalidorum, Virorum nimirùm, & Mulierum, necnon Puellarum habitatione Palatium Apostolicum primariæ Nostræ Ecclesiæ Lateranensi ex uno latere cohærens, situmque in platea, seu plateis pariter Lateranensibus nuncupatis olim à memorato Prædecessore pro habitatione Romanorum Pontificum, qui nihilominis subsequuto centum, & ultra annorum intervallo inibi non habitarunt, ampla, & nobili structura olim ædificatum, jamdiu tamen, & præsertim nuper magna, & prompta reparatione in pluribus ejus partibus, etiam ruinam minantibus, indigens, & propterea aliquarum contignationum jam collapsarum innovatione, nonnullorum laquearium, fornicum, & murorum penè collabentium solidatione, & restauratione, plurimarum lignearum tum portarum, tum fenestrarum refectione, aliisque necessariis, & opportunis reparationibus à Nobis multifariam, magnisque impensis fulcitum, solidatum, & instauratum, necnon ad præfatum Hospitii usum satis commodè reductum, illudque licèt a piæ mem. Paulo Papa V. etiam Prædecessore nostro per suas in forma Brevis die octava Januarii Pontificatus sui anno quarto expeditas Litteras, Archipresbytero, Capitulo, & Canonicis memoratæ Ecclesiæ pro eorumdem Canonicorum habitatione perpetuò donatum, ab iisdem tamen non habitatum, illisque scientibus, & conniventibus à dicta Camera Apostolica jamdiù reassumptum, & in varios Stationis Militum, Lœmocomii, seu Nosocomii tempore pestis, & ut plurimùm Horrei ad reponendum, & conservandum Annonæ frumentum, alioque similes usus redactum, quin ab ipsis etiam Pauperibus, qui inibi extremæ caritatis tempore alebantur, quandoque habitatum, & nihilominus ad majorem cautelam, & quatenus opus esset, à Ven. Fratre nostro Flavio Episcopo Portuensi S. R. E. Cardinale Chisio nuncupato, moderno Archipresbytero, ac à dilectis filiis Capitulo, & Canonicis dictæ Ecclesiæ per acta Ludovici Martoli Notarii publici Curiæ dilecti filii nostri in Urbe Vicarii in spiritualibus Generalis.

die

die prima Martii proximè præteriti retrodonatum, & restitutum, destinamus, assignamus, stabilimus, & constituimus; ad quem effectum nostro sub die quinta Februarii pariter proximè præteriti desuper confecto, & per Nos signato chirographo, ac instrumento in ejus exequutionem mediante dilecto filio Josepho Paravicino nostro, & Cameræ præfatæ Thesaurario Generali, per dilectum filium Petrum Palmerium dictæ Cameræ Secretarium die vigesima tertia ejusdem mensis Februarii rogato, Palatium hujusmodi cum omnibus, & singulis ejus juribus, membris, pertinentiis, usibus, & comoditatibus, exceptis tamen, & ad usum Pontificalium functionum, & benedictionum reservatis Xysto ad easdem benedictiones extructo, & modica ejusdem Palatii parte, juxta delineationem in præfato Instrumento insertam, eidem Hospitio liberè, gratis, & perpetuò donavimus, & assignavimus.

Excipitur quædam pars pro Pontificali benedictione necessaria.

§. 5. Quadam etiam nostra motu proprii cedula sub datum quinto Idus dicti Mensis Februarii quemdam Hortum ad dictam Ecclesiam Salvatoris, seu S. Joannis in Laterano nuncupatam, seu ejus Mensam Capitularem, aut ejusdem Capituli massam minutam itidem nuncupatam, spectantem, propè dictam Ecclesiam mansiones canonicales, & alios fines, necnon quandam domunculam cum suis mansionibus, & viridario, juxtà eandem Ecclesiam, ejusque atrium majus, præfatumque hortum, ad duos ejusdem Ecclesiæ Canonicatus, seu Præbendas spectantem, à præfatis Ecclesia, seu Mensa, aut massa, & respectivè à dictis duobus Canonicatibus, seu præbendis, data tamen iisdem æquivalenti, seu majori retributione, & cum eorum evidenti utilitate, perpetuò dismembravimus, & separavimus, illumque, & illam sic dismembratum, & dismembratam, cum omnibus, & singulis illorum membris, dependentiis, & pertinentiis, omnibusque, & quibuscunque juribus, obventionibus, & emolumentis universis, undecunque provenientibus, Hospitio præfato, à quo, seu à prædicto Palatio pauperum invalidorum habitationis ad supradictos hortum, viridarium, & domunculas mediante transitu super porticum magnam dictæ Ecclesiæ Lateranensis de mandato nostro constructo, patet accessus, ad præfatorum pauperum usum, comoditatem, & utilitatem perpetuò concessimus, assignavimus, & applicavimus, iisdemque perpetuis dismembrationi, separationi, concessioni, assignationi, & applicationi, Capitularis eorumdem Capituli, & Canonicorum præfatæ Ecclesiæ, necnon particularis duorum Canonicorum, prædictos duos Canonicatus, seu præbendas possidentium, per dd. acta præfati Ludovici Martoli eadem die prima mensis Martii proximè præteriti accessit assensus.

Applicatio Horti, Domunculorum, & Viridarii.

§. 6. Pro habitatione verò Puerorum ædificium à quondam Carolo Thoma Odescalco Basilicæ Principis Apostolorum, dum vixit, Canonico, à fundamentis ad Ripam Tyberis magnam nuncupatam sub invocatione S. Michaelis constructum, & ab eo sub protectione dilecti filii Nobilis viri Livii Odescalschi Ducis Cere cum substitutione tamen ad Nostri favorem, quatenus simile opus pium Puerorum ibidem instit.utum non cohtinuaretur, in ejus testamenti, & codicillorum schedula, relictum, & ex causa cessionis jurium in vim dictæ schedulæ competentium, seu permissionis purificationis præfatæ substitutionis, ad quam cessionem, seu purificationis permissionem idem Livius Dux sub consideratione, quòd Locus pius, ubi vix triginta Pueri morabantur, in meliori forma continuari, & perpetuari posset, & inibi pauperes Pueri in longè majori numero hactenus ad trecentos circiter ascendente, sub regimine, seu comprehensione in Hospitio Apostolico à Nobis, ut præfertur, fundato, dotato, & instituto, educari, & ali valerent, mediante publico instrumento per acta dilecti filii Jo. Petri de Cajolis Notarii Capitolini die undecima præfati mensis Martii rogato, cum omnibus, & singulis bonis, juribus, membris, & pertinentiis præfati Loci pii à memorato Carolo Thoma constructi, & instituti, à Nobis acquisitum, aliquaque ex parte ad absolutum habitationis usum redactum, & successivè Deo dante ampliandum, una cum contigua vinea, seu horto, quam, seu quem interim emere curavimus; perpetuò concedimus, assignamus, & applicamus.

Applicatio ædificii Odeschalchi S. Michaelis pro habitatione Puerorum

§. 7. Considerantes præterea, pauperes Pueros Literatos nuncupatos domus, seu Hospitii à Leonardo Cerusio vulgò nuncupato Litterato piè instituti, in via Cursus ejusdem Urbis propè Monasterium S. Sylvestri in Capite nuncupatum sitæ, seu siti, uti pueros victum sibi quærere non valentes, nisi ratione corporis, saltem ratione ætatis, inter pauperes invalidos, & alios pueros Hospitio invalidorum receptos connumerari, adscribi, & reputari posse, ac propterea, ut sub iisdem pauperum invalidorum gubernio, regimine, directione, & administratione nutrirentur, & educarentur, artesque mechanicas, & præsertim opificium, seu artem lanæ, quæ in dd. pauperum Literatorum nuncupatorum domo, seu Hospitio non exercebantur, in præfato Hospitio Apostolico pauperum invalidorum discerent, & apprehenderent, consentaneum fuisse, & fore: Propterea motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus Domum, seu Hospitium pauperum Litteratorum nuncupatorum hujusmodi, necnon quamcunque Congregationem, & protectionem per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros super eadem domo, seu eodem Hospitio puerorum pauperum Litteratorum nuncupatorum hujusmodi, illiusque bonorum, fructuum, redituum, ac proventuum administratione, aut ipsius domus, seu Hospitii eorumdem pauperum puerorum Litteratorum hujusmodi directione quomodolibet constitutam, & deputatam, necnon quamcunque administrationem, & directionem penes quamcunque personam quavis auctoritate, dignitate, aut præeminentia, ac etiam Cardinalatus honore fulgentem, seu penes quoscunque administratores, & deputatos quovis nomine, & titulo existentes, Apostolica auctoritate perpetuò suppressimus, & extinximus, omniaque, & singula domus, seu Hospitii puerorum pauperum Litteratorum nuncupatorum hujusmodi sic suppressæ, & extinctæ, seu suppressi, & extincti res, bona, Ecclesiam, seu Cappellam, non tamen collativam, membra, domos, dependentias, jura, privilegia, prærogativas, honores, & onera, necnon quoscunque reditus, & proventus, obventiones, & emolumenta in quibuscunque rebus consistentia, & undecunque provenientia, ac pertinentias universas, prædicto Hospitio Apostolico pauperum invalidorum, ita quod pueri pauperes literati nuncupati dictæ Domus, seu dicti Hospitii sic suppressæ, & extinctæ, seu suppressi, & extincti, & dicto Hospitio Apostolico pauperum invalidorum, ut infra aggregatæ, seu aggregati, non ampliùs sub eorum, & dictæ domus, seu Hospitii sic suppressæ, & extinctæ, seu suppressi, & extincti denominatione instituto, aut regulis, vel statutis, seu ordinationibus; sed in omnibus, & per omnia sub dicti Hospitii Apostolici per Nos, ut præfertur, erecti nomine, instituto, regulis, statutis, & ordinationibus educarentur, dirigerentur, & viverent, cum ampliſſimis facultatibus, clausulis, cautelis, decretis, & derogationibus latissimè extensis Apostolica auctoritate motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine similibus perpetuò assignavimus, applicavimus, & appropriavimus, & respectivè aggregavimus, & incorporavimus, & aliàs prout in nostra motus proprii cedula

Suppressio Hospitii Littratorũ in via Cursus, & incorporatio, Hospitio Apostolico.

sub datum quinto Idus dicti mensis Februarii uberiùs continetur.

Eidem Hospitio Apostolico incorporat Hospitale Sixtinum, & hujus Administratores adjungit Congregationi gubernanti Hospitium Apost.

§. 8. Perpendentes etiam, nostram, & præfati Sixti Prædecessoris intentionem unam, & eamdem fuisse, tollendi nimirum mendicationem ab Urbe prædicta, & verè mendicis subveniendi, ideòque ut pariter unum, idemque opus pium constituatur, & sic, ac una, eademque Congregatione administretur, & gubernetur, iisdemque regulis, & institutis regatur, & dirigatur, illius feliciori progressui, & salubriori incremento consentaneum esse, & fore; Propterea motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus Hospitale præfatum mendicorum ab eodem Sixto Prædecessore per ejus quinto Idus Maji Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo octogesimo septimo, & Pontificatus sui tertio, & octavo Idus Septembris anno præfatæ Incarnationis millesimo quingentesimo octogesimo octavo, & ejusdem Pontificatus quarto, expeditas Litteras, fundatum, erectum, dotatum, & institutum, omniaque, & singula ejusdem Hospitalis mendicorum ædificia, Ecclesiam, Cappellanias inibi erectas, seu existentes, res, bona, & jura quæcumque, etiam patronatus, seu præsentandi, vel nominandi, membra, domos, dependentias, privilegia, prærogativas, honores, & onera, necnon quoscumque, reditus, proventus, obventiones, & emolumenta quæcunque in quibusvis rebus consistentia, undecunque provenientia, & pertinentias universas quocunque nomine nuncupatas, etiam speciali, & individua nota dignas, memorato Hospitio Apostolico pauperum invalidorum, ita quod liceat eidem Hospitio pauperum invalidorum, sive ejus Congregationis, ejusque Rectoribus, Administratoribus, & Deputatis corporalem, realem, & actualem possessionem præfatorum dicti Hospitalis Mendicorum ædificiorum Ecclesiæ, Cappellaniarum, rerum, bonorum, & jurium quorumcunque membrorum, domorum, dependentiarum, redituum, proventuum, obventionum, & emolumentorum quorumcunque, & pertinentiarum universarum, omniumque aliorum, ut præfertur, expressorum, per se, vel alium, seu alios propria auctoritate liberè apprehendere, & apprehensam perpetuò retinere, illaque locare, dislocare, arrendare, percipere, exigere, levare, & recuperare, & de eisdem liberè disponere, illorumque omnium, & singulorum supradictorum fructus, reditus, & proventus, jura, obventiones, & emolumenta quæcunque in dicti Hospitii Apostolici pauperum invalidorum ad formam præsentium constituti, & confirmati, & mediante præfati Hospitalis Medicorum unione ampliati, in proprios usus, & utilitatem convertere, cujusvis licentiâ desuper minimè requisitâ, ita etiam quod pauperes utriusque sexus dicti Hospitalis Mendicorum per præsentes uniti sub præfati Hospitii pauperum invalidorum per Nos, ut præfertur, erecti, & mediante hujusmodi unione ampliati, seu in unum redacti instituto, regulis, statutis, & ordinationibus in omnibus, & per omnia alantur, dirigantur, gubernentur, & vivant, earumdem tenore præsentium perpetuò, amplissimè, & plenissimè, & irrevocabiliter, omnibusque meliori, validiori, & efficaciori modo unimus, assignamus, applicamus, appropriamus, aggregamus, & incorporamus, ac unum, idemque Hospitium, opusque pium constituimus, & facimus. Cúmque præfatus Sixtus Prædecessor Hospitale prædictum Mendicorum, ut præfertur unitum, in dictis prioribus ejus Litteris per quatuor Viros Clericos, aut Laicos idoneos, & probatos, duos nimirum à Populo Romano in publico Consilio, & reliquos duos à Confratribus Archiconfraternitatis Sanctissimæ Trinitatis Convalescentium, & peregrinorum, annis singulis eligendos, & deputandos, regendum, administrandum, & gubernandum statuerit, nec non Cameræ Apostolicæ Thesaurarium, & Comissarium Generales tunc, & pro tempore existentes, & unà cum præfatis quatuor Administratoribus, seu Deputatis salubri regimini, directioni, & conservationi præfati Hospitalis pauperum mendicorum, illiusque officialium, Ministrorum, bonorum, & jurium, cum facultatibus inibi expressis deputaverit; Propterea unam, eandemque Congregationem utriusque loci, seu unius, ejusdem operis pii insimul incorporati, & in unum Hospitium pauperum invalidorum, ut præfertur, redacti, constituere volentes, infrascriptæ Congregationi pro Hospitio pauperum invalidorum constitutæ, præfatos Thesaurarium, & Commissarium Generales nunc, & pro tempore existentes, & quatuor viros à dicto Sixto Prædecessore pro regimine, administratione, & gubernio dicti Hospitalis pauperum mendicorum deputatos, seu, ut præfertur, deputandos, addimus, aggregamus, unimus, & incorporamus.

Non obstante localis distinctione habitationum Lateranensium ad Ripam, & ad Pontem Sixti, sit unicum Hospitium

§. 9. Volentes, & mandantes, quòd omnes pauperes utriusque sexus, & tam viri, & mulieres, quam pueri, & puellæ, licèt juxtà præsentem statum locali præfatorum Palatii Lateranensis, loci ad Pontem Sixtum, & alterius loci ad Ripam Tyberis magnam nuncupatam, habitatione distincti, & licet etiam aliter in posterum quoad locum, & modum habitationis distinguerentur, seu immutarentur, semper tamen unum, & integrale Hospitium Apostolicum pauperum invalidorum, idemque opus pium constituant, quod ab una eademque Congregatione gubernetur, & sub iisdemque fundatione, erectione, dotatione, instituto, & quibuscunque desuper jam statutis, & concessis, ac statuendis, & concedendis regulis, ordinationibus, gratiis, & privilegiis comprehendantur.

Deliberat augere reditus.

§. 10. Ne autem pii hujus operis finis, qui aliàs fuit, nunc est semper unus, & idem, mendicationem ab Urbe præfata, quoad fieri potest, arcendi, & vere pauperibus, qui nullum, vel saltem non sufficientem victum propriis labore, & industria, ut præfertur, sibi quærere valent, amplius, vel in sui initio deficiat, prout præfatis Romanis Pontificibus, & præcipuè Pio IV. & Gregorio XIII. qui certos reditus non constituerant, evenit, vel in sui progressu: desiderato hujusmodi saltem plenario, destituatur effectu, prout in præfato Hospitali Mendicorum à dicto Sixto Prædecessore, qui illud fundavit, & erexit, ac certos quidem, sed omnium Mendicorum substentationi longè impares reditus assignavit; Decrevimus præfatum Hospitium invalidorum valde majori dote partim ex bonis, seu redditibus præfatorum Hospitii, seu domus Puerorum Literatorum olim nuncupatorum, nec non Hospitalis Mendicorum, ut præfertur, unitorum, plerumque verò ex bonis, juribus, & reditibus per Nos, ut infrà, assignatis, constabilire. Reditus autem, qui ex bonis, & juribus dictæ domus, seu Hospitii Puerorum Literatorum olim nuncupatorum percipiuntur, ultra valorem ædificii, seu domus ubi illi habitabant, ascendunt ad annua scuta mille octingenta circiter; qui autem ex bonis, & juribus dicti Hospitalis Mendicorum percipiuntur, ultra ædificium, quod adhuc pro habitatione Pauperum deservit, ascendunt ad alia annua scuta decem mille circiter.

Enumierat fundos, & redditus, quos assignat.

§. 11. Volentes itaque eidem Hospitio, ejusque perpetuæ subsistentiæ, & successivæ manutentioni, alterius majoris dotationis, seu subventionis ope consulere, iisdem motu, scientia, & potestatis plenitudine, centum millia scutorum monetæ Romanæ per Nos ex ejusdem Cameræ Nostræ fructibus cumulata, ad effectum illa in tot locis Montium dictæ Cameræ non vacabilium, vel in bonis stabilibus, seu censibus ad Nostrum, & Romanorum Pontificum Successorum Nostrorum arbitrium investiendi, prout nuper in censu annui reditus scutorum trium millium fuerunt investita, necnon Burgum domorum in Oppido Nostro Civitatis Vetulæ in loco

vulgò nuncupato la Tenaglia, de mandato Noſtro hactenùs ædificatarum, & in poſterum cum ejuſdem Cameræ fructibus ædificandarum, cum omnibus, & ſingulis earum juribus, membris, & pertinentiis. Item quicquid omnibus Pœnitentiariæ Noſtræ oneribus, & expenſis, ex emolumentis, juribus, fructibus, & obventionibus univerſis dictæ Pœnitentiariæ, ſeu Majori Pœnitentiario Noſtro aliàs aſſignatis, & pro hac parte, ſeu ſumma aliàs reformatis, ſupererit, aſcendentes ad annua ſcuta ſimilia quinque mille circiter: Itidemque alia annua ſcuta duo mille ex eleemoſynis diſpenſationum matrimonialium, quæ alioquin in Pauperum ſubventionem integrè erogantur, fixè, & invariabiliter detrahenda, pariterque illam partem minutorum ſervitiorum, quæ ante ſuppreſſionem venalitatis Officiorum Cameralium dudum à Nobis factam, aſſignata erat in partem dotis, ſeu emolumentorum, vel redituum Cameræ Noſtræ præfatæ Clericis Præſidentibus, aſcendentem ad annua ſcuta duo mille circiter, Hoſpitio Apoſtolico Pauperum invalidorum hujuſmodi purè, liberè, perpetuò, & irrevocabiliter, omni meliori modo donavimus, & aſſignavimus, prout in prædictis Noſtro die quinta dicti menſis Februarii deſuper confecto, & per Nos ſignato Chirographo, ac Inſtrumento in ejus exequutionem rogato, uberiùs continetur.

Contributio Archihoſpitalis S.Spiritus.

§. 12. In quo quidem Chirographo ulteriùs voluimus, & mandavimus, quòd Domus, ſeu Archihoſpitale Sancti Spiritus in Saxia nuncupatum de eadem Urbe, juxta oblationem ex ejus parte Nobis deſuper factam, centum frumenti, & quinquaginta leguminum rubra ipſius Archihoſpitalis expenſis ad Urbem præfatam tranſportata Hoſpitio prædicto Apoſtolico Pauperum invalidorum teneretur ſingulis annis contribuere.

Applicatio nonnullorum Officiorum.

§. 13. Per aliam inſuper Noſtram motus proprii cedulam ſub Datum quinto Idus dicti menſis Februarii, unum Correctoriæ Archivii Romanæ Curiæ per ſuppreſſionem venalitatis Officii Auditoris Cameræ Apoſtolicæ, illiuſque reſtitutionem, & reunionem eidem Cameræ, ſeu Datariæ Apoſtolicæ, aliudque Regiſtri Literarum Apoſtolicarum de non ſalariatis nuncupat. & aliud Scriptoriæ Literarum Apoſtolicarum non diviſum, & aliud S. Pauli, & aliud S. Petri, atque aliud Pii reſpectivè nuncupatorum Militum, necnon aliud Præſidentatus Annonæ, ac reliquum Portionis Ripæ Officia per obitum reſpectivè ſic vacantia, cum omnibus, & ſingulis illorum honoribus, oneribus, ſalariis, juribus, & emolumentis ſolitis, & conſuetis, tam ordinariis, quàm extraordinariis, certiſque, & incertis, etiam ex congregationibus, præſentiis, & officiaturis, ac aliàs undecunque, & quomodocunque provenientia, cum facultate deputandi perſonam, ſeu perſonas per Congregationem dicti Hoſpitii Apoſtolici ad effectum exigendi dictos fructus, & emolumenta quæcunque, necnon Congregationibus, & officiaturis dd. officiorum interveniendi, memorato Hoſpitio Apoſtolico Pauperum invalidorum Apoſtolica auctoritate perpetuò conceſſimus, aſſignavimus, & applicavimus.

Applicatio alterius ſummæ.

§. 14. Ad hæc alia ſcuta undecim mille ſeptingenta, & quinquaginta præfatæ monetæ Romanæ ex trium ſcutiferorum, unius portionis Curſorum, duorum Lauretanorum, aliorum duorum Piorum, & reliqui Lilii nuncupatorum officiorum, quæ per obitum illa poſſidentium nuper vacaverant, pretio retracta, necnon pretium ex officii Notariatus Magiſtrorum Viarum nuncupati pariter per obitum vacantis, venditione retrahendum in Banco Dilecti Filii Franciſci Monthioni Noſtri, & Cameræ prædictæ Depoſitarii Generalis in creditum memorati Hoſpitii Apoſtolici, & ad diſpoſitionem Deputatorum ejuſdem Hoſpitii, ad effectum illa, & illud in tot locis Montium, cenſibus, ſeu ſtabilibus pro hujuſmodi Hoſpitio inveſtiendi per aliud deſuper confectum, & per nos die decima tertia currentis menſis Maji ſignatum Chirographum cum derogationibus, & clauſulis opportunis deponi mandavimus, prout dicta ſcuta undecim mille ſeptingenta, & quinquaginta jam depoſita fuerunt.

Iterum confirmat præfatas aſſignationes, & alia

§. 15. Et nihilominùs præmiſſis noſtris motus proprii Cedulis, Chirographis, & Inſtrumentis harum ſerie majus robur, & pleniorem efficaciam adjicere volentes, illarumque, & illorum, nec non quarumcunque aliarum Litterarum Apoſtolicarum, jurium, documentorum, fundationum, & diſpoſitionum cujuſcunque denominationis, & ſpeciei, quarum, & quorum mentio, expreſſio, ſeu inſertio quoquo modo neceſſaria, vel opportuna fuiſſet, pro plenè, ſufficienter, & de verbo ad verbum expreſſis habentes, motu, ſcientia, deliberatione, & poteſtatis plenitudine ſimilibus præfatas noſtras motus proprii Cedulas, Chirographa, & Inſtrumenta hujuſmodi, omniaque, & ſingula in eis contenta, & expreſſa, non ſolum eo qui in dictis Cedulis, Chirographis, & Inſtrumentis continetur, ſed omni alio meliori, validiori, & efficaciori modo, pleniſſimè, & ampliſſimè earumdem tenore præſentium perpetuò confirmamus, approbamus, & innovamus, ac inviolabiliter, & inconcuſſè ſervari volumus, & mandamus, omneſque, & ſingulos juris, & facti defectus, etiam ſubſtantiales, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſeu interveniſſe dici, cenſeri, aut prætendi poſſent, pleniſſimè, & ampliſſimè ſanamus, & ſupplemus.

Forma providendi Pauperibus non conjugatis

§. 16. Inſuper volentes ad ejuſdem Hoſpitii Apoſtolici Pauperum invalidorum, ut præfertur, erecti, fundati, & dotati, inſtitutum, regimen, normam, & diſciplinam procedere: In primis utriuſque ſexus verè pauperibus matrimonio non conjunctis, & corpore, vel ætate invalidis, ſibique propriis labore, & induſtria victum quærere non valentibus, nec eos à quibus ali deberent, & poſſent habentibus, viris nimirum, mulieribus, & puellis in præfatorum Palatii Lateranenſis, & Domus ad Pontem Sixtum, juxta deſtinationem, & diſtinctionem in poſterum arbitrio infraſcriptæ Congregationis faciendam; Pueris vero in S. Michaelis ad Ripam Tyberis magnam nuncupatam, Hoſpitiis, ſeu locis præfatis, victum, ſimilemque reſpectivè veſtitum præſtari volumus, & decernimus.

De Conjugatis.

§. 17. Poſſit tamen quandoque aliquis conjugatus ad memoratorum Palatii Lateranenſis, ſeu Domus ad Pontem Sixtum Hoſpitium admitti, ejuſdem, & alterius conjugis ſeparatim extra Hoſpitium vivere volentis, mutuo accedente conſenſu, nec non incontinentiæ periculo, & ſuſpicione utrinque ceſſante, & juxta caſuum contingentias, & circumſtantias præfatæ Congregationis arbitrio maturè, & prudenter perpendendas. Pariterque poſſint ejuſdem Congregationis arbitrio ad hujuſmodi Hoſpitium admitti ambo conjugati ſimiliter pauperes, & invalidi, quando ſint ſenes, & ceſſante incontinentiæ periculo, & ſuſpicione, maritus inter viros, uxor autem inter mulieres Hoſpitii præfati ſeparatim, & caſtè vivere elegerint. Et nihilominùs etiam pauperibus invalidis conjugatis, & infantibus, nec eos, à quibus ali deberent, & poſſent, habentibus, tametſi extra hujuſmodi Hoſpitium commorantibus, qui aliàs omninò mendicare cogerentur, volumus, & decernimus eſſe alicujus eleemoſynæ ſubventione ſuccurrendum.

De laboribus corporalibus Pauperum

§. 18. At quia pauperum hujuſmodi non corporibus ſolùm, ſed præcipuè animabus conſulere ſolerter intendimus, ut iidem in otioſa deſidia, à qua plura peccata procedunt, non torpeant, & quo magis fieri poteſt, in pietate, & charitate proficiant, ſtatuimus, & mandamus, quod omnes, & ſinguli, qui non ſint prorsùs inhabiles, ac præſertim pueri, & puellæ, quorum plerique non ſunt corpore invalidi, ſed ratione ætatis, &

præsertim etiam sexus fœminei, nequeunt sibi victum saltem honestè, seu sufficienter acquirere, & desidiosæ mendicitati addictos, seu addictas esse non convenit, debeant juxta qualemcunque cujuslibet aptitudinem ob beneficium Hospitii operari, salvo tamen Congregationis arbitrio aliquibus operantibus aliquam modicam portionem lucri ex opere cujusque illorum resultantis eis dimittendi.

De operibus spiritualibus.

§. 19. Sed quia minus est mala non agere, nisi quisque studeat bonis operibus insudare, volumus etiam, & decernimus, quòd omnes hujusmodi pauperes majori, quâ fieri potest, charitate conviventes, Missæ Sacrificio singulis diebus intersint, Sacramentalem Confessionem, & Eucharisticam Communionem diebus per Directores spirituales Hospitii Apostolici hujusmodi statuendis frequentent, ac quotidiè precibus, & orationibus juxta horarium, ac regulas, & ordinationes desuper præscribendas, devotam operam impendant.

De contravenientiũ correctione, & punitione.

§. 20. Quoties verò pauperes hujusmodi eorum Instituto, disciplinæ, seu regulis contravenerint, seu ea, quâ decet, submissione, Superioribus quibuscumque non paruerint, vel aliàs animadversione digni existimati fuerint, possit Congregatio præfata per se, vel per alios condignis, & opportunis pœnis, etiam carcerationis, tum in Hospitii, ejusque locorum, & habitationum hujusmodi, tùm in publicis carceribus ad bene visum tempus hujusmodi contravenientes, seu inobedientes coërcere. Quod si iidem adhuc relabantur, vel aliàs incorrigibiles, seu ulteriùs non tolerandi existimati fuerint, debeant omninò nostri, & pro tempore existentes in spiritualibus Vicarius Generalis, aliique Judices competentes ad instantiam Congregationis præfatæ hujusmodi relapsos, incorrigibiles, seu amplius non tolerandos exilio, sub comminatione aliarum pœnarum in casu contraventionis exequutioni demandandarum, mulctare, & coërcere, vel aliàs juxta delictorum qualitatem condignis pœnis afficere.

Contra desidiosos mendicantes Jurisdictio Eminentissimi Vic. & Gubernatoris

§. 21. Quòd si ii, qui verè pauperes, & invalidi in Hospitio hujusmodi, ejusque respectivè locis, & habitationibus commorari renuentes, vel ab iis, qui illos alere tenentur, & possunt, alii negligentes, vel pauperes, & invalidi non existentes, seu aliàs propriis labore, & industria juxta suam aptitudinem victum acquirere recusantes, seu non exquirentes, desidiosam vitam agere, & mendicare maluerint, debeant noster, & pro tempore existentis Romani Pontificis in dicta Urbe Vicarius in spiritualibus Generalis, quoad mendicantes in Ecclesiis, earumque portis, seu porticibus, idem verò Vicarius, & dictæ Urbis Gubernator, aliique Judices competentes quoad mendicantes per eandem Urbem, tùm ex officio, tùm multò magis ad quamcunque præfatæ Congregationis hujusmodi Hospitii Præsidentis instantiam, eorum familiis armatis hujusmodi mendicantes carcerandos, & pœnis carceris ad tempus exilii, aliisque eorum arbitrio coërcendos curare, & ut hujusmodi mendicatio prorsùs eliminetur, satagere, invigiletque præfatus pro tempore existens Urbis Gubernator, ut bannimenta contra vagabundos edita, & edenda, ac pœnæ in illis statutæ, & statuendæ omninò & solerter exequutioni demandentur.

Congregationis Hospitii facultas cogendi obligatos ad alendos Invalidos.

§. 22. Cùm autem frequenter contingere possit, ut ii, qui pauperes, & invalidos alere tenentur, & possunt, idipsum indebitè adimplere recusent, seu ab iisdem pauperibus, & invalidis arctari nolint, vel nequeant, invigilet etiam Congregatio præfata Hospitio Apostolico hujusmodi præposita, ut iidem pauperes invalidi sola facti veritate inspecta, manu regia, & cum informationibus etiam extrajudicialibus à quibuscumque Judicibus competentibus, quibus ad hunc effectum necessariam, & opportunam facultatem impartimur, ad hujusmodi alimenta præstanda omnino compellantur.

Indulgentiæ pro existentibus de Congregatione Hospitii.

§. 23. Volentes præterea pauperum invalidorum hujusmodi, nec non Ministrorum, & Officialium quorumcunque in præfato Hospitio, ejusque locis, seu habitationibus commorantium, ac etiam omnium, & singulorum de Congregatione hujusmodi Hospitio Apostolico præsidente existentium, devotionem cœlestium Ecclesiæ thesaurorum elargitione magis magisque excitare, & promovere, de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, & singulis utriusque sexus prædictis, qui in Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, Epiphaniæ, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, Sanctissimæ Trinitatis, & Corporis ejusdem D. N. Jesu Christi, nec non Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, & Nativitatis B. Mariæ Virginis, ac Nativitatis S. Joannis Baptistæ, nec non Apostolorum, & Commemorationis Omnium Sanctorum festivitatibus, verè pœnitentes, & confessi, & sacra communione refecti, pro Christianorum Principum concordia, hæresium, & schismatum extirpatione, & Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem, quæ etiam Animabus Purgatorii per modum suffragii applicari possit, præsentibus in perpetuum valituris, misericorditer in Domino concedimus, ac etiam omnibus, & singulis præfatæ Congregationis ubicunque decedentibus, nec non eis, quos in præfato Hospitio, ejusque locis, seu habitationibus, vel in Hospitalibus infirmorum, ad quæ ab Hospitio, seu locis, & habitationibus præfatis ducti fuerint, decedere ab humanis contigerit, si verè pœnitentes, & confessi, & sacra communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti, nomen Jesus ore si potuerint, sin minùs, corde devotè invocaverint, in eorum mortis articulo, similiter plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem in perpetuum concedimus.

Indultum vescendi prohibitis pro Infirmis, & debilibus.

§. 24. Præterea Pauperibus utriusque sexus hujusmodi in Hospitio præfato, seu ejus locis, vel habitationibus supradictis pro tempore degentibus, quorum infirmitas, vel nimium imbecillis valetudo, aut corporis habitudo jejunium, seu carnium, & lacticiniorum abstinentiam ferre non poterit, ut de utriusque Medici consilio quibusvis Quadragesimalibus, ac Quatuor anni Temporibus, & Vigiliis, aliisque diebus, in quibus jejunium ab Ecclesia indictum, aut carnium, ovorum, & lacticiniorum usus de jure, vel consuetudine, seu aliàs prohibitus existit, vel fuerit, carnibus, ovis, butyro, lacticiniis, & aliis cibis prohibitis hujusmodi uti, & vesci.

Indultum ut absolvi possint à reservatis & censuris

§. 25. Singulis quoque Presbyteris Secularibus, & cujusvis Ordinis Regularibus, qui ad hoc ab infrascripta Congregatione electi, & à prædicto in Urbe Vicario approbati fuerint, ut singulos Pauperes, Ministros, & Servientes hujusmodi Hospitii Apostolici à quibusvis excommunicationis, etiam majoris, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occasione vel causa latis, quibus innodati fuerint, nec non quibuscunque eorum peccatis, criminibus, excessibus, & delictis, quantumcumque gravibus, & enormibus, etiam talibus, de quibus dicta Sedes meritò consulenda foret, videlicet in casibus tam Ordinariis locorum, quàm etiam eidem Sedi reservatis, non tamen in judicium deductis, neque contentis in Litteris in die Cœnæ Domini legi solitis, semel in ingressu dicti Hospitii Apostolici, & iterum ab omnibus supradictis, nullo prorsùs excepto, in mortis articulo, confessione tamen eorum diligenter auditâ, in foro tantùm conscientiæ absolvere, injunctâ inde eis pro modo culpæ suo arbitrio pœnitentiâ salutari, perpetuò concedimus, & indulgemus.

Alia Hospitalia teneantur acceptare infirmos Hospitii.

§. 26. Quotiescunque autem Pauperes in hujusmodi Hospitio, ejusque locis, & habitationibus degentes ægrotare contigerit, ad Nosocomia ejusdem Urbis pro pauperibus ægrotis erecta, & destinata, quæ illos juxta eorum instituta omninò recipere debeant, transmittantur, quique convaluerint, iterum in Hospitio, ejusque loca, & habitationes præfatas reducantur, ita ut accessus, & recessus hujusmodi curribus dd. Nosocomiorum, ut in aliis similibus ægrotis servari solet, peragatur.

Morientium in alio Hospitali vestes restituantur Hospitio.

§. 27. Defunctorum verò vestimenta à Nosocomiis, in quibus illi ab humanis decesserint, Hospitio Apostolico præfato promptè, & fideliter restituantur.

Sacramenta ministranda à Parochis, in quorum districtu idem Hospitium, ejusque loca, & habitationes sita existunt, vel ab aliis de eorumdem Parochorum licentia ministrentur.

§. 28. Cæterum ægrotis, si quos ad Nosocomia ab Hospitio, ejusque locis, & habitationibus hujusmodi transportari non posse aliquando contigerit, Ecclesiæ Sacramenta à Parochis, in quorum districtu idem Hospitium, ejusque loca, & habitationes sita existunt, vel ab aliis de eorumdem Parochorum licentia ministrentur.

Decedentes sepeliendi in sepulturis propriis absque Parochorum emolumento.

§. 29. Illorum verò cadavera, qui in Hospitio Lateranensis decederent, in cœmeterio Hospitalis ad Sancta Sanctorum, quos verò in locis præfatis ad Ripam Magnam nuncupatam, seu ad Pontem Sixtum mori contigerit, in earumdem Ecclesiarum sepulturis, & cœmeteriis interim constructis, aut construendis respectivè, absque ullo Parochorum emolumento sepeliantur.

Obligatio mendicandi ad fores Ecclesiarum.

§. 30. Utque ingentibus expensis, quæ tanto Operi necessariæ sunt, aliqualiter suppleatur, volumus, mandamus, & Apostolica auctoritate Hospitio præfato concedimus, & indulgemus, ut pauperes prædicti, vel in Hospitio conviventes, vel extra illud, ut præfertur commorantes, habitum tamen Hospitii gestantes, & à Congregatione ad hunc effectum eligendi, eleemosynas ad portas Ecclesiarum, & in aliis locis benevisis, nunquam tamen intra Ecclesias, ad beneficium præfati Hospitii, ejusque pauperum alimoniam modestè quæstuare, nedum possint, sed debeant, nec à tali quæstuatione desistatur, seu recedatur, etiamsi reditus hujusmodi Hospitii omnium pauperum invalidorum manutentioni sufficientes, imo excedentes quoquo modo acquirerentur.

Quod supereſt convertendum in Dotes Puellarum.

§. 31. Quicquid enim unquam Deo dante hujusmodi manutentioni supereſſe contigerit, in dotationem puellarum, quæ in Hospitio præfato laudabiliter convixerint, arbitrio Congregationis præfatæ erogandum, & convertendum esse, & fore decernimus.

Puellæ Hospitii habilitantur ad subsidia dotalia pia.

§. 32. Ac ne eædem puellæ subsidiorum dotalium, quæ à Confraternitatibus, locis, & personis piis Urbis præfatæ uberrimè dispensantur, remaneant expertes, ut illæ omnibus, & singulis indultis, facultatibus, & privilegiis puellas aliorum Conservatoriorum, locorum, & domorum piarum ejusdem Urbis ad hujusmodi subsidia assequenda quomodolibet habilitantibus, perinde ac si ipsis, seu memorato Hospicio Apostolico nominatim concessa fuissent, uti, frui, & potiri perpetuò valeant, motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus indulgemus.

Habilitantur etiam ad Nationalia cum dispensatione super requisitis.

§. 33. Et nihilominus easdem præfati Hospitii puellas ad quæcunque subsidia dotalia etiam Nationalia obtinenda, tametsi in eorum propriis, seu particularibus domibus, vel in regionibus, quarum puellis distributio subsidiorum hujusmodi aliquibus, vel singulis annis destinata sunt, non habitent, seu requisita, vel ex dispositione fundatorum, benefactorum, aut largitorum, vel ex quacunque etiam inveterata consuetudine, vel ex quibusvis statutis, vel Constitutionibus Apostolicis præscripta non habeant, similibus motu, scientia, & potestatis plenitudine etiam tenore præsentium amplissimè, & plenissimè, præmissis, & aliis non obstantibus, habilitamus, & dispensamus.

Congregatio pro regimine stabilitur

§. 34. Ac insuper, ut hujusmodi Hospitii pauperum invalidorum perpetuæ conservationi, felici regimini, & salubri progressui, & incremento, majori, qua fieri potest diligentia, & attentione sit opportunè consultum, Congregationum, partim ex Romanæ Curiæ Prælatis, partim ex aliis Viris, omnibus virtute, charitate, pietate, rerumque experientia præstantibus compositam, atque additione, & incorporatione præfatorum Cameræ nostræ Thesaurarii, & Comissarii Generalis, & quatuor pariter probatorum Virorum, ut præfertur, adauctam, & in unum redactam, qui tamen quatuor Viri non amplius ad annum, sed in futurum ad instar cæterorum pariter ad nostrum, & Romani Pontificis pro tempore existentis arbitrium sint, & intelligantur deputati, præficimus, deputamus, & constituimus, seu jam præfectam, deputatam, & constitutam, & ut præfertur, adauctam confirmamus. & innovamus, ut hujusmodi Congregatio pro tempore existens, & nostro, nostrorumque Successorum Romanorum Pontificum arbitrio renovanda, confirmanda, seu constituenda, perpetuis futuris temporibus circa ea, quæ Instituti hujusmodi observantiam, animarum salutem, corporum alimoniam, rectamque Hospitii normam, & disciplinam, nec non œconomicam administrationem, rerumque, bonorum, & jurium conservationem, & defensionem, providam Ministrorum, & Officialium, etiam Sacerdotum, & tàm Regularium, quàm Secularium electionem, distributionem, & amotionem, salva tamen quoad Regulares erga eorum Superiores obedientia, & quamcunque tum spiritualium, tum temporalium superintendentiam, directionem, & administrationem concernunt, in Domino præsideat, solerter invigilet, & incunctanter incumbat, eidemque Congregationi quæcunque Statuta, Ordinationes, Constitutiones, & regulas, licitas tamen, & honestas, sacrisque Canonibus, & Decretis Sacri Concilii Tridentini non adversantes, condendi, & faciendi, ac conditas, & factas toties quoties opus fuerit, corrigendi, mutandi, reformandi, & alia de novo faciendi, opportunam, & amplam facultatem concedimus, & impartimur.

cum facultate condendi statuta, & aliis facultatibus.

Statuta approbata à Pontifice observentur, & juxta ea judicetur.

§. 35. Quæ quidem Statuta, Ordinationes, Constitutiones, & regulæ sic conditæ, correctæ, mutatæ, reformatæ, & de novo factæ, postquam per Nos, & Romanum Pontificem pro tempore existentem approbatæ fuerint, ab omnibus, & singulis, quos illa, & illæ concernunt, inviolabiliter observari volumus, ac juxta eorum & earum dispositionem, & tenorem à quibusvis etiam Judicibus, & Superioribus, sublata aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & definiri debere.

Hortatio ad Fideles pro eleemosynis adfavorem Hospitii.

§. 36. Postremò Christi fideles majori quo possumus animi affectu hortamur in Domino, ut piissimo huic, & saluberrimo Hospitio, pro cujus perpetua conservatione, & successiva manutentione ingens, & prompta impensa, & maxima dos requiritur, & cujus facultates, & reditus quo magis augentur, eò magis multiplicatur numerus pauperum alendorum, & ampliantur opera charitatis, eleemosynis, & benè visis elargitionibus manus porrigant adjutrices, centuplum in æternis Cœli Tabernaculis feliciter recepturi.

Decreta roborantia.

§. 37. Decernentes, easdem præsentes Litteras, & in eis contenta quæcunque, etiam ex eo quòd omnes, & singuli supradicti, ac alii quicunque in præmissis quomodolibet jus, vel interesse habentes, seu habere prætendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ, vel dignitatis, etiam Cardinalatus, seu alia specifica, & individua mentione, & expressione digni existant, iisdem præmissis, eorumque singulis non consenserint, nec ad ea vocati, seu auditi fuerint, tametsi suorum indultorum, vel privilegiorum vigore consentire, seu vocari, & audiri semel, vel pluries quoquo modo debuissent, aut ex alia quantumvis juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in Corpore Juris clauso, ullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis Nostræ, vel interesse hà-

bentium consensûs, alioque quolibet, etiam quantumvis magno, ac formali, & substantiali defectu notari, impugnari, infringi, in controversiam revocari, ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcunque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari nullatenus posse, sed semper, & perpetuò validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, integros, irrevocabiles, & perpetuos effectus sortiri, & obtinere debere, & ab omnibus ad quos spectat, & pro tempore quandocunque, & quomodocunque spectabit, inviolabiliter observari.

Clausula sublata.

§. 38. Sicque, & non aliter per quoscunque Judices ordinarios, & delegatos quavis auctoritate, præeminentia, aut potestate fungentes, & functuros, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, præfatæ Cameræ Thesaurarium, & Clericos Præsidentes, & S.R.E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, Sublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & definiri debere; Irritum quoque, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogationes etiam cum commutatione voluntatum.

§. 39. Non obstantibus præmissis, ac quorumque Testatorum, Fundatorum, & Piorum Largitorum etiam ultimis voluntatibus, quas quoad præmissa sufficienter, & expresse commutamus, & quatenùs opus sit, nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo, nec non Lateranensis Concilii novissimè celebrati, uniones perpetuas nisi in casibus à jure permissis fieri prohibentis, prout etiam præfatis Sixti Prædecessoris, nec non fel. rec. Symmachi, Pauli II. Pauli IV. & aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum de rebus Ecclesiæ, & Cameræ Apostolicæ non alienandis, & de alienatis recuperandis, itidemque præfati Pii IV. de gratiis qualecunque interesse præfatæ Cameræ Apostolicæ concernentibus in dicta Camera intra certum inibi præscriptum tempus præsentandis, & registrandis, ita ut præsentes in ea præsentari, & registrari nullo unquam tempore, vel modo necesse sit, nec non aliis quibuscunque Apostolicis, ac etiam in Generalibus Conciliis editis, & edendis Constitutionibus, Ordinationibus, ac Urbis Nostræ, & quorumcunque superius explicitè, vel implicitè nominatorum, & comprehensorum, quibusvis etiam juramento, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, usibus, stylis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque, indultis, etiam in limine fundationis, seu dotationis concessis, sub quibuscunque verborum tenoribus, & formis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, etiam consistorialiter, & cum quibusvis, etiam derogatoriatum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, & decretis in genere, vel in specie, & ad quorumvis instantiam, vel aliàs quomodolibet in contrarium eorumdem præmissorum concessis, ac etiam pluries approbatis, confirmatis, iteratis, & innovatis; Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut quæcunque alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, formas, occasiones & causas, etiam quantumvis prægnantes, pias, & privilegiatas, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & formâ in illis traditâ observatâ exprimerentur, & inserentur, iisdem præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis, & exactissimè adductis respectivè habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum harum serie specialiter, & expresse, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine similibus, plenissimè & sufficienter hac vice dumtaxat derogamus, & derogatum esse volumus, & mandamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio pœnalis.

§. 40. Nulli ergò omninò hominum liceat paginam hanc Nostrarum Erectionis, Fundationis, Constitutionum, approbationum, confirmationum, innovationum, roborationis, destinationis, assignationum, stabilimenti, concessionum, applicationum, unionum, approbationum, aggregationum, incorporationum, additionis, voluntatum, mandatorum, sanationis, suppletionis, decretorum, statuti, indultorum, præfectionis, deputationis, commutationis, & derogationis, aliorumque præmissorum infringere, seu ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo nonagesimo tertio, tertiodecimo Kalend. Junii Pontificatus Nostri Anno Secundo.

Dat. 20. Maji 1693. P. A. 2.

J. F. CARD. ALBANUS.

B. Card. Prodatarius

Visa de Curia J. Sacripantes.

D. Ciampinus.

Loco † plumbi

Registrata in Secret. Brevium.

Publicatio

Anno à nativitate D. Nostri Jesu Christi millesimo sexcentesimo nonagesimo tertio, Indictione prima, die verò vigesima mensis Maji, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris & Domini Nostri, Domini Innocentii Divinâ providentiâ Papæ XII. Anno Secundo, Supradictæ Literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad Valvas Ecclesiæ S. Joannis Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ, in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per me Antonium Canutum ejusdem Sanctissimi D. N. Papæ Cursorem.

HIPPOLITUS PETRETTUS Curs. Magister.

Exemptio Fratrum Ordinis Sancti Joannis Dei à Processionibus publicis. XXXIX.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procœmii à fine non distrahendi Religiosos à cura infirmorum.

INjuncti Nobis cœlitus Pastoralis Officii solicitudo Nos admonet, ut paternam Christifidelium Altissimi obsequiis sub suavi Religionis jugo mancipatorum, ubereseque bonorum operum fructus, benedicente Domino proferre jugiter satagentium, curam gerentes, ne ipsi à salutaribus, quibus juxtà laudabilia eorum instituta continenter incumbunt Christianæ Charitatis ministeriis nullatenùs avertantur, quantum Nobis ex alto conceditur, providere studeamus.

Religiosi S. Joannis Dei per communicationem existimabant se exemptos à processionibus.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit Dilectus Filius Superior Generalis Ordinis Fratrum Sancti Joannis Dei, quod tametsi dudum felicis recordationis Urbanus VIII. Prædecessor Noster per quasdam suas in simili forma Brevis Literas omnia, & singula per Sedem Apostolicam Congregationi Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis eatenùs concessa, vel quæ in futurum concedi contingeret, privilegia, inter quæ illud præcipuè recensetur, quod Clerici Regulares prædicti, ut liberiùs, magisque assiduè ægrotis operam

navent,

navent, Processionibus etiam solemnissimis interesse non tenentur, ad Ordinem supradictum, & singula illius Monasteria, Domos, Hospitalia, & alia loca Regularia, illorumque Superiores, Prælatos, & quascumque Regulares personas perpetuò extenderit, illaque eis communicaverit, & de novo concesserit, ac suffragari voluerit; nihilominùs Fratres prædicti à nonnullis locorum Ordinariis Processionibus hujusmodi non sine gravi propriarum functionum impedimento, ac maximo pauperum infirmorum, quibus jugiter assistere debent præjudicio interesse, easque comitari compelluntur; Nobis propterea dictus Superior Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunè providere, & ut infrà indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

De voto S. Congr. eximuntur

§. 2. Nos igitur ejusdem Superioris Generalis Votis hac in re, quantùm cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium tantum consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, omnibus, & singulis memorati Ordinis S. Joannis Dei Superioribus, Fratribus, & personis nunc, & pro tempore existentibus, ut ipsi de cætero, ne ab iis, quibus ad Infirmorum in ipsius Ordinis Hospitalibus degentium subventionem, & utilitatem sedulò vacant ministeriis distrahantur, Processionibus supradictis quacumque ex causa de more, vel consuetudine, aut aliàs pro tempore faciendis, aut à quibusvis Ordinariis locorum indicendis interesse minimè teneantur, nec ad id ubique locorum per Ordinarios hujusmodi, seu aliàs quascumque personas quavis auctoritate, vel superioritate fungentes, inviti, seu nolentes cogi, vel compelli possint auctoritate Apostolica tenore præsentium ex integro, ac ex speciali gratia concedimus, & indulgemus.

Clausula sublata.

§. 3. Decernentes easdem præsentes Litteras, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari; Sicque, in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; Ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis autoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogationes.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenùs opus sit dicti Ordinis, aliisque quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, aut quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet, concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides Transsumptorum.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium Litterarum transsumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tàm in judicio, quàm extrà illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 20. Maji 1693. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

Dat. 20. Maji 1693. P. A. 2.

J. F. Card. Albanus.

Extensio Indulti à Gregorio XV. Hospitali Sancti Sixti Pauperum Mendicantium propè Pontem Sixtum de Urbe concessi circà acquisitionem bonorum eorumdem Pauperum ab eis non indicatorum ad Hospitium Apostolicum Pauperum Invalidorum de eadem Urbe. XL.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Tenor Brevis Gregorii XV. ad favorem Hospitalis S. Sixti ut bona non indicata à receptis pertinerent ad Hospitale.

ALiàs emanarunt à fel. record. Gregorio Papa XV. Prædecessore Nostro ad favorem Hospitalis Sancti Sixti Pauperum Mendicantium propè Pontem Sixtum nuncupatum de Urbe Literæ in simili forma Brevis tenoris, qui sequitur, videlicet à tergo, Dilecto Filio Gubernatori Hospitalis Sancti Sixti Pauperum Mendicantium propè Pontem, de Urbe. Intus verò: Gregorius PP. XV. Dilecte Fili salutem, & Apostolicam benedictionem. Pietatis, & Christianæ Charitatis operibus, quæ in isto Hospitali Sancti Sixti Pauperum Mendicantium exerceri accepimus, inducimur, ut ea libenter concedamus, quæ illius utilitatibus fore conspicimus opportuna. Cùm itaque, sicut Dilecti Filii Administratores, & Officiales dicti Hospitalis Nobis nuper exponi fecerunt, interdum reperiantur Pauperes, qui in dicto Hospitali recipiuntur, & recepti sunt, pecuniam, & alia bona mobilia non solum modo secreto in dicto Hospitali, sed etiam apud diversas persona spossidere, neque illorum notitiam nisi secuto dictorum Pauperum obitu haberi possit, eoque casu sæpiùs compareant eorumdem Parentes, sivè hæredes ab intestato, vel ex Testamento in grave dicti Hospitalis præjudicium. Nos indemnitati ejusdem Hospitalis, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, supplicationibus tuo nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Tibi, ut Pauperes, qui in Hospitali præfato pro tempore recipiuntur, in actu eorum receptionis hujusmodi præcipiendo monere, ut si ipsi aliqua bona mobilia, vel immobilia possident, illa indicent, alioquin, si non indicaverint, eadem bona dicto Hospitali acquirantur, liberè, & licitè possis & valeas, Apostolica auctoritate tenore præsentium facultatem concedimus, & impartimur. Et nihilominus omnia, & singula bona tàm mobilia, quàm immobilia ubilibet existentia, per eosdem Pauperes quomodolibet possessa, quæ iidem Pauperes, cùm in ipsum Hospitale recipiuntur, non indicaverint, eidem Hospitali acquisita esse & fore, dictique Hospitalis Administratores, & Officiales bonorum omnium hujusmodi corporalem, realem, & actualem possessionem dicti Hospitalis nomine apprehendere liberè, & licitè posse, nec eos desuper molestari, vel inquietari posse, præsentes verò Literas validas, firmas, & efficaces existere, ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquam quavis auctoritate contigerit attentari, auctoritate & tenore præfatis decernimus, & declaramus. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Tusculi sub Annulo Piscatoris, die ultima Septembris 1621. Pontificatus Nostri Anno Primo.

Attentâ unione extenditur idem Breve ad Hospitium Apostolicũ erectum à Sanctitate Sua.

§. 2. Nunc autem Nos Hospitii Apostolici Pauperum Invalidorum à Nobis in eadem Urbe instituti, cui nuper Hospitale Sancti Sixti hujusmodi cum omnibus, & singulis suis membris, juribus, & pertinentiis universis per alias Nostras sub plumbo desuper expeditas Literas univimus, agregavimus, & incorporavimus, ac unũ, idemque Hospitiũ opusque pium constituimus, &

fecimus, indemnitati quantum cum Domino poſſumus, conſulere cupientes: Motu proprio, & ex certa ſcientia, & matura deliberatione Noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, præinſertas Gregorii Prædeceſſoris Literas ad favorem ſupradicti Hoſpitalis Sancti Sixti emanatas, ut præfertur, ad præfatum Hoſpitium Apoſtolicum Pauperum Invalidorum, itaut omnia, & ſingula bona tàm mobilia, quàm immobilia ubilibet exiſtentia, per eoſdem Pauperes Invalidos, Viros ſcilicet, & Mulieres in Hoſpitio hujuſmodi, ejuſque locis, & habitatitionibus tàm de præſenti receptos, quàm pro tempore recipiendos quomodolibet poſſeſſa, quæ ipſi minimè indicaverint, eidem Hoſpitio Apoſtolico, ſervatâ tamen præfatarum Gregorii Prædeceſſoris Literarum formâ, & diſpoſitione, acquiſita eſſe, & fore intelligantur, tenore præſentium extendimus, & ampliamus.

Decreta firmitatis.

§. 3. Decernentes eaſdem præſentes Litetas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri & obtinere, ac Hoſpitio præfato in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari, & ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocunque ſpectabit, inviolabiliter obſervari.

§. 4. Sicque, & non aliter in præmiſſis per quoſcunque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici, & Curiæ Cameræ Apoſtolicæ generalem Auditorem, necnon Vicarium Gubernatorem, & Senatorem dictæ Urbis, ac S. R. E. Camerarium, & alios Cardinales, etiam de Latere Legatos, dictæque Cameræ Præſidentes Clericos, Theſſurarium Generalem, alioſque Officiales, & Miniſtros nunc, & pro tempore quandocumque exiſtentes; Sublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clauſula ſublata.

Derogationes.

§. 5. Non obſtantibus, quatenùs opus ſit, noſtrâ, & Cancellariæ Apoſtolicæ Regulâ, de jure quæſito non tollendo, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon dictæ Urbis, aliiſve quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, aut quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, eorumque reformationibus, & novis additionibus, ſtylis, uſibus, & conſuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxàt ſpecialiter, & expreſſè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Fides Tranſſumptorum.

§. 6. Volumus autem, ut earumdem præſentium literarum tranſſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica Dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides tàm in Judicio, quàm extrà illud habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die XXVIII. Auguſti MDC XCIII. Pontificatus Noſtri Anno Tertio.

Dat. 28. Aug. 1693. P. A. 3.

J. F. Card. Albanus.

XLI. Declaratio nullitatis Edictorum Prætoris Civitatis Cremonen. ſuper obſervatione Feſtivitatis Sancti Dominici in eadem Civitate, ejuſque Diſtrictu emanatorum.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

ROmanus Pontifex æqui, bonique Supremus Aſſertor in Terris à Domino conſtitutus, Eccleſiaſticæ poteſtatis jura ubique ſarta tecta tueri, ac adverſus quæcumque, per quæ illis aliquid detrimenti inferri poſſet, tradita ſibi divinitùs autoritate vindicare tenetur, ſicut omnibus maturæ conſiderationis trutinâ perpenſis, æquitati, & juſtitiæ, rectoque ordini conſentaneum eſſe in Domino arbitratur.

Exordium à debito vindicandi authoritatem Eccleſiaſticam ne ab aliis uſurpetur.

§. 1. Aliàs ſiquidem per fel. record. Innocentiũ PP. X. Prædeceſſorem noſtrum accepto, quòd Senatus Mediolanenſis per litteras circulares datas die XX. Junii MDCLIII. nec non tunc exiſtens Gubernator Status Mediolanenſis per Edictum publicatum die XXX. ejuſdem menſis Junii mandaverant obſervari feſtum Sancti Dominici die XV. menſis Auguſti cujuslibet Anni in toto illo Statu, præcipientes, ut Populi, & Subditi ejuſdem Status abſtinerent ab operibus ſervilibus, & Artifices tabernas, & apothecas clauſas tenerent, prout ſervatur cæteris diebus feſtis ex præcepto, & ulterius in Edicto præfato expreſſum fuerat, feſtivitatem eſſe celebrandam cum omni devotione, & pietate Chriſtiana. Idem Innocentius Prædeceſſor conſiderans, quàm pernicioſum auctoritati Eccleſiaſticæ id eſſe poſſet, cùm Principes laici quos in rebus Eccleſiæ obſequendi potius manet neceſſitas, quàm auctoritas imperandi, non habeant facultatem indicendi dies feſtos in honorem Sanctorum, de tunc pariter exiſtentium S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpoſitorum, quibus hoc negotium diſcutiendum commiſerat, conſilio, præfatas litteras, ac Edictum emanata auctoritate laicali ſuper obſervatione feſtivitatis ejuſdem Sancti Dominici fuiſſe, & eſſe omninò nulla, nulliuſque roboris, & momenti, nec aliquo modo ſervanda Apoſtolica auctoritate declaravit, & aliàs prout in ipſius Innocentii Prædeceſſoris deſuper in ſimili forma Brevis die VI. Octobris MDCLIII. expeditis litteris, quarum tenorem præſentibus pro expreſſo haberi volumus, uberius continetur.

Innocentius X. declaravit irritum Edictum Senatus Mediolanenſis, quo præceperat ſervari Feſtũ S. Dominici.

§. 2. Cùm autem, ſicut ad Apoſtolatus noſtri notitiam, non ſinè gravi animi noſtri dolore pervenit, modernus Prætor Civitatis Cremonenſis non modo per ſuum Edictum nuper, videlicet die XXVIII. Julii proximè præteriti promulgatum, iiſdem circularibus litteris Senatus Mediolanenſis, quas memoratus Innocentius Prædeceſſor, ſicut præmittitur, nullas declaravit, potiſſimùm inhærens feſtum ipſius Sancti Dominici in Civitate Cremonenſis præfata, ejuſque diſtrictu, ità de cætero ſingulis annis celebrari ordinaverit, ut Mercatores, & Artifices omnes eo die officinas ſuas clauſas tenere, cæteri verò quicumque operum publicorum ceſſatione feſtum hujuſmodi iiſdem modo, & formâ, quibus reliqua ex præcepto colenda feſta celebrantur, obſervare deberent; verùm etiam, quaſdam ſubindè ſuper præmiſſis Curiæ Epiſcopalis Cremonenſis juſſu publicè affixas Schedulas, quibus ne propter eadem præmiſſa conſcientias Chriſtifidelium ſcrupulis irretiri contingeret, nullam in feſto præfato adeſſe obligationem audiendi Miſſam, ſed illud pro feſto ex ſola devotione colendo habendum eſſe cavebatur, per Curiæ Sæcularis Satellites è locis, ubi affixæ fuerant divelli, ac lacerari curaverit, necnon inſuper per aliud Edictum poſtmodùm, nempè die III. Auguſti etiam proximè præteriti Curiæ Cremonenſis nomine publicatum præcedens Edictum, per nonnullos etiam Eccleſiaſticæ Juriſdictioni magis injurios, confirmare, ac innovare præſumpſerit, & aliàs prout in ambobus Edictis hujuſmodi, quæ non approbandi, ſed penitus, & omninò reprobandi animo, præſentibus itidem pro plenè, &

Nartantur geſta Prætoris Cremonenſis ſuper renovatione ſimilis Edicti, & Epiſcopi ſuper illius declaratione, & nullitate.

ſufficien-

sufficienter expressis haberi volumus, plenius dicitur contineri.

Declaratio Pontificis super nullitate Edictorum d. Prætoris tamquam à potestate incompetente.

§. 3. Hinc est, quod Nos ex debito Pastoralis officii, quod humilitati nostræ, meritis licèt, & viribus longè impari, commisit divina dignatio, Jurisdictionem Ecclesiasticam prædictam à perniciosis hujusmodi Laicorum conatibus illæsam, & illibatam tueri, & conservare cupientes, ac memorati Innocentii Prædecessoris vestigiis inhærentes, nec non omnium, & singulorum, quæ in præmissis, seu eorum occasione quovis modo acta, & gesta fuerunt, seriem, causas, & circumstantias, aliave quæcumque, etiam specificam, & individuam mentionem, & expressionem requirentia, præsentibus similiter prò plenè, & sufficienter expressis, & exactè specificatis habentes, de Venerabilium Fratrum nostrorum dictæ S. R. E. Cardinalium iisdem Sacris Ritibus præpositorum Consilio, Edicta præfata à memorato Prætore Civitatis Cremonensis super observantia festi ejusdem Sancti Dominici (sicùt præmittitur) promulgata, aliave quæcumque in præmissis, seu eorum occasione in præjudicium Jurisdictionis Ecclesiasticæ quovis modo acta, gesta, & ordinata, cum omnibus, & singulis indè secutis, & forsan quandocumque secuturis, penitus, & omninò nulla, inania, invalida, irrita, ac à non habente potestatem attentata, & de facto, præsumpta, nulliusque omninò roboris, & momenti esse, & perpetuò fore, auctoritate præfata tenore præsentium declaramus; Et nihilominus ad majorem cautelam, & quatenùs opus sit, illa omnia, & singula, salvis tamen ulterioribus provisionibus in eisdem præmissis, contra quoscumque, etiam specifica, & individua mentione, & expressione dignos à Nobis, & hac Sancta Sede quandocumque, & quomodocumque capiendis, harum serie itidem perpetuò revocamus, cassamus, irritamus, annullamus, & abolemus, viribusque, & effectu penitùs, & omninò vacuamus, ac pro revocatis, cassatis, irritis, nullis, invalidis, & abolitis, viribusque, & effectu penitùs, & omninò vacuis semper haberi debere.

Clausula sublata cũ decreto irritanti.

§. 4. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscunque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. præfatæ Cardinales, etiam de latere Legatos, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros; Sublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Non obstantibus omnibus, & singulis illis, quæ memoratus Innocentius Prædecessor in suis litteris præfatis voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides Transsumptorum.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium litterarum transsumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die prima Septembris 1693. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

Dat. 1. Sept. 1693 P. A. 3.

J. F. Card. Albanus.

XLII.

Constitutio moderatoria Indultorum testandi S. R. E. Cardinalibus, Romani Pontificis Consanguineis, & forsan aliis etiam non Cardinalibus, nec Consanguineis in forma ampliori, & extraordinaria concessorum, & concedendorum, cum reductione hujusmodi Indultorum ad terminos, & formam illorum omnibus aliis Cardinalibus concedi solitorum, & respectivè confirmatoria motus proprii Clementis IX. super extensione hujusmodi Indultorum ad favorem omnium Cardinalium.

INNOCENTIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium à laude æqualitatis privilegiorum inter æquales in Dignitate.

UT judicium nostrum de vultu Dei prodeat, & oculi ejus videant æquitates, acceptionem personarum, quæ apud eumdem Deum non est, nullis humilitatis nostræ suffragantibus meritis, sed quantùm Nobis ab Alto concessum est, arcere impensè studuimus, illamque etiam à quibusdam Indultis, quæ à Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris concessa accepimus, seu quæ in posterum concedentur, congrua moderatione eliminare desideramus: Nam cum unum corpus simus in Christo, singuli autem alter alterius membra, grave videri non debet, si qui in Ecclesia uni Domino famulantur, una eademque libertate congaudeant, & qui præsertim in eodem gradu sunt constituti, aliquando providis sanctionibus ad æqualitatem reducantur, ut sicut pari dignitate præfulgent, dispari nimis privilegio, seu indulto non distinguantur: Pondus enim, & pondus, mensura, & mensura, utrumque abominabile est apud Deum.

Narrat Pontifices Prædecessores consuevisse concedere Cardinalibus facultatem disponendi de fructibus Ecclesiasticis.

§. 1. Cùm itaque præfati Prædecessores nostri S. R. E. Cardinalibus, qui pro ipsius Ecclesiæ statu salubriter dirigendo assiduè laborare non cessant, facultatem de fructibus Ecclesiasticis, & de bonis exinde, seu aliàs quæsitis disponendi, tam in ultima voluntate, quàm aliàs, & respectivè eorum hæredibus ab intestato in præmissis succedendi, sub quadam tamen moderata, & congrua forma de benignitate Sedis Apostolicæ concedere consueverint.

At verò aliquos ad favorem sanguine conjunctorum hanc formam ampliasse.

§. 2. Vice autem versa nonnulli ex iisdem Prædecessoribus hujusmodi moderationem, seu formam ampliantes, suis sive veris, sive adscitis Consanguineis, vel Affinibus, & forsan etiam nonnullis aliis S. R. E. Cardinalibus longè majora indulta, & cum amplioribus facultatibus, modis, circumstantiis, clausulis, cautelis, & derogationibus concesserint.

Subnectit, quoduti in largitionibus ad favorem nepotum modum imposuit.

§. 3. Et propterea sicut aliis nostris Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo nonagesimo secundo, decimo Kal. Julii expeditis literis modum circa donationes, & redituum Ecclesiasticorum distributionem in Consanguineos, vel Affines Romani Pontificis pro tempore existentis inviolabiliter servandum salubri moderatione præscripsimus, ita etiam hujusmodi Indultorum ampliationibus, seu differentiis, ut præfertur, inter ejusdem S. R. E. Cardinales, hac nostra speciali Constitutione occurrere, & opportunè providere cupientes.

Ita intendit in his etiam Indultis effrenatas ampliationes, & differentias moderari.

§. 4. Motu proprio, non ad cujusquam Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnia, quæcunque, & singula Indulta testandi, seu aliàs disponendi, & respectivè ab intestato succedendi, omnibus, & singulis Cardinalibus præfatorum Romanorum Pontificum Prædecessorum; qui illa concesserunt Consanguineis, vel Affinibus, seu illorum loco adjectis, vel adscitis, & forsan etiam nonnullis aliis quomodocunque, qualitercunque, & quandocunque, sub quibusvis verborum tenoribus, & formis, modis, cautelis, circumstantiis, qualitatibus, & cum quibuscunque, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, ac potestatis plenitudine paribus, & ex quacunque causa, etiam meritorum, seu

remune-

remunerationis laborum, & onerum, & aliàs quomodolibet insimul, vel ad partes, & semel, pluries, & quantiscunque vicibus, & modis concessa, innovata, & confirmata, eorum omnium, & singulorum tenores, ac si de verbo ad verbum inserti essent, pro plenè, & sufficienter expressis habentes, prorsus, omninò; & irrefragabiliter moderamur, & ad terminos, modum, & tenorem, & formam ordinariam indultorum testandi, seu aliàs disponendi, & respectivè ab intestato succedendi, omnibus aliis ejusdem S. R. E. Cardinalibus concedi solitorum penitus, omninò, ac in omnibus, & per omnia reducimus.

Indulta hujusmodi effrenata reduci ad terminos formæ ordinariæ aliis Cardinalibus concedi solitæ.

§. 5. Revocantes, cassantes, ac irritum prorsus, & inane remanere, fore mandantes, quidquid in indultis ad favorem Cardinalium Consanguineorum, seu Affinium, & forsan nonnullorum aliorum, ut præfertur, contra, præter, vel ultra modum, & formam ordinariam cum omnibus aliis Cardinalibus in prædictis servari solitam fuerit quoquomodo concessum, indultum, seu elargitum, perinde ac si præfata indulta ad favorem prædictorum Cardinalium Consanguineorum, vel Affinium, & forsan aliorum, ut præfertur, in hac parte; seu in his partibus non emanassent.

Et cassat in eo quod excedunt.

§. 6. Ad hæc cupientes super præmissis, & circa ea similiter in posterum providere, motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus statuimus, decernimus, & ordinamus, quod illud idem, quod superius circa concessa indulta constituimus, & mandavimus, similiter in quibuscunque indultis, & facultatibus hujusmodi, quæ deinceps singulis ejusdem S. R. E. Cardinalibus Romani Pontificis pro tempore viventis, ut præfertur, Consanguineis, vel Affinibus sive veris, sive adlectis, & adscitis, & forsan etiam nonnullis aliis etiam per Nos, & Romanos Pontifices Successores nostros, dictamque Sedem Apostolicam pro tempore concedentur, omnino, & ad unguem debeat observari.

Mandat in posterum non concedi, nisi hac moderatione servata.

§. 7. Quodque hujusmodi indulta, seu omnes literæ Apostolicæ desuper tam per Cancellariam quàm per Cameram Apostolicam, ac etiam per viam secretam, sive de Curia, vel sub Annulo Piscatoris, sive aliàs absque moderatione, reductione, aliisque præfatis, ac aliàs præter, vel contra formam, & tenorem præsentis Constitutionis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, etiam cum præsentium speciali, & expressa derogatione, ac sub quibusvis verborũ tenoribus, & formis, & cum quibuscunque, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie pro tempore concedendæ, seu expediendæ, in ea parte, seu in illis partibus, quæ erunt contra, præter, vel ultra formam ordinariam cum omnibus aliis Cardinalibus in prædictis servari consuetam, nullius sint roboris, & momenti, nec cuiquam, ac si non emanassent, suffragentur.

Aliter concessa etiam cum præsentium derogatione non suffragentur.

§. 8. Cæterùm perpendentes, universum ejusdem S. R. E. Cardinalium Collegium, tanquam Senatum Universalis Ecclesiæ, in excolenda Vinea Domini Nobiscum assiduè collaborare, ac propterea operæ pretium, & congruum fore, ut omni personarum acceptione sublata, eosdem omnes, & singulos Cardinales potiùs amplioribus privilegiis, & gratiis circa indulta hujusmodi pariformiter complectamur, & communiamus.

Subdit congruitatem favendi Cardinalibus, sed pariformiter.

§. 9. Cùm itaque sel. recod. Clemens Papa IX. Prædecessor Noster privilegia, & facultates testandi præfatorum S. R. E. Cardinalium ad illos etiam fructus extenderit, & ampliaverit, qui si naturales essent, & à solo, in quo sunt producti, legitimè, & juxtà rei naturam fuissent sublati, & à manibus Colonorum, vel aliorum quorumcunque debitorum percepti, licet in horreis Ecclesiarum, vel in quovis alio loco adhuc inconsumpti, vel nullo modo aliis ipsorum Cardinalium bonis immixti, aut eorum patrimonio incorporati reperirentur, si verò civiles essent, postquam dies solutionis advenissent; fuissent per quoscunque debitores quomodolibet persoluti, & ad manus Cardinalium, vel ad eorum Ministros pervenissent, seu in aliquo loco publico ad eorundem creditum fuissent depositi.

Ex motu proprio Clementis IX. facultas disponendi de fructibus naturalibus inconsumptis, ac tantum perceptis de manu Colonorũ.

§. 10. Idque etiam Prædecessor servari voluisset in terminis quomodolibet debitis pro affictibus bonorum, & jurium quorumcunque, quos in dictis facultatibus comprehendi voluit, & mandavit, si modo quo supra fructus tam civiles, quàm naturales Conductoribus, & Affictuariis locati, & concessi, per illos fuissent percepti, quamvis termini solutionis affictuum per Locatores fuissent posticipatè conventi, & aliàs, prout in ejusdem Clementis cedula Motus proprii sub Dat. pridie Kal. Martii, Pontificatus sui anno primo uberiùs continetur.

Facultas etiam de Civilibus solutis Cardinali, Ministris vel depositis.

§. 11. Hinc est, quod motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus præfatam cedulam Motus proprii cum omnibus, & singulis in ea confirmamus, & approbamus, sed quia accepimus, eamdem cedulam non fuisse pacificè observatam, seu illius exequutionem per varias interpretationes fuisse controversam, & retardatam, omninò volumus, & quibuscunque non obstantibus mandamus, illam inviolabiliter observari, & sublatâ quacunque contrariâ interpretatione omnimodæ exequutioni demandari, præsentibus, & pro tempore existentibus Cameræ nostræ Thesaurario Generali, Clericis Præsidentibus, Commissario pariter Generali, cæterisque dictæ Cameræ Officialibus, & Ministris, & quibuscunque aliis enixè prohibentes, ne in totum, vel aliqua in parte etiam minima effectum, & exequutionem memoratæ cedulæ Motus proprii, necnon præsentis nostræ Constitutionis in hac parte quoquomodo impediant, vel retardent, minusque ad supradictorum fructuum in præfata cedula Motus proprii, ut præfertur, contentorum incamerationem procedant, nec pro illis aliquam compositionem, ratam, portionem, seu quantitatem etiam minimam quomodolibet sub quovis prætextu, causa, quæsito colore, & contraria interpretatione consequi, seu prætendere valeant.

Ampliat quamvis termini affictuum conventi sint posticipati.

Confirmatur expressè motus proprius Clementis IX.

Subdit dictum motum fuisse controversum.

Mandat servari sub lata interpretatione contraria.

Prohibet incamerari comprehensa in d. motu, nec ratam prætendi à Camerâ.

§. 12. Et nihilominus ad majorem cautelam omnia, & singula, quæ in eadem cedula continentur, hac in perpetuum valitura Constitutione iterum, & ex integro plenissimè, & amplissimè servari mandamus, decernimus, & sancimus; salvâ tamen, & firmâ in cæteris, quæ præfatæ cedulæ dicti Clementis Prædecessoris non adversantur, remanente Constitutione piæ memor. Urbani Papæ VIII. etiam Prædecessoris Nostri quoad fructus beneficiorum inexactos sub Data quinta Aprilis anno Domini millesimo sexcentesimo vigesimo octavo, & Pontificatus sui quinto, quam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, in omnibus, & per omnia plenissimè præsentium tenore confirmamus, approbamus, & innovamus.

Iterum servari mandat d. motum proprium.

§. 13. Quod si forsan aliqui quacunque etiam Patriarchali, Archiepiscopali, Episcopali, vel alia qualibet dignitate, gradu, vel munere fungentes, seu functuri, hujusmodi, vel etiam in aliqua parte similia indulta, seu facultates quomodocunque, qualitercunque, & quandocunque, & sub quibusvis verborum tenoribus, & formis, ac quibuscunque etiam derogatoriis, aliisque efficacioribus, & efficacissimis, insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, & ex quacunque causas etiam

Præservat Constitutionem Urbani VIII. in iis quæ non contrariantur d motui proprio.

Ad eosdem terminos præsentis Constitutionis refecat indulta ii quæ concessa sunt, aut concedentur aliis.

merito-

meritorum insimul, vel ad partes, & semel, vel pluries ab eâdem Sede Apostolica ante hac assequuti fuerint, seu in posterum assequentur, convenire pariter existimamus, ne iidem majoribus favoribus, & gratiis, quàm prædicti S. R. E. Cardinales, potiantur, & gaudeant. Ideoque motu, & potestatis plenitudine paribus, si quid in hujusmodi concessis, seu concedendis indultis forsan contineretur, quod memoratis Cardinalibus concedi, ut præfertur, non consueverit, in omnibus, & singulis illis partibus aliquid ultra, seu contra tenorem, & formam ordinariam cum dd. Cardinalibus servari solitam, fuerit quomodolibet concessum, concedetur iisdemmet modo, forma, & cum revocationibus, aliisque præmissis moderamur, & ad terminos, seu limites, & formam ordinariam dd. Indultorum omnibus Cardinalibus, ut præfertur, concedi solitorum, in omnibus, & per omnia tenore præsentium reducimus.

Decreta præservativa, & roborantia

§. 14. Decernentes, easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcunque etiam ex eo, quod omnes, & singuli supradicti, ac alii quicunque cujusvis status, gradus, ordinis, conditionis, præeminentiæ, & dignitatis in præmissis quomodolibet jus, vel interesse habere prætendentes, iisdem præmissis non consenserint, nec ad ea vocati, seu auditi fuerint, tametsi suorum indultorum, vel privilegiorum vigore consentire, seu vocari semel, vel pluries quoquo modo debuissent, aut ex alia quacunque, quantumvis pia, juridica, privilegiata, & rationabili, ac etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessariò exprimenda foret, causa, & occasione, colore, seu prætextu, titulo etiam oneroso, & capite etiam in Corpore Juris clauso ullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel interesse habentium consensûs, aliove quolibet, etiam maximo, substantiali, essentiali, & formali, aut incogitato defectu, notari, impugnari, invalidari, retractari, rescindi, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illa aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcunque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, vel impetrato, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare nullatenus posse, sed ipsas præsentes literas, & in eis contenta quæcunque semper, & perpetuò firma, valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere debere, & ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore quandocunque, & quomodocunque spectabit, inviolabiliter, & inconcussè observari.

Clausula sublata cum decreto irritanti.

§. 15. Sicque, & non aliter per quoscunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Camerarium, & alios Cardinales, etiam de latere Legatos, dictæque Cameræ Præsidentes, Clericos, & alios quoscunque quavis auctoritate, præeminentia, & potestate fungentes, & quandocunque functuros: Sublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi, facultate, judicari, & definiri debere; Irritum quoque & inane quidquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogationes.

§. 16. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit, nostris, & Cancellariæ Apostolicæ regulis, & signanter illâ, quòd Cardinales in Constitutionibus, & Regulis per Nos edendis non comprehendantur, nisi illæ eorumdem Cardinalium favorem concernant, vel ipsæ edendæ Constitutiones de illorum, seu majoris partis eorum consilio editæ fuerint, ac etiam de jure quæsito non tollendo, illisque omnibus, quæ præfati Urbanus, & Clemens Prædecessores in memoratis Constitutione, & Cedula motus proprii respectivè voluerunt non obstare, necnon recol. mem. Pii Papæ IV. pariter Prædecessoris Nostri de gratiis qualecunque interesse Cameræ prædictæ concernentibus, in eadem Camera, ejusque libris intra certum inibi expressum tempus præsentandis, insinuandis, & regiſtrandis, itaut easdem præsentes literas ibidem præsentari, insinuari, aut regiſtrari nunquam necesse sit, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, & dictæ Cameræ, aliisque quibuslibet decretis, statutis, usibus, stylis, consuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis; Privilegiis quoque, & indultis, & literis Apostolicis quibuscumque, sub quibusvis tenoribus, & formis & cum quibuscumque etiam derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, & consistorialiter, ac aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, editis, confirmatis, & approbatis, & quantiscunque vicibus innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quælibet alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, formas, causas, & occasiones præsentibus pro plenè, & sufficienter, ac exactissimè expressis, insertis, servatis, & specificatis respectivè habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse, ac plenissimè, & amplissimè derogamus, & derogatum esse volumus, & mandamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Fides Transsumptorum.

§. 17. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transsumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & Sigillo alicujus personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in Judicio, & extrà illud habeatur, quæ haberetur præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio pœnalis.

§. 18. Nulli ergo omninò hominum liceat, paginam hanc nostrarum moderationum, reductionum, revocationis, cassationis, mandatorum, statuti, decretorum, ordinationis, confirmationum, approbationum, voluntatum, prohibitionis, sanctionis, innovationis & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo tertio, Idibus Octobris Pontificatus Nostri Anno Tertio.

Dat. 15. Oct. 1693. P. A. 3.

B. Card. Prodatarius

J. F. Card. Albanus.

Visa de Curia J. Sacripantes.

D. Ciampinus.

Loco ✠ plumbi

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

Publicatio

Anno à Nativitate Domini Nostri JESU Christi milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo tertio, Indictione prima, die verò decima ſexta menſis Octobris, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri, Domini INNOCENTII Divinâ Pro-

videntiâ

videntiâ Papæ XII. Anno Tertio; Supradicta Constitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Ecclesiæ S. Johannis Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ, in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per me Jo. Baptistam de Comitibus ejusdem Sanctissimi Domini Nostri Papæ Cursorem.

Franciscus Antonius Simoncellus Curs. Magister.

XLIII. Erectio Gubernii Terrarum Civitatis Vetulæ, & Tulphæ, cum superintendentia Civitatis Cornetanæ.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium ab intentione consulendi gubernio locorum Pontificiæ Ditionis.

IN supremo militantis Ecclesiæ Solio, meritis licèt imparibus, per ineffabilem Divinæ bonitatis abundantium constituti, ad ea propensis studiis intendimus, per quæ Terrarum Temporalis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Ditionis decor amplietur, illarumque Hominum, & Incolarum status salubriter dirigatur.

Narrat aliàs alia occasione suppressisse Gubernium Centum Cellarum.

§. 1. Cùm itaque Nos nuper per nostram desuper editam Constitutionem, ne salutari, quam in ea ergà Nostros, Successorumque Nostrorum Romanorum Pontificum pro tempore existentium secundum carnem propinquos, circa bonorum, & redituum Ecclesiasticorum, ac ad hanc Sanctam Sedem, & Cameram Nostram Apostolicam spectantium, distributionem, servari præscripsimus, rationi, ac disciplinæ, per nimis magna stipendia, seu honoraria, aliàs nonnullis Sedis prædictæ Officiis, seu muneribus, quæ eorumdem Romanorum Pontificum Consanguineis, seu Affinibus, ut plurimùm concedi consueverant, assignata, fraus fieret, certa inibi expressa Officia, seu munera hujusmodi, cum omnibus, & singulis illorum, & cujuslibet eorum juribus, prærogativis, stipendiis, salariis, & emolumentis quibuscumque, atque inter hæc Gubernatoris Terræ Nostræ Centum-Cellarum, sivè Civitatis Vetulæ Viterbiensis Diœcesis, Officium perpetuò suppresserimus, & extinxerimus.

Narrat instauratæ privilegia pro Portu ejusdem loci.

§. 2. Aliundè verò circà Terra prædicta, tametsi antiquis, iisque amplissimis, quinimò etiam per Nos innovatis, auctisque celeberrimi Portus privilegiis, copiosoque non tàm Indigenarum, quàm Exterorum ad illam advenientium numero insignis existat, per unum Judicem Locumtenentem nuncupatum gubernata fuerit, ac proindè ejus honorificentiæ, & utilitati, modo, & formâ, per eamdem nostram Constitutionem minimè vetitis, uberiùs prospiciendum sit.

Narrat in Terra Tulphæ Gubernatorem deputari consueviſſe à Clericis Cameræ.

§. 3. Et sicut accepimus, etiam Terra nostra Tulphæ Sutrinæ Diœcesis Incolarum non minus multitudine, quàm aliis nominibus celebris, per alium similiter Judicem Commissarium nuncupatum, ab uno ex dilectis filiis Cameræ prædictæ Clericis Præsidentibus Terræ hujusmodi pro tempore Gubernatore, singulis annis deputari solitum, regi, & gubernari consueverit.

Tulpham ejusque Comitatũ disjungit à Jurisdictione Clericorum Cameræ.

§. 4. Hinc est, quod Nos prospero, felicique Terrarum prædictarum regimini, & gubernio, quantùm cum Domino possumus, per ampliùs consulere volentes; Motu proprio, non ad alicujus Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, præfatam Terram Tulphæ, ejusque Comitatum, & Districtum, ab eorumdem Clericorum Præsidentium, ac cujuslibet eorum Jurisdictione sejungimus, & separamus, Commissariique in eadem Terra Tulphæ de præsenti existentis officium, necnon illius nomen, titulum, denominationem, essentiam, & naturam perpetuò supprimimus, & extinguimus.

Pro Centum Cellis, & Tulpha statuit Gubernatore Prælatum sub Sac. Consulta.

§. 5. In præfatis verò Civitatis Vetulæ, & Tulphæ Terris, illarumque Comitatibus, & Districtibus, unum Gubernium perpetuum sub superintendentia Venerabilium Fratrum nostrorum, nunc, & pro tempore existentium ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, consultationibus Civitatum, & Terrarum Status Nostri Ecclesiastici præpositorum, pro uno Gubernatore ad nostrum, & Sedis prædictæ beneplacitum constituendo, & deputando, qui in utrâque, vel alterâ Signaturâ nostrâ Referendarius, aut noster, & dictæ Sedis Notarius Protonotarius nuncupatus, de numero participantium, seu alterius Prælaturæ titulo insignitus existat, ac hyemali quidem, vernoque tempore in memoratâ Terrâ Civitatis Vetulæ, in Domo per Cameram prædictam hactenùs assignatâ pro tempore existenti Gubernatori Armorum dictæ Terræ, cui proindè, loco domus hujusmodi, ultra ejus consuetum stipendium, annua sexaginta scuta monetæ Romanæ, pro pensione alterius domus, per eum in eadem Terrâ Civitatis Vetulæ, arbitrio suo conducendæ, dari, & præstari mandamus, residere debeat; æstivo autem, & autumnali tempore, etiam in dicta Terra Tulphæ residere possit, omnimodamque jurisdictionem, in omnibus, & singulis causis civilibus, ac meris, & mixtis, dilectorum filiorum Universitatum, & Hominum Terrarum hujusmodi, illarumque Comitatuum, & Districtuum, etiam quoad Officiales, Ministros, milites, nautas, remiges, cæteraſque personas quocumque nomine nuncupatas, tàm in Triremibus nostris Pontificiis, earumque Classe, quàm in præsidio supradictæ Terræ Civitatis Vetulæ, nunc, & pro tempore existentes, plenè, & liberè habeat, & exerceat.

Domus pro Gubernatore, & tempora residendi in uno, & altero loco

Jurisdictio d. Gubernatoris in omnes.

§. 6. Salvâ tamen quoad Officiales, ministros, milites, aliosque præfatos in gravioribus causis, nempè in quibus imponenda erit pœna corporis afflictiva, dilectorum filiorum Cameræ prædictæ Thesaurarii Generalis, quippè cui aliàs curam prædictarum Triremium Pontificiarum, earumque Classis, sub certis modo, & formâ tunc expressis demandavimus, ac Commissarii Generalis Armorum Status Ecclesiastici supradicti nunc, & pro tempore existentium respectivè authoritate, & superioritate, itaut illos Gubernator prædictus, in iisdem causis gravioribus respectivè, ut præfertur, consulere debeat, tenore præsentium erigimus, & instituimus.

Præservantur Jurisdictio Thesaurarii Generalis in gravioribus.

§. 7. Cæterùm ad ea, quæ ad ipsius Gubernii sic erecti, & instituti, Jurisdictionis, & dignitatis augmentum cedere possunt, favorabiliter intendentes, eidem Gubernio, prævia Civitatis nostræ Cornetanæ ejusque Comitatus, & Districtus separatione, & dismembratione, à quacumque Civitatis pariter nostræ Viterbiensis pro tempore existentis Gubernatoris superioritate, tàm ipsius Civitatis Cornetanæ, illiusque Comitatus, & Districtus prædictorum, ac superintendentiam, itaut pro tempore existens Terrarum prædictarum Gubernator, in Civitate Cornetana, ejusque Comitatu, & Districtu præfatis, cum titulo, & denominatione Superintendentis, eamdem penitùs jurisdictionem, quam priùs inibi Civitatis Viterbiensis Gubernator hujusmodi habere, & exercere consueverat, pari modo, & absque ulla prorsus differentia habere, & exercere debeat, harum serie conjungimus, unimus, & incorporamus.

Eidem Gubernatori attribuit superintendentiam Corneti dismembrando à Gubernio Viterbiensi.

§. 8. Ipsi autem Gubernatori, ac Superintendenti provisionem menstruam sexaginta scutorum monetæ supradictæ, pro rata scilicet viginti duorum scutorum hujusmodi, ex salario aliàs Auditori pro tempore existenti Triremium prædictarum solvi solito, pro residuali verò summa ex reditibus, & proventibus, furni panis venalis dictæ Terræ Civitatis Vetulæ, donec ali-

Stipendiũ pro dicto Gubernatore superintendente.

ter

ter per Nos, vel Sedem prædictam provideatur, in fine cujuslibet mensis realiter, & cum effectu persolvendam, præter alia incerta emolumenta, licita tamen, & honesta, ante hac Locumtenenti, & Commissario respectivè prædictarum Terrarum pro tempore existentibus dari, & præstari consueta, earumdem tenore præsentium constituimus, & assignamus.

Augetur numerus familiæ armatæ.

§. 9. Præterea volumus, atque decernimus, quòd Curia Gubernatoris, ac Superintendentis supradicti pro Justitiæ servitio, ultra Batigellum, & tres Birruarios in eadem Terra Civitatis Vetulæ de præsenti (ut pariter accepimus) existentes, alios quatuor Birruarios habere, ac quidquid pro salario, seu stipendio eorumdem quatuor Birruariorum solvendo defuerit, ex reditibus, & proventibus furni hujusmodi, donec pariter per Nos, vel Sedem supradictam aliter provideatur, suppleri debeat.

Decreta præservativa, & roborantia.

§. 10. Decernentes easdem præsentes literas & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo quòd quicumque in præmissis Jus vel interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, & auditi, neque causæ propter quas præsentes emanarint sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ fuerint, aut ex alia quacumque, quantumvis justa, legitima, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in Corpore Juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & substantiali, ac incogitato, & inexcogitabili, individuamque expressionem requirente defectu, notari, impugnari, infringi, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, aut adversùs illa aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, seu impetrato, aut etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato, quempiam in Judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse, sed ipsas præsentes literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocunque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari.

Clausula sublata cum decreto irritanti.

§. 11. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & dictæ S. R. E. Camerarium, & alios Cardinales, etiam de latere Legatos, & quosvis Sedis, & Cameræ prædictarum Officiales, & Ministros, & alios quoscumque quavis præeminentia, & potestate fungentes, & functuros; Sublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogationes.

§. 12. Non obstantibus, præmissis, ac nostrâ, & Cancellariæ Apostolicæ Regulâ de jure quæsito non tollendo, necnon fel. rec. Pii PP. IV. Prædecessoris Nostri, de gratiis qualecunque interesse Cameræ prædictæ concernentibus, in eadem Camera intrà certum tunc expressum tempus præsentandis, & registrandis, itaut præsentes literas ibidem præsentari, & registrari nunquam necesse sit, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, Cameræ, Civitatum, & Terrarum prædictarum, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis quibusvis personis, & locis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, in genere, vel in specie in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitùs omisso, & formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 10. Novemb. M.DC.XCIII. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

Dat. 10. Nov. 1693. P. A. 3.

J. F. Card. Albanus.

XLIV.

Constitutio super Sportulis Tribunalium & Judicum Urbis.

INNOCENTIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei; Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium à fine consulendi litigantium expensis.

CIrcumspecta Romani Pontificis providentia nihil relinquit incertum, nihil præterit inordinatum, sed omnia suo Pastorali commissa officio, quoties opus est, certa lege determinat, ac ne quis fines rebus providè, & accuratè præscriptos transgrediatur, ordinationes desuper editas innovat, confirmat, declarat, & ampliat, prout rationabiles causæ persuadent, & in Domino conspicit salubriter expedire. Præsertim verò lites in hac Alma Urbe, ad quam Christianus Orbis pro justitia jugiter confluit, moderatis, & minoribus, quibus par est, & fieri potest, expensis agantur, casus in quibus illæ debentur, ordinatè præscribit, ac etiam debitas limite congruæ moderationis concludit. Cùm autem inter hujusmodi expensas sportulæ Judicum Delegatorum connumerentur, earumdem quoque determinationi, & moderationi particulariter prospicit, ac determinationem, & moderationem hujusmodi, rerum, & temporum circumstantiis attentè pensatis, Apostolicæ confirmationis, declarationis, & ampliationis, seu novæ provisionis munimine corroborat.

Pii IV., & Pauli V. Constitutiones super SPORTULIS.

§. 1. Aliàs siquidem felicis recordationis Pius IV. in suis Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo primo, sexto Kalend. Januarii super reformatione Causarum Palatii Apostolici Auditorii, aliàs Rotæ Romanæ, & Paulus V. Romani Pontifices Prædecessores nostri etiam in suis Anno ejusdem Incarnationis millesimo sexcentesimo undecimo, Kal. Martii super Reformatione Tribunalium Urbis præfatæ sub titulo de Auditorio Rotæ respectivè expeditis literis statuerunt, & decreverunt eodem verborum tenore qui sequitur. Ut debitus modus Sportulis imponatur, non possint Auditores à Partibus per se, vel alium quovis modo sportularum nomine aliquid petere, vel exigere, sed nec à sponte dantibus ultrà taxam infrascriptam accipere videlicet. In Causis pecuniariis, seu profanis, aut quæ aliàs pretio quoquo modo æstimari possint, si æstimatio rei, de qua agetur, non excedat summam mille ducatorum, aureos decem: A mille verò usque ad decem

Sacræ Rotæ in Causis Profanis.

In Beneficialibus.

cem millia, viginti quinque; A decem millibus usque ad viginti millia, quinquaginta; Ab indè supra usque ad quamcunque summam, centum. In Beneficialibus verò, si reditus annuus, de quo agetur, non excedat summam centum ducatorum, similiter decem; A centum verò usque ad mille, viginti quinque; A mille usque ad tria millia, quinquaginta: Ab indè verò supra, centum aureos pro sportulis cujuscunque sententiæ definitivæ dumtaxat, ut præfertur, accipere valeant. Si verò Causa æstimationem non facilè accipiat, sportulæ moderatæ pro rerum, & personarum qualitate juxta taxas prædictas recipi possint. Nec aliquid ultrà non solùm ipsis Auditoribus, sed nec eorum familiaribus, vel consanguineis, aut aliis quibusvis personis directè, vel indirectè quovis quæsito colore, vel ingenio, exceptis esculentis, & potulentis, quæ tridu consumi possint, ipsarum sententiarum, aut Auditorum intuitu præstari possit. Quas quidem sportulas juxta taxam prædictam apud Notarium causæ post subscriptam sententiam, & Notario traditam, & non anteà, deponi, & Auditori consignari volumus, quódque Notarius depositionem, & consignationem hujusmodi in actis notare, & specificare teneatur.

In non recipientibus æstimationem.

De esculentis licitis.

Constitutio ejusdem PII IV. De Auditore Cameræ.

§. 2. Similiter idem Pius Prædecessor in aliis suis literis super Reformatione Tribunalis Auditoris Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ sub Dat. Anno Incarnationis præfatæ millesimo quingentesimo sexagesimo secundo, quarto Nonas Junii infrascriptis verbis reassumptis in memoratis Pauli Prædecessoris literis sub titulo de Auditore Cameræ, & ejus Tribunali, ita sancivit. In Causis ordinariis Auditor prædictus, seu ejus in Civilibus Locumtenens non recipiat sportulas, neque Notarius aliquid pro nota sententiæ, sed in causis Commissarii, & declaratoriis contumacialibus tantùm. Et ibi: In Causis quæ ordinariè secundùm Auditoris facultates in ejus Tribunali introductæ fuerint, vel introduci potuerint, sivè post cœptam causam superveniat commissio, sivè ante imperrata sit, sivè in prima, sive in ulteriori instantia, nulla in re augeat impensam, sed quoad hoc habeatur semper causa pro ordinaria, itaut etiam ratione sententiæ neque Notarii, neque Judices quicquam propterea accipere potuissent, si commissio non adesset. Permittimus tamen ejus in Civilibus Locumtenenti in causis per commissionem ab initio introductis etiam sui natura ordinariis, ob magnam laborum assiduitatem, & emolumentorum tenuitatem sportulas moderatas juxta præsentem Constitutionem recipere. Declarantes nihilominùs, in reliquis omnibus causas intelligi ordinarias, nec Notarios quicquam ampliùs exigere posse, aut debere, quàm in aliis ordinariis permissum est.

In Causis Civilibus Ordinariis

In iisdem ubi supervenit Commissio.

Ubi Commissio ab initio.

§. 3. Itidem memoratus Paulus Prædecessor in præfatis ejus literis super reformatione Tribunalium Urbis ad alias infrascriptas determinationes in materia sportularum devenit: sub titulo scilicet de Capitolio, & ejus Officialibus per hæc verba; Capitaneus appellationum pro revocatione, seu moderatione quarumcumque inhibitionum sportulas nullo pacto accipiat: Sub titulo verò de Judicibus Criminalibus Urbis, ut infrà: Judices Criminales Urbis, seu Locumtenentes, eorum Substituti, quibus certum à Nobis salarium est constitutum, illo contenti, nihil prorsus aut pecuniæ, aut alterius cujuscunque, rei etiam minimæ quantitatis, à quoquam etiam spontè dante accipiant, neque pro sportulis, seu propinis sententiarum, vel pro decretis, absolutionibus, aut relaxationibus quibuscumque in quibuscunque causis etiam delegatis, & commissariis, neque quovis alio modo, titulo, vel nomine, etiam muneris, vel regaliorum, quamvis esculentum, vel potulentum, etiam in casibus alioquin de jure, vel quacunque Constitutione permissis, sub privationis Officii, & inhabilitatis in posterum ad quodlibet judicandi munus, & aliis nostro, & Successorum nostrorum arbitrio infligendis pœnis. Camerarius, Thesaurarius, & Præsides Cameræ, item Hospitalium, Confraternitatum, ac aliorum locorum piorum, seu Collegiorum Rectores, & alii quicunque habentes in Urbe jurisdictionem criminalem, & facultatem Judices deputandi, non deputent in criminalibus causis alios Judices, quàm aliquem ex ordinariis sibi benè visum, qui nullas debeat recipere sportulas, ut supra sancitum est. Rursùs sub titulo de Judicibus in causis civilibus; Mandata de manutenendo in possessorio summarissimo nullus Judicum det, nisi per viam decreti, non autem cedulæ, nec quidquam sportularum, aut propinæ pro eis etiam à sponte dantibus accipiatur. Denique sub titulo de sportulis, seu propinis. Nullus Judicum Ordinariorum Urbis, & Romanæ Curiæ cujuscunque dignitatis, etiam speciali nota dignus, in causis civilibus ordinariis ratione sportularum, sive propinarum aliquid prorsùs accipiat, etiam à sponte dare volentibus, In Commissariis autem pariter civilibus, ubi de summa scutorum viginti quinque agitur, & infrà, nihil prorsùs. A viginti quinque usque ad centum inclusive scuta tria: A centum usque ad ducentum sex: A ducentum usque ad quamcunque summam scuta decem, & non ultra. Pro quacunque sententia declaratoria ob non paritionem monitorii in contumaciam, non ultrà julios septem cum dimidio. Pro declaratoria in vim literarum, aut aliàs habente vim definitiva, si summa sit certa, accipiant juxta taxam prædictam, si verò incerta, sed agatur ad ipsarum literarum exequutionem, accipiant juxta causæ, & personæ qualitatem, dummodò non ultrà quinque aureos. Pro quacunque interlocutoria, sive decreto ante sententiam definitivam, nihil omninò. Similiter, & pro decreto mandati de manutenendo, item decreto moderationis inhibitionis, & multò magis pro decreto taxationis expensarum nihil omninò recipiatur; Capitaneus autem appellationis Curiæ Capitolii recipiat sportulas juxta taxam ei constitutam ab Urbis Statutis, non tamen in casibus sibi hac Constitutione interdictis. At prædictas sportulas, sive propinas, ut supra taxatas, Judicibus non nisi de manibus Notarii causæ, & sententiâ priùs ab ipsis subscriptâ accipere ullo modo liceat; Debeantque propterea Notarii librum habere, in quo dictas sportulas, seu propinas notent, cùm pro Judicibus deponuntur, ubi cum postea latâ sententiâ Judici persolvuntur, ipse Judex manu propria notato depositio subscribat, se illam recepisse, quæ sic ut suprà Judici data, deinceps inter expensas litis taxandas, ac reficiendas omninò ponatur, & Victori reficiatur, usu quocunque contrario non obstante.

Constitutio PAULI V. De Curia Capitolii.

De Capitaneo Appellationum.

De Judicibus, & Causis Criminalibus.

§. 4. Postremò recol. mem. Innocentius Papa XI. etiam Prædecessor Noster in suis super confirmatione Decretorum Congregationis Reformationis Tribunalium Urbis anno præfatæ Incarnationis millesimo sexcentesimo octuagesimo nono, quarto Kalen. Julii expeditis literis, inter alia Decretum ejusdem Congregationis sub titulo de sportulis, vel propinis, confirmavit, & inviolabiliter servari mandavit, cujus Decreti tenor sequens est. Cùm inter cætera quæ disponuntur per Constitutionem san. mem. Pauli V. super Reformatione Tribunalium illud præsertim enixè præcipiatur, ut nullus Judicum Ordinariorum Urbis, & Romanæ Curiæ cujuscunque Dignitatis, etiam speciali nota dignus, in causis civilibus ratione sportularum, seu propinarum aliquid prorsus accipiat, etiam à sponte dare volentibus. In Commissariis autem pariter civilibus ubi

De Camerario Thesaurario, & aliis in Criminalibus.

In mandatis de manutenendo in summariissimo.

De Judicibus Ordinariis quoad propinas.

In Causis Commissariis.

De sententiis declaratoriis.

De declaratoria in vim literarum.

De Interloquutoriis & mandatis de manutenendo.

De libro per Notarios retinendo.

De Sportulis Victori reficiendis.

Constitutio INNOCENTII XI.

Narratur dispositio Pauli V. quoad Judices Ordinarios.

de

de ſumma ſcutorum viginti quinque agitur, & infrà, nihil prorſus: à viginti quinque ſuprà uſque ad ducentum ſcuta ſex: à ducentum uſque ad quamcunque ſummam ſcuta decem, & non ultrà. Aliquæ verò Litigantium querelæ ad aures Sanctiſſimi pervenerint adverſùs ejuſdem Conſtitutionis in hac parte inobſervantiam; Idcircò de ejus mandato, re maturè, ac pluries examinata, decretum, & declaratum fuit, præfatam Conſtitutionem prohibentem ſportulas Judicibus Ordinariis, in omnibus Judicibus, qui non ſint verè Commiſſarii, obſervari debere juxta univerſalitatem literæ, ac verborum, quacunque limitatione, vel interpretatione, ſivè argumento, aut contraria Conſuetudine ſublatis, ac rejectis. Judices verò Ordinarios eſſe omnes illos, qui ſint deputati ad aliquam univerſitatem, vel aliquod genus Cauſarum, adeo ut Commiſſarii ſint ſolùm illi, qui per commiſſionem ſpecialem deputati ſunt ad certas, & particulares cauſas, iſtoſque teneri pariter obſervare dictam Conſtitutionem, ut ſummas propinarum per eam taxatas nullatenus excedere, atque plùs exigere valeant. Ut autem omnis dubitandi, vel contraveniendi occaſio tollatur; cenſuit Congregatio exprimere, ac recenſere, quinam ſint Judices Ordinarii Urbis, & Romanæ Curiæ, iique ſunt infraſcripti, aliis non excluſis quatenus adſint; Eis tamen nullatenus præjudicatum cenſeatur quoad illas ſportulas, vel propinas, quæ expreſſè, ac literaliter, non autem per argumenta, vel illationes, & interpretationes, aut per ſubauditos intellectus eis deferuntur, ac tribuuntur per eandem Conſtitutionem Pauli V. ſive per privilegia, & conceſſiones Apoſtolicas particulares, non autem per conſuetudinem, Iique ſunt ſequentes, cum declaratione, quod per deſcriptionem non cenſeatur ſtatutus ordo aliquis, nec alicui præjudicatum. D. Cardinalis Camerarius, ejuſque Auditor, & Judices deputati etiam in criminalibus. D. Cardinalis Vicarius, ejuſque Viceſgerens, Locumtenens, aliique Judices ab eo deputati. DD. Cardinales Archipresbyteri trium Baſilicarum Patriarchalium, earumque Vicarii, & Auditores, aliique deputati. D D. Cardinales Titulares in eorum Titulis Urbis, & in ſex Epiſcopatibus Cardinalitiis, eorumque Vicarii Auditores, & alii deputati. DD. Cardinales Protectores Collegiorum, Monaſteriorum, Hoſpitalium, Locorum Piorum, eorumque Auditores, & alii Judices, & Deputati. D. Gubernator Urbis, ejuſque Locumtenentes, ac Judices civiles unus, vel plures &c. D. Auditor Cameræ, ejuſque Locum tenentes, & Judices deputati. D. Senator Urbis, ejuſque Collaterales, & Capitaneus Appellationum, & alii deputati. D. Theſaurarius Generalis, ejuſque Auditor, aliiſque Judices ab eo deputati etiam in Criminalibus. DD. Præſides, & Præfecti reſpectivè Viarum, Graſciæ, Zecchæ, Riparum, Annonæ, Archivii, & Carcerum, eorumque Auditores, aliique deputati. D. Præfectus S. Palatii Apoſtolici, ejuſque Auditor, & Locumtenentes, ac alii Deputati tàm quoad Palatinos, quàm quoad Tuſculum, & Arcem Gandulphi, & Villas. D. Commiſſarius Armorum, ejuſque Auditor, vel alii Deputati. D. Judex, vel Auditor Confidentiarum. Judex Fabricæ S. Petri. Judex Militum. Judex Caſtri S. Angeli. Judex Triremium, ſeu Claſſis Maritimæ. Aſſeſſores Ædilium, ſeu Magiſtrorum Viarum, Conſulum Agriculturæ, Camerarii Riparum, Protomedici, & Conſulum Artium, vel Mercatorum, & Dohanarum. Ea declaratione adjecta, quod hujuſmodi diſpoſitio locum habeat, etiamſi dicti Judices, ſeu Deputati procedant in gradu recurſus, ſeu in ſecundis, vel aliis inſtantiis, quæ præfatis Tribunalibus competerent Omneſque, præfatos, & alios Judices Ordinarios ad normam ejuſdem Conſtitutionis adhuc eſſe tales, atque in præfata prohibitione comprehenſos eſſe, quamvis eis commiſſio ſuperveniat, vel quod eis injungatur, ut procedant de, vel cum Voto Rotæ, ſive alterius Tribunalis, vel perſonæ, aut quod procedere profiteantur pro exequutione literarum Apoſtolicarum, ſive in vim cujuſcunque deputationis generalis, & quoties non ſit expreſſa, & ſpecialis deputatio ad certas, & particulares cauſas, unde dici valeant veri Commiſſarii, ut ſupra, ſalva tamen quoad Auditorem Cameræ diſpoſitione dictæ conſtitutionis Pauli V. in titulo de Auditore Cameræ, §. *Permittimus tamen.* Atque alias quidquid etiam ſpontè ſolutum eſſet, illicitum cenſeri debeat; Ideoque tam Judices, quàm Notarii recipientes incurrere cenſeantur pœnas inflictas per Conſtitutiones Apoſtolicas, neque ita ſolutum veniat ſub condemnatione, & taxa expenſarum, quinimò, ut eiſdem qui ſolverunt competat repetitio tàm à Judice, quàm à Notario ad eorum electionem, abſque eo quòd aliqua conſuetudo in contrarium ullo unquam tempore induci valeat, & quam irritam, caſſam, & reprobatam eſſe decretum, & declaratum fuit. Quódque illi Judices tam Ordinarii, quàm Commiſſarii, quibus per eamdem Conſtitutionem Pauli V., vel per ſpeciale indultum conceditur, poſſe exigere ſportulas, ut ſuprà, non poſſint in tota cauſa exigere niſi unicam propinam juxta taxam ut ſuprà, quamvis plures eſſent perſonæ in cauſa, adeò ut ſi victoria ambas, vel plures partes tangat, omnes proportionabiliter, & pro rata concurrant ad dictam unicam propinam ſolvendam, neque diviſio ſententiarum, vel punctorum, eorumque reſervatio in hoc quidquam ſuffragari valeat, adeo ut idem Judex in eadem cauſa unicam tantùm propinam percipiat. Hactenùs decretum in præfatis Innocentii Prædeceſſoris literis confirmatum.

§. 5. Cupientes itaque tot litigantium ad Urbem præfatam confluentium indemnitati etiam in hac parte uberiùs conſulere, ac controverſias, & gravamina circa hujuſmodi ſportulas, quantum Nobis ab Alto conceditur, dirimere, & arcere, necnon totius Curiæ Romanæ decori, & dignitati plenius proſpicere, ut illius Judices, Cauſidici, & litigantes ipſi, ea quæ à Nobis, & à ſupradictis Prædeceſſoribus Noſtris deſuper ſtatuta, & declarata fuerunt, in unum redacta commodiùs, & faciliùs habere, ponderare, & exequutioni demandare valeant: Motu proprio, ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, necnon de nonnullorum dilectorum filiorum ejuſdem Romanæ Curiæ Prælatorum, & Virorum, pietate, doctrina, prudentia, & rerum uſu præſtantium, ad hunc effectum de mandato noſtro congregatorum, conſilio, præfatas Pii, Pauli, & Innocentii Prædeceſſorum literas hujuſmodi, in iis, quæ cum infraſcriptis noſtris declarationibus, ſeu decretis compatibilia ſunt, tenore præſentium approbamus, confirmamus, & innovamus, illiſque perpetuum, & inviolabilis firmitatis robur adjicimus, ac ab omnibus, & ſingulis, quos illæ concernunt, penitus, & ſub inibi contentis per contrafacientes incurrendis pœnis, & cum omnibus inibi deſuper decretis, quorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, ac ſi de verbo ad verbum inſerri eſſent, haberi volumus, obſervari ſtatuimus, atque decernimus.

§. 6. Non intendimus tamen per relationem, ſeu enumerationem Judicum, & Tribunalium in præinſertis dictarum literarum Pauli, & Innocentii Prædeceſſorum particulis, ut præfertur, confirmatis, quoquo modo, ſeu in aliqua etiam minima parte recedere à ſuppreſſione, abolitione, & abrogatione nonnullorum ex iiſdem Judicibus, & Tribunalibus, quas in aliis noſtris Anno Incarnationis præfatæ milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo ſecundo, quintodecimo Kal. Octobris expeditis literis ſtatui-

Judices Ordinarii, qui, & qui Conſiſſarii

Catalogus Judicum Ordinariorum Urbis, ſed vide infra num. 32.

Judices enumeratos remanere Ordinarios etiam ſuperveniente Commiſſione.

Actio competens parti ad repetendum indebitè ſolutum.

Unica propina etiamſi perſonæ, & puncta diverſa.

Sanctiſſimus intendit uberiùs, & clariori diſtinctione providere.

Statuit de Conſilio Congregationis particularis.

Declarat per enumerationem de qua ſupra numero 26. non recedere à ſuppreſſione nonnullorum Tribunalium.

mus, & ordinavimus, ſed eaſdem ſuppreſſionem, abolitionem, & abrogationem cum omnibus inibi contentis ſalvas, illæſas, intactas, & illibatas remanere, ac in omnibus, & ſingulis earum partibus inviolabiliter, & inconcuſſè attendendas, obſervandas, & exequendas fore, & eſſe, omninò volumus, & mandamus.

Procedit ad infraſcriptas declarationes ad dirimendas controverſias ſuper interpretatione Conſtitutionum Prædeceſſorum.

TAXA OBSERVANDA ubi agitur.

§. 7. Præterea ad dirimendas quotidianas controverſias, quæ ex litigantium, & præcipuè ſuccumbentium importunitate emergere ſolent ſuper interpretatione præinſertarum Pii, Pauli, & Innocentii Prædeceſſorum literarum in taxandis ſportulis, & honorarii Judicum Delegatorum, & Tribunalium dictæ Urbis, in ea præſertim parte, in qua determinatur, quòd ubi cauſa æſtimationem non facilè accipiat, ſportulæ moderatæ pro rerum, & perſonarum qualitate juxta taxas in iiſdem literis conſtitutas, recipi poſſint, Motu, ſcientia, deliberatione, & poteſtatis plenitudine paribus, necnon de ſimili dictorum Prælatorum, & Virorum, conſilio ad infraſcriptas declarationes, ſeu ſanctiones, religioſè ſervandas in omnibus cauſis in poſterum expediendis devenire decrevimus.

De ſervitutibus.

Et primò in cauſis quarumcumque ſervitutum Urbanorum, & Ruſticorum prædiorum, retractuum, ſeu juris congrui, taxatio ſportularum fiat ad menſuram ipſius ſervitutis, ſeu juris in litem deducti, illiuſque æſtimatio deſumatur tantùm ab eo, quod ratione dictæ ſervitutis, aut juris minui, ſeu augeri de jure ſolet de valore rei controverſæ.

De Adoptionibus, arrogationibus, alimentis, & ſimilibus.

Secundò in cauſis adoptionum, arrogationum, legitimationum, filiationum, & ſimilium, ſportulæ regulari debeant à valore rei pariter in judicium deductæ, nempè à valore hæreditatis, ſi petatur hæreditas, à valore alimentorum, ſi petantur alimenta, & ſic de aliis.

De Præcedentiis, & præeminentiis.

Tertiò in cauſis præcedentiarum, aliarumque præeminentiarum, vel jurium inter privatas perſonas tam Eccleſiaſticas, quàm Seculares, taxatio ſportularum excedere non poſſit aureos viginti quinque; inter Magnates verò, Collegia, Capitula, Univerſitates, & ſimiles, aureos quinquaginta vel centum, inſpecta tamen rerum, & perſonarum qualitate.

De Jure Patronatus quoad præſentatos, & quoad Patronos.

Quartò. In cauſis Juriſpatronatus, ſi lis ſit inter præſentatos, ſportulæ nullum recipiant augmentum, etiamſi Patroni ſint in cauſa adhærendo, ſeu aſſiſtendo eorum præſentatis; Ubi verò Patronus, ſeu Patroni inſteterint apud acta pro canonizatione eorum juris in petitorio, tunc quoties in ſententia ſequatur petita canonizatio, valor ſportularum comenſuretur à valore beneficii; Idemque ſervetur in cauſis, in quibus agatur de jure inſtituendi, eligendi, nominandi, ſeu conferendi unum, aut plura beneficia, vel alio jure ſimili.

De Alimentis vitalitiis, & Penſionibus.

Quintò. In cauſis alimentorum, penſionum Eccleſiaſticarum, atque aliis juribus vitalitiis, æſtimatio ſportularum fiat juxta menſuram *Textus in l. Hæreditatum* 68. *ff. ad l. Falcid.*

De Decimis, & præſtationibus perpetuis.

Sextò. In cauſis, in quibus agatur de jure decimandi, quotizandi, aut perpetuò exigendi aliquam annuam præſtationem, ſive in re, ſive in pecunia, non excedatur in exigendis ſportulis, taxa, ſeu æſtimatio, quæ correſponderet capitali ipſius annuæ præſtationis, nulla habita ratione ad annuas præſtationes, ſeu fructus decurſos lite pendente.

De comiſſione ſuperveniente Judici Ordinario, & de Delegato.

Septimò. Ubi pendente judicio coram Judice Ordinario ſupervenerit commiſſio, ut ille procedat de, ſeu cum Voto Rotæ, ſivè alterius Tribunalis, vel Congregationis, tunc idem Judex Ordinarius in prolatione ſententiæ aliquas ſportulas accipere non poſſit; ſi verò fuerit Judex delegatus, ſportulæ ab ipſo accipiendæ non excedant aureos decem.

In quocumque Delegato propina non excedat ſcuta decé auri.

Octavò. Eamdemque menſuram ſcutorum decem auri excedere non valeat quilibet Prælatus, aut Judex Ordinarius dictæ Romanæ Curiæ in cauſis verè delegatis, ſeu commiſſariis, etiamſi fuerit S. Romanæ Eccleſiæ pro tempore Camerarius, in Urbe, ejuſque Diſtrictu Vicarius in Spiritualibus Generalis, præfatæ Urbis Gubernator, Cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ Generalis Auditor, d. Urbis Senator, vel d. Cameræ Theſaurarius Gen. ſub prætextu, quod agatur de re magni valoris, aut quod ità in eorum Tribunalibus paſſim, vel pluries ſervatum fuerit.

De Cauſis commiſſis Congregationi Prælatorum.

Nonò. Hoc idem ſervetur in cauſis commiſſis Congregationi plurium Prælatorum, vel cum, ſeu de ejuſdem, ſivè eorumdem voto, nam licèt cauſæ ſint de majoribus, non poſſint tamen à ſingulis accipi majores ſportulæ, quàm ſcutorum decem auri.

Parte libere renunciante ante definitivam ceſſat obligatio propinæ.

Decimò. Si fuerit inter partes concordatum, aut alio modo receſſum à lite, etiam ab altera partium, per viam tamen puræ, & liberæ renunciationis in qualibet inſtantia, & in quacunque parte judicii ante ſententiam definitivam, non poſſint litigantes ullo modo compelli ad expediendam ſententiam, ſeu ad ſolvendas ſportulas.

Tribunalia in quibus ſervandæ præmiſſæ declarationes.

Undecimò. Hujuſmodi declarationes reſpectivè ſerventur, tam in Rota, quàm in Camera, aliiſque quibuſcunque Tribunalibus, & Judicibus præfatæ Urbis, quibus ex Conſtitutionibus Apoſtolicis, aliiſque ordinationibus non eſt prohibitum accipere poſſe ſportulas, ſeu propinas.

Pro executione Decretorum Sacrarum Congregationum non accipitur propina.

Duodecimò. Pro declaratione reformationum, ſeu literarum Pauli, & Innocentii præfatorum utrobique ſub titulo de ſportulis, ſeu propinis, volumus, & decernimus, quòd nullus Judex Ordinarius Urbis præfatæ in cauſis, & negotiis, in quibus agatur de exequutione, & verificatione decretorum Noſtrarum Congregationum, quidquam prorsùs accipere valeat ratione ſportularum, etiam à ſponte dare volentibus, neque in cauſis, & negotiis prædictis liceat Notariis conficere regiſtra, ſed omnia tam à Judicibus, quàm à Notariis expleantur jure ordinario, prout in cæteris cauſis, & negotiis eorum Tribunalis.

Pro declaratione dubiorum ad quem recurrendum.

Tertiodecimò. Poſtremò ubicunque in hac ſportularum materia quæſtio aliqua emerſerit ſuper interpretatione, declaratione, aut exequutione præſentium, & præfatarum literarum, ut præfertur confirmatarum, Pii, Pauli, & Innocentii Prædeceſſorum, ſtandum eſſe ſancimus judicio, & declarationi dicti Gubernatoris Urbis, & duorum digniorum in ordine ſuccedentium ex Congregatione reformationis Tribunalium dictæ Urbis, qui ſi, ità videbitur, poſſint etiam votum ejuſdem totius Congregationis exquirere, omni alio recurſu, & appellatione ſublatis.

Decreta roborantia.

§. 8. Decernentes, eaſdem præſentes literas, & in eis reſpectivè contenta quæcunque, etiam ex eo, quòd omnes, & ſinguli ſupradicti, ac alii quicunque in præmiſſis quomodolibet jus, vel intereſſe habentes, ſeu habere prætendentes, cujuſvis ſtatus, gradus, ordinis, præeminentiæ, vel dignitatis, ſeu aliàs ſpecifica, & individua mentione, & expreſſione digni exiſtant, iiſdem præmiſſis non conſenſerint, nec ad ea vocati, ſeu auditi fuerint, tametſi ſuorum indultorum, vel privilegiorum vigore conſentire, ſeu vocari, & audiri ſemel, vel pluries quoquo modo debuiſſent, aut ex alia, quantumvis juridica, & privilegiata cauſa, colore, prætextu, & capite, etiam in Corpore Juris clauſo, ullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, ſeu nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ, vel intereſſe habentium conſenſûs, alioque quolibet, etiam quantumvis magno, ac formali, & ſubſtantiali defectu notari, impugnari, infringi, in controverſiam revocari, ad terminos juris reduci, ſeu adversùs illas aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, aliudve quodcunque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari nullatenus poſſe, ſed eaſdem præſentes literas ſemper, & perpetuò validas, firmas, & effica-

ces

ces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere debere, & ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore quandocunque, & quomodocunque spectabit, inviolabiliter observari.

Clausula sublata.

§. 9. Sicque, & non aliter per quoscunque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & dictum S. R. E. Camerarium, aliosque Cardinales, etiam de Latere Legatos, necnon Cameræ præfatæ Præsidentes, Clericos, aliosque Officiales, & Ministros, cæterosque quoslibet, quacunque auctoritate, præeminentia, & potestate fungentes, & functuros; Sublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate judicari, & definiri debere; Irritum quoque, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogationes.

§. 10. Non obstantibus, quatenùs opus sit, nostrâ, & Cancellariæ Apostolicæ Regulâ, de jure quæsito non tollendo, illisque omnibus, quæ præfati Pius, Paulus, & Innocentius Prædecessores in memoratis eorum literis respectivè voluerunt non obstare, ac præmissis circa ea, quæ præsentibus adversantur, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis; necnon quibuscunque etiam præfatorum Tribunalium decretis, statutis, usibus, stylis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis; Privilegiis quoque, & indultis, & literis Apostolicis quibuscunque, sub quibusvis tenoribus, & formis, & cum quibuscunque, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, & consistorialiter, ac aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, editis, ac etiam pluries, & quantiscumque vicibus confirmatis, innovatis, & approbatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitùs omisso, & formâ in illis traditâ observatâ exprimerentur, & insererentur, iisdem præsentibus, pro plenè, & sufficienter expressis, insertis, servatis, & specificatis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresè, plenissimè, & ampliss imè derogamus, & derogatum esse volumus, & mandamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio pœnalis.

§. 11. Nulli ergo omninò hominum liceat paginam hanc nostrarum approbationis, confirmationis, innovationis, voluntatum, statutorum, decretorum, mandatorum, sanctionis, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo nonagesimo tertio, Pridie Nonas Decembris, Pontificatus Nostri Anno Tertio.

D. 4. Dec. 1693. P. A. 3.

B. Card. Prodatarius

J. F. Card. Albanus.

Visa de Curia J. Sacripantes.

D. Ciampinus.

Loco † plumbi

Regiſtrata in Secret. Brevium.

Publicatio

Anno à nativitate D. Nostri Jesu Christi millesimo sexcentesimo nonagesimo tertio, Indictione prima, die verò quinta Decembris, Pontificatus autem sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri, Domini Innocentii Divinâ providentiâ Papæ XII. Anno Tertio: Supradicta Constitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Ecclesiæ S. Joannis Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ, in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per me Joannem Grecum ejusdem Sanctissimi Domini Nostri Papæ Cursorem.

Thomas Orlandus Curs. Magister.

XLV.

Privilegia concessa Cappellanis Communibus Cappellæ Pontificiæ.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Motiva concessionis Privilegiorum.

GRata familiaritatis obsequia, quæ dilecti filii Joachimus Tenacciolus, Civitatis Castelli Canonicus secularis, & Collegiatæ Ecclesiæ Sancti Nicolai in Carcere Tulliano de Urbe, Carolus Emidius Ridolphus Asculanus, Hieronymus Ferrarius Novarien sis, Joannes Dominicus Cozzardus Romanus, Bernardinus Brusettus Venetus, & Dominicus Palloccius Sabinen. Diœcesis Presbyteri moderni Cappellani, familiares nostri, Nobis, & Apostolicæ Sedi hactenus impenderunt, & adhuc sollicitis studiis impendere non desistunt, nec non vitæ, ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, quibus eorum personas, tam familiari experientia, quàm etiam fide dignorum testimoniis juvari percepimus, Nos inducunt, ut illis reddamur ad gratiam liberales.

§. 1. Hinc est, quòd Nos volentes illos specialibus favoribus, & gratiis prosequi, eosque à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, Motu proprio, non ad supradictorum Joachimi, Caroli Emidii, Hieronymi, Joannis Dominici, Bernardini, & Dominici, vel alicujus ipsorum, aut aliorum pro eis Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de mera nostra deliberatione, ac certa scientia, Apostolica auctoritate, tenore præsentium, Joachimum, Carolum Emidium, Hieronymum, Joannem Dominicum, Bernardinum, & Dominicum prædictos, & illorum singulos, in Nostros, & Sedis Apostolicæ Notarios recipimus, ac Sacri Palatii, & Aulæ Lateranensis Comites (sine tamen dilectorum filiorum Notariorum de numero participantium præjudicio) nec non Nobiles Romanos, & Urbis Romæ, omniumque, & singularum Civitatum, Terrarum, & locorum S. R. E. mediatè, vel immediatè subjectorum, Cives creamus, & constituimus, ac in numerum, & consortium aliorum nostrorum, & ejusdem Sedis Notariorum, nec non Palatii, & Aulæ hujusmodi Comitum, ac Nobilium Romanorum, aliorumque Civium Civitatum, & Oppidorum prædictorum referimus, & conscribimus, ipsisque, etiamsi habitum, & rochettum Notariorum dictæ Sedis, juxtà Decretum Lateranensis Concilii novissimè celebrati, non deferant, aut Civitates hujusmodi non incoluerint, nec unquam in eisdem Civitatibus domicilium habuerint, ut nihilominus omnibus, & quibuscumque privilegiis, facultatibus, exemptionibus, immunitatibus,

Receptio in Notarios Apostolicos Comites Palatinos &c.

Privilegium Civitatis Urbis, aliarumque Civitatum

bus, libertatibus, favoribus, gratiis, & indultis, quibus cæteri omnes Notarii noſtri etiam de numero participantium, necnon Comites, & Nobiles, ac Cives Originarii, etiam in Dignitatum, ac Beneficiorum Eccleſiaſticorum, & ſecularium, etiam ex perſonis Romanorum originariorum vacantium, aſſecutione & exercitio, tàm in Urbe, quàm in Civitatibus prædictis, ac aliàs ubique locorum, & gentium, necnon ſeſſionum, & Conventuum utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt, quomodolibet in futurum, non ſolùm ad illorum inſtar, ſed pariformiter, & æquè principaliter, ac ſi privilegia, facultates, exemptiones, gratiæ, & indulta pro ipſis emanaſſent, (citrà tamen exemptiones à Concilio Tridentino ſublatas, itaut nedum quoad criminalia, ſed etiam quoad civilia ſubjaceant Ordinariis, ac facultates legitimandi, ad gradus promovendi, & Notarios, ſeu Tabelliones creandi, aliaque hujuſmodi privilegia à Notariis Sedis Apoſtolicæ, & Comitibus Palatinis prætenſa, itaut illis ſupramemorati Cappellani familiares noſtri nullibi uti valeant, ac irritum, & inane exiſtat, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari,) uti, potiri, & gaudere, ac in omnibus, & ſingulis Apoſtolicis, aliiſque litteris, Inſtrumentis, & ſcripturis publicis, & privatis deinceps eorum nomine conficiendis, ſeſe Notarios, Comites & Nobiles, ac de nobili genere ex utroque parente procreatos, necnon Romanæ, & aliarum Civitatum Cives, ut libuerit, inſcribere, & ſe illis ſubſcribere, valeant, ac pro veris & non fictis Notariis, Comitibus, Nobilibus, & Civibus habeantur, nihilque qualecumque illud fuerit, cum iis expreſſionibus, ſubreptitium, obreptitium, aut invalidum, ſed illud idem efficax in omnibus, & per omnia cenſeatur, concedimus, & indulgemus.

Concilii Tridentini limitatio præſervatur, aliaq; excipiuntur.

Exemptio ab omnibus impoſitionibus, ſeu taxis præterquam contra Infideles, & durante ſervitio.

§. 2. Et inſuper illos, eorumque beneficia, & officia Eccleſiaſtica quæcumque, quotcumque, & qualiacumque, illorum fructus, res, & Jura ubicumque locorum, Regionum, & Provinciarum, necnon in Urbe, Civitatibus, Terris, & locis eidem Romanæ Eccleſiæ mediatè, vel immediatè ſubjectis conſiſtentia, prædia, domus, poſſeſſiones, & bona patrimonialia, aliaque temporalia mobilia, & immobilia, & ſe moventia, necnon actiones, & jura præſentia, & futura, cujuſcumque qualitatis, quantitatis, & naturæ, & cujuſvis etiam annui valoris, fructus, reditus, & proventus hujuſmodi ſint, vel fuerint, ac etiam quæcumque ab illis vendenda, ac pro illorum, familiarumque ſuarum uſibus emenda, ab omnibus, & quibuſcumque decimis, quartis, & dimidiis partibus, ſubſidiis etiam charitativis, necnon Vectigalibus, Portoriis, Tributis, Datiis, & Pedagiis, Collectis, & quocumque alio nomine nuncupatis, Angariis, Perangariis, cæteriſque oneribus, & contributionibus tam urbanis, quàm ruſticis, ordinariis, & mixtis, etiam ratione munitionum, mœnium, & pontium, portarum, & moliturarum, & mercium cujuſcumque generis tranſitûs, ſeu paſſûs, & vecturæ, etiam in aliud Territorium, ſeu Provinciam, Terra, Mari, & Flumine, nec non equorum mortuorum, ſtabulationum Militum, Inſtitutionis Seminarii Eccleſiaſtici, aut quacumque alia quantumvis gravi, & graviſſima cauſa, pro ſubventione contra Infideles dumtaxat exceptâ) nunc, & pro tempore impoſitis. Ita quòd illi, & quilibet eorum, nihil omninò horum, aut aliorum ſimilium ſubire teneantur, nec per Cameræ Apoſtolicæ, aut alios Commiſſarios, ſeu Vectigalium, & Tributorum hujuſmodi redemptores, conductores, & exactores quocumque privilegio, exemptione, & facultate ſuffultos, aliàs quàm ut præfertur valeant coarctari, quamdiu ſervitiis noſtris inſteterint, dumtaxat eximimus, & liberamus.

Diſpenſatio ſuper

§. 3. Ad hæc cùm eiſdem, ut quæcumque duo diſſimilia, vel ſimilia ſimplicia ſub ſingulis tribus tectis quarumcumque trium Cathedralium, etiam Metropolitanarum, aut aliarum Eccleſiarum conſiſtentia, etiam unum ex illis omnibus cùm cura, aut dignitas, etiam major, & principalis Canonicatus, & Præbenda, Perſonatus, Adminiſtratio, vel Officium fuerit, & ad Dignitatem, Perſonatum, Adminiſtrationem, vel Officium hujuſmodi conſueverit quis per electionem aſſumi, eiſque etiam cura juriſdictionalis immineat Animarum, ſi eis aliàs canonicè conferantur, aut ipſi eligantur, præſententur, aut aliàs aſſumantur ad illa, & inſtituantur in eis recipere, & dummodo illa omnia, uno excepto, perſonalem reſidentiam non requirant, inſimul quoad vixerint, retinere, nec non etiam quamdiù Nobis inſervierint tùm in Beneficiis Eccleſiaſticis, non tamen Parochialibus, vel Curam Animarum Parochianorum habentibus per eos pro tempore obtentis, etiam de jure, ſtatuto, fundatione, vel privilegio perſonalem reſidentiam requirentibus, etiamſi Dignitates in Metropolitanis, vel Cathedralibus majores, & in Collegiatis Eccleſiis hujuſmodi principales fuerint, perſonaliter reſidere non teneantur, nec ad id per locorum Ordinarios, ſeu Eccleſiarum earumdem Capitula, aut quoſvis alios ad reſidendum interim in illis inviti compelli poſſint, omneſque, & ſingulos illorum Beneficiorum obtentorum fructus, & reditus, durante ſervitio prædicto, cùm ea integritate, diſtributionibus quotidianis dumtaxat exceptis, cum qua illos percipierent, ſi in eiſdem Eccleſiis, ſive locis perſonaliter reſiderent, percipere, exigere, & levare, proviſo tamen per eos, ut onera eiſdem dignitatibus, & beneficiis quovis modo incumbentia congruè ſupportentur.

pluralitate Beneficiorum, & reſidentia in non Curatis.

Indultum vacandi publicè Juri Civili, legendi, & advocandi in Eccleſiaſticis.

§. 4. Necnon, etiamſi Presbyteri fuerint, ac Dignitates, & officia obtinuerint, Leges, & Jura Civilia, etiam publicè in Scholis, & Univerſitatibus Studiorum generalium, ad quinquennium dumtaxat, dummodo iidem trigeſimum ætatis annum non exceſſerint, audire, ac ſi habiles, & ſufficientes reperti fuerint, etiam ad Doctoratus gradum in hujuſmodi facultate ſe promoveri facere, ipſaque Jura, etiam publicè docere, atque Judicis, Advocati, aut Procuratoris officium in cauſis Eccleſiaſticis, & civilibus tantùm exercere liberè, & licitè poſſint, & valeant, de ſpeciali dono gratiæ diſpenſamus.

Eligendi ſibi Confeſſarium, & abſolvi à reſervatis, & de votorum commutatione.

§. 5. Liceat quoque ipſis, & eorum ſingulis, aliquem idoneum, & ab Ordinario approbatum Presbyterum Secularem, vel cujuſvis Ordinis Regularem in ſuum eligere Confeſſorem, qui vita eis comite eos, & ipſorum ſingulos à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, & per eos incurſis, & quibus ipſos pro tempore illaqueari contigerit, etiamſi abſolutio Nobis, & Succeſſoribus noſtris Romanis Pontificibus pro tempore exiſtentibus ſpecialiter, vel generaliter reſervata exiſtat, & quorumcumque votorum, & Eccleſiæ præceptorum tranſgreſſionibus, homicidio caſuali, manuum violentarum in quaſvis perſonas, etiam Eccleſiaſticas (non tamen Epiſcopos, vel alios Superiores Prælatos) de præterito injectionibus, ſeu conſilii, vel favoris ad id præſtationibus, jejuniorum omiſſionibus, necnon recitationis horarum Canonicarum, aliorumque Divinorum Officiorum, ac denique ab omnibus, & quibuſcumque aliis eorum peccatis, criminibus, & exceſſibus, ac delictis, quantumcumque gravibus, & enormibus, etiam talibus, propter quæ Sedes prædicta meritò conſulenda foret, videlicet à contentis in litteris die Cœnæ Domini publicari conſuetis, ſemel tantùm in vita, & mortis articulo, in reliquis verò dictæ Sedi quomodolibet reſervatis, aliiſque quibuſvis caſibus ſemel in anno confeſſionibus illorum diligenter auditis, ſine tamen

alicujus

alicujus præjudicio, prædicta auctoritate Apostolica absolvere, & illis pro commissis pœnitentiam pro modo culpæ injungere salutarem, necnon vota quæcumque, Ultramarino, Visitationis liminum Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum (Castitatisque & Religionis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare possit.

Facultas transferendi pensiones, aut fructus usque ad summam centum ducatorum.

§. 6. Ac etiam eisdem, eorumque singulis, ut quicumque locorum Ordinarii, Canonici Metropolitanarum, seu aliarum Cathedralium Ecclesiarum, aut personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ, tàm in dicta Curia, quàm extra eam etiã ad id per eos, aut eorum singulos coram Notario, & testibus fide dignis eligendi, seu eligendæ quascumque pensiones annuas, eis, & eorum singulis super Mensarum Abbatialium, seu Episcopalium, aut Archiepiscopalium, & quorumcumque aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum cum cura, & sine cura Secularium, & quorumvis Ordinum Regularium, etiam Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani quomodocumque, & qualitercumque qualificatorum fructibus, reditibus, proventibus, juribus, obventionibus, & distributionibus, etiam quotidianis, seu illorum loco fructus, proventus, jura, obventiones, distributiones, & emolumenta sibi nunc, & pro tempore assignata, & reservata, quandocumque simul, vel successivè, in toto, vel in parte, usque ad summam centum ducatorum auri de Camera de eorumdem Cappellanorum, vel cujuslibet ipsorum respectivè consensu, in toto, vel in parte, etiam in mortis articulo cassare, & extinguere, ac postquam cassatæ, & extinctæ fuerint, alias similes pensiones annuas super fructibus, reditibus, proventibus, juribus, obventionibus, & distributionibus, seu illorum loco fructus, reditus, proventus, jura, obventiones, & emolumenta hujusmodi, etiam usque ad summam prædictam uni, vel pluribus aliis personis, etiam per eosdem Cappellanos, & eorum singulos nominandis, & quæcumque, & qualiacumque Beneficia Ecclesiastica obtinentibus, & expectantibus, seu Clericali charactere insigniri volentibus, similiter eis quoad vixerint, vel eorum legitimis Procuratoribus, eisdem modo, & forma, quibus eisdem Cappellanis assignatæ, aut reservati, vel assignati, concessi, seu concessa fuerint, etiam absque consensu easdem pensiones, & fructus, reditus, proventus, jura, obventiones, ac distributiones, & emolumenta hujusmodi solvere debentium, etiamsi pluries cassatæ, & de novo assignatæ fuerint, usque ad summam, & quantitatem prædictam, ac aliàs cum omnibus, & quibuscumque exemptionibus, privilegiis, decretis, clausulis, cautionibus, vinculis, obligationibus, & cautelis, ac etiam censuris, & pœnis in prioribus reservationibus hujusmodi concessis, & contentis integrè persolvenda, servata tamen forma Constitutionis fel. rec. Innocentii Papæ XI. Prædecessoris Nostri super translationibus pensionum editæ, reservare, constituere, & assignare.

Etiamsi aliàs transatæ.

Facultas testandi de acquisitis ab Ecclesiasticis, & de fructibus.

§. 7. Necnon ut iidem Cappellani, & eorum quilibet de omnibus, & singulis domibus, prædiis, possessionibus, terris, & locis, etiam jurisdictionalibus, cæterisque bonis immobilibus, & mobilibus, quæ tamen non sint Altaris, seu Altarium Ecclesiarum ipsis Cappellanis nostris prædictis commissarum ministerio, seu alicui speciali earumdem Ecclesiarum Divinò cultui, vel usui deputata, seque moventibus cujuscumque qualitatis, valoris, speciei, & conditionis existentibus, ac juribus, & actionibus ad eos ratione Ecclesiarum, etiam Cathedralium, & Metropolitanarum, Monasteriorum, Prioratuum, Præpositurarum, Dignitatum, & aliorum quorumcumque Beneficiorum Ecclesiasticorum cum cura, & sine cura Secularium, & quorumvis Ordinum Regularium, quæ ex quibusvis concessionibus, & dispensationibus Apostolicis in Titulum, Commendam, Administrationem, ac aliàs quomodolibet obtinuerint, & obtinent, ac obtinebunt, ac fructuum, reditũ, & proventuum Ecclesiasticorum loco pensionum annuarum, super similibus fructibus, reditibus, & proventibus eis reservatarum, & assignatarum, ac reservandarum, & assignandarum, quos, & quas perceperint, & percipiunt, ac percipient in futurum, necnon emolumentorum quorumcumque Romanæ Curiæ officiorum, ac aliàs quomodolibet spectan., & pertinen. ac etiam de dictis fructibus, reditibus, proventibus, ac pensionibus annuis, necnon eorum industria, & labore quomodolibet, & undecumque licitè tamen acquisitis, & acquirendis, ac aliàs etiam de muneribus, & officiis, quæ exercuerint, & exercere contigerit, & alia quavis occasione, vel causa, seu contemplatione, ad eosdem perventis, & perventuris, etiamsi in pecunia numerata, ac jocalibus, gemmis, aliisque pretiosioribus rebus consistant, tàm in dicta Curia, quàm extrà eam ubique locorum, etiam penès Beneficia ipsa existentibus (quorum omnium qualitates, & veros annuos valores, etiamsi talia forent, quæ in generali appellatione bonorum, & suppellectilium non venirent, sed specialibus indigerent vocabulis præsentibus, ac si specificè, & singillatim exprimerentur, & denotarentur, pro sufficienter expressis, ac declaratis haberi volumus) ac etiam de ipsis proventibus, ac pensionibus debitis, ac debendis, ac nondum perceptis, & exactis, etiamsi eorum solutionis, aut perceptionis terminus nondum advenerit pro illa rata quæ illis debita erit (constitutione declaratoria super fructibus, & pecuniis non exactis, quæ forsan ad successores in ipsis Beneficiis spectare, & pertinere debeant) non obstan. etiam accumulativè cum quibusvis aliis similibus, vel dissimilibus facultatibus habitis, & habendis, usque ad summam ducentorum ducatorum auri similium dumtaxat, tam pro decentibus, & honestis impensis funebribus, quàm etiam pro remuneratione illorum, qui eis viventibus inservierint, etiam ultrà servitii meritum, ac in ipsorum Consanguineorum, & Affinium, ac quorumcumque piorum locorum favorem, & usum, & aliàs pro eorum arbitrio, & voluntate absolutis testari, ac testamento, codicillis, fideicommissis, legatis, donationibus, tàm inter vivos, quàm causa mortis, & aliis quibuscumque modis & titulis, scriptura etiam minus solemni, etiam coram duobus, vel tribus testibus, aut etiam schedulâ solâ eorum manu scriptâ, vel subscriptâ, ac aliàs in omnibus, & per omnia, prout, & quemadmodum eis videbitur, etiam in ipsa Curia (non tamen extrà residentiam) etiam in mortis articulo, & non facta mentione præsentis, vel aliarum eis pro tempore concessarum similium facultatum, aut quod in vim illarum testari, seu disponere velint, & intendant, semel atque iterum, & pluries disponere, statuere, & ordinare, ita ut quidquid testatum, gestum, aut ordinatum, seu aliàs ab ipsis dispositum fuerit, etiam in vim simplicis distributionis, ac aliàs omni meliori modo valeat, & servari omninò debeat, ipsaque testamenta, codicillos, dispositiones, ordinationes, donationes, legata, & statuta, etiam pluries, & toties quoties eis videbitur moderari, limitare, ac etiam in totum revocare, & alia de novo condere, etiam liberè, & licitè valeant, plenam, & liberam concedimus facultatem.

Exemptio à spolio pro summa in qua testari possunt, si decedant intestati.

§. 8. Statuentes nihilominus, & ordinantes, eisque pariter indulgentes, quòd si contigerit ipsos ab intestato, & sine ulla, vel cum minus valida bonorum, & rerum, ac fructuum, reditum, & proventuum prædictorum dispositione in dicta Curia, vel extra eam, ac etiam extra sua Beneficia, aut alia loca debitæ ab eis residentiæ personalis, etiam nulla subsistente causa ab humanis decedere, omnia, & singula eorum bona, res, & jura, etiam ut præfertur qualificata, necnon spolia pro dicta summa, etiam ex prædictis, & aliàs

undecumque provenientia ad Cameram Apostolicam, seu in dictis Beneficiis successores non pertineant, sed ad hæredes sanguinis eorundem integrè deveniant, & illis deficientibus inter eorum familiares arbitrio personæ, seu personarum, quas ad id scripto nominaverint, distribuantur, nisi de alia dispositione, vel intentione eorumdem, scriptura etiam minus solemnis secus appareret, quàm tunc velut efficacem ipsæ personæ, vel alii Judices, seu Executores omninò exequi, & adimplere, illique sese conformare in omnibus, & per omnia debeant.

Dispositio valeat per scripturam etiam informem.

§. 9. Et nihilominùs quæcumque hujusmodi testamenta, donationes, legata, dispositiones, & alia forsan aliàs ab ipsis etiam nulla, aut minus sufficienti facultate suffultis, de hujusmodi bonis, juribus, actionibus, fructibus, pecuniis, jocalibus, aliisque rebus supradictis, etiam in favorem Consanguineorum, & Affinium prædictorum, & aliàs quomodolibet facta, cum omnibus inde secutis, ac etiam ea, quæ per ipsos in futurum quomodolibet fient, ex nunc, prout ex tunc, & è contra, pro dicta summa ducentorum ducatorum dumtaxat approbamus, & confirmamus, omnesque, & singulos juris, & facti, ac solennitatum omissarum, & omittendarum, nec non substantiales, aliosque defectus quoscumque, si qui intervenerint in eisdem, etiamsi tales sint, vel fuerint, quod specialis, & specifica de ipsis mentio habenda esset, supplemus.

Derogationes opportunæ ad omnia & singula privilegia pro concessa.

§. 10. Non obstantibus præmissis, ac Lateranensis Concilii novissimè celebrati de certo Notariorum numero, etiamsi ad illum nondum deventum fuerit, cui per hoc aliàs derogatum non intendimus, ac de consensu præstando in pensionibus, & quibusvis aliis, etiam per Nos, & Sedem prædictam quomodolibet editis, & in futurum edendis, Cancellariæ Apostolicæ regulis, & stylo in similibus, hactenus servato, & piæ memoriæ Alexandri Papæ VI. etiam Prædecessoris nostri, tertiam partem bonorum Ecclesiasticorum Cameræ prædictæ deberi inter alia disponentis, necnon ejusdem memoriæ Bonifacii Papæ VIII. etiam Prædecessoris Nostri, per quam concessiones de fructibus in absentia percipiendis, sine præfinitione temporis fieri prohibentur, ac quorumvis aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum, & quibusvis aliis Apostolicis, ac in Universalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon Legibus Imperialibus, & aliis etiam municipalibus tam Urbis, quàm quarumvis aliarum Civitatum, & locorum, in quibus Cives originarii creati sunt, ac quarumvis Ecclesiarum, Monasteriorum, Ordinum, & Hospitalis prædicti, necnon quorumvis Collegiorum, & Officiorum dictæ Curiæ, ac Regnorum, Provinciarum & Urbis, ac aliarum Civitatum, & locorum, ac prædictæ Cameræ, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, usibus, & naturis, etiamsi de illis servandis, & non impetrandis literis Apostolicis contra ea, nec etiam ab alio, vel aliis impetratis, aut aliàs quomodolibet concessis utendo ipsi Cappellani per se, vel eorum Procuratores præstiterint forsan hactenus, vel in posterum eos præstare contigerit juramentum; Privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis dictis Ecclesiis, Monasteriis, Ordinibus, Hospitali S. Joannis Hierosolimitani, illorumque Præsulibus, seu Administratoribus, & Superioribus, ac Ministris, Præceptoribus, Prioribus, Militibus etiam Antianis, Capitulis, & Conventibus, Civitatibus, & locis, aliisque personis, etiam particularibus, necnon Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Locorum Ordinariis, etiam ejusdem S. R. E. Cardinalibus, ac dictæ Cameræ Officialibus, illorumque Collegiis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis per quoscunque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac Nos, & Sedem prædictam, etiam Consistorialiter, etiam de ejusdem S. R. E. Cardinalium consilio, ac per modum Statuti, & Constitutionis perpetuorum, ac motu, & scientia paribus, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ac ad Imperatoris, Regum, Reginarum, Ducum, Marchionum, & aliorum Principum instantiam, seu illorum contemplatione, in genere, vel in specie, aut aliàs quomodolibet, etiam iteratis vicibus concessis, confirmatis, & innovatis, & in posterum concedendis, confirmandis, & innovandis, etiamsi de illis, ac statutis, & stabilimentis prædictis caveatur expressè, vel tacitè, quòd Urbis nonnisi originariis Civibus Romanis, ac Civium eorumdem filiis: Aliarum verò partium beneficia, nonnisi per personas illustres, seu nobiles, ac etiam originarios Cives, aut aliàs certo modo in illis expresso qualificatos obtineri, aut conferri respectivè possint, & nullus in Civem Urbis, aut Civitatum, Oppidorum, Terrarum, ac locorum hujusmodi admitti, seu illorum privilegiis uti possit, nisi priùs in dictis Civitatibus, Oppidis, & locis per certum tempus habitaverit, seu etiam in illis bona etiam stabilia, forsan ad certum valorem ascendentia possideat, quòdque Præceptoriæ, & alia beneficia quæcumque dicti Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, tam ex ejus Institutione, quàm ex stabilimentorum prædictorum dispositione, non in titulum perpetuorum beneficiorum conferri, sed in Commendam ad vitam Commendatariorum revocabiliter concedi debeant, ut sic pensionibus Ecclesiasticis, secularibus, aut aliis personis Apostolica authoritate reservandis gravari non possint, quòdque stabilimentis, & privilegiis prædictis, etiam vigore clausulæ implicitæ derogationis latissimè extendendæ, etiam per quascunque literas Apostolicas, & quasvis, etiam derogatoriarum derogatorias, efficacioresque & insolitas clausulas derogari non possit, nec derogatum censeatur, nisi derogatio hujusmodi de consilio dictorum Cardinalium fiat, tunc demum ad id Magistri, & Conventus prædictorum expressus accedat assensus, sintque literæ derogationis hujusmodi etiam per dictum Magistrum subscriptæ, ac ei, & prædicto Conventui per diversas in forma Brevis, aut alias literas diversis temporibus, cum certis intervallis præsentatas, intimatæ, & non aliàs, nec alio modo, & semper in hujusmodi literis, quæ sic fient, etiam de simili consilio derogationis, sit apposita clausula, quòd illarum effectum sortiantur, de consensu Magistri, & Conventus prædictorum, & non alias, aliter, nec alio modo. Quibus omnibus, & eorum singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, ac in eis caveatur expressè, quòd illis nullatenus derogari possit, quòdque clausula implicitæ derogationis in rescripto, etiam Motu proprio emanato apposita, aliter in literis exprimi, vel extendi nequeat; illorum omnium tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore, & firmitate permansuris, hac vice dumtaxat harum serie in genere, & in specie ad effectum præmissorum specialiter, & expressè, motu, & scientia similibus derogamus, & derogatum esse decernimus, cæteræque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorū.

§. 11. Volumus autem, quod præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Dignitate

gnitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus ubique fides, tàm in judicio, quàm extra illud adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, & adhiberi posset, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Juramentum præstandum ante usum Notariatus

§. 12. Quodque prædicti antequam gratiâ creationis in Notarios perfrui valeant, in manibus alicujus personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ, professionem fidei juxtà articulos pridem à Sede prædicta propositos emittere, & solitum fidelitatis juramentum omninò præstare teneantur, & quilibet ipsorum teneatur.

Facultas testandi, & transferendi non suffragatur ei qui aliàs fuit Cappellanus.

§. 13. Cæterùm volumus pariter, atque decernimus, ut si cui ex supradictis Cappellanis similes testandi de bonis, ac pensiones transferendi facultates ab aliquo Romano Pontifice Prædecessorum nostrorum, cui simile Cappellani ministerium præstiterint, concessæ fuerint, præsentes literæ illi quoad facultates testandi de bonis, & transferendi pensiones hujusmodi minimè suffragentur.

Dat. 4. Dec. 1693. P. A. 3.

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die quarta Decembris 1693. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

Loco ✠ Annulli Piscatoris.

J. F. Card. Albanus.

Jubileum Universale ad implorandam Divinam opem pro Pace inter Principes Christianos.

XLVI. INNOCENTIUS PAPA XII.

Universis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis salutem, & Apostolicam benedictionem.

Narrantur Sanctitatis Suæ conatus ad procurandam pacem inter Principes Christianos.

UBi primum humilitatem nostram ad supremi Apostolatus fastigium evocavit Altissimus, cùm universam planè Christianam Rempublicam longè, latèque sævientium bellorum procellis agitari videremus, nihil Pastorali officio, quo immerentes fungimur, antiquius fuit, quàm ut Catholicos Principes diuturnis, & acerbissimis dissidiis inter se decertantes in pristinæ charitatis compagem restituere studeremus. Cujus enim vel ferreum pectus non commovissent tot Populorum cædes, Urbium incendia, Provinciarum strages, excidia Regnorum? Quis ad tot, tantasque fideli Populo, absque ullo sacrarum, ac prophanarum rerum discrimine, illatas calamitates, non exhorruisset? Aut quomodo Pontificia Nostra solicitudo, quâ ad opponendum Nos tanquam murum pro Domo Dei jugiter tenemur, ad innumera inde exorta, & sanè gravissima Orthodoxæ Religionis detrimenta non exarsisset? Hinc majori, quâ potuimus, paternæ charitatis contentione, atque operâ, quà precibus apud Deum, cujus præstabilem super hominum malitia bonitatem invocare non cessavimus, quâ officiis apud Principes, quos ad salubria pacis consilia enixè cohortari, atque ad prælianda bella Domini, ipsismet, quibus intrer se digladiantur, armis, adversus communem, & teterrimum Christiani nominis Hostem excitare, atque urgere curavimus, publicæ Christiani Orbis causæ hactenus non defuimus, nec adesse in posterum desinemus. Cum tamen studia hæc nostra optato, quam sperabamus, fructu adhuc vacua videamus, cum Propheta ingemiscere compellimur: Expectavimus pacem, & non est bonum, tempus medelæ, & ecce formido, tempus curationis, & ecce turbatio. Quocumque enim pro Apostolici muneris nostri debito animum, curasque convertimus, ita sunt omnia vel multiplicatis belli cladibus attrita, vel gliscentibus in dies discordiis prona in ruinam, ut spectaculum oculis nostris exhibeant semper luctuosius. Florentissimæ nuper Europæ Provinciæ miserè nunc gementes inter præsentium æumnarum sensum, & mertum futurarum; atque, ut cum ejusdem Prophetæ verbis loquamur: Si egressus fuero ad agros, ecce occisi gladio: & si introiero in Civitatem, ecce attenuati fame. Verum quis dedit in direptionem Jacob, & Israel vastantibus? Nonne Dominus ipse, cui peccavimus; Ipse profectò, quia noluimus in viis ejus ambulare, & non audivimus legem ejus, effudit super Nos indignationem furoris sui, & forte bellum. Accedamus igitur cum fiducia ad sacram Misericordiarum Domini aram, & expiatis per veram pœnitentiam peccatis, cœlestem iram placare, auctisque per jejuniorum labores, & eleemosynarum largitiones viribus orationis, divinam opem in his urgentissimis Ecclesiæ, ac Rei publicæ necessitatibus unanimiter implorare connitamur: ut ineffabilis Dei benignitas cordium contritorum holocausta in odorem suavitatis accipiens, quietem Populis, ac Regibus, & Principibus Christianis arctam, & indissolubilem animorum concordiam, pacemque Catholicæ fidei conjunctis viribus, & consiliis tuendæ, & propagandæ zelum largiri dignetur. Advenerunt jam Dominici Adventus dies acceptabiles, dies salutis, qui sicuti Nos ad impensiùs orandum, ita Divinam Clementiam ad liberaliùs indulgendum invitant, & spem certam faciunt consequendi veram illis, & cœlestem pacem, sine qua nequit ea ipsa, quam Nos afflictis rebus opem laturi incessanter inquirimus, pax humana consistere.

Spem frustratam recognoscit ab indignatione divina propter peccata: Ac propterea enitendum divinam iram placare.

Ideo indicit Jubileũ Universale

§. 1. Hæc autem, ut ferventiori spiritus ardore, majorique fructu peragantur, ex prisco Romanæ Ecclesiæ omnium Matris, & Magistræ more cœlestium munerum Thesauros, quorum dispensationem fidei Nostræ commisit Divina dignatio, aperire, & larga manu erogare decrevimus. Itaque de Omnipotentis Dei Misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ex illa ligandi, atque solvendi potestate, quam Nobis Dominus, licèt indignis, contulit, universis, & singulis utriusque sexus Christi fidelibus in Alma Urbe nostra degentibus, qui solemni Processioni, quam feriâ quintâ currentis Hebdomadæ ab Ecclesia Sanctæ Mariæ Angelorum in Thermis ad Basilicam ejusdem Sanctæ Mariæ Majoris nuncupatis de eadem Urbe, una cum Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, necnon Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, quos in Romana Curia adesse contigerit, ac Christianorum Regum, & Principum Oratoribus apud Nos existentibus, Prælatis quoque, & Officialibus ejusdem Curiæ, universoque Clero, & Populo, benedicente Domino, agemus, devotè interfuerint, vel Sancti Joannis in Laterano, Principis Apostolorum, & Sanctæ Mariæ Majoris Ecclesias, seu Basilicas, vel earum aliquam intrà spatium ejusdem vel proximè subsequentis Hebdomadæ saltem semel visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium devotè, ut supra, Deum oraverint, ac quartâ, & sextâ feriâ, ac Sabbato alterius ex præfatis hebdomadis jejunaverint, & peccata sua confessi, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in Dominica die immediatè sequenti, vel alia die intrà eandem hebdomadam reverenter sumpserint, ac pauperibus aliquam eleemosynam, prout unicuique suggeret devotio, erogaverint.

Adimplenda in Urbe ad id consequendũ.

§. 2. Cæteris verò extra Urbem prædictam ubicumque degentibus, qui Ecclesias ab Ordinariis Locorum, vel eorum Vicariis, seu Officialibus, aut de eorum mandato, & ipsis deficientibus, per eos qui ibi curam Animarum exercent, postquam ad eorum notitiam hæ nostræ pervenerint, designandas, vel Ecclesiarum hujusmodi aliquam spatio duarum similiter hebdomadarum à publicatione designationis per Ordinarios, vel eorum Vicarios, seu Officiales,

Adimplenda extra Urbem.

vel

vel alios, ut præfertur, faciendæ decursurarum saltem semel visitaverint, ibique ut supra oraverint, ac quartâ, & sextâ feriâ, ac Sabbato alterius ex hebdomadis hujusmodi jejunaverint, pariterque peccata sua confessi, ac in die Dominica immediatè sequenti, vel alia die intra eandem hebdomadam Sanctissima Communione refecti fuerint, & pauperibus aliquam eleemosynam, ut præmittitur, erogaverint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem, sicut in Anno Jubilei visitantibus certas Ecclesias intrà, & extrà Urbem prædictam concedi consuevit, tenore præsentium concedimus, & elargimur.

A Navigantibus, & aliis.

§. 3. Navigantes verò, & iter agentes, ut cùm primùm ad sua sese domicilia receperint, suprascriptis peractis, & visitatâ Ecclesiâ Cathedrali, vel Majori, aut Parochiali Loci eorum domicilii, eandem indulgentiam consequi possint, & valeant: Regularibus autem personis utriusque sexus, etiam in Claustris perpetuò degentibus, necnon aliis quibuscumque tam Laicis, quàm Ecclesiasticis secularibus, vel regularibus, etiam in carcere, aut captivitate existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis, qui suprà expressa, vel eorum aliqua præstare nequiverint, ut illa Confessarius ex jam approbatis à Locorum Ordinariis ante præsentium publicationem, seu approbandis, eis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque injungere, quæ ipsi pœnitentes efficere poterunt, pariter concedimus, & indulgemus.

Facultas eligendi Confessarium.

§. 4. Insuper omnibus, & singulibus Christifidelibus utriusque sexus tàm Laicis, quàm Ecclesiasticis secularibus, & regularibus cujusvis Ordinis, Congregationis, & Instituti, tàm in Urbe præfata, quàm extra eam ubique locorum, ut præfertur, degentibus licentiam concedimus, & facultatem, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque Presbyterum Confessarium tàm secularem, quàm cujusvis Ordinis, & Instituti regularem ex approbatis, ut præmittitur, à locorum Ordinariis, qui eos ab excommunicationis, suspensionis, & aliis Ecclesiasticis sententiis, & censuris à jure, vel ab homine quâvis causa latis, seu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, & delictis, quantumvis gravibus, & enormibus, etiam locorum Ordinariis, sivè Nobis, & Sedi Apostolicæ, etiam in literis die Cœnæ Domini legi solitis contentis, & aliàs per quascumque Nostras aut Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum Constitutiones, quarum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis, quomodocunque reservatis, in foro conscientiæ, & hac vice tantùm absolvere, & liberare valeant, & insuper vota quæcunque (religionis, & castitatis exceptis) in alia pia, & salutaria opera commutare, injunctâ tamen eis, & eorum cuilibet in supra dictis omnibus casibus pœnitentia salutari, aliisque ejusdem Confessarii arbitrio injungendis.

Confessarii possunt absolvere à reservatis S. Sedi, & Ordinariis.

Commutare vota exceptis Religionis, & Castitatis.

§. 5. Quapropter tenore præsentium in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipimus, atque mandamus omnibus, & quibuscunque Ordinariis locorum ubicumque existentibus, eorumque Vicariis, & Officialibus, vel iis deficientibus, illis, qui curam Animarum exercent, ut cum præsentium litterarum transsumpta, aut exempla, etiam impressa, acceperint, illa statim absque ulla more, retardatione, vel impedimento per suas Ecclesias, & Diœceses, Provincias, Civitates, Oppida, Terras, & loca publicent, & publicari faciant, Ecclesiamque, seu Ecclesias visitandas designent.

Mandatum Universis Prælatis de Jubileo publicando.

Vigore Jubilei non intendit dispensare super Irregularitatibus.

§. 6. Non intendimus autem per præsentes super aliqua irregularitate publica, vel occulta, nota, defectu, incapacitate, seu inhabilitate quoquomodo contracta dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seu habilitandi, & in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiæ; neque etiam eisdem præsentes iis, qui à Nobis, & Apostolica Sede, vel ab aliquo Prælato, seu Judice Ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seu aliàs in sententias, & censuras incidisse declarati, vel publicè denunciati fuerint, nisi intra tempus dictarum duarum hebdomadarum satisfecerint, aut cùm partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse, aut debere.

Neque suffragari publicè excommunicatis.

§. 7. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, præsertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes, vel dissimiles indulgentiarum, & facultatum hujusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio, aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant, necnon regulâ nostrâ de non concedendis indulgentiis ad instar, ac quorumcumque Ordinum, & Congregationum, sivè Institutorum regularium, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus: Privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis eisdem Ordinibus, Congregationibus, & Institutis, illorumque personis quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro servata habentes, hac vice specialiter, nominatim, & expressè ad effectum præmissorum derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Derogationes.

§. 8. Ut autem præsentes Nostræ, quæ ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam faciliùs deveniant, volumus ut earumdem præsentium transsumptis, vel exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ munitis, ubique locorum & gentium eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Fides transsumptorū.

Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 8. Decembris 1693. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

Dat. 8. Dec. 1693. P. A. 3.

J. F. Card. Albanus.

Anno à Nativitate Domini Nostri JESU Christi millesimo sexcentesimo nonagesimo tertio, Indictione prima, die verò septima Mensis Decembris, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri, Domini INNOCENTII Divinâ Providentiâ Papæ XII. Anno Tertio; Suprædictum Breve affixum, & publicatum fuit ad valvas Ecclesiæ Sancti Johannis Lateranensis, Principis Apostolorum, & Sanctæ Mariæ Majoris de Urbe, & in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per me Joannem Grecum ejusdem Sanctissimi Domini Nostri Papæ Cursorem.

Publicatio in Urbe.

Thomas Orlandus Cursorum Magister.

XLVII.

Concessio nonnullarum Indulgentiarum pro Deputatis, aliisve quocumque nomine nuncupatis Ministris, & Officialibus Hospitiorum Pauperum, ac Congregationum de Charitate nuncupatorum ubivis tam hactenùs erectorum, seu erectarum, quàm in posterùm quandocumque erigendorum, sivè erigendarum.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmiũ ab erectione Hoſpitii Pauperum Invalidorum in Urbe & ſimilium, vel ſaltè Congregationum in diverſis partibus.

CUM inter graviſſimas, multipliceſque curas, quibus ex Sacroſancti Apoſtolatus humilitati noſtræ divinitùs commiſſi debito inceſſanter urgemur, illa præcipuè animum noſtrum angat ſollicitudo, quam de pauperum, & egenorum neceſſitatibus tum ſpiritualibus, tùm temporalibus ſublevandis corde jugiter verſamus; ac proindè quemadmodum, ne quiſquam indigens, aut mendicus eſſet inter nos, ejus auxilio adjuti, cujus oculi in pauperem reſpiciunt, quemque electis ſuis in noviſſimo die dicturum credimus: quamdiù feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis, non ita pridem Hoſpitium Apoſtolicum Pauperum Invalidorum in Alma Urbe Noſtra, ex qua bonorum operum exempla in omnes Chriſtiani Orbis partes promanant, ereximus, & inſtituimus, ità ſimiliter ubique locorum, & gentium, ac præſertim in reliquis Civitatibus, & locis Temporalis S. R. E. Ditionis, ejuſmodi Hoſpitia, per quæ eorumdem Pauperum animæ, ac corporis ſaluti opportunè conſulatur, ſeu ſaltem pias quaſdam Congregationes de Charitate nuncupatas, ubi ſcilicet iſtæ ad rectam, ac ſalubrem ipſorum pauperum directionem, & curam ſufficere videbuntur, erigi, ac inſtitui: Sicubi verò, benedicente Domino, Hoſpitia, ſeu Congregationes hujuſmodi erecta, ſeu erectæ, & inſtituta, ſeu inſtitutæ fuerint, conſervari, & augeri ſummoderè cupiamus; atque ad id tùm Venerabilium Fratrum Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum, aliorumque Eccleſiarum Prælatorum, & Ordinariorum, tùm dilectorum filiorum noſtrorum, & Apoſtolicæ Sedis de latere Legatorum, ſeu eorum Vicelegatorum, necnon Præſidentium, & Gubernatorum Provinciarum, Civitatum, Oppidorum, & Locorum quorumcumque Nobis, & dictæ Sedi tàm mediatè, quam inmediatè ſubjectorum, zelum, vigilantiam, & pietatem, datis ad eos juſſu noſtro literis, excitare, atque urgere curaverimus.

Ut ubique fideles alacrius pio operi intendant concedit Deputatis indulgentias.

§. 1. Hinc eſt, quòd Nos illius, qui Mendicus, & Pauper dici non abhorruit, ac propter Nos egenus factus eſt, cùm eſſet dives, ut ejus inopiâ nos divites eſſemus, vices licèt immeriti gerentes in Terris, ut Chriſti fideles, ubicunque exiſtentes, eò alacriùs tàm pium, ac ſalutare opus in Pauperum prædictorum utilitatem promovere connitantur, quò ſpiritualium gratiarum, quarum diſpenſatores à Domino conſtituti ſumus, muneribus uberiùs noverint ſe refectos, paternæ charitatis ſtudio providere cupientes, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis Hoſpitiorum, ſeu Congregationum hujuſmodi ubivis tàm hactenus canonicè erectorum, ſeu erectarum, quàm in poſterum quandocumque canonicè pariter erigendorum, ſeu erigendarum Deputatis, aliiſve quocumque nomine nuncupatis, Miniſtris, & Officialibus, die, quo ſua reſpectivè miniſteria, ſeu officia ſuſceperint, ſi verè pœnitentes, & confeſſi Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, plenariam.

Plenariam pro die ingreſſus in Congregationem.

§. 2. Ipſiſque, necnon omnibus, & ſingulis eorumdem Hoſpitiorum Pauperibus, quos in Hoſpitiis præfatis, ſeu etiam in Hoſpitalibus infirmorum, ad quæ ab ipſis Hoſpitiis translati fuerint, ab humanis decedere contigerit, ac perſonis in Hoſpitiis hujuſmodi inſervientibus quibuſcumque nunc, & pro tempore exiſtentibus, in cujuslibet eorum mortis articulo, ſi verè pariter pœnitentes, & confeſſi, ac ſacra Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, ſaltem contriti Nomen Jeſu ore, ſi potuerint, ſin minus corde devotè invocaverint, etiam plenariam.

Plenariam in articulo mortis pro Infirmis, & inſervientibus.

§. 3. Prætereà illis verè quoque pœnitentibus, & confeſſis, & ſacra Communione refectis, qui ſui quiſque Hoſpitii Eccleſiam, Cappellam, ſeu Oratorium, vel ſaltem Majorem, vel Parochialem, ſeu aliam Eccleſiam ſuæ quiſque Civitatis, Terræ, Oppidi, vel Loci ab Ordinariis Locorum reſpectivè deſignandam in duabus dumtaxat anni feſtivitatibus per eoſdem Ordinarios ſemel tantùm pariter ad id deſignandis, à primis Veſperis uſque ad occaſum Solis feſtivitatum hujuſmodi annis ſingulis devotè viſitaverint, & ibi pro felici pii operis hujuſmodi progreſſu, & propagatione, ac pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſium extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, itidem plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus.

Plenariam in duabus anni feſtivitatibus.

§. 4. Demum eiſdem Hoſpitiorum, ac Congregationum hujuſmodii Deputatis, Miniſtris, Officialibus quibuſcumque præſentibus, & futuris, quotieſcumque congreſſibus pro ſalubri ipſorum Hoſpitiorum directione, ſeu ipſis Congregationibus juxtà earum inſtitutum ubivis faciendis reſpectivè interfuerint, aut quodcumque aliud pietatis, vel charitatis opus ad ſuum quiſque officium pertinens peregerint, pro quolibet opere hujuſmodi ſexaginta dies de injunctis eis, ſeu aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Eccleſiæ conſueta relaxamus. Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Sexaginta dierum pro diebus in quibus Deputati congregantur.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præſentium literarum tranſſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorsùs fides ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Fides adhibenda tranſſumptis.

Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 18. Decembris 1693. Pontificatus Noſtri Anno Tertio.

Dat. 18. Dec. 1693. P. A. 3.

J. F. Card. Albanus.

Indulgentia Plenaria perpetua in Articulo mortis pro morientibus in Hoſpitali Sanctiſſimi Salvatoris ad Sancta Sanctorum de Urbe.

INNOCENTIUS PAPA XII. XLVIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Indulgentia plenaria ut in rubrica.

EX injuncti Nobis divinitùs Sacroſancti Apoſtolatus Officii debito Animarum ſaluti, quantùm cum Domino poſſumus, conſulere cupientes, omnibus, & ſingulis utriuſque Sexus Chriſti fidelibus ægrotis in Hoſpitali Sanctiſſimi Salvatoris ad Sancta Sanctorum de Urbe pro tempore morientibus, in cujuſcumque eorum mortis Articulo, ſi verè pœnitentes, & confeſſi, ac Sacra Communione refecti, vel, quatenus id facere nequiverint, ſaltem contriti Nomen JESU ore, ſi potuerint, ſin minùs corde devotè invocaverint; Plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. In contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcumque. Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 5. Januarii 1694. Pontificatus Noſtri Anno Tertio.

Dat. 5. Jan. 1694. P. A. 3.

J. F. Card. Albanus.

Manda-

Mandatum Officialibus Archiconfraternitatis Annunciationis de Urbe, ut annis singulis viginti subsidia dotalia totidem Puellis Hospitii Apostolici Pauperum Invalidorum de eadem Urbe per Congregationem super Regimine ejusdem Hospitii deputatam nominandis præstent, & assignent.

XLIX.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium à dispositis ad favorem Puellarum Hospitii Apostolici in Constitutione Erectionis pro illarum habilitatione ad subsidia Dotalia.

ALiàs Nos, postquam Hospitium Pauperum Invalidorum in Palatio Nostro Pontificio apud Ecclesiam Sancti Joannis in Laterano de Urbe erexeramus, & instituëramus, inibique in mansionibus ab eis, quæ sunt Virorum penitùs sejunctis, & separatis, etiam pauperes Puellas tuendæ potissimùm earum honestatis gratiâ collocaveramus, ne illæ, quas tanquam præ cæteris inopes, ac miserabiles omnique prorsùs humana ope destitutas in idem Hospitium recipi mandaveramus, aut aliæ quæcumque in illud pro tempore recipiendæ puellæ à consequendis subsidiis dotalibus, quæ per Archiconfraternitates, Confraternitates, aliaque Loca pia, & personas dictæ Urbis distribui solent, excluderentur, easdem tunc, & pro tempore existentes Hospitii supradicti Puellas ad subsidia dotalia hujusmodi etiam Nationalia obtinenda, tametsi juxtà consuetudines, usus, & statuta quævis Archiconfraternitatum, & aliorum Locorum piorum præfatorum, sivè quorumcumque Testatorum, & piorum Largitorum, qui eadem subsidia præstari ordinarunt, dispositiones qualificatæ non essent, seu aliàs præscriptis requisitis carerent, sub certis modo, & forma tunc expressis habilitavimus, ac habiles, & capaces fecimus, & declaravimus, & aliàs prout in nostris Anno Incarnationis Dominicæ M. DC. XCIII. Tertiodecimo Kalendas Junii Pontificatus Nostri Anno Secundo sub plumbo desuper expeditis literis, quarum tenorem præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberiùs continetur; Nunc autem Nos dilectas in Christo filias Hospitii hujusmodi puellas amplioribus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & earum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium tantùm consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes.

Mandat Officialibus Sanctissimæ Annunciationis, ut singulis annis præstent viginti subsidia cum pretio Vestium.

§. 2. Motu propro, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine dilectis filiis modernis, & pro tempore existentibus Administratoribus, Officialibus, seù Ministris quocumque nomine nuncupatis Archiconfraternitatis Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis in Ecclesia ejusdem Sanctæ Mariæ super Minervam de Urbe præfata canonicè institutæ, ad quos ea res spectat, & pro tempore spectabit, tenore præsentium præcipimus, & mandamus, ut ipsi singulis annis viginti subsidia dotalia, quorum decem sint quinquaginta, reliqua verò decem quadraginta scutorum monetæ Romanæ pro quolibet ex illis, quæ per eandem Archiconfraternitatem pauperibus Puellis dispensantur, una cum pretio vestis eis dari solitæ totidem Puellis Hospitii præfati nunc, & pro tempore existentibus, ad effectum matrimonii, vel monachatus realiter, & cum effectu præstent, & assignent, seu præstari, & assignari curent, & faciant, ea tamen lege, ut si unquam provter considerabilem ejusdem Archiconfraternitatis reditum diminutionem, cætera subsidia dotalia, quæ dicta Archiconfraternitas aliis Puellis distribuere solet, diminui contigerit, pari modo dicta viginti subsidia, salvo tamen semper eorum numero prædicto, diminui debeant.

Puellæ nominandæ à Congregatione Hospitii.

§. 3. Porrò viginti subsidiorum dotalium hujusmodi præstatio, assignatio ità fieri debeat, ut viginti Puellæ Hospitii præfati nullatenus à memoratis ejusdem Archiconfraternitatis Administratoribus, Officialibus, seu Ministris visitentur, eligantur, seu nominentur, sed illarum electio, seu nominatio, ac omnimoda de viginti subsidiis dotalibus hujusmodi disponendi facultas ad Congregationem dilectorum pariter filiorum modernorum, & pro tempore existentium Hospitii hujusmodi Deputatorum, cujus erit eas puellas eligere, seu nominare, quæ vitæ, ac morum honestate, modestia, ætate, aliave ratione cæteris antecellant, penitùs pertineat.

Subsidia consignanda Deputatis Hospitii absque vinculo.

§. 4. Ubi verò à Congregatione præfata electio, seu nominatio hujusmodi, ut præfertur, facta fuerit, cedulæ subsidiorum hujusmodi promissoriæ, quæ sanè liberæ prorsùs, & absque ullo vinculo aut conditione, juxta modum à memorata Congregatione præscribendum faciendæ erunt, una cum pretio vestis, sicut præmittitur, dari solitæ, dictis Deputatis consignari debeant, penès eos asservandæ, donec, & quousque iisdem Puellis sic electis, seu nominatis, cùm nimirum eas in Religione, vel Matrimonio juxtà earum vocationem collocari contigerit, tradantur, ita tamen, ut si quæ ex illis, quæ sic electæ, seu nominatæ fuerint, bonum sui specimen præbere non perrexerint, qua in re memoratæ Congregationis judicio standum erit, illæ à commodo, & beneficio eorumdem subsidiorum dotalium sibi assignatorum cadant, nec illa, seu illorum cedulas petere, consequi, & obtinere valeant, sed subsidia eis assignata, seu illorum cedulæ hujusmodi, quemadmodum etiam illa, quæ ob Puellarum, quibus assignata erant, mortem ante earum Matrimonium, vel Monachatum respectivè secutam, sivè ob aliam rationem effectum suum sortita non fuerint, aliis Puellis ejusdem Hospitii per dictam Congregationem pariformiter eligendis, seu nominandis, assignentur, nec ista in eorum numero, quæ Puellis præfatis, sicut præmittitur, quotannis assignari debent, ullatenus computari, sed novæ cedulæ illorum promissoriæ à supradictis Administratoribus, Officialibus seu Ministris ad favorem aliarum Puellarum per Congregationem præfatam, sicut præmittitur, subrogandarum, seu nominandarum fieri, iisdemque Deputatis modo, & forma supradictis consignari debeant.

Demerentium aut morientium cedulæ assignentur aliis Puellis absque alterationè numeri annui.

§. 5. Cæterùm quæcumque Hospitii hujusmodi Puellæ, quæ ad subsidia dotalia præfata, sicut præmittitur, admissæ, seu nominatæ fuerint, Processionibus, aliisque publicis functionibus in distributione eorumdem subsidiorum dotalium, aut illotum occasione fieri solitis interesse minimè teneantur, sed intrà idem Hospitium Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumere, aliave pia opera, sive à dictæ Archiconfraternitatis statutis, sive à quorumvis Testatorum, & piorum largitorum præfatorum dispositionibus injuncta adimplere possint, & debeant.

Puellæ eximuntur à processionibus, aliisque functionibus publicis.

§. 6. Eisdem verò Puellis, statim ac Matrimonium contraxerint, quod quidem Parochi attestatione à duobus ex Deputatis prædictis subscripta probari sufficiat, vel in aliquo Monialium Monasterio professionem regularem per ipsas Moniales emitti consuetam expressè emiserint, subsidia dotalia eis, ut præfertur, assignata, liberè, promptè, nullaque interposita mora, ac absque ulla cautione persolvantur.

Subsidia solvantur absque cautione, sequuto matrimonio, vel professione.

§. 8. Singulrs demùm Puellas præfatas ad plura quam duo ex viginti subsidiis dotalibus supradictis per memoratam Congregationem Deputato-

Nulla puella gaudere potest plus quam duobus subsidiis.

rum

rum nequaquam admitti, seu nominari posse, harum serie decernimus, & ordinamus.

Decreta roborantia & clausula sublata.

§. 8. Decernentes pariter easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac dictis Puellis in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, & ab illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; Ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogationes etiã ultimarum voluntatum.

§. 9. Non obstantibus præmissis, ac supradictorum Testatorum, & piorum largitorum etiam ultimis voluntatibus, quas propter præmissa sufficienter, & expressè commutamus, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dictæ Archiconfraternitatis, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, usibus, stylis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque, Indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxaxt specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die sexta Martii 1694. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

Dat. 6. Mart. 1694 P. A. 3.

J. F. Card. Albanus.

L.

Mandatum Officialibus nonnullarum Archiconfraternitatum, & Confraternitatum Urbis, ut quotannis, decem subsidia dotalia in totum totidem Puellis Conservatorii Divinæ Providentiæ nuncupati de eadem Urbe per Deputatos pro tempore existentes ejusdem Conservatorii nominandis præstent, & assignent.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ad levamen Conservatorii Divinæ Providentiæ mandat assignari singulis annis decẽ subsidia dotalia totidem illius Puellis, quamvis non sint qualificatæ ad formam piarum dispositionũ.

CUM, sicut accepimus, Conservatorio Divinæ Providentiæ nuncupato de Urbe multum levamenti proventurum sit, si dilectis in Christo filiabus in illud nunc receptis, ac pro tempore recipiendis pauperibus Puellis aliquot subsidia ex illis, quæ à nonnullis Archiconfraternitatibus, ac Confraternitatibus ejusdem Urbis distribui solent, annis singulis assignentur: Nos considerantes summoperè decere Puellas præfatas, quò faciliùs statui suo consulere valeant, hujusmodi subsidiis adjuvari, illasque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & earum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, & pœnis à Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas esse censentes, necnon quorumcumque Testamentorum, aliarumque etiam ultimarum voluntatum, atque dispositionum tenores, & alia quæcunque etiam specificam, & individuam mentionem, & expressionem requirentia præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ut de cætero annis singulis decem subsidia dotalia ex iis, quæ per Archiconfraternitates, & Confraternitates infrascriptas Puellis Maritandis, vel Monachandis dispensantur, una cum pretio vestis eis dari solitæ, totidem Puellis Conservatorii præfati nunc & pro tempore existentibus, etiamsi forsan juxtà formam, & dispositionem quorumcunque Testamentorum, aliarumque ultimarum voluntatum, ac tàm causã mortis, quàm inter vivos dispositionum, & ordinationum, statutorum quoque, ac consuetudinum, & usuum quorumvis qualificatæ non sint, à dilectis filiis modernis, seu pro tempore existentibus Archiconfraternitatum, & Confraternitatum hujusmodi Administratoribus, Officialibus, seu Ministris quocumque nomine nuncupatis, ad quos ea res spectat, & pro tempore spectabit, ad effectum Matrimonii, vel Monachatus realiter, & cum effectu præstari, & assignari debeant, tenore præsentium præcipimus, & mandamus.

Ex dictis decem subsidiis, quatuor præstat Archiconfraternitas Annunciationis.

§. 2. Ita videlicèt, ut quatuor subsidia hujusmodi, quorum duo sint quinquaginta, reliqua verò duo sint quadraginta scutuorum monetæ Romanæ pro quolibet, ab Archiconfraternitate Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis in Ecclesia ejusdem Sanctæ Mariæ super Minervam de Urbe præfata canonicè instituta, ea tamen lege, ut in his quatuor subsidium dotale, quod ipsa Archiconfraternitas uni ex Puellis Conservatorii hujusmodi quotannis præstare consuevit, comprehensum intelligatur, & ita ut si unquam propter considerabilem ejusdem Archiconfraternitatis redituum diminutionem cætera subsidia dotalia, quæ dicta Archiconfraternitas aliis Puellis distribuere solet, diminui contigerit, pari modo dicta quatuor subsidia, salvo tamen semper eorum numero prædicto, diminui debeant.

Tria Confraternitas Rosarii.

§. 3. Alia tria subsidia, quorum unumquodque sit vigintiquinque scutorum parium, à Confraternitate Sanctissimi Rosarii in Ecclesia suprà dicta canonicè similiter instituta; aliud itidem subsidium vigintiquinque scutorum similium à Confraternitate Sancti Hieronymi Charitatis de eadem Urbe.

Unum S. Hieronymi Charitatis.

Duo Archiconfraternitates SS. Salvatoris, & Confalonis.

§. 4. Reliqua demùm duo subsidia, quorum singula sint trigintaquinque scutorum, & vigintiquinque bajoccorum ejusdem monetæ ex iis, quæ à quondam Bernardina Rustici Castellani relicta fuerunt, quæque à Sanctissimi Salvatoris ad Sancta Sanctorum pro medietate, ac Confalonis respectivè Archiconfraternitatibus, seu Confraternitatibus pariter de Urbe pro alia medietate dispensantur, unum scilicet à dilectis etiam filiis modernis, seu pro tempore existentibus Guardianis, & Camerario ejusdem Archiconfraternitatis, seu Confraternitatis Sanctissimi Salvatoris, alterum verò à dicta Archiconfraternitate Confalonis respectivè præstentur, & assignentur.

Puellæ nominantur à Deputatis Conservatorii.

§. 5. Porrò decem subsidiorum dotalium hujusmodi præstatio, & assignatio ita fieri debeat, ut decem Puellæ dicti Conservatorii annis singulis ad illa, sicut præmittitur, admittendæ nullatenùs à memoratis earumdem Archiconfraternitatum, & Confraternitatum Administratoribus, Officialibus, seu Ministris visitentur, eligantur, seu nominentur, sed illarum electio, seu nominatio, ac omnimoda de decem subsidiis dotalibus hujusmodi disponendi facultas ad dilectos pariter filios modernos, seu pro tempore existentes Deputatos ejusdem Conservatorii (quorum erit eas Puellas eligere, seu nominare, quæ vitæ, ac morum honestate, modestia, ætate, aliave ratione cæteris antecellant) penitùs pertineat.

Cedulæ consignandæ absque vinculo.

§. 6. Ubi verò ab iis electio, seu nominatio hujusmodi, ut præfertur, facta fuerit, Cedulæ subsidiorum hujusmodi promissoriæ, quæ sanè liberæ prorsùs, & absque ullo vinculo, aut conditione, juxtà modum à Congregatione eorumdem Deputatorum præscribendum, faciendæ erunt, unà cum pretio Vestis, sicut præmittitur, dari solitæ, ipsis Deputatis consignari debeant, penès eos asservandæ, donec, & quosque iisdem Puellis sic electis, seu nomi-

nominatis, cùm nimirùm eas in Religione, vel Matrimonio, juxtà earum vocationem collocari contigerit, tradantur.

Demerentium, aut morientiũ Cedulæ assignentur aliis absque alteratione numeri annui

§. 7. Ita tamen ut si quæ ex illis, quæ sic electæ, seu nominatæ fuerint, bonum sui specimen præbere non perrexerint, qua in re memoratæ Congregationis Deputatorum Judicio omninò standum erit, illæ à commodo, & beneficio eorumdem subsidiorum dotalium sibi assignatorum cadant, nec illa, seu illorum Cedulas petere, consequi, & obtinere valeant, sed subsidia eis assignata, seu illorum Cedulæ hujusmodi, quemadmodum etiam illa, quæ ob Puellarum, quibus assignata erant, mortem ante earum Matrimonium vel Monachatum respectivè secutam, sive ob aliam rationem effectum suum sortita non fuerint, aliis Puellis ejusdem Conservatorii per eosdem Deputatos pariformiter eligendis, seu nominandis assignentur, nec ista in eorum numero, quæ Puellis præfatis, sicut præmittitur, quotannis assignari debent, nullatenùs computari, sed novæ Cedulæ illorum promissoriæ à supradictis Archiconfraternitatum, & Confraternitatum præfatarum Administratoribus, Officialibus, seu Ministris ad favorem aliarum Puellarum per eosdem Deputatos, sicut præmittitur, subrogandarum, seu nominandarum fieri, iisdem Deputatis, modo, & forma supradictis, consignari debeant.

Puellæ eximuntur à functionibus publicis.

§. 8. Cæterùm quæcumque Conservatorii hujusmodi Puellæ, quæ ad subsidia dotalia præfata, sicut præmittitur, admissæ, seù nominatæ fuerint, Processionibus, aliisve publicis functionibus in distributione eorumdem subsidiorum dotalium, aut illorum occasione fieri solitis, interesse minimè teneantur, sed intrà idem Conservatorium Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumere, aliave pia opera, sivè à dictarum Archiconfraternitatum, & Confraternitatum statutis, sivè à quorumvis Testatorum, & piorum largitorum, qui eadem subsidia præstari ordinarunt, dispositionibus injuncta adimplere possint, & debeant.

Subsidia solvantur liberè sequuto matrimonio vel professione.

§. 9. Eisdem verò Puellis statim ac Matrimonium contraxerint, quod quidem Parochi attestatione à duobus ex Deputatis prædictis subscripta probari sufficiat, vel in aliquo Monialium Monasterio professionem regularem per ipsas Moniales emitti solitam expresse emiserint, subsidia dotalia eis, sicut præmittitur, assignata liberè, & promptè nullâque interpositâ morâ, ac absque ulla cautione persolvantur; singulas demùm Puellas prædictas ad plura, quàm duo ex decem subsidiis dotalibus supradictis per memoratos Conservatorii hujusmodi Deputatos nequaquam admitti, seu nominari posse, harum serie decernimus, & ordinamus.

Singulæ Puellæ cõsequi nequerunt plusquam duo subsidia.

§. 10. Decernentes pariter easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac dictis Puellis in omnibus & per omnia plenissimè suffragari, & ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocunque spectabit, inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscunque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; Ac irritum, & inane si secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Decreta roborantia cum clausula sublata.

Derogationes etiam ultimarum voluntatum.

§. 11. Non obstantibus præmissis, ac memoratæ Bernardinæ, aliorumque Testatorum, & piorum largitorum præfatorum, etiam ultimis voluntatibus, & dispositionibus, quas propter præmissa sufficienter, & expresse commutamus, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dictarum Archiconfraternitatum, & Confraternitatum, aliisque quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, aut quavis firmitate alia roboratis statutis, usibus, stylis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque, Indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Fides transsumptorum.

§. 12. Volumus autem, ut earumdem præsentium litterarum transsumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsùs fides in Judicio, & extrà illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Protestatio concessionis citra approbationem Conservatorii. Dat. 6. Mart. 1694 P. A. 3.

§. 13. Cæterùm non intendimus per ipsas præsentes litteras supradictum Conservatorium in aliquo approbare. Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 6. Martii 1694. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

J. F. Card. Albanus.

LI.

Statutum, quod de cætero Procurator Generalis Provinciarum Reformatarum Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia, & Reformatorum, seu Strictioris Observantiæ nuncupatorum in Capitulo Generali ejusdem Ordinis de sexennio in sexennium eligatur.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Continuatio ad Constitutionẽ moderatoriam facultatum Protectorum Ordinum Regularium.

§. 1. CUM Nos nuper per Nostram super moderatione facultatum quorumvis, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Ordinum Regularium quorumlibet apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectorum, editam Constitutionem, inter alia quamcumque eisdem Protectoribus nonnullos Ordinum hujusmodi Superiores, seu Ministros deputandi attributam potestatem sustulerimus, & abrogaverimus, Superiorumque, seu Ministrorum hujusmodi electionis ad Sacrorum Canonum, seu Regularium eorumdem Ordinum Institutorum limites, seu aliàs ad modum, & formam in Comitiis Generalibus ipsorum Ordinum, seu per Nos, & Sedem prædictam respectivè statuendam reduxerimus, & reductam esse voluerimus, & mandaverimus.

Sublata Protectori facultate qua fruebatur deputandi Procuratorem Generalem Reformatorum.

§. 2. Ac proindè quæcumque antè hac pro tempore existenti Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia, & Reformatorum, seu Strictioris Observantiæ nuncupatorum apud eandem Sedem Protectori Procuratorem Generalem Provinciarum Reformatarum dicti Ordinis in Romana Curia residentem de triennio in triennium deputandi, sive quarundam Apostolicarum litterarum vigore, sive aliàs quomodolibet competens facultas sublata, & abrogata remanserit.

Nuncmandatur Procuratorem Generalẽ constitui per electionem fratrum, & per sexennium.

§. 3. Hinc est, quòd Nos, ut Procuratoris Generalis hujusmodi electio rectè, & canonicè in posterum fiat, quantum cum Domino possumus, providere volentes, motu proprio, ac ex certa scientia, & matura delibratione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ut Procurator Generalis supradictus, qui de triennio in triennium ab eodem Protectore, sicut præmittitur, deputari hactenùs consuevit, deinceps de sexennio in sexennium in Capitulo Generali ejusdem Ordinis eligatur, in ejusque electione votum, sive suffragium Fratres Vocales earundem Provinciarum Reformatarum Familiæ Cismontanæ dicti Ordinis tantùm ibidem unà cum Ministro Generali pro tempore existente Ordinis supradicti insimul congregati habeant, & ferant, ac habere, & ferre libere, & licitè possint, & valeant, tenore præsentium perpetuò statuimus, & ordinamus.

Occurrente vacatione intra sexennium recurrendum ad S. Sedem.

§. 4. Quod si Procuratoris Generalis sic electi Officium antè expletum sexennium per cessum, vel decessum illud pro tempore obtinentis, seu aliàs quomodolibet vacare contigerit, ad Nos, seu pro tempore existentem Romanum Pontificem pro opportuna desuper provisione obtinenda recurratur.

Duratio moderni Procuratoris, restringitur usque ad primum Capitulum Generale.

§. 5. Porrò ut ad Procuratoris Generalis hujusmodi electionem juxta earundem tenorem præsentium faciendam quantò citiùs, nempe in Capitulo Generali dicti Ordinis propediem, benedicente Domino, in Hispaniis celebrando deveniri possit, Officium præfatum, quo dilectus Filius Petrus Paulus de Cellis Frater. expressè professus Provinciæ Tusciæ ejusdem Ordinis de præsenti fungitur, tametsi illud vigore Litterarum Patentium ei à Vener. Fratre Nostro Alderano Episcopo Ostiensi ejusdem S. R. E. Cardinali Cybo nuncupato Ordinis hujusmodi apud Nos, & Sedem prædictam Protectore desuper expeditarum diutiùs durare deberet, usque ad proximè futurum Capitulum Generale supradictum dumtaxat durare debeat.

Illi tamen decernuntur prærogativæ æque ac si perdurasset per totum tempus.

§. 6. Cæterùm ipsi Petro Paulo Procuratori Generali, quem munus suum fideliter hactenùs, & laudabiliter exercuisse accepimus, ut votum, seu suffragium in eodem proximè futuro Capitulo Generali habere, & ferre, necnon omnibus & singulis privilegiis, gratiis, & indultis, quibus Fratres dicti Ordinis, qui integri triennii spatio Procuratoris Generalis hujusmodi munere in Curia præfata functi fuerunt, tam de jure, usu, & consuetudine, quàm aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur, & gaudent, ac uti, frui, & gaudere possunt, & poterunt in futurum, pari modo, & absque ulla prorsùs differentia, uti, frui, & gaudere, liberè pariter, & licitè possit, & valeat, in omnibus, & per omnia, perindè ac si munere hujusmodi per integrum triennium functus fuisset, harum serie concedimus, & indulgemus.

Declaratur privilegium hoc non personale sed propter merita.

§. 7. Præterea privilegia, prærogativas, gratias, & indulta hujusmodi eidem Petro Paulo Procuratori Generali, non ex gratia, vel favore, aut privilegio personali, sed intuitu realium laborum, & tanquam justum præmium ei debitum concessa fuisse, & de jure competere, nec in fel. record. Urbani Octavi, & Clementis X., aliorumve Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum Literis, vel Decretis super revocatione, & abrogatione, sive annullatione quorumcumque privilegiorum, & indultorum personalium Fratribus dicti Ordinis contra, vel præter Constitutiones, seu Statuta ipsius Ordinis concessorum, vel concedendorum hactenùs emanatis, & quandocunque emanaturis, ullo modo comprehensa fuisse, vel esse, aut fore, seu comprehensa censeri, prætendi, vel intelligi, neque ejusmodi revocationes, abrogationes, & annullationes illi ullatenùs obstare, aut eum illarum occasione, seu prætextu quomodolibet molestari, per turbari, vel inquietari posse, earundem tenore præsentium decernimus, & declaramus.

Decreta roborantia cum clausula sublata.

§. 8. Decernentes pariter easdem præsentes Litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter, & inconcussè observari, & adimpleri, Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. præfatæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, & alios quoslibet, quacumque præeminentia, & potestate fungentes & functuros; Sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere; Ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignotanter, contigerit attentari.

§. 9. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit, Nostrâ, & Cancellariæ Apostolicæ Regulâ de jure quæsito non tollendo, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Provinciarum, & Ordinis præfatorum, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Consuetudinibus, etiam immemorabilibus; Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apostolicis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, in genere, vel in specie, seu aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi, pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, formas, causas, & occasiones præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, insertis, servatis, & specificatis respectivè habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxàt specialiter, & expressè darogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Derogationes.

Fides transsumptorum.

§. 10. Volumus autem, ut earundem præsentium Litterarum transsumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subsciptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsùs fides in Judicio, & extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 7. Aprilis 1694. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

Dat. 7. Apr. 1694. P. A. 3.

J. F. Card. Albanus.

LII.

Statutum, quòd de cætero Procurator Generalis, & Commissarius Generalis Curiæ Romanæ Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum in Capitulo Generali ejusdem Ordinis de sexennio in sexennium eligatur.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium convertendo cum antecedēti Constitutione.

SAcrosancti Apostolatus solicitudo, quam, meritis licèt, & viribus longè impares, authore Deo, gerimus, Nos stimulat ad ea peculiari studio statuenda per quæ prospero Christi fidelium divinis obsequiis sub suavis Religionis jugo mancipatorum statui, ac regimini opportunis rationibus consulatur.

§. 1. Cùm itaque Nos nuper alias nostras in simili forma Brevis litteras, ut Procurator Generalis Provinciarum Reformatarum Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia, & Reformatorum, seu Strictioris Observantiæ nuncupatorum, qui antehac de triennio in triennium à pro tempore existente Ordinis hujusmodi apud Sedem Apostol. Protectore deputabatur, deinceps de sexennio in sexennium in Capitulo Generali ejusdem Ordinis eligatur, in ejusque electione votum, sivè suffragiū Fratres Vocales earumdem Provinciarum Reformat. Familiæ Cismontanæ dicti Ordinis tantum ibidem u-

na cum Ministro Generali pro tempore existente Ordinis supradicti insimul congregati habeant, & ferant, ac habere, & ferre liberè, & licitè possint, & valeant, sub certis modo, & forma tunc expressis statuerimus, & ordinaverimus; Et sicut accepimus, felici dilectorum filiorum Fratrum de Observantia dicti Ordinis gubernio, regularique illorum disciplinæ magnoperè conducibile futurum sit, si id ipsum quoad illorum Procuratorem Generalem, & Commissarium Generalem Curiæ Romanæ, qui hactenùs de triennio itidem in triennium à Ministro Generali supradicto, de Definitorum Generalium ejusdem Ordinis consilio, & assensu, seu aliàs institui, & deputari consueverunt, pariformiter per Nos statuatur.

Procurator, & Commissarius Curiæ Generalis eligantur in Capitulo Generali ad sexennium.

§. 2. Hinc est, quòd Nos, qui Ordinem prædictum in visceribus paternæ gerimus charitatis, salubri Fratrum de Observantia præfatorum directioni, quantum cum Domino possumus, similiter providere volentes, motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, quòd de cætero perpetuis futuris temporibus Procurator Generalis, ac Commissarius Generalis Curiæ præfatæ eorumdem Fratrum de Observantia, qui hactenùs de triennio in triennium à memorato Ministro Generali, sicut præmittitur, instituti, seu deputari consueverunt, in Capitulo Generali ejusdem Ordinis de sexennio in sexennium eligantur, in eorumque respectivè electione votum, sivè suffragium Fratres Vocales illius Familiæ tantùm Cismontanæ scilicet, seu Ultramontanæ, ex qua nimirum cæteroqui juxtà Regularia Ordinis prædicti Instituta per Sedem Apostolicam approbata Procurator Generalis, seu Commissarius Generalis Curiæ hujusmodi respectivè assumendi erunt, unà cum eodem Ministro Generali ibidem insimul congregati habeant, & ferant, ac habere, & ferre liberè, & licitè possint, & valeant, tenore præsentium statuimus & ordinamus.

In cujusque electione votum habeat respectivè familia pro qua fit electio.

Vacante Officio ante sexennium providebit S. Sedes.

§. 3. Quòd si Procuratoris Generalis, ac Commissarii Generalis sic electorum Officia, sivè eorum alterum per cessum, vel decessum illa, seu illud pro tempore obtinentium, vel obtinentis, seu aliàs quomodolibet vacare contigerit, ad Nos, seu pro tempore existentem Romanum Pontificem pro opportuna desuper provisione obtinenda, recurratur.

Officia hujusmodi obtinentes de præsenti cessant advenientе Capitulo.

§. 4. Cæterùm, ut ad eorumdem Procuratoris Generalis, ac Commissarii Generalis electionem juxtà earumdem tenorem præsentium faciendam quanto citiùs, nempè in Capitulo Generali dicti Ordinis propediem, benedicente Domino, in Hispaniis celebrando, deveniri possit, Officia præfata, quibus dilecti filii, moderni Procurator Generalis, ac Commissarius itidem Generalis ejusdem Curiæ de præsenti funguntur, ac illorum quodlibet, tametsi illa vigore quarumvis litterarum patentium eis, ac eorum cuilibet à dilecto filio moderno Ministro Generali dicti Ordinis desuper expeditarum, ac forsan etiam auctoritate Apostolica confirmatarum diutiùs durare deberent, usque ad proximè futurum Capitulum Generale supradictum dumtaxàt durare debere, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus, harum serie decernimus, & declaramus.

Decreta roborantia cum clausa sublata.

§. 5. Decernentes pariter easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quòd quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi fuerint, seu ex alia quacumque causa, colore, prætextu, & capite, etiam in Corpore Juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam formali, & substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, aut ad terminos juris reduci, seu in controversiam vocari, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrato etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus concessio, vel emanato quempiam in Judicio, vel extrà illud uti, seu se juvare posse, sed ipsas præsentes Litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter, & inconcussè observari, & adimpleri; Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, & alios quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros; Sublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authorite, judicari, & definiri debere; Ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis authoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogationes.

§. 6. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit, nostrâ, & Cancellariæ Apostolicæ regulâ de Jure quæsito non tollendo, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non dicti Ordinis aliisve quibusvis, etiam Juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus etiam immemorabilibus; Privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus in genere, vel in specie, seu aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, formas, causas, & occasiones præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, insertis, servatis, & specificatis respectivè habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§. 7. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transsumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis eadem prorsùs fides in Judicio, & extrà illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 5. Aprilis 1694. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

I. F. Card. Albanus.

LIII.

Indulgentia Plenaria perpetua in articulo mortis, pro morientibus in Archihospitali Sancti Spiritus in Saxia de Urbe.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Indulgentia plebaria ut in rubrica.

EX injuncti Nobis divinitus Sacrosancti Apostolatus Officii debito Animarum saluti, quan-

tum

tùm cum Domino possumus, consulere cupientes, omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus ægrotis in Archihospitali Sancti Spiritus in Saxia de Urbe pro tempore morientibus, in cujuscùmque eorum mortis articulo, si verè pœnitentes, & confessi, ac Sacra Communione refecti, vel quatenùs id facere nequiverint, saltem contriti, Nomen JESU ore, si potuerint, sin minus corde devotè invocaverint, Plenarium omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 18. Augusti 1694. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

Dat. 18. Aug. 1694. P. A. 4.

J. F. Card. Albanus.

LIV.

Constitutio, quà plura declarantur, ac præscribuntur pro tollendis abusibus, & fraudibus, circà Ordinationes alienorum Subditorum.

INNOCENTIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Procœmium.

SPeculatores Domus Israël, quæ est Sancta Dei Ecclesia, per ineffabilem Divinæ Bonitatis abundantiam constituti, eò potissimùm ab ipsis Pontificatus Nostri primordiis Pastoralis vigilantiæ nostræ studia convertenda esse duximus, ut, qui in sortem Domini vocantur, sacrisque addicuntur ministeriis, quippè quos irreprehensibiles esse convenit, ut præesse valeant, corrigendis, ac in quos tanquam in speculum reliqui oculos conjiciunt, ex iisque sumunt quod imitentur, tales sint, qui dignè possint Dominica Sacramenta tractare, ac ædificent cunctos tàm fidei scientia, quàm operum disciplina.

Narratur Decretum Sanctitatis Suæ super forma concedendi Indulta extra tempora.

§. 1. Sanè hoc inito consilio, non alios, quantum fieri potest, quàm qui in sanctitate, & justitia per ordinatissimos Ecclesiasticæ Militiæ gradus statis intervallis ambulaverint, ac piè, & fideliter in ministeriis anteactis se gesserint, ad Sacerdotium assumi, sacrasque ordinationes, juxtà priscum Ecclesiæ morem, præscriptis à jure temporibus orationi, & jejunio consecratis, haberi cupientes, severiorem quamdam in concedendis Indultis suscipiendi sacros Ordines extrà tempora hujusmodi, & interstitiis ad id designatis minimè servatis, ultrò Nobis proposuimus adhibendam rationem; quâ videlicet servatâ, ante meritum laboris, ante tempus examinis, ante experientiam disciplinæ, Sacerdoralis honor non probatis minimè tribuatur, nec unquam heri profani, hodiè sacrorum Antistites, veteres vitio, virtute rudes, & recentes, discipuli simul, ac Magistri pietatis creentur; sed ii tantùm, juxtà constitutas à Majoribus Leges, ab humili gradu fidelis Populi ad sacrarum administrationum sublimitatem promoveantur, qui post mutatum habitum secularem diuturna conversatione inter Clericos fuerint comprobati, ac multo tempore didicerint, quæ postmodùm alios docere tenentur.

Dispositio Concilii Trid. de non ordinandis ad titulum patrimonii nisi ob necessitatē, vel utilitatem Ecclesiæ, non intelligitur relaxata per Indulta extra tempora.

§. 2. Cæterùm per eas ipsa Indulta, quæ super præmissis parciùs quidem, ac ex certis tantùm, & magis rationabilibus causis concedere decrevimus, contrari à quavis illorum interpretatione penitùs improbatâ, salutarem illam, quam sacri Generalis Tridentini Concilii Decreta de non ordinandis ad patrimonii titulum nisi illis, quos Episcopi pro necessitate, vel commoditate suarum Ecclesiarum assumendos judicaverint, præscribunt disciplinam, nequaquam relaxatam intelligi; quinimò nec unquam ad Indulta hujusmodi exequenda Episcopos ipsos arctare, sed illorum executionem arbitrio semper eorumdem Episcoporum, quorum conscientias hac in re strictissimè oneratas voluimus, prorsùs relinquere declaravimus; sperantes in Domino eos, qui, juxtà Apostoli monitum, nemini citò manus imponendas esse, probè norunt, sibi, & universo gregi attendentes, in quo eos posuit Spiritus Sanctus regere Ecclesiam Dei, reverenda ipsis Spiritibus Angelicis ministeria ab Hominibus sine consideratione apprehendi nunquam permissuros, nec temerè præripi passuros, quæ vita probata dumtaxat accipere promeretur.

Monitio ad eos, qui gaudent Indulto conferendi Ordines extra tempora.

§. 3. Omnes insuper, & singulos cujuscumque tandem gradus, Ordinis, & Dignitatis fuerint, quibus ex hujus Sanctæ Sedis gratia sacros Ordines præfatos extrà eadem tempora conferendi, vel aliis, ut illos sic conferre valeant, indulgendi potestas fieri consuevit, cum divinos Ordines largiri districti semper esse judicii oporteat, seriò monitos voluimus, ut præscriptos sibi desuper in suis quique facultatibus terminos religiosè custodiant, nec eos cujusvis consuetudinis, aut exempli prætextu ullatenùs transgrediantur.

Motiva præsentis Constitutionis ad querelas plurium Archiepiscoporum, & Episcoporum.

§. 4. Verùm quò impensius Apostolicæ gubernationis curam, & cogitationes in hæc intendimus, eò majori cum animi nostri dolore ex quamplurium Venerabilium Fratrum nostrorum Archiepiscoporum, & Episcoporum in diversis Regionibus existentium delatis ad Nos querelis accepimus, graviora quotidiè malignari inimicum in Sancto, sacrilegâ scilicèt illorum impudentiâ in dies crescente, qui propriæ salutis immemores, Clericales Ordines sibi forsan à propriis Præsulibus denegatos, seu quos, aliquibus canonicis sibi obstantibus impedimentis, denegari meritò verentur, ab alienis Episcopis, non, quæ JESU Christi, sed eas, quæ ad ipsos non pertinent, Oves in animarum suarum perniciem quærentibus, nec tot Canonicas damnationes contra usurpantes alienæ Plebis hominem latas perhorrescentibus, absque suorum Prælatorum commeatu, hoc est Dimissoriis, Commendatitiisve eorum litteris destituti, quinimò eis insciis, & sæpè etiam invitis, sub minus legitimis Beneficii Ecclesiastici, Originis, Domicilii, seu etiam Familiaritatis, ac continuæ Ordinantium Episcoporum commensalitatis quæsitis titulis, in sacrarum legum fraudem, & comtemptum, illegitimè suscipiunt, atque ita non intrantes per ostium, & nihilominùs Tabernaculum Domini cum macula inhabitare non dubitantes, sacrificium in sacrilegium convertunt, judicium non præsumentes, non modò eum non placant, sed magis irritant, dum videntur in cordibus suis dicere: non requiret.

Declarationes Sac. Congregat. Concilii intelligendæ ad terminos præsentis Constitutionis.

§. 5. Hinc est quod Nos ex commissæ Nobis divinitùs Apostolicæ servitutis munere, abusus, fraudes, ac scandala hujusmodi penitùs, & omninò è medio tollere, ac irreligiosam contrafacientium audaciam, quantùm Nobis ex alto conceditur, compescere, & reprimere volentes, necnon fel. rec. Urbani VIII. contra malè ordinantes, & malè ordinatos, quæ incipit: *Secretis*, aliorumque Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, ac etiam Conciliaribus hac in re editis Constitutionibus, & Ordinationibus inhærentes, illasque quoad ea, quæ præsentibus non adversantur, quatenùs opus sit, innovantes; de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium ejusdem Concilii Tridentini Interpretum, qui quæcumque antehàc super præmissis ab ipsorum Cardinalium Congregatione in particularibus casibus edita decreta, declarationes, seu responsa ad earumdem præsentium limites reducenda esse consuerunt, consilio, ac etiam motu proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ad Omnipotentis Dei Gloriam, Ecclesiæ utilitatem, veteris disciplinæ instaurationem, totiusque Christiani Populi ædificationem, Hac

generali noſtra, & perpetuò valitura Conſtitutione decernimus, & declaramus.

Nulli licèt promovere Exterum prætextu Originis, Domicilii, aut Beneficii mox conferendi prima tonſura inſignire.

§. 6. Nulli Epiſcopo, ſeu cujuſvis loci Ordinario, tametſi Cardinalatus honore fulgeat, licere exterum quempiam, ac ſibi ratione Originis, ſeu Domicilii, juxta modum inferiùs declarandum, legitimè contracti non Subditum ad Clericalem tonſuram promovere, cujuſvis Beneficii Eccleſiaſtici, ei ſtatim ac tonſurâ hujuſmodi inſignitus fuerit, conferendi, ſeu ad quod is à Patronis jam præſentatus, ſeu nominatus fuerit, prætextu, etiamſi Beneficium prædictum de novo ea expreſsè adjecta lege fundatum fuiſſe conſtiterit, ut quis immediatè poſt Clericalem characterem ſuſceptum ad illud inſtituatur.

Clericus jam non poteſt ab alio promoveri ratione ſubjectionis ex Beneficio abſque Teſtimonialibus Epiſcoporum Originis, & Domicilii.

§. 7. Prætereà Clericum, qui legitimè jam à proprio Epiſcopo ad eandem Clericalem tonſuram, ſeu etiam ad minores Ordines promotus fuerit, non poſſe ab alio Epiſcopo, ratione ac titulo cujuſcumque Beneficii in illius Diœceſi obtenti, ad ulteriores Ordines promoveri, niſi ante eorumdem ſuſceptionem Teſtimoniales literas proprii Epiſcopi tàm Originis, quàm Domicilii ſuper ſuis Natalibus, ætate, moribus, & vita ſibi concedi obtinuerit, eaſque Epiſcopo Ordinanti in actis illius Curiæ conſervandas exhibuerit.

Beneficium ad effectum ſubjectionis pro Ordinibus debet ſufficere ad congruam detractis oneribus.

§. 8. Licèt verò Clericus ratione cujuſvis Beneficii in aliena Diœceſi obtenti ſubjici dicatur Juriſdictioni illius Epiſcopi, in cujus Diœceſi Beneficium hujuſmodi ſitum eſt, eam tamen de cœtero hac in re inconcuſsè ſervari volumus Regulam, ut nemo ejuſmodi ſubjectionem ad effectum ſuſcipiendi Ordines acquirere cenſeatur, niſi Beneficium prædictum ejus ſit reditus, ut ad congruam vitæ ſuſtentationem ſivè juxt Taxama Synodalem, ſivè, ea deficiente, juxta morem Regionis pro promovendis ad Sacros Ordines, detractis oneribus, per ſe ſufficiat; illudque ab Ordinando pacificè poſſideatur, ſublata quacumque facultate ſupplendi quod deficeret fructibus ejuſdem Beneficii cum adjectione Patrimonii etiam pinguis, quod ipſe Ordinandus in eadem, ſeu alia quavis Diœceſi obtineret: ac Epiſcopus ſic Ordinans tàm de prædictis Teſtimonialibus Litteris, quàm de reditu Beneficii hujuſmodi expreſſam in conſueta collatorum Ordinum atteſtatione mentionem facere debebit.

De Teſtimonialibus & ſufficientia fiat expreſſa mentio in Teſtimonialibus Ordinationis.

§. 9. Cæterùm Subditus ratione Originis is tantùm ſit, ac eſſe intelligatur, qui naturaliter ortus eſt in ea Diœceſi, in qua ad Ordines promoveri deſiderat, dummodò tamen ibi natus non fuerit ex accidenti, occaſione nimirùm itineris, Officii, Legationis, Mercaturæ, vel cujuſvis alterius temporalis moræ, ſeu permanentiæ ejus Patris in illo loco, quo caſu nullatenùs ejuſmodi fortuita nativitas, ſed vera tantùm, & naturalis Patris origo erit attendenda. Quòd ſi quis tanto temporis ſpatio in eo loco, in quo ex accidenti, ſicut præmittitur, natus eſt, moram traxerit, ut potuerit ibidem canonico aliquo impedimento irretiri, tunc etiam ab Ordinario ejus loci literas Teſtimoniales, ut ſupra, obtinere, illaſque Epiſcopo Ordinanti per eum in collatorum Ordinum Teſtimonio ſimiliter recenſendas præſentare teneatur.

Origo intelligitur de nativitate in loco non accidentali, quia tunc attenditur nativitas Patris.

De mora in loco nativitatis accidentalis.

§. 10. At ſi Pater in alieno loco, ubi ejus filius natus eſt, tamdiù, ac eo animo permanſerit, ut inibi vere Domicilium de Jure contraxerit, tunc non origo Patris, ſed Domicilium per Patrem legitimè, ut præfertur contractum pro Ordinatione ejuſdem filii attendi debeat.

De Domicilio Paterno in loco nativitatis accidentalis.

§. 11. Subditus autem ratione Domicilii ad effectum ſuſcipiendi Ordines is dumtaxat cenſeatur, qui licèt alibi natus fuerit, illud tamen adeo ſtabiliter conſtituerit in aliquo loco, ut vel per decennium ſaltem in eo habitando, vel majorem rerum, ac bonorum ſuorum partem cum inſtructis Ædibus in locum hujuſmodi transferendo, ibique inſuper per aliquod conſiderabile tempus commorando, ſatis ſuperque ſuum perpetuò ibidem permanendi animum demonſtraverit; & nihilominùs ulteriùs utroque caſu ſe verè, & realiter animum hujuſmodi habere jurejurando affirmet.

Domicilium ad effectum Ordinum qualiter intelligatur.

§. 12. Si quis tamen à propriæ originis loco in ea ætate diſceſſerit, qua potuerit alicui canonico impedimento obnoxius effici, etiam Ordinarii ſuæ originis teſtimoniales literas, ut ſupra, aſſerre debebit, ac de illis expreſſa ſimiliter mentio in ſuſceptorum Ordinum Litteris facienda erit.

Ordinandi ratione Domicilii quo caſu indigeant teſtimonialibus Ordinarii originis.

§. 13. Ad hæc nullus Epiſcopus alienæ Diœceſis Subditum Familiarem ſuum ad aliquos Sacros, ſeu Minores Ordines, vel etiam primam tonſuram promovere, ſeu ordinare præſumat abſque ejus proprii, originis ſcilicet, ſeu Domicilii Prælati Teſtimonialibus Litteris, ut ſupra, & niſi ad præſcriptum Concilii Tridentini præfati ſeſſ. XXIII. cap. 9. *De Reform.* Familiarem prædictum per integrum, & completum triennium in ſuo actuali ſervitio ſecum retinuerit, ac ſuis ſumptibus aluerit; Beneficium inſuper, quod ei ad vitam ſuſtentandam, juxta modum ſuperiùs præfinitum, ſufficiat, quacumque fraude ceſſante, ſtatim, hoc eſt ſaltem intrà terminum unius menſis à die factæ ordinationis, re ipſa illi conferat, ac in Ordinationis hujuſmodi Teſtimonio expreſſam itidem familiaritatis, ac litterarum prædictarum mentionem facere teneatur.

Familiaritatis ratione promovendus indiget etiâ teſtimonialibus, Beneficium ſit ad congruam ſufficiens, & conferendum intra menſem.

§. 14. Porrò, ut quibuſcumque fraudibus aditus omninò præcludatur, volumus, & Apoſtolica Authoritate ſtatuimus, atque decernimus, ut Epiſcopus quilibet ſuos ratione Originis, ſive Domicilii Subditos Clericos quoſcumque ab alienis Epiſcopis quavis authoritate, etiam cum ſuis Commendatitiis Litteris promotos, nedum ad formam Concilii Tridentini ſupradicti ſeſſ. XIV. cap. 3. *De Reformat.* quoad ſcientiam examinare valeat, verùm etiam Ordinum eis collatorum teſtimoniales Litteras, gratis tamen, recognoſcere, ac diligenter perquirere, an quoad illos præſentis Conſtitutionis forma, & diſpoſitio adimpleta fuerit, aſſignato ſic promotis termino competenti ei magis beneviſo ad docendum de ejuſmodi adimplemento, ita ut quos eo termino elapſo id minimè præſtitiſſe compererit, à Suſceptorum Ordinum exercitio, ſi ita, & quamdiù ei expedire videbitur, ſuſpendere, illiſque, ne in Altari, aut in aliquo Ordine miniſtrent, interdicere poſſit.

Diligentiæ adhibendæ ab Epiſcopis in recognoſcendis Ordinationibus Subditorum factas ab alienis, & pœna imponenda.

§. 15. Ità verò præmiſſa omnia, & ſingula perpetuò, ac inviolabiliter obſervari, atque adimpleri volumus, ut ſi quid in iiſdem præmiſſis, ſeu eorum aliquo ſecus fiat, Ordinans quidem à Collatione Ordinum per annum, Ordinatus verò à ſuſceptorum Ordinum executione, quamdiù proprio Ordinario videbitur expedire, eo ipſo ſuſpenſus ſit, aliiſque inſuper gravioribus pœnis pro modo culpæ noſtro, & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis arbitrio infligendis uterque ſubjaceat.

Pœnæ Ordinantium & Ordinatorũ contra præſcriptum hujus Conſtitutionis.

§. 16. Decernentes pariter eaſdem præſentes Litteras ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit in omnibus, & per omnia pleniſſimè, & inviolabiliter obſervari. Sicque, & non aliter per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac ejuſdem S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, ac Sedis præfatæ Nuncios, alioſve quoslibet quacumque præeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros; Sublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, ubique judicari, & definiri debere; Ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis authoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Decreta roborantia.

§. 17. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon

Derogationes.

quibusvis, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, aut quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Consuetudinibus; Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apostolicis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam motu scientia & potestatis plenitudine paribus, in genere, vel in specie, seu aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, ac si de verbo ad verbum exprimerentur, & insererentur, nihil penitùs omisso, & formâ in illis traditâ observatâ, eisdem præsentibus pro expressis, & insertis habentes, allis rliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxàt specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Publicatio ad Valvas vim habeat intimationis personalis

§. 18. Volumus autem, ut præsentes Litteræ in valvis Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum, necnon Cancellariæ Apostolicæ, ac in Acie Campi Floræ de Urbe, ut moris, est, publicentur, & affigantur, sicque publicatæ, & affixæ, omnes, & singulos, quos illæ concernunt, perindè arctent, & afficiant, ac si unicuique eorum nominatim, & personaliter intimatæ fuissent.

Fides transsumptorum.

§. 19. Quòdque earumdem præsentium transsumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsùs fides tàm in Judicio, quàm extrà illud, ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio pœnalis.

§. 20. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostrorum Decretorum, Declarationis, Voluntatis, Statuti, & Derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

D. 4. Nov. 1694. P. A. 4.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo nonagesimo quarto, Pridie Nonas Novembris, Pontificatus Nostri Anno Quarto.

B. Card. Prodatarius.

J. F. CARD. ALBANUS.

Visa de Curia J. Sacripantes.

D. CIAMPINUS.

Loco † plumbi.

Registrata in Secret. Brevium.

Anno à Nativitate Domini Nostri JESU Christi millesimo sexcentesimo nonagesimo quarto, Indictione secunda, die sexta mensis Novembris; Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris & Domini Nostri, Domini INNOCENTII, Divinâ Providentiâ Papæ XII. Anno Quarto: Supradictæ Litteræ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Ecclesiæ S. Joannis Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ, in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per me Thomam Orlandum ejusdem Sanctissimi Domini Nostri Papæ Cursorem.

Franciscus Antonius Simoncellus Magister. Curs.

Confirmatio Indulgentiarum ab Innocentio XI. concessarum pro Christi fidelibus comitantibus Sanctissimum Sacramentum, dum ad Infirmos pro Viatico defertur, cum concessione alterius Indulgentiæ pro iis, qui illud comitari præpediti, lumen ea occasione deferendum miserint. LV.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Procœmium.

DEbitum Pastoralis Officii, quo Catholicæ Ecclesiæ Regimini Divina dispositione præsidemus, exigit, ut ad augendam fidelium Religionem, promovendamque Animarum salutem pia charitate intenti, Spiritualium gratiarum concessiones, quæ à Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris ad incitandam, fovendamque eorumdem fidelium erga Sanctissimum, Augustissimumque Corporis, & Sanguinis Domini Nostri JESU Christi Sacramentum, pietatem, atque devotionem providè, & salubriter emanasse noscuntur, Apostolici muniminis nostri patrocinio roboremus, ejusdemque Sanctissimi Sacramenti Cultum uberiori Cœlestium munerum elargitione, quantum Nobis ex Alto conceditur, ampliare studeamus.

Narrat indulgentias à Prædecessore concessas comitatis Sanctiss. Sacramentum pro Viatico.

§. 1. Aliàs siquidem felicis recordationis Innocentius Papa XI. Prædecessor Noster omnibus, & singulis utriusque sexus Christi fidelibus, tàm in Alma Urbe Nostra tunc sua, quàm alibi ubicunque locorum degentibus, qui præfatum Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, cùm ad Infirmos pro Viatico deferretur, devotè comitati fuissent, ac pro Christianorum Principium concordia, hæresium extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effudissent, quacunque vice id egissent, si cum lumine, septem annos, & totidem quadragenas, si verò sine lumine illud, ut præfertur, comitati fuissent, quinque annos, & quinque quadragenas respectivè de injunctis eis, aut aliàs quomodolibet per eos debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta sub certis modo, & forma tunc expressis misericorditer in Domino relaxavit, & aliàs prout in ipsius Innocentii Prædecessoris Litteris desuper in simili forma Brevis die prima Octobris 1678. expeditis, quarum tenorem præsentibus pro plenè, & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberiùs continetur.

Indicat præscripta in Urbe pro majori veneratione in comitando.

§. 2. Nunc autem Nos memorati Sanctissimi Sacramenti venerationem in dies magis, magisque augeri, piumque, ac laudabilem, quem benedicente Domino in Urbe præfata, ex qua bonorum operum exempla in omnes Christiani Orbis partes diffunduntur, Sacratissimum hoc salutis nostræ pignus, cùm ad infirmos defertur, decentiùs comitandi morem, certis desuper dilecti filii nostri in eadem Urbe Vicarii in Spiritualibus Generalis auctoritate præscriptis regulis, institui curavimus, ubique locorum, & gentium extendi, & propagari summoperè cupientes; Concessionem à memorato Innocentio Prædecessore, sicut præmittitur, factam, ac desuper expeditas ejus litteras præfatas, auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, confirmamus, & innovamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus.

Approbat concessionem ab Innocentio XI. factam

Extendit concessionem ad universos Fideles concedendo Indulgentiam mittentibus lumen

§. 3. Præterea omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus ubicumque existentibus, qui legitimo aliquo impedimento detenti, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum supradictum, cùm illud ad infirmos deferri contigerit, personaliter comitari nequiverint, sed tamen lumen, seu facem per alios ea occasione deferendam miserint, & ut præfertur, oraverint, quacunque vice id egerint, tres annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, seu

aliàs quomodolibet per eos debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta harum serie relaxamus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Fides adhibenda Transsumptis.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium litterarum transsumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis eadem prorsùs fides tàm in Judicio, quàm extrà illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur, ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 5. Januarii 1695. Pontificatus Nostri Anno Quarto

Dat. 5. Jan. 1695. P. A. 4.

I. F. Card. Albanus.

LVI.

Commutatio diei Benedictionis & absolutionis Generalis concessæ à Clemente VIII. & Urbano VIII. Ordini Fratrum B. Mariæ Virginis de mercede Redemptionis Captivorum.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Tenor litterarum Clementis Papæ X.

DUdum à fel. rec. Clemente Papa Decimo Prædecessore Nostro emanarunt ad favorem Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ Virginis de mercede Redemptionis Captivorum litteræ in simili forma Brevis, tenoris, qui sequitur, videlicet: Clemens Papa X. Ad perpetuam rei memoriam. Ex injuncto Nobis cœlitus Apostolicæ servitutis munere ea, quæ à Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris ad Spiritualem Christifidelium ædificationem animarumque salutem providè concessa esse noscuntur, ut firma semper, atque illabata persistant, Apostolici muniminis Patrocinio, cum id à Nobis petitur, libenter roboramus, & aliàs desuper statuimus, sicut in Domino salubriter expedire arbitramur. Exponi siquidem nuper fecit dilectus filius Matthias de Cardona Vicarius, & Procurator Generalis totius Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ Virginis da Mercede redemptionis Captivorum, quòd dudum fel. rec. Clemens Papa VIII. Prædecessor Noster, ad cujus notitiam pervenerat, in eodem Ordine vigere morem antiquissimum ab immemorabili tempore observatum in diebus Sanctæ Catharinæ Virginis, & Martyris, ac Cinerum, & Cœnæ Domini, omnes tam Religiosos quam Seculares nimiurm in Ecclesia præsentes, & genuflexos, post Confessionem à Sacerdote coram omnibus recitatam de more absolvendi, & benedicendi, ut etiam aliæ Religiones facere consueverant; Hanc facultatem prævia dicta Confessione (ut præfertur) de more à Sacerdote coram omnibus recitatâ absolvendi & benedicendi omnes præsentes, tam Religiosos, quàm Seculares dictis diebus Apostolica auctoritate; approbavit, & confirmavit, ac eidem Ordini, quatenus opus esset, de novo concessit; Et subinde, idem Clemens Prædecessor, ut similis absolutio, & benedicto generalis, etiam festis diebus Sanctorum Laurentii, & Antonii in prædicto Ordine, ejusque Monasteriis, & conventibus fieri posset, dicta auctoritate perpetuò concessit, & indulsit. Ac demum rec. mem. Urbanus Papa Octavus patiter Prædecessor Noster, feriam quintam in Cœna Domini, quæ absolutio, & benedictio generalis hujusmodi, sicut præmittitur, fieri poterant in diem festum S. Petri Nolasci, commutavit, & aliàs prout in terminis præfatorum Clementis, & Urbani Prædecessorum litteris desuper in simili forma Brevis expeditis, uberiùs dicitur contineri. Cùm autem sicut eadem expositio subjungebat, præfatus Matthias Vicarius, & Procurator Generalis præmissa, quò firmiùs subsistant, Apostolicæ Confirmationis Nostræ Patrocinio communiri summopere desideret. Nos ipsius Matthiæ Vicarii, & Procuratoris Generalis votis, hac in re, quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, Censuris, & Pœnis, à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, facultatem de more absolvendi, & benedicendi omnes in Ecclesia præsentes, & genuflexos, tam Religiosos, quam Seculares, prævia confessione à Sacerdote coram omnibus recitatâ in supradictis diebus Sanctæ Catharinæ Virginis, & Martyris, ac Cinerum, nec non Sancti Laurentii, Sancti Antonii, & Sancti Petri Nolasci, Ordini præfato concessam, ut præfertur, Auctoritate prædicta, tenore præsentium, approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus. Ea tamen lege, ut in hujusmodi functione de cætero servetur formula infrascripta, videlicet: Dominum Nostrum Jesum Christum humiliter deprecamur, ut gratiæ suæ lumine illabatur cordibus vestris, vobisque benignè concedat, omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones consequi, quas Summi Pontifices Ordini Nostro, cum specifica facultate eas Confraternitatibus nostris communicandi concesserunt, juxtà privilegiorum Apostolicorum tenorem, & Sanctæ Sedis Apostolicæ Decretorum dispositionem misereatur vestri omnipotens Deus, dimittat vobis omnia peccata vestra, liberet vos ab omni malo, confirmet, & conservet in omni opere bono, & perducat vos ad vitam æternam; qui in Trinitate perfecta vivit, & regnat in Secula Seculorum Amen. Decernentes easdem præsentes Litteras semper firmas, validas, & efficaces, existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his, à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut ipsorum præsentium litterarum transsumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsùs fides in Judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur; si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 17. Maji 1673. Pontificatus Nostri Anno Quarto. J. G. Sluisius.

Formula in ejusmodi functione servanda.

Concessiones Clem. VIII. & Urb. VIII. Ordini Fratrum B. Mariæ Virginis de Mercede redemptionis Captivorum factæ.

Exordium

Decretum roborans & irritans.

Derogationes.

Fides Transsumptorum.

Dat. litterarum Clementis X.

Earumdem Concessionum Confirmatio.

§. 2. Cùm autem, sicut Dilectus Filius Bernardus Carinnena, & Ypenza Vicarius, & Procurator Generalis dicti Ordinis Nobis nuper exponi fecit, ipse ex supradictis diebus, quibus absolutio, & benedictio generalis hujusmodi, sicut præmittitur, fieri solet, diem festum Sanctæ Catharinæ Virginis, & Martyris in feriam quintam in Cœna Domini, qua scilicet Christi fideles, attenta temporis Paschalis opportunitate, ad Ecclesias Ordinis supradicti pro eadem absolutione, & Benedictione Generali consequenda, magis dispositi accedent, commutari plurimùm desideret. Nos ipsius Bernardi Vica-

Commutatio diei festi S. Catharinæ Virginis & Martyris.

rii, & Procuratoris Generalis votis, hac in re, quantum cum Domini possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque à quibusvis Excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, & censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existitad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, facultatem impertiendi Absolutionem, & Benedictionem generalem hujusmodi pro memorato die Festo Sanctæ Catharinæ virginis, & martyris Ordini præfato concessam, ut præfertur, in feriam quintam in Cœna Domini Apostolica auctoritate tenore præsentium, servatâ tamen in reliquis præinsertâ litterarum formâ, & dispositione, perpetuò transferimus, & transportamus.

Derogatio

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transsumptorum fides.

§. 4. Volumus autem, ut ipsarum præsentium litterarum transsumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & Sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsùs fides in Judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent edhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 28. Januarii 1695. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

Dat. 28. Jan. 1694. P. A. 5.

J. F. Card. Albanus.

LVII.

Confirmatio Capituli Generalis celebrati in Provincia Aragoniæ à Fratribus non excommunicatis propter recusationem Visitationis ejusdem Provinciæ Ordinis Fratrum Discalceatorum S. Augustini.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Mandatum Innocentii XI. ad Palutium Ordinis in rubr. memorati Protectorem.

§. 1. EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Fratres Definitorii Generalis Congregationis Hispaniæ Fratrum Discalceatorum Ordinis Eremitarum S. Augustini, quòd cum aliàs Venerabili Fratri Nostro Palutio Episcopo Prænestino S. R. E. Cardinali de Alteriis nuncupato, dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protector, à fel. rec. Innocentio Papæ XI. Prædecessore Nostro mandatum fuisset, ut aliquem deputaret, qui dictam Congregationem, quò multi abusus, & corruptelæ in eam ab illius Superioribus contrà observantiam regularem invecti, & ab ejus subditis recepti abolerentur, visitaret.

Novus à Palutio pro eadem Provincia Visitator deputatus.

§. 2. Verùm à tribus, uno videlicet post alium in Visitatores deputatis, visitatio prædicta ob validum dictorum Superiorum, qui magis, quam subditi Visitationi hujusmodi semper restiterant, obstaculum fieri nequivisset, ideòque re postmodum Nobis relata, quoque eidem Palutio Episcopo Cardinali, & Protectori oretenùs mandavissemus, ut alium Visitatorem deputaret, etiam cum titulo Provicarii Generalis, qui plenam Vicarii Generalis auctoritatem, quoad usque visitatio hujusmodi perficeretur, haberet, ipse Palutius Episcopus Cardinalis, & Protector deputavit in Visitatorem hujusmodi Dilectum filium Simonem à S. Augustino fratrem expresè professum ejusdem Congregationis, qui uti talis ab ipsa tota Congregatione, ac præcipuè à Definitorio Provinciali Provinciæ Aragoniæ ejusdem Congregationis receptus, & recognitus fuit.

Et in pos-

§. 3. Porrò cum subindè dictus Palutius Episcopus Cardinalis, & Protector, eò quia visitatio dictæ Provinciæ Aragoniæ à Visitatore Antecessore facta non omni ex parte perfecta fuerat, mandasset, ut Provincia hujusmodi denuò à dicto Simone novo Visitatore, & Provicario Generale visitaretur, Fratres ejusdem Provinciæ, tametsi illum antea in Superiorem, sicut præmittitur recepissent, & recognovissent, nihilominus huic secundæ visitationi ab eo, ut præfertur, faciendæ restiterunt, qua propter dictus Simon Visitator, & Provicarius Generalis Venerabilem Fratrem Federicum Archiepiscopum Mediolanensem Nostrum, dictæ Sedis in Regnis Hispaniarum Nuncium adiit, qui illius juribus auditis, & perpensis, manutentionem in possessione sui Officii Visitatoris, & Provicarii Generalis ei concessit.

sessione Officii sui Visitatorii ab Apostolico Nuncio confirmatus.

§. 4. Ac cùm ne id quidem sufficeret, ac contra dictorum pertinacia adhuc perduraret, idem Simon Visitator, & Provicarius Generalis coactus fuit declarare excommunicatos sex Religiosos ejusmodi Rebellionis principes, nempè Provincialem, quatuor Definitores, ac Novitiorum Magistrum, qui non ideò tamen se contra opponere destiterunt, sed ad Justitiam secularem Regni Aragoniæ confugerunt.

Sex Religiosorum excommunicatio, eorumque ad justitiã secularem recursus.

§. 5. Post hæc verò cum tempus celebrandi Capitulum Provinciale ipsius Provinciæ Aragoniæ advenisset, dictusque Simon Visitator, & Provicarius Generalis accepisset, supradictos sex Fratres sic excommunicatos, & quemdam alium Fratrem à memorato Federico Archiepiscopo, & Nuncio priùs similiter excommunicatum cogere intendere Capitulum hujusmodi pro electione novi Provincialis, eis viâ Juris, ne ad Capituli celebrationem, & Provincialis electionem hujusmodi ullatenus devenirent, eo quia nimirum excommunicati essent, ac proindè voce activa, & passiva carerent, inhibuit protestatione adjecta super nullitate Capituli hujusmodi, & omnium, quæ in eo fieri contigisset. Quod cum Fratribus sanis, ac minimè excommunicatis dictæ Provinciæ innotuisset, ipsi Capitulo hujusmodi absceserunt, aliudque Capitulum Fratrum capacium, sanorum, & habilium convocarunt, Et sic in Provincialem, hi quidem sani dilectum pariter Filium Josephum à Jesu Maria ejusdem Congregationis Professorem legitimè; alii verò excommunicati, censuris, & protestatione prædictis penitùs contemptis, Josephum Antonium à Spiritu Sancto dictæ Congregationis similiter Professorem tunc excommunicatum respectivè elegerunt.

Duo Provinciales à Fratribus sanis pariter ac Excommunicatis in Capitulis utrinque celebratis electi.

§. 6. Cæterùm eodem tempore dicti Fratres excommunicati, & nonnulli alii illis adhærentes quasdam Nostras in simili forma Brevis litteras, quibus memoratum Simonem, qui dictæ Congregationis jam Visitator auctoritate Apostolica Deputatus, & Provicarius Generalis fuerat, Vicarium Generalem ejusdem Congregationis, quò reformatio ab eo in ipsam Congregationem introducta stabiliretur, & firmaretur, ac corruptela, & abusus penitùs tollerentur, constitueramus, & deputaveramus, subreptionis, seu obreptionis vitio laborare prætendentes, litem desuper coram Congregatione Vener. Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum intentarunt.

Lis de subreptionis vitio litterarum quarundam S. S. in forma Brevis coram S. R. E. Cardinalibus Congregatione agitata.

§. 7. Verùm die 11. Aprilis anni proximè præteriti ab eadem Congregatione Cardinalium, utraque parte informante, emanavit rescriptum; non constare de subreptione, sed Breve esse servandumcùmque nihilominus Pars quæ succubuit, acquiescere nollet, ac instantiam renovasset ab ipsa Cardinalium Congregatione die 23. ejusdem mensis Aprilis rescriptum fuit his verbis: Satis provisum per Sacram Congregationem sub die 11. currentis.

Congregationis præfatæ rescripta.

§. 8. Postmodum verò Capitulo Generali dictæ Congregationis Fratrum Discalceatorum celebrato, litteræ Nostræ supradictæ, quibus dictum

Excommunicatorum Capitulum nullum declaratum.

ctum Simonem Vicarium Generalem Congregationis hujusmodi, sicut præmittitur, constitueramus, in eo lecta, ac unanimi consensu, ut parerat recepta fuerunt, dubioque ibidem proposito quodnam ex dictis duobus Capitulis Provincialibus memoratæ Provinciæ Aragoniæ validum & confirmandum esset, declaratum fuit Capitulum ab excommunicatis celebratum nullum, & invalidum fuisse, è contra verò Capitulum ab aliis celebratum validum, & legitimum, illudque proindè non modo ab eodem Capitulo Generali, sed etiam à supradicto Federico Archiepiscopo, & Nuncio confirmatum fuit, injunctumque toti Provinciæ præfatæ sub pœna excommunicationis per contrafacientes incurrenda, ut Provincialem à non excommunicatis electum reciperent, & recognoscerent, eique, nequaquam vero alteri à cæteris electo obedirent.

Confirmat ut in rubr.

§. 9. Cùm autem, sicut eadem expositio subjungebat, Fratres excommunicati, aliique eis adhærentes prædicti in sua Rebellione, & pertinacia cum suo Provinciali adhuc perseverent, adeò ut duo Provinciales in dicta Provincia Aragonæ habeantur, ac exindè graves in ea perturbationes, & inquietudines cum magna non solùm eorum, qui in ipsa Congregatione Fratrum Discalceatorum, sed etiam aliorum, qui extrà eam sunt, offensione exortæ sint. Nobis propterea dicti exponentes, ut dissensionibus, quibus dicta Provincia Aragoniæ agitatur, finis imponatur, humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportunè providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur eorumdem exponentium votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à Jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclini, de memoratorum Cardinalium, qui Patribus informantibus supradictum Capitulum Generale confirmandum & pro illius sanatione ad cautelam Nobis supplicandum esse censuerunt, consilio, Capitulum Generale prædictum auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, eique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac illud quatenus opus sit, ad cautelam sanamus, & convalidamus, ac omnes & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibat intervenerint supplemus, salva tamen semper in præmissis auctoritate dictæ Congregationis Cardinalium.

Decretum roborans & irritans.

§. 10. Decernentes easdem præsentes litteras firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & spectabit in futurum, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariis.

§. 11. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, Ordinis & Congregationis Fratrum Discalceatorum, & Provinciæ præfatarum, aliisve, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & Consuetudinibus, Privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis, in contrarium paæmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad premissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæteris quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 10. Aprilis 1695. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

D. X. Apr. 1695. P. A. 4.

J. F. Card. ALBANUS.

Loco † Sigilli.

LVIII.

Erectio nonnullorum Conventuum Provinciarum Lombardiæ, & Romanæ Ordinis Fratrum Prædicatorum in duas novas Congregationes, sub Sanctæ Sabinæ utriusque Lombardiæ, ac Sancti Marci Romanæ respectivè Provinciarum hujusmodi titulis nuncupandas.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium à vigilantia providendi statui prosperoReligiosorum.

AD Pastoralis dignitatis fastigium, nullo licèt meritorum nostrorum suffragio, per ineffabilem Divinæ sapientiæ, atque bonitatis abundantiam evecti, in id præcipuè peculiari studio, summaque animi contentione incumbimus, ut prospero, felicique Christifidelium in sortem Domini assumptorum, & Divinis obsequiis sub suavi Religionis jugo manciparorum statui, regimini, & progressui, quantum Nobis ex Alto conceditur, providere jugiter satagamus.

Ad hunc effectum quandoque instituantur Congregationes.

§. 1. Ac proindè novas ejusmodi Religiosorum Virorum Congregationes pro data Nobis cœlitùs potestate interdùm instituimus, sicut personarum, locorum, rerum, & temporum qualitatibus maturæ considerationis trutina perpensis, ad Omnipotentis Dei gloriam, ad Religionis incrementum, Spiritualemque Christifidelium ædificationem, & Animarum salutem in Domino expedire arbitramur.

Ideò in Provinciis Lombardiæ, & Romanæ instituit duas Congregationes.

§. 2. Regularem itaque disciplinam in Provinciis Lombardiæ, & Romanæ Ordinis Fratrum Prædicatorum custodire, ac promovere, eamque quò ad perfectæ maturitatis frugem, adspirante superni favoris auxilio, provecta, Ecclesiam Domini uberioribus in dies bonorum operum fructibus lætificet, Apostolicæ benignitatis favoribus excolere, ac felici infrascriptorum Conventuum earumdem Provinciarum, Fratrumque in eis degentium statui, & gubernio, ac incremento salubriter consulere cupientes, necnon eorumdem Fratrum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium tantum consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, & dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum super Disciplina Regulari specialiter à Nobis deputatorum consilio, ac Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine Conventus Sanctæ Sabinæ de Urbe, Sancti Dominici Ravennaten., Sancti Dominici Ferrarien., Sancti Dominici Civitatis Sancti Severini, Sanctæ Crucis & Omnium Sanctorum Oppidi Boschi Dertonen., & Sanctæ Catharinæ Oppidi, seu Loci Tridini Casalen. respectivè Diœcesum primodictæ: Nec non Sancti Marci Florentin., Sancti Dominici Fesulan., & ejusdem Sancti Dominici Civitatis Sancti Miniatis, ac Hospitium Liburni Pisan. Diœcesis, secundo dictæ respectivè Provinciarum, eorumque Fratres, & personas quascunque cum omnibus, & singulis illorum membris, Juribus, & pertinentiis universis ab

Conventus Congregationis Lombardiæ.

Conventus Congregationis Romanæ.

omni,

omni, & quacunque Jurisdictione, Superioritate, Correctione, Visitatione, Regimine, Cura, & Gubernio dilectorum filiorum modernorum, & pro tempore existentium Priorum, Provincialium earumdem Provinciarum tàm in Spiritualibus, quàm in temporalibus tenore præsentium perpetuò eximimus, & plenariè liberamus.

Congregationes hujusmodi sint sub immediata Jurisdictione Magistri Generalis.

§. 3. Ipsosque Conventus in duas novas, primam nimirum sub Sanctæ Sabinæ utriusque Lombardiæ, secundam verò sub Sancti Marci Romanæ respectivè Provinciarum ejusdem Ordinis titulis nuncupandas Congregationes, quæ dilecto filio moderno, & pro tempore existenti Magistro Generali, sivè ejus loco in eadem Romana Curia pro tempore residenti Vicario Generali Ordinis hujusmodi immediatè subjacere debeant, itaut in illas nulli alii ipsius Ordinis Superiores, præterquàm earum Vicarii, cæterique earumdem Congregationum Prælati juxtà morem deputari soliti potestatem aliquam valeant exercere, Motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine, ac tenore præfatis pariter perpetuò erigimus, & instituimus.

Vita Communis servanda in his Congregationibus.

§. 4. Cæterùm in omnibus Conventibus de præsenti spectantibus, & qui deinceps spectabunt ad dictas Congregationes sic à Nobis erectas, & institutas Fratres omnes ad Regulæ, quam professi fuerunt, præscriptum exacte vitam instituere, & componere, atque illa, quæ Communem Victum, Victum, & Vestitum concernunt, juxtà Concilii Tridentini, ac felicis recordationis Clementis Papæ Octavi Prædecessoris Nostri decretorum tenorem fideliter, ac inviolabiliter observare debeant, & omninò teneantur.

De qualitatibus Vicarii Gener. uniusc. cujusque Congregationis.

§. 5. Utrique verò Congregationi de idoneo Vicario Generali ex Fratribus alicujus ex Conventibus ejus Congregationis, cui is præficiendus erit, qui illam, adjuvante Domino, salubriter dirigere valeat, quique in Conventibus hujusmodi saltem per septennium exactæ Regularis Observantiæ specimen dederit, & quantùm fieri potest alicui ex illis laudabiliter præfuerit, à Magistro Generali præfato de Biennio in Biennium provideatur.

Vicariatu vacante ante complementú temporis, quomodo providendum.

§. 6. Quòd si Vicarium sic institutum ante completum sui Vicariatus tempus ab humanis decedere contigerit, is, qui Vicarii Officio novissimè functus fuerit, quatenùs adsit, sin minus, Prior antiquioris Conventus ejus Congregationis, quæ suo Vicario, sicut præmittitur, destituta remanserit, in omnibus, & per omnia deficientis Vicarii Vices gerat, donec alter Vicarius à Magistro Generali supradicto fuerit institutus; teneaturque hic Pro-Vicarius statim de secuta hujusmodi Officii vacatione eumdem Magistrum Generalem admonere, & ab eo novum Vicarium exposcere.

De authoritate Vic. Generalis.

§. 7. Porrò Vicarius pro tempore existens eamdem prorsùs Jurisdictionem, & authoritatem habeat in Conventus, & Fratres suæ Congregationis, quam juxtà Apostolicas, & dicti Ordinis Constitutiones Priores Provinciales habent in suis Provinciis. Possit quoque idem Vicarius quoscumque Fratres Ordinis supradicti undecumque venientes suscipere, & eisdem de Conventibus præfatæ suæ Congregationis per deputationem, vel assignationem providere.

Advenientes Religiosi quomodo, & quando incorporandi.

§. 8. Quod tamen criminosis, juxtà dicti Clementis Prædecessoris decreta nullatenùs prodesse poterit, non autem intelligantur iidem Fratres Congregationi hujusmodi incorporati, nec in Priores, aut Magistros Novitiorum institui valeant, nisi post quadriennium, eoque durante, si ad suos Conventus, vel Provincias redire voluerint, licentia eis abeundi liberè concedatur.

Existentibus de Congregatione, & incorporatis difficilè concedendus transitus ad alios Conventus extrà Congregationem.

§. 9. Præterea nulli ex Fratribus dictarum Congregationum, sivè intrà eas habitum susceperit, sivè aliundè per quadriennium, ut præfertur, incorporatus fuerit, permittatur transire ad Conventus extrà suam Congregationem, nisi de licentia Vicarii, unà cum Consilio sex graviorum Patrum ejusdem Congregationis, quæ tamen licentia non facilè detur, sed omnimoda diligentia, & charitatis officia adhibeantur, ut abire volentes in suscepto vitæ instituto confirmentur; quod si adhuc in discedendi voluntate permanserint, tandem dimittantur, ne aliis impedimento sint.

Decreta roborantia.

§. 10. Decernentes easdem præsentes Litteras, & in eis contenta quæcunque, etiam ex eo quod quicunque in præmissis interesse habentes, seù habere quomodòlibet prætendentes, cujuscunque status, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis existant, aliive quilibet, etiam specifica, & individua mentione, & expressione digni illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque Causæ, propter quas ipsæ præsentes emanarint, sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ fuerint, aut ex alia quacunque, quantumvis legitima, juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in Corpore Juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, ac nullitatis vitio, seù intentionis Nostræ, aut interesse habentium consensûs, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & substantiali, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, ad viam, seù terminos Juris, vel Constitutionum dicti Ordinis reduci, aut adversùs illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcunque Juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seù etiam Motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in judicio, vel extrà illud uti, seù se juvare ullo modo posse, sed easdem præsentes Literas semper, & perpetuò firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocunque spectabit in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter, & inconcusse observari, & adimpleri, Sicque; & non aliter in præmissis per quoscunque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & alios quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros; sublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & Auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquam quavis Auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogationes.

§. 11. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinis, & Provinciarum, ac Conventuum hujusmodi, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, ac Constitutionibus, Privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis eisdem Ordini, & Provinciis, ac Conventibus, illorumque respectivè Magistro Generali, & Provincialibus, aliisque Superioribus, Fratribus, & Personis quibuslibet, sub quibuscunque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, seù aliàs quomodòlibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, ac etiam pluries approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seù quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, formas, causas, & occasiones Præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis, servatis,

tis, & specificatis respectivè habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Fides transsumptorum.

§. 12. Volumus autem, ut earumdem præsentium Litterarum transsumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsùs fides habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 14. Junii Pontificatus Nostri Anno Quarto.

Dat. 14. Jun. 1695. P. A. 4.

J. F. Card. Albanus.

LIX.

Declaratio quarundam Literarum Innocentii XI. circà observantiam Vitæ Communis, aliorumque præceptorum Regulæ pro Fratribus Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia emanatarum.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Tenor Brevis Innocentii XI.

§. 1. ALiàs à fel. rec. Innocentio Papa XI. Prædecessore Nostro emanarunt pro Ordine Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum Litteræ in simili forma Brevis tenoris, qui sequitur, videlicet. Innocentius Papa XI. Ad perpetuam rei memoriam. Sollicitudo Pastoralis Officii, quo Catholicæ Ecclesiæ per universum Orbem diffusæ regimini Divina dispositione præsidemus, Nos urget, atque impellit, ut Religiosorum Virorum Ordines ad Omnipotentis Dei gloriam, & animarum salutem sapienti pietate ab hac Sancta Sede institutos, magnisque in Ecclesiam Dei meritis fulgentes, in sanctis, ac primævis eorum Institutis confovere, & conservare, ac à noxiis, quæ primigeniæ religiositatis spiritum, atque vigorem extinguere, & relaxare possent, tueri, & præmunire, felicibusque illorum in via mandatorum Domini progressibus consulere, quantùm Nobis ex alto conceditur, studeamus. Cùm itaque (sicut accepimus) in pluribus Capitulis Generalibus Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum, & novissimè in Vallisoletano, quod anno 1670. celebratum fuit, unanimi omnium Fratrum Vocalium consensu, declaratum, & protestatum fuerit, in nullo Regulæ eorundem Fratrum Minorum præcepto eatenùs cum Fratribus Minoribus de Corpore Observantiæ, sivè Observantes, sivè Reformati, sivè Discalceati, sivè Recollecti dicantur, dispensatum fuisse, nec ipsum Observantiæ corpus ullam unquam admisisse, vel admittere dispensationem in Regula, sed potiùs velle pro viribus Divino favente auxilio, illam purè observare, juxtà Summorum Pontificum declarationes, à Fratribus Observantibus, seu de Observantia in suis Statutis Generalibus recopilatis pro Cismontanis anno 1663. & pro Ultramontanis Anno 1621. ac à Reformatis, Discalceatis, & Recollectis in suis particularibus Constitutibus respectivè admissas, & receptas: Nos pro majori hujus protestationis firmitate, & ut in Ordine præfato Status, & Regula Fratrum Minorum purè observetur, singulisque Fratribus prætextus eam transgrediendi præcludatur, eamdem protestationem, & declarationem suprà expressam harum serie auctoritate Apostolica approbantes, & confirmantes, Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine tenore præsentium declaramus, omnes, & singulos Fratres de Corpore Observantiæ dicti Ordinis teneri in conscientia observare Regulam Fratrum Minorum S. Francisci, & præcepta ejus à fel. rec. Nicolao III. & Clemente V. Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris exposita, & numerata ad normam Constitutionum prædictarum respectivè, & signanter, præter præcepta, quæ non ita frequenter occurrunt, & recitationem Divini Officii, teneri ad jejunia præcepta in Regula, nisi excuset necessitas; ad incedendum sine calceamentis, hoc est absque aliquo quòd pedem cooperiat, cujuscumque illud materiæ sit, nisi adsit vera necessitas à Prælato approbanda; ad non equitandum, nisi infirmitas, vel necessitas judicio Superiorum probata excuset; ad vilitatem vestium juxta prædictas Constitutiones respectivè; ad non utendum pluribus vestimentis, quàm illis, quæ Regula præscribit, nempè unâ tunicâ cum capitio, & aliâ sine capitio, chordâ, & femoralibus: nam aliud quodvis vestimenti genus ultra prædicta (excepto mantello ab initio Religionis licito) ut indusia, seu camisiæ, sudariola, tunicellæ, & similia sunt contra Regulam, nisi adsit vera necessitas excusans à præcepto per Prælatum approbata: Ac demùm teneri ad capitale præceptum Religionis Fratrum Minorum de non recipiendis denariis per se, vel per interpositam personam. Aliarum enim rerum necessariarum possunt Fratres Minores de Corpore Observantiæ hujusmodi habere usum, licèt non dominium; denariorum autem, nec dominium, nec usum, & proindè quævis contrectatio pecuniæ, seu denariorum, quæ non sit purè naturalis, seu quæ sit quovis modo politica, cujuscumque domini sint denarii, seu pecunia, Fratribus Minoribus Observantibus, seu de Observantia est omninò prohibita. Ac propterea omnes, & singulas dispensationes, concessiones, & consuetudines, si quæ contra præmissa in Corpore Observantiæ Ordinis prædicti reperiantur, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus earundem tenore præsentium revocamus, cassamus, irritamus, & annullamus, viribusque, & effectu penitus, & omninò vacuamus, ac revocatas, cassatas, irritas, & nullas, viribusque, & effectu penitus, & omninò vacuas esse & perpetuò fore decernimus, & declaramus. Declarantes tamen pariter, quòd per præmissa non prohibentur in dicto Ordine Syndici Apostolici, cùm eorum usus non sit dispensatio in Regula, sed modus à Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris provisus pro puriori illius observatione, sivè ejusmodi Syndici assumantur ad præscriptum Constitutionum Nicolai III. & Clementis V. Prædecessorum præfatorum, sivè secundùm dispositionem Constitutionum rec. mem. Martini IV. & Martini V. ac Pauli IV. Prædecessorum pariter Nostrorum, prout illorum usus in singulis Familiis, Congregationibus, Reformationibus, aut Provinciis Ordinis prædicti respectivè fuerit receptus. Ut autem in ingressu Religionis unusquisque de obligationibus, quas assumere vult, plenè informetur, statuimus, ut nullus recipiatur ad habitum regularem in eodem Ordine, nisi prius plenè informatus sit de prædictis præceptis Regulæ obligantibus in conscientia, & præviâ hac notitiâ, velit probationem subire: nec quisquam admittatur ad professionem regularem, nisi priùs examinatus sit de intellectu Regulæ, & præceptorum ejus, juxtà prædicta, & deinde immediatè ante illam coram tota Communitate fiat ei protestatio, quòd ad observantiam Regulæ cum omnibus ejus præceptis, tunc enumerandis, & exprimendis, obligetur in professione, eamque protestationem admittat, & sub ea professionem faciat. Quia verò efficacius prædicta observandi medium est exemplum Prælatorum, sivè Superiorum, ideò statuimus pariter, neminem eligi posse in Prælatum, sivè Superiorem in Ordine prædicto, qui vitam communem Observantiæ non sequatur, hoc est, qui frequenter equitet, seu infirmitatem, quâ ab obligatione pedibus incedendi excusetur, habeat; qui indusiis, seu camisiis, aut lineis utatur apud se, vel in lecto, qui calceatus incedat, qui jejunia Ecclesiæ, & Regulæ non observet, qui aliquando usus sit contrectare pecunias

Exordium à Pastorali sollicitudine in conservandis Ordinibus Regularibus in spiritu primitivo.

Protestatio Capitulorum Generalium de non admissa, neque admittenda dispensatione in præceptis Regulæ.

Approbatio hujus protestationis, & obligatio in conscientia. Et specificantur præcepta Regulæ

Dispensationes contrariæ cassantur.

Declaratio usus liciti Syndicorum Apost.

Recipiendi informentur de præceptis & in professione fiat protestatio.

Quando inobservantia præceptorum inducat ineligibilitatem ad Prælaturas Ordinis.

cunias, nisi jam per triennium saltem emendatus sit, qui notabiliter defectuosus sit in assistendo Communitatibus Chori, Refectorii, & aliis, prout sibi in Constitutionibus præscribitur. Porrò electio illius, qui in omnibus præmissis vitam communem non sequatur, irritanda sit à Prælato, sivè Superiore Generali, capta informatione extrajudiciali pro sua conscientia, sine strepitu judicii, cum consilio tamen, & assensu trium Fratrum, qui Ministri Provinciales, vel saltem Definitores Provinciæ sint, vel fuerint: Ipsorum autem conscientias, ne aut ille expellatur qui vitam communem sequatur, aut ille confirmetur, qui eam non observet, oneramus. Demùm, ut omnis occasio transgrediendi præceptum de non contrectandis denariis, seu pecuniis auferatur, omnibus, & singulis dicti Ordinis Prælatis, sivè Superioribus in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub pœna privationis suorum officiorum injungimus, ut nulli Religioso ejusdem Ordinis permittant administrationem fundorum, redituum, aut quarumcumque aliarum rerum, & bonorum mobilium, vel immobilium, cujuscumque domini illa sint; & signanter ut nulli Religiosorum Ordinis hujusmodi permittatur administratio bonorum temporalium alicujus Monasterii Monialium sub quovis prætextu, aut nomine, nempè Administratoris, Syndici, Factoris, Coloni, Superintendentis, Villici, aut alio quovis imaginabili. Decernentes easdem præsentes Litteras, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quòd Superiores, & Fratres Ordinis præfati, aliique quilibet, cujuscumque status, gradus, ordinis, præeminentiæ, vel Dignitatis existant, seu aliàs specifica, & individua mentione, & expressione digni in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, seu ad ea vocati, citati, & auditi, causæque propter quas ipsæ præsentes emanarint, sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ non fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis juridica, legitima, & privilegiata causa, colore, prætextu, vel capite, etiam in Corpore Juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensûs, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & substantiali, ac incogitato, & inexcogitabili, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, modificari, redargui, in controversiam vocari, aut ad terminos Juris, seu Statutorum, & Constitutionum dicti Ordinis reduci, seu adversùs illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel, emanato, quempiam in Judicio, vel extrà illud uti, seu se juvare ullo modo posse, sed easdem præsentes Literas semper firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia inviolabiliter, & inconcusse observari, & adimpleri; sicque, & non aliter in præmissis censeri, atque ita per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros; Sublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, judicari, & definiri debere; Ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit, Nostrâ, & Cancellariæ Apostolicæ regulâ de Jure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis Generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, nec non dicti Ordinis, ejusque Congregationum, Reformationum, Provinciarum, & Conventuum quorumcumque, aliisve quibuslibet, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, usibus, stylis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis eidem Ordini, ejusque Superioribus, fratribus, & personis quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis irritantibusque, & aliis Decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, ac Consistorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, ac quantibuscumque vicibus confirmatis, & approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes; illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, & expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transsumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsùs fides ubique locorum tàm in Judicio, quàm extrà illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 20. Novembris 1679. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

§. 2. Cùm autem, sicut dilectus filius Bonaventura Poerius Minister Generalis dicti Ordinis Nobis nuper exponi fecit, nonnulli Visitatores ex utraque Familia ejusdem Ordinis, tam de Observantia quàm Reformati, dubium ei proposuerint: An eorum Religiosorum, qui vitam communem in victu, vestitu, Chori frequentia, iter pedibus agendo, aliisque similibus à Regula præscriptis rigoribus non observant, idque ex infirmitatis, sivè alterius impotentiæ causa, quæ eos, juxtà Textum Regulæ, & Constitutionum dicti Ordinis, excusat, adeoque à transgressionis culpa eximit, electio in Prælatos, sive Superiores in eodem Ordine valida sit: Eaque, si aliàs canonicè facta reperiatur, & illi officiorum, ad quæ fuerint electi, cæteroqui sint capaces, ab ipsis Visitatoribus confirmari posit, & debeat.

§. 3. Ipse verò Bonaventura Minister Generalis, tametsi existimet Religiosos, qui propter infirmitatem, aut aliam quamvis necessitatem vitam communem, aliaque in præinsertis Innocentii Prædecessoris Literis præscripta exactè observare nequeunt, ab officiis, & gradibus Superioritatis excludi debere, seque, ac pro tempore existentem Ministrum Generalem Ordinis supradicti, eos etiam aliàs canonicè electos, juxtà earumdem litterarum formam, excludere posse, illos autem, qui culpabiliter dictam vitam communem non observant, & ex malitia delinquunt, non solùm ab officiis, & gradibus hujusmodi excludi. sed etiam pœnis contra transgressores statutis puniri debere; Nihilominus, dubium præfatum declarari, ac aliàs desuper opportunè à Nobis provideri plurimum desideret.

§. 4. Nos ejusdem Bonaventuræ Ministri Generalis votis hac in re favorabiliter annuere volentes, eumque à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censu-

Administratio prohibetur cujuscunque sint bona.

Decreta roborantia.

Clausula sublata cum decreto irritanti.

Derogationes.

Fides transsumptorum.

Data Brevis Innoc. XI. 20. Nov. 1679.

Dubium super eligibilitate, vel in eligibilitate illorum, qui non servant rigores absque culpa.

Opinio P. Generalis.

censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ipsius Bonaventuræ Ministri Generalis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, & dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum super disciplina Regulari specialiter à Nobis deputatorum, qui rem maturè discusserunt, consilio, Religiosos omnes præfati Ordinis, qui vitam communem Observantiæ in præinsertis Innocentii Prædecessoris Literis præscriptam verè, & cum effectu sequi non solent, etiamsi id ex infirmitate, seu alia quavis necessitate, & absque ipsorum culpa accidat, in Prælatos, seu Superiores ejusdem Ordinis eligi non posse, eorumque electionem, si quando fiat, tametsi aliàs canonica foret, à Prælato, sive Superiore Generali dicti Ordinis, servatâ quoad hoc earum literarum formâ, irritandam esse.

Inobservantes absque culpa declarantur ineligibiles, & electiones irritandæ.

§. 5. Illos verò, qui in prædictis Observantiæ communibus exercitiis, seu in eorum aliquo culpabiliter deficere consueverunt, non modò ut supra ineligibiles esse, sed insuper pœnis Constitutionum ipsius Ordinis subjacere, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, declaramus, ac etiam statuimus, & ordinamus.

Inobservantes ex culpa puniendi.

§. 6. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices, Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquam quavis autoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Decreta roborantia.

§. 7. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus, Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ in præinsertis Innocentii Prædecessoris Literis concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Derogationes.

§. 8. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transsumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsùs fides ubique locorum tàm in Judicio quàm extrà illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 2. Julii 1695. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

Fides transsumptorum.

Dat. 2. Julii 1695. P. A. 4.

J. F. Card. Albanus.

LX.

Constitutio super electione Signaturæ Justitiæ Votantium, & indulto eisdem concesso Rochettum in Romana Curia, & Cappam magnam in ejusdem Signaturæ Collegiali congressu deferendi.

INNOCENTIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei; Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium à Justitiæ administratione exornanda

INter gravissimas, & multiplices curas, quibus ex debito pastoralis officii humilitati nostræ divinitùs creditis incessanter urgemur, in illam peculiaribus studiis intendimus, per quam administratio Justitiæ nedum ab absurdis, quæ irrepserant, vindicetur, sed in meliorem formam redacta, exactiori ordini restituta, ac Judicibus majori tùm virtutis, tum honoris prærogativâ decoratis commissa, in dies magis magisque refulgeat.

§. 1. Hujus considerationis intuitu, cum aliàs particularem Congregationem nonnullorum dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum super abusuum, præsertim judicialium reformatione deputaverimus, quamplura ab eadem Congregatione desuper edita, & impressa Decreta oretenus approbavimus, nec non de ejusdem Congregationis consilio Nostris Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo nonagesimo secundo quintodecimo Kal. Octobris sub plumbo expeditis Literis, particularia Almæ Urbis Nostræ Tribunalia ex privilegio constituta suppressimus, & abrogavimus, eademque privilegia, & Tribunalia ad Jus commune, & Judices Ordinarios memoratæ Curiæ reduximus. Et ulterius, ut Officia Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generalis Auditoris, nec non ejusdem Cameræ Thesaurarii Generalis, duodecim Clericorum, & Præsidentis, quæ prius mediante pretio ad vitam concedi consueverant, in posterùm ad Nostrum, & Romani Pontificis pro tempore existentis, & Sedis Apostolicæ beneplacitum Viris vitæ, & morum integritate præstantibus, Literarum scientiâ præditis, rerumque humanarum experientiâ insignibus, ad majorem Dei gloriam, ejusdem Romanæ Curiæ, & Prælaturæ decorem, nec non virtutis incitamentum, & præmium gratis, & nullo recepto pretio concederentur, per alias similes Nostras eodem anno decimo Kal. Novembris expeditas Literas, præfatorum Officiorum venalitatem suppressimus, extinximus, removimus, & abolevimus.

Narrat à Sanctitate Sua ordinata intuitu d. administrationum.

§. 2. Et insuper ex tunc etiam ad Nostrum Signaturæ Referendariorum Collegium, quod aliàs fel. rec. Alexander PP. VII. Prædecessor Noster in suis similibus Litteris sub Dat. videlicet Anno ejusdem Incarnationis millesimo sexcentesimo quinquagesimo nono Idibus Junii inter cætera erexit, & instituit, ac ex duodecim Signaturæ Justitiæ Votantibus sub eorum Capite, & Moderatore ejusdem Signaturæ Justitiæ pro tempore existente Præfecto, repræsentari voluit, mentis Nostræ aciem convertentes, & ut ad præfatum Collegium Viri similiter dignissimi, quoad fieri posset, semper admitterentur, cupientes, consideravimus, quòd licèt idem Alexander Prædecessor in præfatis suis Literis hujusmodi Votantes de corpore, & numero dictorum Referendariorum eligendos esse statuisset: nulla facta mentione, an eligendi essent priores, seu antiquiores Referendarii, diuturnus tamen usus ante, & post easdem Literas invaluerat, in Votantes præfatos assumendi, seu eligendi dictos Priores, seu antiquiores Referendarios.

Narrat erectionem Collegii votantium Signaturæ Justitiæ factam ab Alexand. VII.

Usus introduxerat assumi in Votantes antiquiores ex Referendariis.

§. 3. Quocirca Nos virtutis præstantiam non in sola muneris prioritate, seu antiquitate consistere, & aliquando posteriores in officio prioribus doctiores, & aptiores existere, perpendentes, & propterea antiquitatis rationem non nisi cæteris paribus habendam esse volentes, Motu proprio, ex certa scientia, & matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine ex tunc memoratum Collegium deinceps fore merè, simpliciter, & dumtaxat electivum, nec in ejusmodi Votantium electione, seu assumptione muneris, vel officii Referendarii prioritatem fore ampliùs attendendam, sed Votantes hujusmodi ad Nostram, & pro tempore existentis Romani Pontificis electionem, & providam deliberationem, habito ad virtutis prærogativam, & meritorum excellentiam respectu, eligendos, & assumendos esse statuimus, decrevimus, & declaravimus; & pro majori hujusmodi statuti, decreti, & declarationis firmitate, ac prompta, & opportuna exequutione antiquum, seu tunc existens Signaturæ Justitiæ Votantium Collegium penitùs, & omninò suppressimus, ac extinximus, novumque partim ex antiquis, & partim ex tunc noviter assumptis Votantibus pietate, doctrina, prudentia, & rerum usu præstantioribus, Collegium hujusmodi,

Sanctitas Sua mandavit in posterum assumendos ad electionem Pontificis.

Suppresso antiquo Collegio erexit novum assumendo in Votantes Referendarios sibi benevisos.

cum

cum omnibus, & singulis, eidem Collegio quomodolibet concessis, seu competentibus juribus, facultatibus, prærogativis, præeminentiis, & privilegiis eximus, & constituimus.

Non confectis tunc super præmissis literis Apostolicis, nunc omnia confirmat, ac mandat perpetuò observari.

§. 4. Cùm autem super præmissis Literæ Apostolicæ adhuc confectæ non fuerint, & memoratam præfati Collegii renovationem, seu reformationem, cujus exactam rationem in vacationibus, & electionibus respectivè interim subsequutis habuimus, administrationi justitiæ valdè proficuam, & decori ejusdem Collegii admodùm consentaneam, trium penè annorum experientiâ edocti fuerimus; Hinc motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus, etiam tenore præsentium præmissa plenissimè, & ampliſſimè approbamus, confirmamus, & innovamus, illisque perpetuæ, & inviolabilis firmitatis robur adjicimus. Et nihilominùs omnia, & singula præmissa iterum, & ex integro, etiam harum serie statuimus, decernimus, & declaramus, ac in omnibus, & per omnia perpetuis futuris temporibus inviolabiliter, & inconcussè observari volumus, & mandamus.

Pro majori Collegii decore concedit votantibus usum Rocchetti ubique, & CappæMagnæ in congressu Signaturæ Justitiæ.

§. 5. Prætereà ad præclarum hujusmodi Signaturæ Justitiæ Votantium Collegium, nec non ad laudabilia probitatis, & virtutum dilectorum Filiorum modernorum Votantium hujusmodi merita paternæ dirigentes considerationis intuitum, ac benignè perpendentes, quantùm decoris ex præfato Collegio Romanæ Curiæ, quantumque utilitatis ex sedulo illorum labore Justitiæ administrationi proveniat, eosque proindè, ac illorum Successores, ut alacriùs fidem, operam, industriam, & sedulitatem in tanti muneris exercitio adhibere studeant, aliqua majoris honorificentiæ accessione decorare, amplioriſque favore gratiæ prosequi volentes, ac ipsorum modernorum Votantium singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine similibus, præfatis modernis, & pro tempore perpetuò existentibus Signaturæ Justitiæ Votantibus, ut de cætero in omnibus, singulis, & quibuscunque Congregationibus, Sessionibus, Processionibus, pompis, consiliis, & functionibus, negotiis, cæterisque actibus publicis, & privatis, etiam coram Nobis, & pro tempore existentibus Romanis Pontificibus Successoribus Nostris Rocchettum in præfata Romana Curia palam deferre, & gestare, illoque induti publicè incedere, & comparere, necnon Cappas Magnas, quibus iidem Votantes in Cappella Nostra utuntur, similiter quando Causarum commissionibus, aliisque resolutionibus in Signaturæ Justitiæ congressu collegialiter assistunt, etiam deferre, & gestare libere, & licitè possint, & valeant, earumdem tenore præsentium perpetuò concedimus, & indulgemus.

Decreta roborantia.

§. 6. Decernentes, easdem præsentes literas, etiam ex eo, quòd antiqui, seu tunc existentes Votantes veteris, seu ut præfertur, tunc suppressi Signaturæ Justitiæ Votantium Collegii, ac alii quicunque etiam speciali nota digni, in præmissis quomodolibet jus, vel interesse habentes, seu habere prætendentes, iisdem præmissis non consenserint, aut vocati, seu auditi non fuerint, aliave quavis de causa, quantumvis legitima, & juridica, de ullo subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel interesse habentium consensus, alioque quocunque defectu notari, impugnari, redargui, retractari, in jus, vel controversiam revocari, ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcunque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari nullatenùs posse, minusque sub similium, vel dissimilium gratiarum moderationibus, limitationibus, revocationibus, & quibuscunque aliis contrariis dispositionibus per quoscunque Romanos Pontifices Successores Nostros, & Sedem prædictam, etiam motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus, ac etiam consistorialiter, & aliàs quomodolibet pro tempore factis, & faciendis comprehendi, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, repositas, & plenariè reintegratas, ac etiam sub posteriori Data quandocunque eligenda de novo concessas, semperque validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere debere, ac dictis Signaturæ Justitiæ Votantibus suffragari, & ab omnibus, & ad quos spectat, & pro tempore quandocunque spectabit, inviolabiliter observari.

Clausula sublata.

§. 7. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, quavis auctoritate, præeminentia, aut potestate fungentes, & functuros, nunc, & pro tempore existentes, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos; Sublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, seu interpretandi facultate judicari, & definiri debere: Irritum quoque, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogationes.

§. 8. Non obstantibus præmissis, & quatenùs opus sit, Nostrâ, & Cancellariæ Apostolicæ Regulâ de jure quæsito non tollendo, & aliis quibuscunque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis Statutis, aliisque quibuscunque, quantumvis antiquissimis, & immemorabilibus Consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis ad favorem utriusque, vel alterius Signaturæ Nostræ Referendariorum, vel Votantium, seu eorum, & quorumcunque Collegiorum, vel Tribunalium, etiam speciali nota dignorum, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, & decretis in genere, vel in specie, etiam Motu proprio, & de potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet per Prædecessores Nostros Romanos Pontifices concessis, innovatis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitùs omisso, & formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur, vel insererentur, iisdem præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, ad effectum præsentium, illis aliàs in suo robore permansuris, harum serie derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Sanctio pœnalis.

§. 9. Nulli ergo omninò hominum liceat paginam hanc nostrarum approbationis, confirmationis, innovationis, statuti, decretorum, declarationis, voluntatis, mandati, absolutionis, concessionum, indulti, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli, Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesi-

Dat. 21. Julii 1695. P. A. 5.

mo nonagesimo quinto, tertio decimo Kal. Augusti Pontificatus Nostri Anno Quinto.

B. Card. Prodatarius.

J. F. Card. Albanus.

Visa de Curia J. Sacripantes.

D. Ciampinus.

Loco † Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

Publicatio

Anno à nativitate D. Nostri Jesu Christi millesimo sexcentesimo nonagesimo quinto, Indictione tertia, die verò vigesima Julii, Pontificatûs autem Sanctissimi in Christo Patris & Domini Nostri, Domini Innocentii Divinâ providentiâ Papæ XII. Anno Quinto, Supradicta Constitutio affixa, & publicata fuit ad Valvas Ecclesiæ S. Joannis Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ, in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis & consuetis Urbis, per me Gregorium Staggium ejusdem Sanctissimi D. N. Papæ Cursorem.

Ita est Joh. Grecus Magister Curs.

LXI.

Indulgentia plenaria perpetua pro Visitantibus in quocunque anni die Ecclesiam Sanctæ Mariæ Angelorum Domus Fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia propè, & extrà muros Civitatis Assisiensis.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Indulgentia Plenaria quocunq; die, ut in Rubrica.

Redemptoris, & Domini Nostri Jesu Christi vices, licèt immeriti, gerentes in terris Cœlestium munerum thesauros, quorum dispensationem humilitati nostræ commisit Deus, fideli prudentique liberalitate libenter erogamus, sicut pia sublimium Principum præclaris in Ecclesiam Dei meritis fulgentium, ac Religiosorum Virorum propriæ, alienæque saluti laudabiliter incumbentium vota postulant, & Nos ad augendam, fovendamque fidelium pietatem profuturum in Domino arbitramur. Itaque Spirituali Christifidelium ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ Angelorum nuncupatam Domus Fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum propè, & extrà muros Civitatis Assisiensis assiduè (ut accepimus) ex universis Christiani Orbis partibus devotionis causâ confluentium consolationi, atque animarum saluti, quantum cum Domino possumus, benignè consulere, necnon dilecti Filii Bonaventuræ Poërii Ministri Generalis dicti Ordinis supplicationibus, etiam totius Ordinis prædicti nomine, Nobis super hoc humiliter porrectis, quibus piæ, atque enixæ plurium Orthodoxorum Principum preces, in idipsum tendentes accessere, favorabilem assensum præbere cupientes, ac de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus Christifidelibus ad Ecclesiam supradictam, sicut præmittitur, confluentibus, qui illam verè pœnitenter, & confessi, ac Sacra Communione refecti, in quocunque anni die devotè visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresium extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transsumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsùs fides ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 18. Augusti 1695. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

Dat. 18. Aug. 1695. P. A. 5.

J. F. Card. Albanus.

LXII.

Indulgentia plenaria perpetua pro Visitantibus in quocunque anni die Ecclesiam Sancti Francisci Domus Fratrum Ordinis Minorum ejusdem Sancti Francisci Conventualium nuncupatorum Civitatis Assisiensis.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Indulgentia Plenaria, ut in Rubrica.

COmmissæ Nobis à Domino Nostro Jesu Christo dispensationis ratio exigit, ut cœlestium munerum thesauros, ad augendam in terris Sanctorum in Cœlis regnantium venerationem, fovendamque, & incitandam erga illos fidelium devotionem, fideli prudentia, quantum Nobis ex alto conceditur, erogare studeamus. Itaque eximia, omnisque humanæ laudis præconium longè supergressa Sancti Francisci Confessoris, qui terrenis omnibus despectis, Cœlestis gratiæ benedictione repletus, innumeris mirabilium virtutum exemplis Sanctam Dei Ecclesiam illustravit, & hominum corda eo, quo ipse ardentissimè flagrabat, charitatis igne succendit, merita, pio, devotoque animi affectu recolentes, necnon spirituali Christifidelium ad Ecclesiam ipsius Sancti Francisci Domus Fratrum Ordinis Minorum ejusdem S. Francisci Conventualium nuncupatam Civitatis Assisiensis in qua Sacrum ejus Corpus requiescit, assiduè (ut accepimus) ex universis Christiani Orbis partibus devotionis causâ confluentium consolationi, atque animarum saluti, quantum cum Domino possumus, benignè consulere cupientes, ac de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus ad Ecclesiam supradictam, sicut præmittitur, confluentibus, qui illam verè pœnitentes, & confessi, ac Sacra Communione refecti, in quocumque anni die devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresium extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transsumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 18. Augusti 1695. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

Dat. 18. Aug. 1695. P. A. 5.

J. F. Card. Albanus.

LXIII.

Constitutio, quâ, ad tollendum abusum illicitarum Capitulationum, quas occurrente vacatione Ecclesiarum, seu Monasteriorum, ab iis, ad quos electio personarum illis præficiendarum spectat, interdum fieri contingit, innovantur

Con-

Constitutiones Nicolai III., Pii V., & Gregorii XIII. in similibus editæ, cum additione pœnarum, ac prohibitione dictarum Capitulationum sub eisdem pœnis.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Proœmiũ. ECclesiæ Catholicæ per universum Orbem diffusæ regimini, meritis licèt imparibus, Divina dispositione præsidentes, ea, quæ à Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, sive ad illicitorum, ac præsertim Ecclesiasticæ libertati adversantium juramentorum abusum tollendum, sive ad quamcumque avaritiæ labem à personis in sortem Domini vocatis, quas non quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi quærere maximè convenit, excludendam, prudenti, salubrique consilio, ac illo, qui secundùm scientiam est, zelo constituta, & ordinata esse noscuntur, Apostolici muniminis nostri patrocinio libenter roboramus, noviſque præsidiis, ut serventur exactiùs, constabilimus, ac aliàs desuper concessæ Nobis à Domino potestatis partes studiosa charitate interponimus, sicuti Ecclesiarum omnium, quam gerimus, solicitudo postulat, Nosque, omnibus maturæ considerationis trutinâ perpensis, ad Omnipotentis Dei gloriam, rectam, ac felicem Ecclesiasticarum rerum directionem, necnon animarum pretioso Unigeniti Dei Filii Domini Nostri Jesu Christi sanguine redemptarum salutem expedire in Domino arbitramur.

Nicolaus III. declarat Juramenta generaliter præstita de observandis statutis vel consuetudinibus restringi ad licita, possibilia, & libertati Ecclesiasticæ non obviantia. §. 1. Dudum siquidem, postquam fel. rec. Nicolaus Papa III. Prædecessor noster, accepto in nonnullis Ecclesiis de earum consuetudine observari, ut cùm earum Prælati ad Ecclesias ipsas primò accederent, vel cùm de recipiendis ibidem novis Canonicis ageretur, nec Prælatos admitti, nec Canonicos aliter recipi in iisdem Ecclesiis, nisi jurassent statuta, & consuetudines ipsarum Ecclesiarum scripta, & non scripta inviolabiliter observare; Inter Laicos quoque multarum Civitatum, Castrorum, & Terrarum eum consuetudinis morbum in suis Potestatibus, Rectoribus, vel Officialibus assumendis irrepsisse, ut ipsi Potestates, Rectores, & Officiales ad ejusmodi Potestarias, Rectorias, & Officia nullatenus admitterentur, nisi priùs se statuta ipsorum locorum clausa servaturos similiter jurassent: In statutis verò, ac consuetudinibus supradictis interdùm aliqua reperiri illicita, sive impossibilia, vel Ecclesiasticæ libertati obviantia; ne sub tali generalitate jurandi sic Jurantibus peccandi occasio præberetur, animarum periculis obsistere cupiens, salubri sua, ac generali Constitutione præceperat, à quibuscumque scientibus contineri in prædictis consuetudinibus, & statutis illicita, impossibilia, vel libertati Ecclesiasticæ obviantia, juramenta hujusmodi nullo modo præstari; Ac præterea decreverat talia juramenta ea intentione facienda, vel facta, ut etiam illicita, vel impossibilia, seu Ecclesiasticæ libertati obviantia observarentur, cum etiam sub tali intentione præstari non possent absque Divinæ Majestatis offensa, in hujusmodi illicitis, impossibilibus, seu libertati Ecclesiasticæ obviantibus non servanda: quin potius pro animarum salute, si sub forma præfata, vel simili aliquos ignorantes prædicta illicita, seu impossibilia, vel libertati Ecclesiasticæ obviantia jurare contigisset, ad observanda dumtaxat licita, possibilia, & libertati Ecclesiasticæ non obviantia Jurantium intentionem referri debere; declarans insuper juramenta sub hujusmodi generalitate qualitercumque, & sub quacumque verborum forma præstita, vel præstanda, ad licita, possibilia, ac Ecclesiasticæ libertati non obviantia dumtaxat extendi, ipsosque Jurantes ad alia per præstationem juramenti hujusmodi non teneri.

Gregor. XIII. prohibuit sive ante, sive post electionem præstari juramenta illicita, impossibilia, damnosa, aut obviantia libertati Ecclesiasticæ, seu Decretis Conc. Trid. §. 2. Rec. mem. Gregorius Papa XIII. etiam Prædecessor noster per quasdam suas desuper sub plumbo expeditas literas, quarum initium: *Inter Apostolicas* &c. prædictam Nicolai Prædecessoris Constitutionem, itidemque alias omnes Canonicas sanctiones de abusu, & reprobatione juramentorum hujusmodi promulgatas innovavit, voluitque eas ubique ab omnibus, etiam quoad præterita, inviolabiliter observari. Præterea præcepit, & interdixit Prælatis, Canonicis, & aliis supradictis, necnon Ecclesiarum Capitulis, & Monasteriorum, cæterisque Conventibus, Civitatum quoque, Castrorum, & Terrarum Communitatibus, & personis quacumque Dignitate præditis, ne ulla omninò juramenta illicita, impossibilia, damnosa, vel libertati Ecclesiasticæ, aut decretis Concilii Tridentini obviantia, sive ante, sive post electiones, confirmationes, provisiones, receptiones, admissiones, aut alios actus ubicumque, ac quocumque tempore, etiam prætextu cujusvis consuetudinis quantumcumque tempore observatæ, quæ potius corruptela esset censenda, sive in genere, sive in specie præstare, reddere, vel exigere, neve super præstitis, redditis, vel exactis eò usque quempiam in judicio, vel extrà illud inquietare auderent quoquomodo, vel turbare.

Pœnæ adversus contravenientes. §. 3. Ac illos, qui juramenta illicita, impossibilia, damnosa, vel Ecclesiasticæ libertati, aut decretis dicti Concilii obviantia exigere contendissent, Episcopos quidem, & alios quoscumque Pontificali Dignitate præditos à divinis suspendit; Capitula verò, Conventus, eorumque Ecclesias, & loca omnia interdicto Ecclesiastico supposuit, ac singulares personas excommunicationis sententiâ innodavit, inhabilesque fecit ad obtenta, & alia obtinenda eo ipso, sibique, & Romano Pontifici pro tempore existenti relaxationem suspensionis, & interdicti, necnon absolutionem ab excommunicationis sententia hujusmodi perpetuò reservavit. Decernens eos, qui talia juramenta scienter præstitissent, usu, & commodo rei, ac gratiæ, cujus causâ juraſſent, eò ipso privatos esse; alios verò ignorantes ad præstitorum juramentorum hujusmodi observationem minimè teneri, & aliàs prout in præfatis Gregorii Prædecessoris literis, quarum tenorem præsentibus pro plenè, & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberiùs continetur.

B. Pii V. Constitutio pro observatione Decreti Concil. Trid. §. 4. Porrò antequàm literæ hujusmodi emanassent, similis mem. Pius Papa V. etiam Prædecessor noster, ejusmodi Concilii Tridentini decretis, quibus, ne quidquam, quod in usus pios non convertatur, in electione, præsentatione, nominatione, institutione, confirmatione, collatione, vel alia provisione, sive admissione ad possessionem alicujus Cathedralis Ecclesiæ, vel beneficii, Canonicatuum, aut Præbendarum, vel partem proventuum, seu ad distributiones quotidianas quoquomodo persolvi possit, strictissimè prohibetur, inhærens, suam hac in re Constitutionem ediderat tenoris, qui sequitur, videlicet: Pius Episcopus Servus Servorum. Ad perpetuam rei memoriam. Durum nimis, & incommodum arbitramur, quòd Ecclesiarum Ministri in iis, quæ ad ipsorum sustentationem suppeditant, dispendia patiantur. Quocircà cum hanc ad rem, simulque prohibendam ab Ecclesia Dei avaritiæ pravitatem, editas ante hac sanctiones minimè satis esse intelligimus, novæ Constitutionis subsidio cogimur providere. Cùm itaque aliàs ex plurium Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum Constitutionibus, aut ex prava consuetudine observari intelligeretur, ut in electione, præsentatione, nominatione, institutione, confirmatione, collatione, vel alia provisione, sive admissione ad possessionem alicujus Cathedralis Ecclesiæ, vel beneficii, Canonicatuum, aut Præbendarum vel partem proventuum, seu ad distributiones quotidianas certæ conditiones, seu deductiones ex fructibus, solutiones, promissiones, compensationesves illicitæ, aut etiam quæ in aliquibus

Tenor dictæ Constitutionis

Dispositio Concilii Trid. cap. 14. sess. 24. de ref.

Ecclesiis dicuntur Turnorum lucra, interponerentur, licèt Sancta Synodus hæc detestata, mandaverit Episcopis, ut quæcumque hujusmodi, quæ in usus pios non converterentur, atque ingressus eos, qui simoniacæ labis aut sordidæ avaritiæ suspicionem haberent, fieri non permitterent, ipsique diligenter de eorum constitutionibus, sive consuetudinibus, super prædictis cognoscerent, & illis tantùm, quas probarent, exceptis, reliquas ut pravas, & scandalosas rejicerent; Eos verò, qui adversus prædicta quavis ratione commisissent, pœnis contra Simoniacos editis teneri decreverit; Multorum tamen indomita cupiditate tàm prædicta, quam alia ad beneficium, & commodum ipsorum Ministrorum edita, aut omninò contemnuntur, aut in varios sensus traducta perperam eluduntur. Quare Nos pro Divini cultus exercitio, simulque evocatorum ad illum, auxilio pleniùs, evidentiúsque consulendum fore rati, revocamus, & abolemus omnia, & quæcumque privilegia, consuetudines, & statuta quarumcumque Ecclesiarum Cathedralium, & Metropolitanarum, ac majorum, necnon Collegiatarum, etiam juramento, Confirmatione Apostolica, aut alio quovis præsidio munita, ac etiam supra hominum memoriam, & longissimo, & quantocunque tempore etiam continuo observata, sive pro solvendis Ecclesiarum, vel Prælatorum debitis, sive pro supportandis illorum oneribus, sive aliis etiam majoribus, maximis, & urgentissimis causis concessa, & approbata, ac etiam multiplicatis vicibus innovata, extensa, & moderata, quod vacantibus ipsarum Ecclesiarum Dignitatibus, Canonicatibus, Præbendis, portionibus, beneficiis, & officiis, fructus, ac etiam quotidianæ distributiones ex eis primo ab ipsa vacatione anno, aut longiore, vel etiam breviore tempore proventuri, mensæ Episcopali, seu Capitulari, aliove loco integrè, vel partim remaneant, seu applicentur, aut in communes usus cedant, seu inter alios Canonicos, & personas Ecclesiæ, seu Capituli dividantur. Quodque nullus etiam Apostolica authoritate provisus in Canonicum recipi, aut ad dignitatem, seu portionem, beneficium, vel officium admitti, vel aliàs in ejus possessionem induci possit, nisi priùs de observandis hujusmodi privilegiis, consuetudinibus, & statutis juramentum præstiterit, & obtentæ illorum derogationis, ac fructuum, & distributionum perceptioni renunciaverit, seu Capitulo, & personis prædictis cesserit, seu (ut appellant,) dulciaria, aut quid aliud præstiterit; quorum omnium tenores, causas, & effectus habemus præsentibus pro expressis, quibuscumque illa concepta sint formulis, nec non irritantibus, & aliis decretis roborata. Volentes ea omnia vires, & effectum de cætero non habere. Præcipimus igitur, & interdicimus omnibus Episcopis, Capitulis, Collegiis, & personis, ad quos id pertinet; ne posthac fructus, aut distributiones hujusmodi, nec prorsus ullam eorum partem retineant, neve ipsorum cessionem, vel renunciationem, aut dulciaria, vel alia quomodocumque petant, vel exigant, aut quemquam sive Ordinaria, sive Apostolica authoritate provisum, ad præstandum hujusmodi juramentum inducant, aut illi prædicta non facienti possessionem impediant, vel remorentur. Quicumque contrafecerit, si Ecclesiarum Antistites, tamdiù à Pontificalis officii exercitio sint suspensi, donec satisfactione prævia illis per Sedem Apostolicam suspensio relaxetur: Capitula verò, & Collegia quæcumque Ecclesiastico subjaceant interdicto, ac singulares personæ in excommunicationis sententiam incurrant, à qua, nisi in mortis articulo constitutæ, ab alio, quàm à Romano Pontifice, absolutionis beneficium nequeant obtinere. Decernentes hujusmodi præstita juramenta non tenere, nec quemquam illis obligari, quinimò jurantes in hujusmodi censuram incidere, necnon irritum, & inane quicquid secùs super his per quoscumque scienter vel ignoranter contigerit attentari. Et nihilominus statuimus, ut ubicumque hujusmodi fructus, & distributiones Fabricæ, vel Sacristiæ, aut alterius pii loci usibus ultrà semestre tempus reperiuntur concessi, horum dumtaxat dimidia pars ipsi Sacristiæ, vel Fabricæ, aut pio loco deinceps tribuatur, alterum verò Beneficiati prædicti integrè percipiant. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter vel divisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, aut excommunicari non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, decreto prædictæ Synodi, ac etiam Constitutione fel. recordat. Joannis Papæ XXII. quæ incipit: Suscepti, & aliis Juribus, hac de re disponentibus, nihilominùs aliàs in suo robore duraturis. Cæterùm per prædicta non intendimus illis præjudicare Capitulis, Collegiis, Mensis, aut personis fructus, & distributiones inter vacationem beneficiorum, & eorum collationem, sive possessionis apprehensionem provenientes ex statuto, consuetudine, vel privilegio hujusmodi percipientibus, vel retinentibus, quo minùs ipsi illos interim, ut anteà, exigere valeant, & habere. Postremò volumus, ut præsentium exemplum etiam impressa, Notarii publici manu, & Prælati Ecclesiastici, ejusve Curiæ sigillo obsignata, eamdem illam prorsùs fidem ubique locorum in Judicio, & extrà illud faciant, quam facerent ipsæmet præsentes, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ revocationis, abolitionis, præcepti, interdicti, decreti, statuti, intentionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo septuagesimo, Pridie Kal. Junii, Pontificatus Nostri Anno quinto.

Abolentur Statuta, Privilegia, Consuetudines, etiam immemorabiles, quibus reditus post officiorum vacationes applicantur Mensæ Episcopali, Capitulari, aut Canonicis

Abolentur etiam Constitutiones, quæ noviter provisos obligabant ad juramentum de præmissis observandis, aut ad tribuendum aliquid Concanonicis pro receptione.

Imponit pœnas contravenientibus.

Limitatur prohibitio quoad medietatem, & ad tempus pro fabrica, Sacristia, & locis piis.

Declaratur prohibitionem non habere locum durante vacatione, ubi viget Statutum, Consuetudo, aut privilegium.

Fides Trassumptorum.

Sanctio pœnalis.

Dat. Constitutionis Pianæ.

§. 5. Cùm autem, sicut, non sine gravi animi nostri dolore, ex quamplurium, ac præsertim nonnullorum Venerab. fratrum Archiepiscoporum, ad Apostolatum nostrum delatis querelis accepimus, adeò creverit tam salutarium legum transgressorum impudentia, ut non desint, qui sive avaritiæ, quæ est Idolorum servitus, improbo affectu, sive ambitioso Ecclesiasticorum graduum cupiditatis consilio ducti, hominibus trepidè pacisentibus fidem habentes, & tamen Deo veraciter promittenti minimè credentes, sacras ipsas electiones, quas Sanctissimi Ecclesiæ Canones omni prava pactione submota peragi tam districtè præcipiunt, illicitis, injustis, ac per tot Apostolicas sanctiones reprobatis conventionibus per Electos, quicumque illi sint, observandis, quibus Canonica Præsulum jurisdictio ut plurimùm circumscribitur, vacantium Ecclesiarum jura læduntur, ac ipsius etiam Apostolicæ Sedis authoritas interdum violatur, temerè inquinare satagant, atque ita abominationem desolationis in Sanctuarium invehere, sacrasque Ecclesiæ Dignitates, ad quas olim nonnisi ex persecutionis tolerantia ascendebatur, in turpem quæstum, ac tenebrarum negotiationem commutare minimè vereantur, non sine gravissima Ecclesiasticæ disciplinæ perturbatione, fidelium scandalo, ac salutis animarum detrimento.

Continuatio Constitutionis Sanctissimi pro motivo eradicandi abusus Capitulationum in electionibus.

§. 6. Hinc est quòd Nos, qui libertatis, jurisdictionis, aliorumque Jurium Ecclesiasticorum assertores in Terris à Domino constituti sumus, omniumque Christi fidelium curam superna dispositione gerimus, abusus quoscumque circà præmissa introductos è medio tollere, illisque in futurum omnem ansam præcidere, necnon animarum periculis, quantum Nobis ex alto conceditur, occurrere cupientes, habitâ super iisdem præmissis cum particulari Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium

Ex voto Congregationis particularis ex corpore Congregationis Interpretum Concilii.

ejusdem

ejusdem Concilii Tridentini Interpretum, qui rem maturè discussèrunt, diligenti deliberatione, de illorum consilio pariter, & assensu, ac etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnia, & singula præmissa à præfatis Nicolao, Pio, & Gregorio Prædecessoribus constituta, ordinata, interdicta, Decreta, & respectivè declarata, ut præfertur, expeditasque desuper illorum Constitutiones, seu Litteras supradictas tenore præsentium perpetuò approbamus, confirmamus, & innovamus, illisque perpetuæ, atque irrefragabilis Apostolicæ firmitatis robur, patrocinium, & præsidium adjicimus.

Primo loco confirmat Constitutiones præinsertas.

§. 7. Præterea, ut eadem præmissa firmiùs, atque inviolabiliùs de cætero observentur, ultrà omnes, & singulas pœnas in iisdem Constitutionibus, seu Litteris impositas, privationis Dignitatum, Canonicatuum, & Præbendarum, aliorumque beneficiorum Ecclesiasticorum, & quoad Regulares, etiam vocis activæ, & passivæ, ac graduum, munerum, & officiorum quorumcumque per eos respectivè obtentorum, perpetuæque inhabilitatis ad illa, & alia similia, vel dissimilia quæcumque in posterum quomodolibet obtinenda pœnas per contrafacientes ipso facto, absque alia declaratione incurrendas, adjungimus.

Adjungitur pœna privationis Dignitatum.

§. 8. Porrò ad penitùs extirpandum, atque evellendum abusum capitulationum, pactionum, conventionum, concordatorum, seu statutorum quorumcumque, quæ perperam, ac adversus Sacrorum Canonum, & Constitutionum Apostolicarum dispositionem, occurrente Ecclesiarum quarumlibet, præsertim Cathedralium, & Metropolitanarum, seu Monasteriorum quorumvis vacatione, ab iis, ad quos electio personarum idonearum ipsis Ecclesiis, seu Monasteriis ad electionem hujusmodi respectivè præficiendarum juxtà privilegia, & indulta Apostolica eis desuper concessa, aut aliàs legitimè spectat, sive ante, sive post electionem prædictam interdum iniri, condi, aut fieri consueverunt, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus earumdem tenore præsentium omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, cujuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, præeminentiæ, vel dignitatis fuerint, sub eisdem omninò pœnis superiùs expressis, quarum absolutionem, seu relaxationem Nobis, & Romano Pontifici pro tempore existenti dumtaxat specialiter reservamus, districtè prohibemus, & interdicimus, ne capitulationes, pactiones, conventiones, concordata, seu statuta hujusmodi ante ipsam quidem electionem, seu etiam postulationem de cætero inire, concedere, aut facere audeant quovis modo seu præsumant.

Prohibet fieri Capitulationes ante electionem, seu postulationem.

§. 9. Illaque proindè, quatenùs de facto contra præsentis nostræ prohibitionis formam inita, condita, seu facta fuerint, nulla, inania, invalida, irrita, viribusque, & effectu penitùs, & omninò vacua, ac nullius roboris, & momenti esse, & perpetuò fore, neminemque ad illorum, seu cujuslibet eorum, etiamsi juramento vallata sint, observantiam teneri, aut obligatum existere, vel fore decernimus, & declaramus.

Quatenus fiant, declarat nullas, & irritas, & juramentum non obligare.

§. 10. Quæ verò electione, seu postulatione hujusmodi secuta quomopolibet iniri, condi, seu fieri contigerit, ad Nos, seu eumdem Romanum Pontificem pro tempore existentem quamprimùm deferri, atque ita nostro, & Sedis Apostolicæ judicio subjici præcipimus, suspensâ interim eorum omnium, & singulorum executione, donec, & quousque ab eadem Sede, sine cujus autoritate nihil omninò in similibus paciscifas est, Apostolicæ confirmationis robur in totum, vel in partem receperint.

Si fiant post electionem, vel postulationem, deferantur ad S. Sedē & donec ab ista approbentur non obligant.

§. 11. Cæterùm per præsentes non intendimus ea, quæ ante hac contra supradictarum Nicolai, Pii, & Gregorii Prædecessorum, seu forsan aliarum Apostolicarum Constitutionum, seu Litterarum formam quomodolibet gesta fuerunt, ullatenus approbare, nec pœnas ea de causa per transgressores incursas remittere, vel condonare.

Per præsentem Cōstitutionē non censentur remissæ pœnæ incursæ juxta alias præcedentes.

§. 12. Decernentes pariter easdem præsentes Litteras, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod quilibet in præmissis, seu eorum aliquo jus, vel interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, cujuscumque status, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis existant, & aliàs specifica, & individua mentione, & expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque causæ, propter quas præsentes emanarint, sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ fuerint, aut ex alia quacumque, quantumvis juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in Corpore Juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensûs, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & substantiali, ac incognito, & inexcogitabili, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, invalidari, retractari, ad terminos juris reduci, seu in controversiam vocari, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, seu impetrato, aut etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in judicio, vel extrà illud uti, seu se juvare posse, sed ipsas præsentes Litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter, & inconcusè observari; Sicque & non aliter in præmissis per quoscumque Iudices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, & Apostolicæ Sedis præfatæ Nuncios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros; Sublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & autoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis autoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Decreta roborantia.

§. 13. Non obstantibus præmissis, ac, quatenùs opus sit, Nostrâ, & Cancellariæ Apostolicæ Regulâ de jure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon Ecclesiarum, & Monasteriorum quorumvis, & illorum Ordinum, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, aut quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus; Privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis eisdem Ecclesiis, Monasteriis, ac Ordinibus, illorumque Præsulibus, Capitulis, Abbatibus, aliisque Superioribus, & personis quibuslibet sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque & aliis Decretis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, ac Consistorialiter, & aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, ac quantiscunque vicibus confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil

Derogationes.

Etiam immemorabilis.

penitùs omisso, & formâ in illis traditâ obſervatâ exprimerentur, & inſererentur, præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ac pleniſſimè, & ampliſſimè derogatum eſſe volumus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Etiam privilegiis Apoſtolicis ſpecialibus de non excómunicando.

§. 14. Aut ſi præfatis, vel aliis quibuslibet communiter, vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per Literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

Publicatio in Urbe vim habeat intimationis perſonalis.

§. 15. Ut autem eædem præſentes Literæ ad omnium notitiam faciliùs deveniant, volumus illas, ſeu earum exempla ad valvas Eccleſiæ Lateranenſis, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum, necnon Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæque generalis in Monte Citorio, ac in Acie Campi Floræ de Urbe, ut moris eſt, affigi, & publicari; Sicque publicatas, & affixas omnes, & ſingulos, quos illæ concernunt, perindè arctare, & afficere, ac ſi unicuique eorum nominatim, & perſonaliter intimatæ fuiſſent.

Tranſſumptorum fides.

§. 16. Utque ipſarum præſentium Literarum tranſſumptis, ſeù exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in Eccleſiaſtica Dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorsùs fides tàm in judicio, quàm extrà illud ubique adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum 22. Septembris 1695. P. A. 5.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 22. Septemb. 1695. Pontificatus Noſtri Anno Quinto.

J. F. Card. Albanus.

Publicatio per affixionem.

Anno à Nativitate Domini Noſtri JESU Chriſti milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo quinto, Indictione tertiâ, die verò vigeſima quarta Septembris, Pontificatûs autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri, Domini INNOCENTII Divinâ Providentiâ Papæ XII. Anno Quinto: Supradicta Conſtitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Eccleſiæ Sancti Johannis Lateranenſis, Baſilicæ Principis Apoſtolorum, & Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæque generalis in Monte Citorio, Acie Campi Floræ, ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis, per me Gregorium Staggium ejuſdem Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ Curſorem.

MARCUS AURELIUS PELLICIA

Magiſter Curſorum.

LXIV.

Confirmato Literarum Innocentii Papæ XI. ſuper reductione Magiſtrorum, aliorumque Graduatorum Ordinis Fratrum Prædicatorum ad numerum pro unaquaque Provincia ſtabilitum, ac ſuper aliis eumdem Ordinem reſpicientibus proviſionibus editarum, cum annullatione forſan geſtorum adversùs illarum formam.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium à deſiderio promovendi inſtaurationem diſciplinæ regularis.

EX injuncto Nobis cœlitùs Apoſtolicæ ſervitutis munere ea, quæ à Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus Noſtris promovendæ inter Chriſtifideles, Divinis obſequiis ſub ſuavi Religionis jugo mancipatos, Regularis diſciplinæ ſtudio ſapienter diſpoſita eſſe noſcuntur, ut ſolidiori robore perennent, Apoſtolici muniminis Noſtri præſidio libenter conſtabilimus, ac aliàs deſuper ſolicitudinis, & providentiæ Noſtræ partes interponimus, ſicut conſpicimus ſalubriter in Domino expedire.

Tenor Cōſtitutionis Innocentii XI. ſuper reductioneGraduatorum in Ordine S. Dominici.

§. 1. Aliàs ſiquidem ſuper reductione Magiſtrorum, aliorumque Graduatorum Ordinis Fratrum Prædicatorum ad numerum pro unaquaque Provincia dicti Ordinis reſpectivè ſtabilitum, necnon ſuper diverſis aliis executionem eorum, quæ per Conſtitutiones, ac Capitula Generalia Ordinis hujuſmodi præſcripta reperiuntur, potiſſimum reſpicientibus Ordinationibus, emanarunt à fel. record. Innocentio Papa XI. Prædeceſſore Noſtro Literæ in ſimili forma Brevis tenoris, qui ſequitur, videlicet: Innocentius Papa XI. Ad futuram rei memoriam. In ſupremo Militantis Eccleſiæ ſolio per ineffabilem Divinæ bonitatis abundantiam, meritis licèt imparibus, collocati, muneris Noſtri partes eſſe intelligimus, ut ea, quæ Religioſorum Virorum Ordinibus in Eccleſia Dei piè, ſanctéque inſtitutis detrimentum adferre, regularemque in eis diſciplinam perturbare noſcuntur, ad æquitatis, & Juſtitiæ terminos reducere ſatagamus, ſicut omnibus maturæ conſiderationis trutinâ perpenſis, ad Omnipotentis Dei gloriam, & Religionit felicem progreſſum, ac incrementum ſalubriter expedire in Domino arbitramur. Cùm itaque (ſicut accepimus) Magiſtri, aliique Graduati Ordinis Fratrum Prædicatorum, propter aſſiduum miniſterium, quod eis exhibetur, necnon expenſas, quas Communitatibus occaſione Capitulorum Provincialium adferunt, ac exemptionem à Choro, aliaſque prærogativas, quibus fruuntur, Provinciis ipſius Ordinis valdè oneroſi exiſtant; Et licet certus ejuſmodi Magiſtrorum, & Graduatorum pro unaquaque Provincia numerus per Capitula Generalia dicti Ordinis, ad petitionem ipſarum Provinciarum, quæ propriarum virium conſciæ ita ordinari deſideraverant, ſtabilitus reperiatur, cum expreſſa prohibitione, ne eædem Provinciæ alios petere valeant, neve hujuſmodi numerus unquam excedatur, niſi in caſu quo Magiſter Generalis Ordinis prædicti pro tempore exiſtens ex aliqua urgenti cauſa aliter diſponeret: nihilominùs Magiſtrorum, aliorumque Graduatorum hujuſmodi multitudo in dicto Ordine abſque ulla urgenti cauſa per nimiam præteritorum Magiſtrorum Generalium ipſius Ordinis facilitatem, atque indulgentiam adeò excreverit, ut Provinciis prædictis intolerabilis exiſtat, & quod pejus eſt, inter eos nonnulli reperiantur ad Magiſterium, alioſque gradus promoti, qui officia per Conſtitutiones Ordinis præfati ad id præſcripta non exercuerunt, ſed cum quibus perindè ac ſi officia hujuſmodi exercuiſſent, diſpenſatum fuit: Hinc eſt, quod Nos ejuſdem Ordinis, illiuſque Provinciarum augmento, & commodis, proſperoque, & felici regimini, & gubernio, quantùm Nobis ex alto conceditur, providere, regulariſque diſciplinæ vigorem tueri, & ſicubi collapſus ſit, reſtituere cupientes, Motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione Noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, Magiſtros, alioſque Graduatos dicti Ordinis ad numerum per Capitula Generalia pro unaquaque Provincia reſpectivè ſtabilitum, ut præfertur, ita ut in eo numero in ſingulis Provinciis hujuſmodi reſpectivè connumerati remaneant antiquiores tantùm, qui functiones, & munera per Conſtitutiones, & Capitula Generalia hujuſmodi præſcripta realiter, & cum effectu exercuiſſe reperiuntur, ſine ullo tamen præjudicio illorum, qui à Sede Apoſtolica immediatè promoti ſunt, quos ſuis prærogativis ſupra numerum hujuſmodi gaudere volumus, tenore præſentium reducimus. Porrò circà Supranumerarios à præfatis Magiſtris Generalibus promotos, harum ſerie mandamus dilecto filio moderno Magiſtro Generali dicti Ordinis, ut adhibito maturo Religioſorum gravium conſilio, illorum qualitates,

Magiſtri, aliiq; Graduati propter iplorū exemptiones, & prærogativas ſunt oneri.

Magiſtrorum, & Graduatorum numerus ultra præfixum nimis excrevit.

Aliqui ex promotis non adimpleverunt præſcripta Conſtitutionum pro gradibus aſſequendis.

Fit reductio ad numerum præſcriptū in qualibet Provincia, & remanent tantum in numero, qui habent requiſita, & qui immediatè à Sancta Sede promoti ſunt.

Supranumerarii habentes requisita gaudeant titulo, & occurrente vacatione subintrent ad numerum: iis carentes privantur à Magistro Generali.

Prohibetur Magistris Generalibus in futurum concedere gradus supra numerum, aut exemptiones.

Revocat Indulta à Generalibus concessa exemptionis à Choro, prærogativæ loci Baccalaurei, & vocis in Capitulis.

Decreta roborantia

tes, & sufficientiam examinet, & quatenùs eos habiles, ac omnia Officia per dictas Constitutiones præscripta exercuisse repererit, illos titulo tantùm gaudere faciat, quoùsque secuta vacatione juxta ordinem antiquitatis gradus suscepti ad fruitionem integrarum prærogativarum subintrent: Si verò eos inhabiles, autmunera, seù Officia à memoratis Constitutionibus requisita non exercuisse compererit, illos Magisterio, aliove gradu, quem obtinent, omnino privatos declaret, donec & quousque studiosis laboribus meritum ejusmodi graduum respectivè sibi comparâsse reperiantur. Præterea ad evitandum in futurum Provinciarum, & Communitatum hujusmodi gravamen, præfato moderno, & futuris dicti Ordinis Magistris Generalibus in virtute Sanctæ Obedientiæ prohibemus, & interdicimus, ne de cætero Magisterii, aliosque gradus supra numerum, sicut præmittitur, præscriptum conferre, nec ullam cujusvis generis exemptionem concedere audeant quovis modo, seu præsumant, illis Fratribus, qui realiter, & cum effectu laudabiliter non exercuerint illa Officia, & non supportaverint illa onera, quæ juxtà Constitutiones Ordinis præfati ad obtinendos gradus, & exemptiones hujusmodi respectivè necessariò præcedere debent. Cæterùm, quia (sicut pariter accepimus) plurimi in Ordine prædicto reperiuntur Fratres, qui vigore gratiarum specialium à Magistris Generalibus supradictis concessarum, exemptionibus à Choro, ac prærogativis loci Baccalaureorum, & vocis in Capitulis Provincialibus contra formam Constitutionum, & Capitulorum Generalium præfatorum fruuntur, in gravissimum dictarum Communitatum, multorumque Fratrum privatorum præjudicium; Nos opportunum his quoque abusibus remedium adhibere, & ne in futurum suboriantur, providere volentes, omnes, & singulas gratias speciales hujusmodi motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus earundem tenore præsentium revocamus, cassamus, & abolemus, viribusque, & effectu penitùs, & omninò vacuamus, ac in futurum dispositiones Constitutionum, & Capitulorum Generalium hujusmodi inviolabiliter observari præcipimus. Decernentes ipsas præsentes Litteras, & in eis contenta quæcunque, etiam etiam ex eo quod præfati, aliive quilibet in præmissis forsan interesse habentes, seù habere quomolibet prætendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, vel auditi, nec causæ, propter quas præsentes emanârint, sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ fuerint, seù ex alia quacunque, etiam quantumvis legitima, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in Corpore Juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seù intentionis Nostræ, aut interesse habentium consensûs, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & substantiali, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, seù ad terminos Juris reduci, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcunque Juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seù etiam Motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in Judicio vel extra illud uti, seù se juvare ullo modo posse; sed ipsas præsentes Litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocunque spectabit inviolabiliter, & inconcussè observari; Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros; Sublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & autoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac quatenùs opus sit, Nostrâ, & Cancellariæ Apostolicæ Regulâ de Jure quæsito non tollendo, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non dicti Ordinis, ejusque Provinciarum, & Conventuum, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, & aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, ac pluries confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seù quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & formâ in illis traditâ observatâ, exprimentur, & insererentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vicè dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earundem præsentium transsumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 20. Novembris 1677. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

Derogationes.

Transsumptorum fides.

Dat. Constitutionis

Ex voto Congregationis particularis super disciplina Regulari confirmatur præinserta Constitutio.

§. 2. Cùm autem firmiora sint ea, quibus iterata accedit Sedis Apostolicæ autoritas: Hinc est, quòd Nos præmissorum efficaciæ, debitæque executioni, quantum Nobis ex alto conceditur, consulere, ac si quæ illis quomodolibet adversantia forsan irrepserint, opportunæ provisionis nostræ ministerio recidere, atque amovere cupientes, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, & dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum super disciplina Regulari specialiter à Nobis deputatorum consilio, ac etiam Motu proprio, ac ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, præinsertas Innocentii Prædecessoris Litteras, omniaque, & singula in eis contenta, & expressa tenore præsentium approbamus, & confirmamus, ac innovamus, illisque inviolabilis, & irrefragabilis Apostolicæ firmitatis vim, robur, & præsidium adjungimus.

Declarâtur nulli gradus supra numerum, etiam si per modum ampliationis numeri, & concessionis ad gradus, & officia vacatura, & promotiones absque petitione Pro

§. 3. Præterea Motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine similibus omnia, & singula, quæ sive per collationem Magisterii, aliorumque graduum, seù Officiorum supra numerum in Capitulis Generalibus dicti Ordinis pro unaquaque Provincia ipsius Ordinis respectivè præfinitum, sivè per numeri hujusmodi ampliationem, sivè per promotionem ad eosdem Gradus, seu Officia pro locis vacaturis, sivè absque petitione ipsius Provinciæ per Constitutiones Ordinis præfati, ac Capitulorum Generalium hujusmodi Ordinationes requisita, sive per aliquam à Choro,

aliamve

vinciæ, exemptiones & prærogativæ indultæ non adimpletis requisitis propriè, & non per æquipollens.

aliamve cujusvis generis exemptionem, aut prærogativam loci Baccalaureorum, & vocis in Capitulis Provincialibus concessam iis Fratribus, qui realiter, & cum effectu, non autem per æquipollens, laudabiliter non exercuerint, atque compleverint illa Officia, & non supportaverint omnia illa onera, quæ juxta præscriptum Constitutionum, & Capitulorum Generalium prædictorum ad obtinendos gradus, Officia, & exemptiones hujusmodi necessariò præcedere debent, sivè demum per alia Indulta, & gratias id ipsum importantia contra prædictarum Innocentii Prædecessoris literarum formam, & dispositionem hactenùs quomodolibet forsan acta, gesta, seu attentata fuerunt, penitùs, & omninò nulla, inania, invalida, irrita, nulliusque roboris, & momenti esse, & fore earumdem tenore præsentium declaramus.

Præservantur concessiones Apostolicæ cũ sufficienti derogatione Constitutionis sã. mẽ. Innocentii.

§. 4. Et nihilominùs ad majorem cautelam, & quatenùs opus sit, illa omnia, & singula motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus, harum serie revocamus, cassamus, irritamus, annullamus, & abolemus, viribusque, & effectu penitùs, & omninò vacuamus, ac pro revocatis, cassatis, irritis, nullis, invalidis, & abolitis, viribusque, & effectu penitùs, & omninò vacuis haberi debere decernimus, & pariter declaramus; sine ullo tamen præjudicio illorum Fratrum, qui dictarum Innocentii Prædecessoris Litterarum mentione facta, earumque derogatione legitimè obtenta, Sedis præfatæ autoritate promoti, seù exempti, quomodolibet reperiuntur.

Decreta roborantia cum clausula sublata, & decreto irritanti.

§. 5. Decernentes pariter easdem præsentes, & præinsertas Litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter, & inconcussè observari, nec de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensûs, aliove quolibet etiam quantumvis formali, ac individuam expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, redargui, in controversiam vocari, seu ad terminos Juris reduci, aut adversùs illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, aliudve quodcunque Juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, vel intentari, seu impetrato, aut etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus concesso, vel emanato quempiam in Judicio, vel extrà illud uti, seù se juvare ullo modo unquàm posse; Sicque, & non aliter in præmissis per quoscunque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Cardinales, & Legatos, nec non Nuncios, & alios præfatos nunc, & pro tempore existentes; Sublatâ pariter eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, Ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Præcipitur Provincialibus, & Vicariis Congregationum solemnis publicatio, & exequutio.

§. 6. Mandantes propterea dilectis filiis Prioribus Provincialibus Provinciarum, nec non Vicariis Congregationum quarumvis dicti Ordinis ubicunque existentibus in virtute Sanctæ Obedientiæ, ac sub privationis Officiorum per eos obtentorum, perpetuæque ad illa, & alia quælibet posterum obtinenda inhabilitatis pœnis, ut ipsas præsentes Litteras in suis quisque Provinciis, & Congregationibus respectivè quamprimum executioni demandari, ac inviolabiliter observari, illasque in proximè celebrando Capitulo dictarum Provinciarum, & Congregationum, toto earumdem præsentium tenore in Actis Capituli hujusmodi ad perpetuam rei memoriam relato, solemniter publicari curent, & faciant.

Derogationes.

§. 7. Non obstantibus præmissis, ac quatenùs opus sit, Nostrâ, & Cancellariæ Apostolicæ Regulâ de Jure quæsito non tollendo, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ in præinsertis Innocentii Prædecessoris Litteris concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 8. Volumus autem, ut earundem præsentium Litterarum transsumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extrà illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 22. Septembris 1695. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

J. Franciscus Card. Albanus

Fides Transsumptorum.

Dat. 22. Septembr. 1695. P.A. 5.

LXV.

Jubileum Universale ad denuò implorandam Divinam opem pro pace inter Principes Christianos.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Universis Christifidelibus præsentes Litteras inspecturis Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Exordium à consideratione totius Europæ bellis afflictæ, cui sola Dei misericordia opem ferre potest.

IN sublimi Sedis Apostolicæ fastigio, meritis licèt imparibus, ab æterno Pastore collocati, dum gravissimas crediti Nobis gregis calamitates paternæ charitatis studio contemplamur, ac totam ferè Europam pertinacioribus in dies bellorum motibus agitatam attentè consideramus, quod sub ipso ineuntis Pontificatus Nostri limine verebamur, actuoso jam experimento cognoscimus, & quantum in Domino licet, ingemiscimus, venisse scilicet Nos in altitudinem maris, in quo ne tempestas demergat Nos, efficere sola potest Omnipotentis Dei dextera, cui mare, & venti obedire non detrectant. Quod proindè aliàs indictis publicè per universum Christianum Orbem precibus à Patre Misericordiarum supplici, devotaque humilitate flagitavimus, ut Christianos Principes alienissimo Reipublicæ tempore inter se decertantes ad pristinam concordiam revocare, eorumque consilia, & vires ad Christiani nominis tutelam contra communem illius Hostem sociare dignaretur, id nunc potissimum cum nefarius Turcarum Tyrannus diutunis illorum discordiis illectus vires, atque animos sumit, ditionesque Christianas cladibus involvere meditatur; ferventiori cordis affectu faciendum censemus. Licèt enim pro nostri Pastoralis officii debito, memores illius Nos vices gerere in terris, qui nascens ex Virgine per Cœlicos Cives pacem hominibus bonæ voluntatis annunciavit, & resurgens à mortuis, ac ascensurus in Cœlum pacem itidem reliquit Discipulis, ut & ipsi ejus imitantes exemplum pacem aliis edicerent, labia nostra hactenus non prohibuerimus, ac Catholicos Principes, ut vocem sanguinis, qui effusus est tamquam aqua in circuitu Hierusalem ad eos de terra clamantem audirent, pluriès instantes, Nec sanè inter tot rerum, ac temporum difficultates animo deficientes, etiam in posterum pro eo, quo tenemur, publicæ quietis desiderio tàm salutare rei Christianæ opus omni animi contentione, studio, atque opera urgere, ac promovere firmiter proposuerimus, animamque nostram, si ita res tulerit, pro ovibus curæ nostræ commissis, Evangelici Pastoris exemplo ponere parati simus, Nihilominùs, quia probè scimus nihil profectò esse, quod sibi humana sapientia, atque industria vendicare possit, nisi Cœlestis gratiæ ope adjuvetur, ad eum, qui dives est in misericordia, concordibus Christifidelium precationibus impensiùs denuò confugere constituimus, sperantes, quod non

Narrat adcomponendos Principes Christianos cõtra Turcas aliàs indixisse Jubileum Universale, & pluries pro Pace loquutum, & in posterum non defuturum

Absque ope cœlestis gratiæ nihil ex se potest humana sapientia.

conclu-

concludet Dominus in gladio populum suum, nec hæreditatem suam spernet, sed gentibus longo bello fessis dabit tandem illam, quam Mundus dare non potest, pacem. Ne tamen exprobari Nobis audiamus propheticum illud, Percussisti eos, & non doluerunt, attrivisti eos, & renuerunt accipere disciplinam, Lacrymis, eleemosynis, aliisque piis operibus Divinam indignationem placare studeamus, ut clementissimus Dominus, & Deus Noster, qui facit pacem in sublimibus, & Reges in thronis collocat, Orthodoxorum Principum animos, sublatis dissidiis, arcto, atque indissolubili charitatis vinculo conjungat, nostrosque labores, & curas, ac spem, quam in ejus ineffabili bonitate reponimus, optatæ demum cumulet lætitia tranquillitatis.

Ideò iterùm indicit Jubileum Universale, & præscribit adimplenda in Urbe

§. 1. Quæ, ut fructuosiùs, majorique spiritus ardore peragantur, ex prisco Romanæ Ecclesiæ omnium Matris, & Magistræ more, Cœlestium gratiarum Thesauros, quorum dispensationem fidei nostræ commisit Divina dignatio, in præsentibus aperire, & larga manu erogare decrevimus. Itaque de Omnipotentis Dei Misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ex illa ligandi, atque solvendi potestate, quam Nobis Dominus, licèt indignis, contulit, Universis, & singulis utriusque sexus Christi fidelibus in Alma Urbe Nostra degentibus, qui solemni Processioni, quàm feriâ quartâ proximæ Hebdomadæ, quæ erit secunda Adventus ab Ecclesia Sanctæ Mariæ Angelorum in Thermis ad Basilicam ejusdem Sanctæ Mariæ Majoris nuncupatam, de eadem Urbe, una cum Venerabilibus Fratribus Nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, nec non Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, quos in Romana Curia adesse contigerit, ac Christianorum Regum, & Principum Oratoribus apud Nos existentibus, Prælatis quoque, & Officialibus ejusdem Curiæ, universoque Clero, & Populo, benedicente Domino, agemus, devotè interfuerint, vel Sancti Joannis in Laterano, Principis Apostolorum, & Sanctæ Mariæ Majoris Ecclesias, seu Basilicas, vel earum aliquam intrà spatium ejusdem, vel proximè subsequentis Hebdomadæ saltem semel visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium devotè, ut supra, Deum oraverint, ac quartâ, & sextâ feriâ, ac Sabbato alterius ex præfatis hebdomadis jejunaverint, & peccata sua confessi, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in Dominica die immediatè sequenti, vel alia die intrà eandem hebdomadam reverenter sumpserint, ac pauperibus aliquam elemosynam, prout unicuique suggeret devotio, erogaverint:

Adimplenda extra Urbem.

§. 2. Cæteris verò extrà Urbem prædictam ubicumque degentibus, qui Ecclesias ab Ordinariis Locorum, vel eorum mandato, & ipsis deficientibus, per eos qui ibi curam Animarum exercent, postquam ad eorum notitiam hæ nostræ pervenerint, designandas, vel Ecclesiarum hujusmodi aliquam spatio duarum similiter hebdomadarum à publicatione designationis per Ordinarios, vel eorum Vicarios, seu Officiales, vel alios, ut præfertur, faciendæ decursurarum saltem semel visitaverint, ibique ut supra oraverint, ac quartâ, & sextâ feriâ, ac Sabbato alterius ex hebdomadis hujusmodi jejunaverint, pariterque peccata sua confessi, ac in die Dominica immediatè sequenti, vel alia die intrà eandem hebdomadam Sanctissima Communione refecti fuerint, & pauperibus aliquam eleemosynam, ut præmittitur, erogaverint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem, sicut in Anno Jubilæi visitantibus certas Ecclesias intrà, & extrà Urbem prædictam concedi consuevit, tenore præsentium concedimus, & elargimur.

§. 3. Navigantes verò, & iter agentes, ut cùm primum ad sua sese domicilia receperint, suprascriptis peractis, & visitatâ Ecclesiâ Cathedrali, vel Majori, aut Parochiali loci eorum domicilii, eandem indulgentiam consequi possint, & valeant: Regularibus autem personis utriusque sexus, etiam in Claustris perpetuò degentibus, necnon aliis quibuscumque, tàm Laicis, quàm Ecclesiasticis secularibus, vel regularibus, etiam in carcere, aut captivitate existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis, qui suprà expressa, vel eorum aliqua præstare nequiverint, ut illa Confessarius ex jam approbatis à Locorum Ordinariis ante præsentium publicationem, seu approbandis, eis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque injungere quæ ipsi pœnitentes efficere poterunt, pariter concedimus, & indulgemus.

ANavigantibus, & aliis impeditis.

§. 4. Insuper omnibus, & singulis Christifidelibus utriusque sexus tàm Laicis, quàm Ecclesiasticis secularibus cujusvis Ordinis, Congregationis, & Instituti, tàm in Urbe præfata, quàm extra eam ubique locorum, ut præfertur, degentibus licentiam concedimus, & facultatem, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque Presbyterum Confessarium, tàm secularem, quàm cujusvis Ordinis, & Instituti regularem ex approbatis, ut præmittitur, à locorum Ordinariis, qui eos ab excommunicationis, suspensionis, & aliis Ecclesiasticis sententiis, & censuris à jure, vel ab homine quavis causa latis, seu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, & delictis, quantumvis gravibus, & enormibus, etiam locorum Ordinariis, sivè Nobis, & Sedi Apostolicæ, etiam in Litteris die Cœnæ Domini legi solitis contentis, & aliàs per quascumque Nostras, aut Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum Constitutiones, quarum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis, quomodocumque reservatis, in foro conscientiæ, & hac vice tantum absolvere, & liberare valeant, Et insuper vota quæcunque (religionis, & castitatis exceptis) in alia, pia, & salutaria opera commutare, injunctâ tamen eis, & eorum cuilibet in suprædictis omnibus casibus pœnitentiâ salutari, aliisque eisdem Confessarii arbitrio injungendis.

Facultas eligendi Confessarium.

Confessarii possunt absolvere à reservatis Sanctæ Sedi, & Ordinariis.

Commutare vota exceptis Religionis, & Castitatis.

§. 5. Quapropter tenore præsentium in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipimus, atque mandamus omnibus, & quibuscunque Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, ac quibuscumque Ordinariis locorum ubicumque existentibus, eorumque Vicariis, & Officialibus, vel iis deficientibus, illis, qui curam Animarum exercent, ut cùm præsentium Litterarum transsumpta, aut exempla, etiam impressa, acceperint, illa statim absque ulla mora, retardatione, vel impedimento per suas Ecclesias, & Diœceses, Provincias, Civitates, Oppida, Terras, & loca publicari faciant, Ecclesiamque, seu Ecclesias visitandas designent.

Mandatum Universis Prælatis de Jubileo publicando.

§. 6. Non intendimus autem per præsentes super aliqua irregularitate publica, vel occulta, nota, defectu, incapacitate, seu inhabilitate quoquo modo contracta dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seu habilitandi, & in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiæ, neque etiam eisdem præsentes iis, qui à Nobis, & Apostolica Sede, vel ab aliquo Prælato, seu Judice Ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seu alias in sententias, & censuras incidisse declarati, vel publicè denunciati fuerint, nisi intra tempus dictarum duarum

Vigore Jubilei non intendit dispensare super irregularitatibus.

Neque suffragari publicè excommunicatis.

rum hebdomadarum satisfecerint, aut cùm partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse, aut debere.

Derogationes.

§. 7. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, præsertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes, vel dissimiles indulgentiarum, & facultatum hujusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio, aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant, necnon regulâ nostrâ de non concedendis indulgentiis ad instar, ac quorumcumque Ordinum, & Congregationum, sive Institutorum regularium, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apostolicis eisdem Ordinibus, Congregationibus, & Institutis, illorumque personis quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seù quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis, ac formam in eis traditam pro sufficenter servata habentes, hac vice specialiter, nominatim, & expresè ad effectum præmissorum derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Fides Transsumptorum.

§. 8. Ut autem præsentes nostræ, quæ ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus ut earumdem præsentium transsumptis, vel exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, ubique locorum, & gentium eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 3. Decembris 1695. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

Dat. 3. Decem. 1695. P. A. 5.

J. F. Card. Albanus.

Publicatio in Urbe.

Anno à Nativitate Domini Nostri JESU Christi millesimo sexcentesimo nonagesimo quinto, Indictione tertiâ, die verò tertia Mensis Decembris, Pontificatûs autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri, Domini INNOCENTII Divinâ Providentiâ Papæ XII. Anno Quinto: Supradictum Breve affixum, & publicatum fuit ad valvas Ecclesiæ Sancti Johannis Lateranensis, Principis Apostolorum, & Sanctæ Mariæ Majoris de Urbe, & in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per me Joannem Grecum ejusdem Sanctissimi Domini Nostri Papæ Cursorem.

Pro D. Magistro Cursorum Joannes Baptista de Comitibus.

LXVI.

De Ordine

SS. D. N. INNOCENTIUS PAPA XII.

Exprimenda à petentibus provideri de Beneficiis Ecclesiasticis.

PRæcipitur omnibus, & singulis concurrentibus ad quævis Beneficia quomodolibet vacantia, quòd in supplicibus libellis teneantur omninò, & obligati existant exprimere eorum ætatem, annos præsentiæ personalis in Romana Curia, Beneficia per eos obtenta, seù in quibus, vel ad quæ Jus habent, & verum annuum valorem, necnon resignata, ac etiam locum eorum ordinariæ habitationis, & Provisis cum decreto recedendi, qui intra tres menses proximos non paruerint dicto decreto, Beneficia sic obtenta, post dictum terminum censeantur eo ipso vacare, ita ut de illis per Sedem Apostolicam irremissibiliter aliis personis habilibus, & idoneis providebitur, & aliquo in præmissis ut supra deficiente, gratia cujusvis Beneficii sic impetrata nullatenus sibi suffragetur, & nulla sit. Hac die 8. Augusti 1691.

B. Card. Prodatarius

NOTIFICAZIONE.

LXVII.

Audientia publica præstanda notificatur

LA Santità di Nostro Signore fa sapere, come Lunedì prossimo 19. del corrente mese di Novembre 1691. darà publica udienza, nella quale ammetterà, & ascoltarà benignamente tutti, intendendo di darla ancora in tutti li Lunedì susseguenti, quando non venghino impediti dal Concistoro, ò altra Funtione.

LXVIII.

Editto circa l'Habito, e Tonsura de'Chierici, e Sacerdoti.

GASPAR Tit. S. Mariæ Transtyberim S. R. E. Presbyter Card. de Carpineo Sanctissimi D. N. Papæ Vicarius Generalis &c.

Ut Clerici, & Presbyteri incedant in habitu, & tonsura.

VOlendo la Santità di Nostro Signore, che omninamente, & con ogni puntualità si osservi, & si dia essecutione alla dispositione de Sacri Canoni, e degli Editti altre volte publicati, tanto circa la decenza dell'Habito, quanto circa la Tonsura Ecclesiastica, con cui li Sacerdoti, e li promossi agli Ordini Sacri, e li Chierici di prima Tonsura, che tengono Benefitii Ecclesiastici di qualunque sorte etiamdio semplici, ò che servono con salarii in Chiese, devono secondo la dispositione de'medesimi Sacri Canoni incedere, e molto maggiormente comparire à gli Altari per celebrare, ò fare altre funtioni Ecclesiastiche, come anco circa la modestia, e decenza di prepararsi in tempo, e luogo, che devono celebrare; Col presente publico Editto di ordine, & commissione speciale della Santità Sua si rinova particolarmente l'Editto della san. mem. di Clemente IX. publicato li 29. Giugno 1667., e l'altro della san. mem. d'Innocenzo. XI. publicato li 10. Ottobre 1681. Et à quelli inherendo, e respettivamente ampliandoli, si ordina, e commanda, che nessun Sacerdote, ò Ordinato in Sacris, ò Chierico come sopra possa andare per Roma della levanta del Sole fino à mezz'hora di notte vestito con habito, e veste curta, mà debba incedere con habito lungo fino al collo del piede, detto vulgarmente habito Talare, e debba portare la Chierica, e Corona, ò sia Tonsura Chiericale della grandezza conveniente all'Ordine, e grado di ciascheduno, la quale non sia di minor grandezza d'un testone, e sia totalmente apparente, e così spesso rinovata, che si possa ben vedere.

Quinam Clerici comprehendantur

§. 2. Si ordina parimente, e commanda, che nessun Sacerdote, ò Ordinato in Sacris, ò Chierico ancor di prima Tonsura come sopra porta Zazzara, ò Capigliatura, e molto meno Capelli, e Zazzara finta, chiamata volgarmente Perucca, che copra la fronte, e l'orecchie.

Edicta Antecessorũ indicantur

§. 3. Sotto pena in ciascheduno di detti casi, e per qualsivoglia volta, che si trasgredirà della Carcere, e di scudi dieci d'applicarsi ad Opere, a Luoghi Pii in conformità del solito.

Ab ortu Solis usque ad mediam noctis horam incedendum in habitu talari.

§. 4. Et oltre l'incorso delle dette pene possono esser certi quelli, che contraverranno, che il difetto della debita Tonsura, & habito Talare, & accomodatura modesta de cappelli porterà ad essi, e ciaschedun di loro il totale impedimento alle pretensioni di qualsivoglia impiego Ecclesiastico.

Tonsura, seu corona cuique Ordini conveniens.

Coma non cooperiat frontem neque aures.

Pœna adversùs contraventores.

Contravẽtio impediet consecutionem munerum Ecclesiasticorum.

§. 5. Si

In casu itineris, vel necessitatis dabitur licentia brevioris habitus, sed nigri coloris.

§. 5. Si notifica nondimeno, che con licenza, che si darà da S. E. ò da Monsig. Vicegerente in scritto speditamente, e gratis si permetterà in occorrenza di far viaggio, ò altra causa legitima, che le sudette vesti, e ferrajoli siano più curte, purche convenga all'honestà dell'Ordine, e non siano di altro colore che nere, & in questa conformità, e non altrimente si dovranno intendere le licenze, che si daranno, & in caso contrario s'incorrerà la pena della Carcere, e perdita di tali habiti.

Celebrantes sine veste talari propria incidunt in Edictum

§. 6. Et alle sudette pene di Carcere, e pecuniarie, & altre maggiori ad arbitrio soggiaceranno quei Sacerdoti, che contro la forma del presente, & & altri editti come sopra publicati celebraranno in alcuna Chiesa sì dentro, come fuori di Roma, se non in habito del tutto decente, e proportionato allo stato, e conditione Ecclesiastica, e specialmente con veste Talare, e sia quella stessa, con la quale ciascheduno và alla Chiesa, e non presa in prestito meramente per l'atto di celebrare, ò somministratali dal Sagrestano.

Colloquutiones, & Tabacus prohibentur in Sacristia, & punientur etiam Sacristæ.

§. 7. Che nel trattenersi li Sacerdoti nelle Sagrestie non consumino il tempo in vani discorsi, mà stiino quieti, e modesti, come comporta il luogo, che serve principalmente al Culto di Dio, & al raccogliamento per la preparatione al Sacrificio, e rendimento di gratie doppo di esso, e non vi piglino Tabacco nè in fumo, nè in polvere, nè masticato come cosa pregiuditiale alla polizia, e decoro Ecclesiastico, sotto le medesime pene immediatamente espresse tanto per quelli, che v'incorreranno, come per li Sagrestani, che lo permettessero, e non vi ponessero il debito rimedio.

Sacristis, & aliis prohibetur admissio Sacerdotum ad celebrandum, nisi habeant licentiam Emin. Vicarii, & habitum non mutuatum à Sacristis.

§. 8. Parimente si commanda come sopra à tutti li Rettori, Sagrestani, Cappellani, Custodi, & altri sotta qualsivoglia nome deputati all'amministratione, ò cura, ò sopraintendenza di qualsivoglia Sagrestia, tanto nelle Basiliche, Collegiate, Parochiali, Congregationi, Oratorii, Cappelle, & Hospedali, & ogni altra Chiesa Secolare, quanto di qualsivoglia Chiesa Regolare, sì dentro come fuori di Roma, che non permettino ad alcun Sacerdote il celebrare nelle loro Chiese, se non haverà la solita licenza di S. E., e porterà l'habito, e Tonsura predetta, qual'habito il Sacerdote l'hà da portare avanti che entri in Sagrestia, nè deve essergli imprestato dal Sagrestano sotto la medesima pena della Carcere, e di scudi dieci da applicarsi come sopra, e di più la sospensione de loro Offitii, & altre ad arbitrio secondo la maggior negligenza, che commetteranno nella trasgressione di questo Editto, le quali pene s'incorreranno de fatto da ciascheduno de'sopradetti ogni qual volta, che l'haveranno trasgredito, & auvertiranno sotto le medesime pene di non permettere, che alcun Sacerdote celebri con la Zazzara finta, ò sia Perucca.

Pœnæ de facto incurrendæ.

Ne permittatur celebrari cum ficto capillitio.

Properantia in celebrando reprehenditur.

§. 9. E per lo scandalo, che porta il vedere li Sacerdoti, che si affrettano troppo nel leggere, ò nel fare le cerimonie, ordiniamo, che nelle Sagrestie vi sia un Horologio da ruote, ò da polvere, per mezzo del quale il Sagrestano possa conoscere, se il celebrante impiega nel Sacrificio il debito è proportionato tempo, che non dovrà essere meno di un terzo di hora, e trovandosi doppo essere stati auvertiti da Sagrestani à perseverare i Sacerdoti in questa indecenza si debanno licenziare, e privare dell'Offitiatura, con dare à S. E. in nota li loro nomi sotto le pene già espressedi dieci scudi, & ad altre ad arbitrio, per li Sagrestani, che lo comportassero, e non rimediassero à quanto si è detto.

Confirmatio edictorum antecedentium, & ne celebretur sine licentia.

§. 10. In oltre si dichiara col presente Edditto confermato ogni altro, che sia stato publicato in quest'istessa materia, e particolarmente, che nessuno possa celebrare in qualsivoglia Chiesa, ò Oratorio senza licenza in scriptis di S. E. ò di Monsignor Vice-Gerente, nè li Sagrestani possino lasciar celebrare senza la detta licenza, sotto pena tanto alli Celebranti, come alli Sagrestani di scudi dieci per ciascheduna volta da applicarsi à luoghi Pii come sopra.

Ad celebrandum in Ecclesiis Monialiũ requiritur specialis.

§. 11. Avertendosi che nelle Chiese di Monache è necessario d'havere una licenza particolare, che esprima una speciale facoltà di celebrare in dd. Chiese.

Tempus extra quod celebrare non licet designatur

§. 12. Per rimediare anche all'abuso della celebratione delle Messe in hore intempestive commandiamo, che non si possa cominciare à dir le Messe prima di un hora avanti l'Aurora, e che ad un hora doppo mezzo giorno debbano essere del tutto finiti li Sacrificii sotto l'istesse pene imposte nel Capitolo precedente, tanto alli Celebranti, come à Sagrestani, non ostante qualsivoglia pretesa Consuetudine, ò Privilegio in contrario, che non sia stato esibito nella Segretaria, e riconosciuto, & approvato da S. E.

In ædibus Canonicalibus nullæ habitent mulieres.

§. 13. Et acciòche i Laici habbino occasione di prendere in tutto buon esempio dagli Ecclesiastici, e si tolga ogni attacco di mormoratione, l'E. S. ordina, e commanda sotto le pene arbitrarie, che nelle Case fabricate per stanza, & uso de Canonici, ò altri Ministri di Chiesa non habitino Donne, etiam Parenti in qualsivoglia grado, e nell'altre non deputate à servitio de' Canonici, ò Chierici non vi stiano, se non per causa dall'E. S. approvata.

Domus Ecclesiarum non locentur Laicis.

§. 14. Che le Case delle Chiese, ò vero porte di esse non siano affittate à Laici se non per causa di necessità da approvarsi como sopra.

Presbyteri non defendant Causas coram Judice Laico.

§. 15. Che li Sacerdoti non possino Procurare, Auvocare, Difendere, nè fare qualsisia attione di Cause dinanzi a Giudice Laico, eccetto che nelle Cause dalli Sacri Canoni permesse, nel qual caso s'impetri dall'Eminenza Sua la licenza in scritto.

Arma non deferant.

§. 16. Che li Sacerdoti, & altri Ecclesiastici promossi àgl'Ordini Sacri non portino Arme di sorte alcuna, nè da fuoco, nè di punta, ne anche sotto protesto di andare à caccia senza licenza di S. E., quale si dara gratis come di sopra.

Obligatio retinendi Edictum affixum in Sacristia.

§. 17. Che questo medemo Editto si debba tenere affisso nelle Sagrestie dalli Sagrestani à vista d'ogn'uno sotto pena della privatione del loro Offitio ad arbitrio; E che publicato, & affisso, che sara conforme al solito, obligbi qualsivoglia Persona, come se li fosse stato personalmente intimato. Datum Romæ ex Ædibus Nostris hac die 20. Novembris 1691.

G. Card. Vicarius.

Alexandro Preposto Bonaventuri Secret.

Die, mense, & anno, quibus supra, supradictum Edictum affixum, & publicatum fuit ad valvas Curiæ, & in acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per me Snactem Fabrum Eminentiss. & Reverendiss. D. Card. Vicarii Mandatarium.

Publicatio die 20. Novembr. 1691.

Editto sopra il pagamento del Porto delle Lettere, e d'altro, che si manda per la Bolsetta. LXIX.

PALLUZZO Vescovo di Palestrina Card. Altieri della Santa Romana Chiesa Camerlengo.

Ne subditi graventur, neve fraudentur Appaltatores præscribitur, & publicatur Taxa super mercede portus Literarum, & rerum.

VOlendo la Santità di Nostro Signore provedere, che da suoi Ministri, & Offitiali di ogni sorte, si camini con quella chiarezza maggiore, che si può, ad effetto che i Sudditi del suo Stato, & ogni altra persona, che habbia commercio in esso Stato, resti sicura di non ricevere aggravio alcuno nella Tassa del porto delle lettere, e di altro, che si manda per la Bolzetta. Si come anco provedere all'indennità de'Mastri delle Poste, acciò ogn'uno corrisponda conforme al dovere, e non sia esente alcuno, eccetto però li Eminentissimi Signori Cardinali di Santa

Chiesa, li Reverendissimi Chierici di Camera, Signori Camerali, che hanno seduto, e che al presente sedono, ò sederanno per l'auvenire in essa Camera conforme al solito, e la Sacra Inquisitione, per le cose però del S. Uffitio, e caso che fossero renitenti, ò non volessero pagare detti porti conforme alle dette Tasse, sia lecito al Maestro delle Poste generali, e suoi Subappaltatori ritenerli le lettere, fagotti, pieghi, & altro, sin tanto che non saranno intieramente sodisfatti, derogando perciò à qualsivoglia uso, consuetudine, & altro, che facesse, ò potesse fare in qualunque modo in contrario.

Di quì è, che Noi per ordine di Sua Beatitudine datoci à bocca, e per l'autorità del nostro offitio di Camerlengato di Santa Chiesa, ordiniamo, & espressamente comandiamo con questo nostro publico Editto, che da qualunque persona laica, Secolare, ò Regolare di qualsivoglia grado, dignità, ò preeminenza si sia, inviolabilmente si osservi la quì sotto registrata Tassa sopra il sudetto porto di lettere, ò altro, che si manda per la Bolzetta, non ostante qualsivoglia conventione, Tassa, ò consuetudine in contrario, perciò habbiamo ordinato, che si stampi, che si publichi, e si affigga non solo in tutti i luoghi publici in Roma, mà in qualunque altro luogo dello Stato Ecclesiastico dove si distribuiscono le lettere, & altre robbe, che vengono come si è detto per la Bolzetta, e fatta questa publicatione, & affissione, s'intenda ordinata l'osservanza di essa, come se fusse stata personalmente intimata à ciascuno. Dato in Roma nella Camera Apost. li 19. Gennaro 1692.

Tassa per le lettere, & altro dello Stato di Nostro Signore, Umbria, Marca, e Patrimonio.

Lettere dello Stato Ecclesiastico un baiocco per lettera: con la coperta il doppio.

Pieghi, Processi, & altre scritture à mano baiochi quattro l'oncia.

Lettere fuori dello Stato, cioè di Venetia, Mantua, Lombardia, Alemagna, e di qualsivoglia altro luogo fuori dello Stato due baiocchi: e con la coperta il doppio, e li Pieghi, Processi, & altre scritture à mano delli sopradetti luoghi, baiocchi otto l'oncia.

Mandati esecutivi, lettere remissoriali, & ogni altra speditione di Monsignor A. C. ò di qualsivoglia altro Tribunale della Corte di Roma.

Per il Patrimonio, & Umbria baiocchi quindici.

Per la Marca baiocchi venti.

Dispense Matrimoniali, si in evidentem Scomuniche, e simili con piombo di Dataria, ò di Cancellaria baiocchi cinquanta.

Bolle di Benefitii di qualsivoglia valore, etiam con le fulminatorie paoli dodici.

Brevi di N. Sig. per qualsivoglia gratia, ò Uffitio baiocchi sessanta.

Altri Brevi, & altre speditioni di Penitentieria, che si spediscono gratis baiocchi venti.

Mandati di procura, mentre non sienò in carta pecora, si paghino ad uso di lettere.

Denari contanti baiocchi due per scudo nell'Umbria, e Marca, & un baiocco per scudo nel Patrimonio.

Per le staffette paoli cinque per Posta.

Li fagotti, purche non siano gioie, e denari, baiocchi dieci per libra.

Per consegne di fagotti baiocchi due per libra.

Gioie, ori, argenti à ragguaglio di denari, secondo il prezzo.

Si dichiara, che quanto alle lettere, pieghi, e fagotti il medesimo si deve osservare in Roma, e che il porto delle lettere dello Stato, dove si paga à Bolognini sia un bolognino, e dove si paga à baiocchi sia un baiocco per lettera, e con la coperta il doppio.

Item, li Cavalli per correre la Posta paoli cinque, l'uno, e per andar piano paoli trè.

Item, che li Mastri di Poste non possino sforzare li Forastieri à pigliar la guida se non doppo sonate le 22. hore.

Item, li Cavalli, che tirano il Calesse per la Posta paoli otto, & il Cavallo per la guida paoli cinque.

Item, li Cavalli, che tirano il Calesse per mezza Posta, ò cambiatura paoli cinque, & il Cavallo per la guida paoli trè.

P. Card. Altieri Camerlengo.

G. Bussi Aud. Ferdinando Nuzzi Comm. Gen.

Francesco Antamoro Segr. della Rev. Cam.

Die 11. *Februarii* 1692. *supradictum Edictum affixum, & publicatum fuit ad Valvas Curiæ, in Acie Campi Floræ, ut moris est, ac in aliis publicis locis solitis, & consuetis Urbis per me Petrum Marcheratum Sanctissimi D. N. Papæ Cursorem.* Publicatio die 12. Febr. 1692.

Pro Domino Magistro Cursorum.

Sebastianus Vasellus Cursor.

Decreta edita super Reformatione Tribunalium Urbis & aliis ad eadem Tribunalia pertinentibus.

Editto sopra i Curiali, Notari, e Cursori.

CARLO DE MARINI Protonotario Apostolico dell'una, e l'altra Segnatura Referendario di Nostro Signore, e sua Reverenda Camera Apostolica Generale Auditore. LXX.

Essendo sommamente à cuore alla Santità di Nostro Signore Papa INNOCENZO XII. che con ogni più esatta diligenza si possino in questa Corte proseguire i giuditii, acciò sempre più si faciliti la rettitudine della Giustitia, tanto desiderata dalla Santità Sua. Hà perciò con special riflessione considerato, che molto può pregiudicare à chi litiga la negligenza de i Cursori, alla fede de quali viene appoggiata la validità di detti Giuditii, & acciò questi, come che attualmente servono la Santa Sede Apostolica, siano maggiormente osservanti delle leggi da essa prescritte, hà commesso à Noi, che diamo opportuno rimedio à molti disordini, & inconvenienti, che procedono per tale inosservanza, e che con ogni miglior modo provediamo per la buona direttione de prenominati Cursori; Quindi è, che volendo Noi adempire con ogni sollecitudine li pii sentimenti di Sua Beatitudine, e togliere anco il pernicioso abuso introdotto da'Notari del Nostro Tribunale di leggere le copiette delle citationi; & accommodare le scritture prodotte; In virtù delle facoltà conceduteci, e per l'autorità del Nostro Uffitio, e d'ordine espresso datoci à bocca dalla Sanità Sua ordiniamo, e commandiamo. Ad consulendum adimplemento Officii Cursorum, Notariorum, & Curialium

Primo. Rinoviamo tutti gli Editti fatti, & ordini dati da Nostri Antecessori, il tenore de quali vogliamo, che s'habbia quì per espresso, come se di parola in parola vi fossero registrati, dichiarando, che per il presente Editto non s'intendino in modo alcuno rivocati, anzi in qualsivoglia parte d'essi li rinoviamo, e confermiamo, eccetto che dove contrariassero gl'infrascritti, perche in tal caso in questa parte li revochiamo, & annullamo. Renovantur edicta Antecessorum.

Secondo. Ordiniamo, che ogni matina di giorno giuridico al suono della Campana del

Collegio

Horæ quibus Cursores assistere debent in Banco.

Collegio debba ciascun Cursore ritrovarsi al suo Banco con le citationi del suo viaggio esseguite la sera antecedente sottoscritte, & il giorno alle hore ventidue, e mezza, sotto la pena da incorrersi irremissibilmente di scudi dieci moneta per ciascheduna volta, che alcuno di essi trasgredirà, e perche detti Cursori per l' inosservanza di questo precedente Capitolo non habbiano ad allegare la scusa sopra la tardanza de' Curiali nel portarli la sera le citationi, ordiniamo, che detti Cursori dal giorno 15. del mese di Marzo, fino alli 15. del mese d'Ottobre debbano la sera serrare, & effettivamente haver serrato il loro Banco, e partire immediatamente per li loro viaggi ad un'hora, & mezza di notte, e dalli 15. d' Ottobre per fino alli 15. Marzo alle due hore in punto, e proseguire i loro viaggi come sopra, sotto la medesima pena di scudi dieci moneta d'applicarsi ne i casi sudetti un terzo all'Accusatore, & il rimanente à beneficio de' Carcerati, & altre pene etiam corporali à Nostro arbitrio.

Citationum copiæ caractere intelligibili.

Terzo. Ordiniamo à detti Cursori, loro Copisti, e Giovani, che debbano copiare le Citationi, Mandati, Sequestri, Monitorii, & altri atti giuditiali di buono, & intelligibile carattere, di modo che s'intenda chiaramente il nome del Giudice, del Notaro, del Citante, citato, e l'istanza, che in quelli si fà, & altro, che contengono respettivamente sotto pena rispetto alli Copisti, Giovani e Listorali d'esser subito licentiati dal Banco, & inhabilitati in perpetuo al servitio di detto Uffitio, rispetto poi alli Cursori, sotto la pene di scudo uno per ciascheduna citatione mal copiata d'applicarsi in beneficio de' poveri Carcerati, & altre pene à Nostro arbitrio.

Executio citationum fiat à Cursoribus per se ipsos

Quarto. Prohibiamo espressamente à tutti, e singoli Cursori sopradetti di far fare li viaggi, & esseguire le citationi, & altri atti giuditiali come sopra la sera, & in altri tempi da persone, che non sono Cursori, ma debbano li medemi Cursori, alla fede de' quali è appoggiato l'Uffitio esseguirle per loro stessi, sotto la pena, oltre la nullità dell'atto di falsità, e sospensione ipso facto dall' Uffitio, e di scudi 50. moneta d'applicarsi per un terzo all'Accusatore, e per il rimanente alla Reverenda Camera Apost., & altre contenute, & espresse negli Editti antecedenti à nostro arbitrio: Auvertendo ciascheduno d'ubidire, e puntualmente li sudetti, & altri Ordini come sopra, perche contro li Trasgressori si procederà, non solo per accuse d'interessati, ma anco di segreti Accusatori, & ex officio per inquisitione, e in ogni altro miglior modo più espediente, e si crederà alla disposizione di un solo Testimonio degno di fede.

De scripturis productis per Notarios non accomodandis, & accommodatis recuperandis.

Quinto. Prohibiamo à Notari, Sostituti, e Giovani del Nostro Tribunale l'accommodare le scritture prodotte di qualsivoglia sorte, eccetto i Processi de Partibus, sotto pena di scudi dieci d'oro per ciascuna volta, da applicarsi come sopra, & altre pene à Nostro arbitrio, e perche si trovano scritture prodotte in grandissima quantità presso i Curiali accommodate con ricevuta, e senza, e restano gl'Uffitii del Nostro Tribunale, hora spettanti alla Camera Apostolica, quasi spogliati, in pregiuditio de Litiganti; Però ordiniamo à tutti Curiali, & altri, che havessero scritture prodotte in detti Offitii, che dentro il termine di quindici giorni, da computarsi dalla publicatione del presente Editto debbano riportare à dd. Offitii le scritture appresso loro esistenti, altrimente si procederà manu Regia, & more Camerali contro tutti senza figura di Giuditio.

Notarii quotidie extendant decreta, & de mense in mensem conficiant filsam citationum.

Sesto. Ordiniamo anco à Notari, e Sostituti del Nostro Tribunale, che debbano stendere puntualmente i Decreti ogni giorno, & in fine del mese mettere in filsa le Citationi à publica commodità in conformità della Riforma della san. mem. di Paolo Papa V. sotto la pena della privatione della Carica, & altre pene à Nostro arbitrio, e sotto le medeme pene prohibiamo à medemi il recevere, ò legere avanti di Noi, ò Giudici del Nostro Tribunale, ò da Noi deputati le copiette delle Citationi, annullando, & dichiarando nulli tutti i Decreti, che nasceranno con leger dette copiette.

Edictum retineatur affixum.

Et acciò da nessuno si possa allegare l'ignoranza di questi Nostri Ordini, vogliamo, che il presente Nostro Editto s'affigga, e stii affisso nel solito Stantione, dove essi esercitano il loro offitio, & ivi affisso, e negl'altri loughi soliti, habbia forza, e vigore, come se fosse stato à ciascheduno d'essi personalmente intimato. Dato in Roma dal Nostro Palazzo questo di 13. Marzo 1692.

Carlo de Marini Auditore Generale.

Per il Successore del Sig. Pelosi.

Antonio Olivieri Deputato.

Publicatio 12. Martii 1692.

Die, mense, & anno, quibus supra, supradictum Edictum affixum, & publicatum fuit ad Valvas Curiæ, & in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per me Hyppolytum Petrettum Apostolicum Curs.

Pro Domino Joanne Baptista Faina Mag. Curs.
Franciscus Perinus Cursor.

LXXI.

Decretum circà Memorialia porrigenda.

Super eodem negotio post aditam unam ex Sac. Congregat. adiri non possit alia; Ac decreta obtenta sint nulla.

UT occurratur impetrantium calliditati, quâ sæpiùs, vel iidem Oratores, vel eorum Procuratores, ac Sollicitatores, sivè alii quicumque Agentium, aut expeditorum nomine nuncupati Litteras Gratiæ, vel Justitiæ, cum valdè notabili ipsius Justitiæ, ac publici boni, & quandoque Animarum etiam præjudicio in Aula, & Curia Romana subripere conantur, Sanctissimus Dominus Noster INNOCENTIUS Divinâ Providentiâ Papa XII. expressè præcepit, & mandavit.

Quòd si quis in posterum preces, sive supplices libellos in materia Gratiæ, vel Justitiæ alicui ex Sacris Congregationibus Urbis quomodolibet obtulerit, seu præsentaverit; Itaut ab eadem Sacra Congregatione vel in totum, vel in parte fuerint rejectæ, aut aliàs ipsa Sacra Congregatio mediante præfata præsentatione precum præventa, manus quomodocumque desuper apposuerit, nequeat ullo modo idem negocium, causam, vel petitionem ad alteram ex Sacris Congregationibus, etiam mediante rescripto Sanctitatis Suæ (quod in hoc casu importunè, & subreptitiè Sanctitas Sua censeri voluit extortum) sub quovis prætextu, causa, vel quæsito colore etiam simplicitatis, & ignorantiæ deferre, vel aliàs primam Congregationem spontè à principio aditam declinare, aliàs rescripta, Decreta quæcumque, Indulta, Gratiæ, Litteræ, resolutiones, vel provisiones à secunda, sivè altera Congregatione impetrata, vel impetranda, nec non Litteræ Apostolicæ, quas illorum, vel illarum vigore desuper expediri contingeret, haberi debeant omninò pro subreptitiè extortis, nulliusque penitùs sint roboris, vel momenti, nec ullatenus in Judicio, vel extra suffragari possint, & valeant, perindè ac si nunquam emanassent.

Et quoniam id plerumque provenire solet ex prædicta calliditate Impetrantium, qui ubi primam Congregationem tanquam negocii, ejusque circumstantiarum instructam, eorum petitioni contrariam habuerunt, vel habere suspicantur, studiosè tentant alteram adire Congregationem, ut tanquam minùs informata ipsis concedat, quod prima vel denegavit, vel denegasset; Idcircò Sanctitas Sua ultà præmissam nullitatem rescriptorum, & Litterarum expressè pariter præcepit, quòd tam iidem Oratores, ac Partes principales,

cipales, quàm illorum, illarumque Procuratores, Sollicitatores, Agentes, aut Expeditores quicumque, adversus hujusmodi Decretum attentaverint, non solùm puniri valeant etiam pœnâ Carceris, vel alterâ arbitrio alterutrius Congregationis mediante organo Secretarii pro tempore, facto tamen verbo in ipsa Congregatione, sed ulteriùs quòd Procuratores, Sollicitatores, Agentes, & Expeditores hujusmodi, ubi ipsi sint, qui ignara Parte, seu Principali attentaverint, omninò teneantur ad refectionem omnium expensarum, atque damnorum, quas, vel quæ per suos Principales hac de causa pati contingeret, vel contigillet, atque ad id summariè per eundem Secretarium, facto tamen ut supra verbo in ipsa Congregatione, opportunis Juris, & facti remediis compelli possint, & debeant. Et ne aliquis præsentis Decreti, & in eo contentorum ignorantiam ullo unquam tempore allegare valeat, illud Typis imprimi, & in locis solitis Urbis, nec non in Secretaria supplicum libellorum, qui Sanctitati Suæ porriguntur, ac in singularum Congregationum prædictarum Secretariis affigi, & in earumdem Congregationum regiſtris inseri jubet, Ità tamen, ut dicta affixione in supradictis locis solitis Urbis dumtaxat secuta, omnes, & singuli ad illius omnimodam observantiam illicò teneantur. Atque ità de expresso ordine, & mandato Sanctitatis Suæ sibi specialiter injuncto decrevit, & nomine ejusdem Sanctissimi Domini Nostri servari mandavit hac die 4. Junii 1692.

Ansaldus de Ansaldis SS. D. N. Auditor.

Pro D. Successore D. Nicolai Florelli olim A. C. & Sac. Pal. Apost. Not. Angelus Montanus pro R. Cam. Administrator Deputatus &c.

Publicatio 4. Junii 1692.

Die, Mense, & Anno, quibus supra supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad Valvas Curiæ, & in acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Gregorium Staggium Sanctissimi Domini Nostri Papæ Cursorem Decanum.

Pro D. Mag. Curs. Hippolytus Petrettus Curs.

LXXII.

Novissima Decreta Signaturæ Justitiæ.

FLAVIUS Miseratione Divina Episcopus Portuen. S. R. E. Cardinalis Chisius Signaturæ Justitiæ Sanctissimi D. N. Papæ Præfectus.

Commissiones vigore appellationis in Causis non excedentibus scuta 50. expediantur per Auditorem.

AD parcendum Litigantium expensis, & coërcendos insurgentes abusus, facto verbo cum Sanctissimo, præcipimus, quòd nemo imposterùm audeat proponi facere in Plena Signatura Commissiones appellationum in causis non excedentibus summam scutorum quinquaginta monetæ, sed pro illis impetrandis, & signandis cum clausulis opportunis instent coram D. Nostro Auditore prævia citatione Partis adversæ, facienda per Acta infrascripti Notarii Archivii cum insertione Commissionum signandarum ad formam decretorum ejusdem D. Auditoris, cujus decreta habeant vim Rescripti Plenæ Signaturæ, & perindè ac si ex illa emanassent; Quibus non acquiescentes tunc possint recurrere ad Nos, & edocti de gravamine eorumdem indemnitati consulemus.

Ab eodem Auditore expediendæ reintegrationes inhibitionum, & alia &c.

§. 2. Ulteriùs mandamus, quòd nemò pariter audeat adire plenam Signaturam, quando agitur tam de reintegratione Inhibitionum moderatarum, ob non transportationem Actorum à Sacra Rota, & Judicibus Commissariis, seu communicatione earumdem facultatum A. C., quàm de reintegratione, vel moderatione inhibitionum A. C., & aliorum quorumcunque Judicum, sicuti de remissione Causarum, declaratione Jurisdictonum, ac deputatione Judicum, seu pro purgatione, vel rejectione attentatorum, sed pro illis instent coram eodem D. Nostro Auditore prævia citatione Partis adversæ, cujus decreta super his habeant pariter vim rescripti plenæ Signaturæ, quibus, si non acquieverint, tunc liceat recurrere ad eamdem plenam Signaturam, in qua si succubuerint, Parti victrici solitas expensas scutorum quatuor Procuratores in pœnam reficere teneantur.

De Commissionibus quæ departium consensu expediuntur.

§. 3. Inhærendo decreto facto per cla. mem. Card. Cynthium Aldobrandinum nostrum Antecessorem, cujus tenor est videlicet. Si quando inter Litigatores de expedienda Commissione convenerit, ipsimet, vel eorum Procuratores ad indicandum hujusmodi consensum sua cujusque nomina pariter à tergo Commissionis inscribant. Procuratores autem, qui absque legitimo mandato tale quidpiam ausi fuerint, expensas, damna, & interesse per Illustris. Dominum Præfectum extrajudicialiter taxanda læsæ Parti præstare damnabuntur, gravioribus etiam pœnis pro culpæ, dolique mali modo ejusdem Illustriss. D. Præfecti arbitrio inflictis. Volumus, & mandamus, quòd in futurum, si Partes, vel Procuratores convenerint de expedienda commissione, Revisor juxtà illorum consensum Commissiones signandas nobis afferre teneatur, injungentes tamen Procuratoribus observantiam laudati decreti sub eisdem pœnis, & aliis arbitrio nostro infligendis.

Pro circumscriptione sola sententia cum non porriguntur Commissiones.

§. 4. Insuper prohibemus transmittere in plena Signatura Commissiones pro simplici circumscriptione sententiarum, vel decretorum, sed debeant in eisdem Commissionibus alternativè petere, quòd quatenùs non sit locus circumscriptioni, committatur causa appellationis cum clausulis opportunis, ne Partes reiteratis propositionibus onerentur.

Non contravenien-dum neque de consensu Partium.

§. 5. Et demùm præcipimus, quòd imposterum caveant DD. Ponentes subscribere propositiones Causarum contra formam præsentium Decretorum, nàm non obstante eorum subscriptione Causæ non proponentur, & Procuratores in expensis, & aliis gravioribus pœnis damnabuntur.

§. 6. Quæ omnia, & singula inviolabiliter servari volumus, & mandamus, una cum aliis omnibus demandatis in antiquis Edictis sub hac hodierna die iterùm promulgatis, neque sub quovis prætextu, causa, vel colore, sive de Partium consensu licitum sit contravenire sub pœnis suspensionis, & aliis gravioribus arbitrio nostro infligendis. Datum Romæ ex Palatio nostræ solitæ residentiæ hac die . . . Julii 1692.

F. Card. Chisius Præfectus.

C. Origus Auditor.

Franciscus Leonus Arch. Rom. Curiæ Scriptor.

Publicatio 1692.

Die, mense, & Anno quibus supra, supradicta Decreta affixa, & publicata fuerunt ad valvas Curiæ, & in acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Gregorium Staggium SS. D. N. PP. Curs.

Pro D. Mag. Curs. Agapitus de Magistris Curs.

LXXIII.

Decretum super Cauthelis Angeli, & Dilationibus Quinquennalibus.

Inhibitiones ex cauthela Angeli non conceduntur nisi docto de titulo, vel possessione.

§. 1. AD dirimendos litium circuitus, ipsorumque litigantium defatigationes, & damna in grave præjudicium rectæ, ut decet, & expeditæ Justitiæ, Congregatio Particularis Prælatorum, aliorumque, ut infrà, à Sanctiss. D. N. INNOCENTIO Divina Providentia PAPA XII. specialiter deputata, & approbata, expresse præcipit, & mandat, quod imposterùm Inhibitiones, quæ nuncupantur Cauthelæ Angeli, etiam ex causa Dotis, seu Instrumentorum, &

Chartarum dotalium, à nullo ex Romanæ Curiæ Judicibus, nemine penitus excepto, concedantur, nisi per petentem fuerit priùs summariè doctum de titulo, vel saltem possessione illius rei, vel rerum, quam, vel quas voluerit sub ipsa Inhibitione comprehendere.

Ad Judices mandatorum pertinet dictas inhibitiones attendere, vel moderari, & super attentatis prætendendis cognoscere.

§. 2. Quódque pariter inposterum eædem Cautelæ Angeli, sive agatur de hærede beneficiato, sive de tertiis personis, sive citatis, sive non citatis, tàm ante quàm post executionem, quàm etiam in quacumque parte Judicii, debeant omninò, ac solùm intimari, & allegari coram Judicibus Mandatorum, dummodo iidem Judices Mandatorum habitualem habeant Jurisdictionem, sive aliàs habitu sint competentes: Ipsique Judices Mandatorum possint, & debeant, prout Juris fuerit, easdem Inhibitiones modo, quo suprà intimatas, allegatas, seu præsentatas observare, vel moderari, perinde ac si forent Judices, qui hujusmodi Inhibitiones concessissent: Et idcircò si à Partibus prætendantur commissa aliqua attentata in spretum earumdem Inhibitionum, nullus alius Judex sub hoc prætextu se ingerere possit, quocumque usu, consuetudine, vel privilegio non obstante, sed de eisdem attentatis cognoscere dumtaxat possint, & debeant memorati Judices Mandatorum.

Non exequendum mandatum nisi obtenta moderatione.

§. 3. Declarando tamen, quòd per hoc non intenditur permittere Creditoribus, quòd eis liceat exequi illorum Mandata, quatenus à Tertio non citato in actu executionis fuerit præsentata aliqua Inhibitio, ut suprà legitimè obtenta, sed in hoc casu debeat Executor abstinere ab executione, donec coram Judice Mandati fuerit obtenta moderatio ipsius inhibitionis, alioquin idem Judex Mandati teneatur rigorosè procedere ad purgationem Attentatorum, ac si esset idemmet Judex spretæ Inhibitionis.

Fieri tamen potest descriptio mobilium, & se moventium.

§. 4. Verùm quia quandoque executio dirigitur ad Mobilia, se moventia, aliaque de facili asportabilia, & occultabilia, unde obtenta postmodum per Creditorem moderatione Inhibitionis, illæ res executioni subjiciendæ amplius non reperiuntur, in supplantationem, & præjudicium ejusdem Creditoris; Propterea eadem Congregatio Particularis præcipit, & decernit, quòd inposterum casu quo abstinendum, ut suprà, sit ab executione, liceat ipsis Creditoribus describi facere propriis sumptibus præfata Mobilia, & se moventia, aliaque hujusmodi asportabilia, & occultabilia, eaque sic descripta remanere debeant penes eamdem personam supradictam Inhibitione munitam, facta tamen obligatione de habendo in forma depositi, & restituendo ad omne Mandatum Judicis.

Semel justificata inhibitione, quoad alios standum indicationi Jurium.

§. 5. At si fortè contingeret, quòd tales Cautelæ, ac Inhibitiones aliàs extitissent contra alios Creditores legitimè, ut suprà, semel intimatæ, ac cum aliqua Judicis interlocutione justificatæ, tunc ad parcendum sumptibus indebitis prædicta Congregatio Particularis mandat, & injungit, quòd pro nova justificatione facienda stari omninò debeat indicationi Jurium contrà præfatos alios Creditores jam productorum, vel repetitorum.

In dilatoriis concedendis uxor pro dote non est numeranda inter Creditores.

ET ut pariter evitentur fraudes, & simulationes, quæ quotidiè (ut docet experientia) committuntur in concessione Induciarum, seu Dilationum favore Debitorum, memorata Congregatio Particularis decrevit, & ordinavit, quòd inposterùm in quibuscumque Dilationibus, Induciis, sive Moratoriis, Uxor pro sua dote, aliisque creditis nullo modo connumerari possit, aut debeat inter Creditores, alias Dilationes, Induciæ, vel Moratoriæ contrà formam præsentis Decreti quomodolibet concessæ nullius existant roboris, ac penitus sperni valeant. Die 13. Julii 1692.

Facta relatione Sanctissimo prædictorum Decretorum, idem Sanctissimus approbavit, ac observari mandavit in omnibus Curiis, & Tribunalibus.

Ansaldus de Ansaldis SS. D.N. Auditor.

Nomina autem Prælatorum, aliorumque prædictæ Congregationis Particularis à SS. deputata sunt hæc.

R. P. D. Prosper Bottinus Archiep. Myren. Fisci, & Cameræ Apost. Advocatus, & Fidei Promotor.
R.P.D. Federicus Caccia Sacræ Rotæ Auditor.
R.P.D. Jo. Dominicus Thomatus A. C. Locumtenens.
R.P.D. Curtius Origus Auditor Eminentiss. D. Cardinalis Præfecti Signaturæ Justitiæ.
R.P.D. Joseph Sacripantes SS.D.N. Subdatarius.
R.P.D. Ferdinandus Nuptius R.C. A. Commissarius Generalis.
R.P.D. Ansaldus de Ansaldis Auditor Sanctissimi.
D. Fattinellus de Fattinellis Primus Collateralis Curiæ Capitolii.

Cum interventu etiam.

D. Ulyssis Calvi V. Decani Collegii DD. Patronorum S.P.A.
D. Josephi Livaldini Procuratoris Pauperum recurrentium ad publicam Audientiam SS. D.N.
Et D. Antonii de Simeonibus Secretarii Sacræ Congregationis Generalis super reformatione Tribunalium.

Pro D. Successore D. Nicolai Florelli olim A. C. & S. P. A. Notarii Angelus Montanus pro Rev. Camera Administrator Deputat.

Die mense, & Anno, quibus supra, supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Curiæ, in Acie Campi Floræ, & aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Joannem Baptistam de Comitibus Apostolicum Cursorem.

Publicatio 1692.

Agapitus de Magistris Curs. Mag.

Decretum super observatione, & declaratione Privilegiorum Affidæ. LXXIV.

§. 1. LIcèt in Decretis Sacræ Congregationis super Reformatione editis tempore San. mem. Urbani VIII. & confirmatis per San. mem. Innocentium XI. in ejus Constitutione incipiente, *Decet Romanum Pontificem*, inter cætera sancitum fuerit, quòd quibuscumque solventibus Fidam grossam, habentibus tamen requisita necessaria, serventur solitæ Inhibitiones, omnibus verò aliis Fidæ, & Inhibitiones non suffragentur, nisi respectu rerum Fidam concernentium: Nihilominus quia contrà, seu præter intellectum eorumdem Decretorum, ac Privilegiorum Affidæ plures irrepserunt abusus nimis administrationi Justitiæ, ac felici regimini præjudiciales; Congregatio Particularis, ut infra, à Sanctiss. D.N. INNOCENTIO Divinâ Providentiâ Papa XII. deputata, & approbata, re maturè discussa, & auditis interesse habentibus declaravit.

Urbanus VIII. & Innocentius XI. declarunt Fidam, & Inhibitiones suffragari tantum in rebus Fidæ.

§. 2. Quòd solventibus Fidam grossam (habentibus tamen, ut suprà, requisita necessaria) Privilegium Fori suffragetur dumtaxat quoad executionem personalem, ipsasque res, seu bona affidata, & tantùmmodo in Causis, ac negotiis quomodocumque, & qualitercumque eamdem Fidam concernentibus, vel ab ea dependentibus, & non in aliis.

Sanctissimus declarat in quibus suffragentur solventibus Fidam grossam.

§. 3. Solventibus verò Fidam parvam, prout sunt Affidati Urbis Romæ, Latii, Sabinæ, ac Maritimæ, & Campaneæ, idem fori Privilegium, & Inhibitiones suffragentur pariter quoad res affidatas tantum, & in Causis (ut suprà) Fidam quomodocumque concernentibus; Quò vero ad personas, nullo modo idem Privilegium, vel Inhibitiones juvent, nisi ex professo, seu principaliter incumbant servitio Gregis, & Animalium affidatorum.

In quibus solventibus Fidam parvam.

Privilegia durant tantum durante Fida.

§. 4. Rursùs declaratum fuit, quòd Privilegium Affidatorum ſolventium tàm Fidam groſſam, quàm parvam veniendo, ſtando, & redeundo durent, & & durare debeant, durante ipſa Fida, nempè uſquequo permanſerint ad depaſcendum cum eorum Animalibus intra Stangam, ſeu Dohanam, ac ulteriùs per tres dies poſtquam reverſi fuerint ad eorum Domos, & Provincias, & non ultra; excepto caſu Repræſalarum, in quo etiamſi reverſi fuerint, & permanſerint in eorum Domibus, & Provinciis, adhuc debeant gaudere exemptione à prædictis Repræſaliis; Prout etiam in eorum Domibus, & Provinciis cenſeantur, & ſint immunes à pœnis damnorum datorum, dummodò non probentur ſtudiosè commiſſa: Eorumdem verò damnorum cognitio in hoc caſu ſpectet tantummodo ad Judices locorum.

Remanet tamen exemptio à Repræſaliis, & damno dato.

§. 5. Inhibitiones Affidæ in poſterum non concedantur à Dohanerio, neque ab ejus Aſſeſſoribus, ſed dumtaxat à Camerario, & Graſciæ Præſide, ſervatâ tamen formâ, & cum præciſa inſertione præſentium Decretorum; Aliàs Inhibitiones præfatæ impunè valeant contemni.

Inhibitiones Affidæ à quibus, & quomodo concedendæ.

§. 6. A Decretis moderationis præfatarum Inhibitionum nullus Judex, aut Tribunal, etiam Cameræ Apoſtolicæ, admittat Appellationes ſuſpenſivas, neque concedat Superſeſſorias ad impediendam executionem Mandatorum.

A moderatione non datur appellatio ſuſpenſiva.

§. 7. Obtenta autem moderatione unius Inhibitionis vigore Privilegiorum Affidæ, omnes aliæ Inhibitiones ſimiles per Affidatum expeditæ, aut expediendæ coram eodem, vel diverſo Judice nullæ ſint, & invalidæ, & abſque incurſu attentatorum poſſint impunè ſperni. Die 10. Auguſti 1692.

Moderata una reliquæ ſunt nullæ.

Facta relatione Sanctiſſimo præfatorum Decretorum, Sanctitas Sua approbavit, eaque ſervari mandavit in omnibus Curiis, & Tribunalibus, tàm Urbis, quàm Status Eccleſiaſtici.

A. de Anſaldis SS. D. N. Auditor.

Nomina autem eorum, qui prædictæ Congregationi Particulari à Sanctiſſimo Deputatæ intervenerunt, ſunt hæc.

R. P. D. Proſper Bottinus Archiepiſc. Myren. Fiſci, & Cameræ Apoſt. Advocatus, & Fidei Promotor.
R. P. D. Franciſcus Martellus Archiep. Corynthi, Sacræ Conſultæ Secret.
R. P. D. Federicus Caccia Sacræ Rotæ Auditor.
R. P. D. Joannes Patritius Cameræ Apoſtolicæ Clericus, nec non Dohanarum, & Graſciæ Præſes.
R. P. D. Joannes Buxius Auditor Eminentiſſ. D. Cardinalis Camerarii.
R. P. D. Franciſcus Caffarellus Sac. Congregationis Sgraviorum, & de Bono Regimine Secretarius.
R. P. D. Jo. Dominicus Thomatus A. C. Locumtenens.
R. P. D. Curtius Origus Signaturæ Juſtitiæ Auditor.
R. P. D. Joſeph Sacripantes SS. D. N. Subdatarius.
R. P. D. Ferdinandus Nuptius R. C. A. Commiſſ. Generalis.
R. P. D. Anſaldus de Anſaldis Auditor Sanctiſſimi.
D. Fattinellus de Fattinellis Primus Collateralis Curiæ Capitolii.

Pro D. Succeſſore D. Nicolai Florelli olim A. C. & S. P. A. Notarii. Angelus Montanus pro Reverenda Camera Adminiſtrator Deputat.

Publicatio 1692.

Die, menſe, & Anno, quibus ſupra, ſupradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Curiæ, in Acie Campi Floræ, ac aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Gregorium Staggium Decanum SS. D. N. PP. Curſ.

M. Aurelius Pellicia Mag. Curſorum.

Editto ſopra la revocatione, ſoſpenſione dell'Inhibitioni, e Patenti de' Neofiti, e nova conceſſione, ò conferma di eſſe. LXXV.

FULVIO del Tit. di SS. Coſma, e Damiano della S. R. C. Cardinal Aſtalli Protettore, e Giudice Ordinario de Catecumeni, e Neofiti.

§. 1. PRemendo ſommamente à Noi, che li Privilegii conceſſi da Sommi Pontefici à Cathecumeni, e Neofiti venghino à favore delli medeſimi onninamente oſſervati, per maggiormente auvalorare, e dar animo all'Hebrei, & altri Infedeli di riconoſcer la verità, e convertirſi alla Santa Fede; Et all'incontro dare anco opportuno rimedio à molti abuſi, e diſordini per il paſſato occorſi, e che forſi potrebbero in auvenire occorrere, à cauſa, come ſi ſuppone d'eſſer ſtate impetrate Inhibitioni da diverſi, à titolo di eſſer Neofiti, ò compreſi in detti Privilegii, benche non foſſero tali, e di ragione non doveſſero, nè poteſſero, ò poſſino godere ſimili Privilegii, & eſſentioni.

Motivum Edicti ex Inhibitionibus ſubreptitiis.

§. 2. Quindi è, che inherendo all'altro precedente Editto ſopra di ciò publicato, nè recedendo in niun conto da eſſo, mà acciochè ſolo reſti più chiaramente intorno à queſta parte proviſto, e per togliere ogni ſorte di dubiezze, & abuſo, ordiniamo, e comandiamo, che tutti, e ſingoli Neofiti, & altri compreſi nelli ſopradetti Privilegii, à quali ſono ſtate concedute le ſudette Inhibitioni, e Patenti, non vaglino, ne poſſino in modoalcuno di quelle in auvenire valerſene, e ſervirſene, ſe prima non impetraranno da Noi la conferma delle medeſime Inhibitioni, e Patenti, quali conferme doveranno ottenere frà il termine di un meſe proſſimo dalla publicatione del preſente Editto riſpetto alli preſenti, & in quanto agl'aſſenti fuori dello Stato Eccleſiaſtico, e Diſtretto di Roma nello ſpatio di due meſi parimente proſſimi; altrimente le ſudette Inhibitioni, e Patenti à qualunque perſona conceſſe à titolo di eſſer Neofiti, ò deſcendenti da quelli, ò pure compreſi in detti Privilegii, s'intendano ipſo jure revocate, & annullate, come che nè da Noi, nè da noſtri Anteceſſori ſiano ſtate mai concedute, ne perciò poſſino ad eſſi in alcun modo, e per qualunque cauſa ſuffragare.

Inhibitiones non ſuffragentur niſi confirmentur intra tempus hic præfinitum.

§. 3. Vogliamo però, e commandiamo, che le ſudette conferme, ò nouve Inhibitioni impetrate, ò da impetrarſi, non ſi poſſino concedere, ne ottenere, ſe prima non ſi giuſtifichi, ò in altro modo ci coſti effettivamente, che tutti quelli, che l'impetraranno novamente, ò domandaranno la conferma di eſſe, ſijno veri Neofiti, ò deſcendenti da quelli, ò pure in ciaſcun'altro modo ſoggetti alla Noſtra Giuriſditione, e capaci delli ſudetti Privilegii; Et acciochè in ogni tempo ſi poſſi ſapere il numero, e quantità della Perſone che impetraranno ſimili Inhibitioni, e Patenti, ordiniamo, che il noſtro Notaro debba ritenere un libro à parte, nel quale venghino notati, e regiſtrati li nomi, cognomi, Padre, Patria, eſercitio, & habitatione delli medeſimi, à quali ſaranno concedute le ſudette conferme, ò altre nove Inhibitioni, in vigore delli ſudetti Privilegii, quali conferme ſolamente ſi doveranno concedere gratis, e ſenza emolumento alcuno.

De forma confirmandi Inhibitiones & de illis regiſtrandis.

§. 4. Volendo, che il preſente Editto affiſſo, e publicato, che ſarà al Noſtro Offitio, Oratorio de Neofiti, & altri luoghi ſoliti di Roma, aſtringa ogn'uno, come ſe gli foſſe ſtato perſonalmente intimato. Dato dal Noſtro Palazzo, queſto di 13. Agoſto 1692.

Publicatio vim habeat intimationis perſonalis.

F. Card. ASTALLI.

Dominicus Orſinus Not.

Die,

Publicatio

Die, menſe, & anno, quibus ſupra, ſupradictum Edictum affixum, & publicatum fuit ad valvas Curiæ, Oratorii S. Jo. Baptiſtæ Neophytorum, & in acie Campi Floræ, ac aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis, per me Dominicum Sperellum Tribunalis Neophytorum Mandatarium,

---

LXXVI.

Decretum ſuper modo examinandi Teſtes, & allegandi Judices ſuſpectos.

In diſcordia Interpretum, vel una parte nolente Interpretem conducere Judex deputat unũ pro utraque.

§. 1. CUm experientia docuerit, quòd in examinandis formaliter Teſtibus, ob nimiùm frequentes Interpretum cavillationes circà modum interrogandi, variæ Teſtium circumventiones, & contrarietates oriuntur in grave damnum Collitigantium, ipſiuſque veritatis, & juſtitiæ, ita ut litium expenſæ ob id notabiliter augeantur, & examina, ac Judicia valdè protrahantur in longum: Idcircò ad obviandum in poſterum hujuſmodi abuſibus, Congregatio Particularis infraſcripta ſpecialiter à SS. D. N. INNOCENTIO Divina Providentia Papa XII. deputata expreſsè mandavit, quòd ſi tam ante, quam poſt cœptum examen aliqua diſcordia inter præfatos Interpretes emergat, ſive altera ex Partibus noluerit ſuum conducere Interpretem, teneatur Judex in caſu præfatæ diſcordiæ, ſivè ad inſtantiam alterius ex Partibus, prævia citatione ad concordandum de unico Interprete, vel aliàs deputare ex officio unum probum, & emerium Curialem, qui non poſſit, ſit ſemel ſuſpectus, allegari, iſteque ſic deputatus, remoto quocumque alio Interprete, debeat officium Interpretis pro utraque Parte fideliter gerere, interrogando Teſtes cum omni charitate, & integritate; Et ita obſervetur in quocumuue Tribunali, & Curia.

Totum Tribunal nequit allegari ſuſpectum.

§. 2. ET quia pariter agnitum eſt, quòd continuæ Judicum recuſationes in Tribunalibus Cardinalis Vicarii, & A. C. ad nil aliud tendunt, quàm ad protrahendas litium expeditiones; Ideò prædicta Congregatio decrevit, non licere in poſterùm Partibus collitigantibus totum Tribunal Vicarii, vel A. C. ſuſpectum allegare, ſed in ſolita liſta confidentium unus ſaltem ex tribus Judicibus ordinariis Curiæ alterutrius erit ab utraque Parte deſcribendus, in quo ſi concordes fuerint, alius Judex, aut Prælatus extrà præſata Tribunalia eligi, ac deputari non poſſit; Idemque ſervetur in Curia Capitolina, non obſtantibus Statutis contrarium diſponentibus. Die 24. Auguſti 1692.

Facta relatione Sanctiſſimo præfatorum Decretorum, Sanctitas ſua illa omninò mandavit obſervari,

Anſaldus de Anſaldis SS. D. N. Auditor.

Nomina autem eorum, qui prædictæ Congregationi particulari à Sanctiſſimo Deputatæ interfuerunt, ſunt hæc.

R. P. D. Bottinus Archiepiſc. Myren. Fiſci, & Cameræ Apoſtolicæ Advocatus, ac Promotor Fidei.
R. P. D. Caccia Sacræ Rotæ Auditor.
R. P. D. Thomatus A. C. Locumtenens.
R. P. D. Origus Signaturæ Juſtitiæ Auditor.
R. P. D. Sacripantes SS. D. N. Subdatarius.
R. P. D. Nuptius R. C. A. Commiſſ. Generalis.
R. P. D. Anſaldus Auditor SS. D. N. Papæ.
D. Fattinellius Primus Collateralis Curiæ Capitolii.

Pro D. Succeſſore D. Nicolai Florelli olim A. C. & S. P. A. Notarii Angelus Montanus pro Rev. Camera Adminiſtrator Deputat.

Publicatio

Die, menſe, & Anno, quibus ſupra; ſupradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Curiæ, in Acie Campi Floræ, ac aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Joannem Grecum SS. D. N. PP. Curſ.

M. Aurelius Pelliccia Mag. Curſ.

LXXVII

Decretum ſuper abolitione Privilegiorum conceſſorum Judicibus particularibus, & reductione Tribunalium ad Jus Commune, ſivè ad Judices Ordinarios Romanæ Curiæ.

Pro tollendis Juriſdictionum conflictibus inſinuatur ſuppreſſio Tribunalium particularium, & reductio ad Judices Ordinarios.

§. 1. AD radicitùs ſubmovendum quotidianos Juriſdictionum conflictus, ac intolerabiles abuſus, qui in Romana Curia multitudine Judicum particularium exercentium ex privilegio privativam, ſeù cumulativam Juriſdictionem nimis irrepſerunt, Congregatio Particularis à Sanctiſſimo D. N. INNOCENTIO Divinâ Providentiâ Papa XII. ſpecialiter (ut infra) deputata cenſuit, nullum aliud magis proprium, juſtius, & aptius remedium dari poſſe huic graviſſimo malo, per quod Juriſdictio Judicum, & Tribunalium Ordinariorum ad nihilum ferè redacta reperitur, quàm mediante nova Conſtitutione per Sanctitatem Suam promulganda penitùs tollere, & abrogare omnes prædictas Judicaturas particulares vigore Privilegiorum hactenùs erectas, & conſtitutas, & proindè ad viam Juris reducere omnia, & ſingula Indulta, facultates, & Privilegia eligendi, ſeu deputandi tàm in prima, quàm in ulterioribus inſtantiis omnes prædictos Judices particulares quocumque nomine nuncupatos conceſſa per Prædeceſſores Romanos Pontifices Congregationibus etiam S. R. E. Cardinalium, Eccleſius, & Baſilicis, etiam Petriarchalibus, Univerſitatibus, Monaſteriis, Collegiis, etiam ſub cura, & adminiſtratione Patrum Societatis Jeſu exiſten. Hoſpitalibus, Archihoſpital bus, etiam S. Spiritus in Saxia, Confraternitatibus, Archiconfraternitatibus, Conſervatoriis, Domibus Piis, etiam Almæ Domus Lauretanæ, Cappellis, Altaribus, Montibus, etiam Pietatis, cæteriſque aliis locis piis quocumque pariter nomine nuncupatis, ſeù Cardinalibus eorum Protectoribus, Archipresbyteris, Abbatibus, Vicariis, aliiſque Adminiſtratoribus quibuſcunque in quibuſvis Cauſis Civilibus, Criminalibus, aut mixtis dictarum Eccleſiarum, Locorum Piorum, aliorumque ut ſupra, necnon eorum Officialium, Dignitatum, Canonicorum, Beneficiatorum, Affictuariorum, Emphyteutarum, Colonorum, aliorumque quomodolibet inſervientium eiſdem locis Piis, illorumque bonis, & tenutis, etiamſi Privilegia prædicta appareant, ſeù fuerint conceſſa Motu proprio, conſiſtorialiter, ſeù in limine fundationis, ſivè ex cauſa oneroſa, vel pro bono publico ſpirituali, aut temporali, & quantumvis extiterint ſe. mel, ac pluries per Sedem Apoſtolicam confirmata, & innovata cum quibuſvis facultatibus, & autoritatibus eligendi Notarios ſibi benè viſos, ac procedendi ſummariè, de plano, ſola facti veritate inſpecta, ſine ſtrepitu, & figura judicii, manu Regia, ac quacunque appellatione, reclamatione, recurſu, reviſione, ſupplicatione, ſeù reſtitutione in integrum remotis, ſeù cum aliis ſimilibus, aut majoribus facultatibus, ac quibuslibet efficaciſſimis clauſulis munita noſcantur, etiamſi iſtæ continerent derogatorias ad futura, ſeù derogatorias derogatoriarum, ſeù mandarent revocari non poſſe, niſi auditis etiam pluries habentibus intereſſe, itaut Conſtitutionis per Sanctitatem Suam promulgandæ effectus ſit, quòd in omnibus, & per omnia prædicta Privilegia, facultates, & Indulta quocumque titulo, cauſa, vel ratione, aut verborum amplitudine edita, ſeù conceſſa habean-

tur ac si non emanassent, aut nunquam fuissent confirmata, vel innovata.

Præservatur Jurisdictio pro Causis cœptis.

§. 2. Mens autem, ac sensus Congregationis fuit, & est sub præsenti ordinatione non comprehendere Causas jam instructas, seù aliàs legitimè contestatas coram Judicibus particularibus, quivè propterea ea non obstante poterunt ad illarum expeditionem prout Juris procedere: Verùm si Causis hujusmodi expeditis appellari, reclamari, supplicari, recurri, aut in integrum peti restitutio contingat, appellationes hujusmodi, reclamationes, supplicationes, recursus, ac petitiones restitutionis in integrum devolvantur ad Signaturam Justitiæ, prout practicatur in cæteris Causis expeditis ab Judicibus Ordinariis, nec amplius redire possint ad Tribunalia antiquorum Privilegiorum, sivè ad Protectores, Archipresbyteros, aliosque ut suprà: Prout nec etiam in casu recursuum, & appellationum in posterum interponendarum à Sententiis, & Decretis Judicum per eosdem privilegiatos extrà Curiam deputatorum, seu deputandorum, hujusmodi recursus, & appellationes amplius ad supra nominatos, sed ad Judices Ordinarios, & competentes Romanæ Curiæ devolvi debeant.

Excipiuntur Jurisdictiones aliquorum & in aliquibus.

§. 3. Declarando tamen, quód per præsentem ordinationem non censeatur ullo modo adempta Cardinalibus, Archipresbyteris, Protectoribus, seu Titularibus, eorumque Vicariis, aliisque Deputatis facultas, seu Jurisdictio in his, quæ concerunt servitium Ecclesiæ, seu Loci Pii circà disciplinam Ecclesiasticam, & morum correctionem dumtaxat; prout quòd neque sub eadem ordinatione comprehensa sint Tribunalia Cameræ Apostolicæ, Legatus Avenionensis, ac Judex Fabricæ S. Petri, neque Congregationes descriptæ in solito Liberculo, seu Elencho Congregationum, ac Tribunalium Urbis.

De interesse Notariorum, & Artibus.

§. 4. Quo verò ad interesse Notariorum, necnon ad Artes, & Consulatus Urbis, censuit eadem Congregatio, esse imposterum particulariter providendum. Hac die 31. Augusti 1692.

Sanctissimus mandat observari etiam ante Constitutionê edendam.

Facta sub eadem die 31. Augusti 1692. per me infrascriptum relatione præmissæ resolutionis Sanctissimo D. Nostro, Sanctitas Sua præcepit illam publicari, & interim omninò observari, donec desuper edatur Bulla, ac si eadem jam emanasset.

Ansaldus de Ansaldis SS. D. N. Auditor.

Sequuntur nomina Prælatorum, aliorumque, qui prædictæ Congregationi Particulari à Sanctissimo specialiter deputatæ intervenerunt.

Reverendiss. P. D. Prosper Bottinus Archiepisc. Myren. Fisci, & Cameræ Apostolicæ Advocatus, & Promotor Fidei.
Reverendiss. P. D. Jacobus Emerix Sacræ Rotæ Decanus.
R. P. D. Matthæus Ysore de Hervault Sac. Rotæ Auditor.
R. P. D. Federicus Caccia Sacræ Rotæ Auditor.
R. P. D. Joseph Molines Sac. Rotæ Auditor.
R. P. D. Jo. Dominicus Thomatus A. C. Locumtenens.
R. P. D. Curtius Origus Signaturæ Justitiæ Auditor.
R. P. D. Joseph Sacripantes SS. D. N. Subdatarius.
R. P. D. Ferdinandus Nuptius Reverendæ Cameræ Apostolicæ Commissarius Generalis.
R. P. D. Ansaldus de Ansaldis Auditor Sanctissimi.
D. Fattinellus de Fattinellis Primus Collateralis Curiæ Capitolii.
D. J. Dominicus Raynaldus Locumtenens Criminalis Eminentissimi Domini Card. Vicarii.
Pro D. Successore D. Nicolai Florelli olim A. C. & Sac. Pal. Apost. Not. Angelus Montanus pro R. Cam. Administrator Deputatus.

Die, Mense, & Anno, quibus supra, supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad Valvas Curiæ, & in acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Sebastianum Vasellum Sanctissimi Domini Nostri Papæ Cursorem.

M. Aurelius Pelliccia Mag. Curs.

Declaratio, & Extensio Decreti lati sub die 31. Augusti 1692. super abolitione Tribunalium particularium. LXXVIII.

§. 1. COngregatio Particularis à Sanctissimo D. N. INNOCENTIO Papa XII. specialiter (ut infrà) deputata, prosequendo reformationem super reservatis sub die 31. Augusti proximè præteriti, ac super aliis per Sanctitatem Suam sibi expresè demandatis, censuit, eidem Sanctitati Suæ esse proponendum, quòd in enunciata nova Constitutione per Sanctitatem Suam promulganda ulteriùs provideatur, ut sequitur, nempè, quòd Basilicæ, Collegia, Hospitalia, cæteraque Loca pia, quæ ex concessione Apostolica habebant electionem, & usum proprii Notarii in primis, & ulterioribus instantiis, in posterùm in Causis, in quibus agatur de vero, ac proprio interesse dictarum Ecclesiarum, ac Locorum piorum, non teneantur ad aliquam solutionem Extractus, seu Regestri, sed Notarii quorumvis Tribunalium debeant in dictis Causis, & in qualibet instantia conficere Instrumentum Actorum, prout jacent, nihilque ab eis ultrà consuetam mercedem pro dicto Instrumento Actorum sub quovis prætextu petere, aut exigere.

Basilicæ, Collegia, & loca pia quæ potiebantur Indulto habendi Notarium proprium, nõ tenentur cuicunque Notario solvere extractum.

§. 2. Quoad Consulatus Artium, & Universitatum, etiam Mercatorum, sublatis omnibus Assessoribus, & abrogata in Judicialibus quacumque Consulum Jurisdictione, succedant competentes Judices Ordinarii, inter quos si locus prævention, adhibitis (quatenus opus videatur) eisdem Consulibus solummodò tamquàm Peritis in rebus, & negotiis eorum Artem concernentibus.

De Jurisdictione Consulatuum moderanda.

§. 3. Excipiuntur tamen à præsenti Decreto Consules Agriculturæ, illorumque Assessor, nec non Notarii Universitatis Mercatorum, & Aromatariorum pro eorum Officiis titulo oneroso acquisitis, donec aliter provideatur.

Excipiuntur aliqui.

§. 4. Rursùs Congregatio censuit, quòd Judicibus particularibus jam suppressis, & abolitis, quibus fuit reservata facultas expediendi Causas instructas, ac legitimè contestatas antè Decretum suppressionis, & abolitionis, præfigatur terminus per totum mensem Decembris proximè venturi ad illas expediendas, aliàs dicto termino elapso Causæ prædictæ devolvantur in statu, & terminis ad Judices Ordinarios Romanæ Curiæ.

Causæ pendentes Tribunalibus suppressis reservatæ expediendæ in hoc termino.

§. 5. Hujusmodi verò terminus non suffragetur in Causis pendentibus coram Consulibus, eorumque Assessoribus, nam ipsorum Jurisdictio, etiam in Causis instructis, & contestatis, statim à die publicationis præsentis Decreti penitùs, & omninò cessare debeat.

Consulibus non præfigitur terminus, quia causæ non reservantur.

§. 6. Decretum in præterita Congregatione editum de appellationibus, seu recursibus judicialibus interponendis ad Judices Ordinarios Romanæ Curiæ à Sententiis seù Decretis Judicum in Partibus deputatorum, seù deputandorum à Protectoribus Locorum Piorum, aliisque Privilegiatis, censuit Congregatio comprehendere etiam illos, cujuscumque dignitatis sint, etiam Cardinalitiæ, qui ratione Episcopatuum, Guberniorum, Abbatiarum, Commendarum, aut ex quovis alio titulo, vel privilegio hujusmodi Jurisdictionem tùm in committendo, tùm in decernendo, vel judicando usque ad præsens in Urbe per se, vel alios exercuerunt.

Decretum ut à Judicibus privilegiatorum appellatur ad Judices Ordinarios Curiæ, cõprehendit etiam Delegatos Cardinaliũ in partibus

§. 7. Ha-

De Judice secundæ instantiæ in partibus deputando universaliter, non singulariter.

§. 7. Habentes autem facultatem eligendi in Partibus Judicem secundarum Instantiarum teneantur illum ibidem per unicam, & universalem deputationem ad omnes Causas deputare; Et si controversia emergat, vel super recusatione, vel super modo procedendi coram dicto Judice deputato, recurratur ad Signaturam Justitiæ, quemadmodum in cæteris aliis Causis, & negotiis fieri solet.

Eminentissimi Vicarii Urbis facultates reducendæ ad terminos Juris communis

§. 8. Postremò censuit Congregatio, omnia, & quæcumque Indulta, & facultates Cardinali Vicario Urbis, ejusque Tribunalis sub quibusvis formis, decretis, & clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, concessas per quoscumque Romanos Pontifices, & signanter per san. mem. Clementem X. in ejus Literis sub dat. pridiè Idus Augusti 1671. reduci debere ad terminos Juris communis, Concilii Tridentini, & Reformationis san. mem. Pauli Quinti. Hac die 7. Septembris 1692.

Approbatio Sanctissimi, & executio ex nunc.

Facta per me infrascriptum sub eadem die relatione supradictarum resolutionum Sanctissimo D. Nostro Sanctitas Sua illas publicari, & interim omnino observari mandavit, ac si Bulla desuper edenda jam emanasset.

Ansaldus de Ansaldis SS. D. N. Auditor.

Sequuntur nomina Prælatorum, aliorumque, qui prædictæ Congregationi Particulari à Sanctissimo specialiter deputatæ intervenerunt.

Reverendiss. P. D. Prosper Bottinius Archiep. Myren. Fisci, & Cam. Apost. Advocatus, & Promotor Fidei.
Reverendiss. P. D. Jacobus Emerix Sac. Rotæ Decanus.
R. P. D. Matthæus Ysore de Heruault Sac. Rotæ Auditor.
R. P. D. Fredericus Caccia Sac. Rotæ Auditor.
R. P. D. Jo. Dominicus Thomatus A. C. Locumtenens.
R. P. D. Curtius Origus Signaturæ Justitiæ Auditor.
R. P. D. Joseph Sacripantes Sanctiss. D. N. Subdatarius.
R. P. D. Ferdinandus Nuptius Rev. Cameræ Apostolicæ Commissarius Generalis.
R. P. D. Ansaldus de Ansaldis Auditor Sanctissimi.
D. Fattinellus de Fattinelliis Primus Collateralis Curiæ Capitolii.
D. Jo. Dominicus Raynaldus Locumtenens Criminalis Eminentiss. D. Card. Vicarii.

Pro D. Successore D. Nicolai Florelli olim Ac. & S. P. A. Notarii Angelus Montanus pro Rev. Camera Administrator Deputat.

Publicatio 1692.

Die, mense, & anno, quibus supra, supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad Valvas Curiæ, & in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per me Franciscum Antonium Simoncellum SS. D. Nostri Papæ Cursorem.

Pro D. Mag. Curs. Thomas Orlandus Curs.

LXXIX.

Decretum extensivum circà Causas recurribiles, & nonnullæ aliæ provisiones.

Causæ non excedentes

UT eodem tempore Litigantium, præcipuè Pauperum dispendio, ac injustis tergiversationibus obvietur, Congregatio Particularis à SS. D. N. INNOCENTIO. XII. specialiter deputata infrascriptas edidit provisiones.

§. 1. Quòd Causæ omnes quorumcumque Tribunalium Urbis non excedentes summam scutorum quinquaginta in posterùm non sint ampliùs appellabiles, neque indigeant Commissione sub Banca, vel ex Signatura Justitiæ, sed tanquàm merè recurribiles, absque confectione regestri, aut solutione propinæ cognosci, & definiri debeant per Acta ejusdem Notarii, ac per suos Judices deputandos in gradu recursus semel, aut pluries, prout casuum circumstantiæ suadebunt, & prout prius observabatur in Causis infrà summam scutorum viginti-quinque: In Curia verò Capitolina idem servetur quòad Causas non excedentes summam scutorum viginti.

Scuta quinquaginta non sunt appellabiles.

In Capitolio non excedentes viginti

De Citationibus ad recipiendum.

§. 2. Quòd Citationes *ad recipiendum* fiant dumtaxat coram Judice Mandati, & alibi factæ possint impunè sperni absque vitio attentatorum, eædemque Citationes bis exequutæ, & non reproductæ possint, ut supra, imputè contemni.

De termino ad solvendum ubi suscipiendum.

§. 3. Rursus quòd (excepta à præsenti ordinatione Curiâ A. C. quam Congregatio non intendit privare suis ordinariis consuetis facultatibus) respectu aliorum Tribunalium, terminus ad solvendum non suscipiatur, nisi coràm Judice Mandati, quòdque idem terminus non possit excedere numerum decem dierum, declarando, seu innovando in hac parte disposita in Reformatione san. mem. Pauli V. sub *tit. de Judic. in Caus. Civil.* §. 12. Idque sub pœna falsi quoad Notarios contrarium facientes. Die 21. Septembris 1692.

Facta Sanctissimo D. Nostro relatione præmissarum resolutionum, Sanctitas Sua eas approbavit, ac imprimi, & observari mandavit in omnibus Curiis, & Tribunalibus.

A. de Ansaldis SS. D. N. Auditor.

Nomina autem Prælatorum, aliorumque qui præcitatæ Congregationi Particulari à Sanctissimo deputatæ interfuerunt, sunt hæc.

Reverendiss. P. D. Bottinius Archiepisc. Myren. Fisci, & Cameræ Apostolicæ Advocatus, ac Promotor Fidei.
Reverendiss. P. D. Emerix Sac. Rotæ Decanus.
R. P. D. Heruault Sacræ Rotæ Auditor.
R. P. D. Caccia Sacræ Rotæ Auditor.
R. P. D. Molines Sac. Rotæ Auditor.
R. P. D. Thomatus A. C. Locumtenens.
R. P. D. Origus Signaturæ Justitiæ Auditor.
R. P. D. Sacripantes SS. D. N. Subdatarius.
R. P. D. Nuptius R. C. A. Commiss. Generalis.
R. P. D. Ansaldus Auditor Sanctissimi.
D. Fattinellus Primus Collateralis Curiæ Capitolii.
D. Raynaldus Locumtenens Criminalis Eminentiss. D. Card. Vicarii.

Pro D. Successore D. Nicolai Florelli olim A. C., & S. P. A. Notarii. Angelus Montanus pto Rev. Camera Administrator Deput.

Die, mense, & Anno, quibus supra, supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Curiæ, in Acie Campi Floræ; ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Decium de Camillis SS. D. N. PP. Curs.

M. Aurelius Pelliccia Mag. Cursorum.

LXXX.

Decretum super declaratione, & respectivè suspensione Privilegiorum quorumcumque Privilegiatorum (vulgò PATENTATI) Urbis, ac Status Ecclesiastici.

Privilegiũ fori Patent.

QUoniam experientiâ compertum est, cursum rectæ, & expeditæ Justitiæ, in qua Salus

reipubli-

tatorum restringitur ad Causas ratione Officii.

Reipublicæ consistit, magnoperè deturbari, vel ab excessivo numero Privilegiatorum, vel à minùs vero intellectu Privilegiorum eis concessorum, Hinc Congregatio Particularis à Sanctiss. Domino Nostro INNOCENTIO PP. XII. super abusuum Reformatione (ut infrà) deputata inhærendo Decretis, ac resolutionibus aliàs super hac materia factis tempore San. mem. Urbani VIII. ac Innocentii XI. censuit, ac declaravit, quòd Privilegium Fori quorumcumque Privilegiatorum, vulgò *PATENTATI*, tàm in Urbe, quàm in quibuscumque Provinciis, & Legationibus Status Ecclesiastici, etiam Bononiensis & Ferrariensis, etiam speciali, ac specialissima nota, vel expressa mentione dignorum (non comprehensis Officialibus, aliisque dependentibus à Sacra Congregatione Sanctissimæ Inquisitionis dumtaxat) suffragetur tantummodò in Causis, & negociis tàm Civilibus, quàm Criminalibus, & mixtis eorum officium, & ministerium quomodolibet concernentibus, vel ex causa, ratione, & occasione ejusdem officii, & ministerii quomodocumque dependentis, & non in aliis, itaut si secùs desuper ferri Decreta, Sententias, & concedi Inhibitiones, aut quidquam aliud fieri contigerit, irritum sit, & inane, ac respectivè absque incursu attentatorum possit impunè sperni.

Excipiuntur Officiales S. Officii.

Patentati etiam teneantur ad munera Universitatum, & Communitatum.

§. 2. Quò verò ad munera Universitatum Urbis, ac Communitatum Status Ecclesiastici, censuit pariter Congregatio, proponendum Sanctissimo, ut prævia generali suspensione omnium, & quorumcumque Privilegiorum, etiam Militarium, donec congruè, & particulariter eadem Privilegia examinentur, præcipere, & mandare dignetur, quòd omnes, & quicumque Privilegiati, etiam speciali nota, vel expressione digni (non comprehensis tamen, ut supra, Officialibus, aliisque dependentibus à Sacra Congregatione SS. Inquisitionis) teneantur interim dicta generali suspensione durante indifferenter, & una simul cum aliis non Privilegiatis subire munera eorum Universitatis, & Communitatis respectivè, perindè ac si dicta Privilegia non emanassent: Et ad præmissa per quoscumque Judices Ordinarios, aut Superiores locales compelli possint, ac debeant, non obstantibus quibusvis eorum Privilegiis, Litteris patentalibus, & Inhibitionibus desuper in quocumque Tribunali expeditis, & aliis quibuscumque, die 28. Septembris 1692.

Excipiuntur Officiales S. Officii.

Facta Sanctissimo D. Nostro relatione præinserti Decreti, Sanctitas Sua illud approbavit, ac servari omninò mandavit in omnibus Curiis, & Tribunalibus, tàm Urbis, quàm Status Ecclesiastici.

A. de Ansaldis SS. D. N. Auditor.

Nomina autem Prælatorum, aliorumque qui præcitatæ Congregationi Particulari à Sanctiss. deputatæ interfuerunt sunt hæc.

Reverendiss. P. D. Bottinius Archiepisc. Myren. Fisci, & Cam. Apost. Advoc. ac Promotor Fidei.
Reverendiss. P. D. Emerix S. Rotæ Decanus.
R. A. D. Heruault S. Rotæ Auditor.
R. P. D. Caccia S. Rotæ Auditor.
R. P. D. Molines S. Rotæ Auditor.
R. P. D. Thomatus A. C. Locumtenens.
R. P. D. Origus Signaturæ Justitiæ Auditor.
R. P. D. Sacripantes SS. D. N. Subdatarius.
R. P. D. Nuptius R. C. A. Commiss. Generalis.
R. P. D. Ansaldus Auditor Sanctissimi.
D. Fattinellus Primus Collateralis Curiæ Capitolii.
D. Raynaldus Locumtenens Criminalis Eminentissimi Domini Cardinalis Vicarii.

Pro D. Successore D. Nicolai Florelli olim A. C., & S. Palatii Apost. Not. Angelus Montanus pro Rev. Camera Administrator Deputatus.

Dichiarando, che la presente Notificatione, & Editto publicato, & affisso ne' luoghi soliti obligh ciascheduno, come se fosse stato ad ogn'uno personalmente notificato, & intimato. Datum Romæ ex ædibus Nostris hac die Novembris 1692.

G. Card. Vicarius.

Alessandro Bonaventuri Proposto alla Secret.

XCIII.

Ricordo alli Padri Predicatori.

GASPAR Tit. S. Mariæ Transtyberim S. R. E. Presbyter Cardinalis de Carpineo, Sanctissimi D. N. Papæ Vicarius Generalis, Romanæque Curiæ ejusque Districtus Judex Ordinarius &c.

Injungitur Verbi Dei Prædicatoribus, ut hortentur fideles ad contributionem eleemosynarum pro Invalidis.

DOvranno li Predicatori, in occasione di havere maggior concorso, notificare con spirito, e zelo Ecclesiastico a' Fedeli, che havendo Nostro Sig. risoluto di provedere alle miserie, e necessità di tanti Poveri Mendicanti invalidi dell'uno, e l'altro sesso, che vanno questuando per la Città di Roma, col richiuderli con la dovuta separatione in luogo, doue possino ricevere sollievi alli bisogni dell'Anime loro, & all'indigenze del corpo, & havendo, per eccesso della sua fervente carità, destinato proprio Palazzo Pontificio nella Piazza del Laterano, ove, con spesa considerabile, hà ordinato, che si faccino molti risarcimenti, e si fabrichino diversi ripartimenti, & officine per la loro maggior commodità, col farvi in oltre condurre una sufficiente portione dell'Acqua Felice, che per il mantenimento di questa grand'opera ordinata per maggior servitio di Dio in sollevo de' Poveri, e per togliere l'occasione di molti peccati, che dalla loro promiscua conversatione potevano provenire, e molto conforme alla Pietà, e Carità Christiana non resterà la Santità Sua di profondere molto denaro, con tutto che ritrovi l'Erario Apostolico molto esausto, e che insorghino ogni giorno nuove occasioni d'impiegarlo in altri bisogni urgenti della Christianità.

Devono dunque esortare, con efficaci raggioni, tutti à concorrere, secondo la loro possibilità, ad una larga, & abbondante elemosina, ò sia in denaro, ò in Grano, Vino, Olio, Legumi, & altro commestibile, o sia in Panno, ò Coperte, & ogn'altro mobile confacente, e bisognevole per il mantenimento di quest'Opera Pia; Inculcando ad ogn'uno la propria obligazione d'impiegare quello, che abbondantemente possiede, e che dalla Bontà Divina gli è stato concesso in questa vita, in souvenimento de' Poveri, & il maggior mèrito, che acquisteranno appresso Id-

dio, se quelle elemosine, che talvolta facevano per l'importunità de' Questuanti, le somministrino hora con più larga mano per impulso della propria Charità, e per amore di Dio, dal quale sono certi, che ne conseguiranno moltiplicate retribuzioni sì in questa vita, come nell'altra, essendo questo il mezzo più sicuro d'impetrare dalla Divina Misericordia la condonatione delle proprie colpe, e l'affluenza delle Grazie Celesti. Dato in Roma nel Palazzo della nostra solita residenza questo di 7. Novembre 1692.

G. Card. Vicarius.

Alessandro Proposto Bonaventuri Secret.

EDITTO.

XCIV. *GASPARO Tit. S. Mariæ Transtyberim S. R. E. Presbyter Card. Carpineus Sanctissimi D. N. Papæ Vicarius Generalis, Romanæque Curiæ, ejusque Districtus Judex Ordinarius.*

Mendicantes Invalidi conjugati compareant, ut eis provideatur.

DOppo, che la somma Charità di Nostro Signore hà proveduto del luogo per il ricevimento de' Poveri Mendicanti invalidi dell'uno, e l'altro sesso per somministrare alli medesimi, oltre il necessario alimento, tutto quel più, che per li bisogni, si dell'Anime, come de' Corpi, gli possa occorrere; Considerando, che frà questi vi possano essere de' Conjugati, che non conviene, si racchiudino con gli altri separati dalle loro Mogli, pensa anche di provedere alli medesimi, acciocho non siano constretti di continuare la questuatione in quest'Alma Città di Roma; e volendo perciò essere certificato del loro numero, qualità, Patria, & essercitio; Hà commandato, che con la presente Notificazione, si faccia intendere ad ogn'uno Mendicante invalido, che si trova in stato Conjugale, che Venerdì, e Sabbato quinto, e sesto di Decembre, si trovi ogn'uno di essi nel luogo solito della Santissima Trinità di Ponte Sisto, dalle 21. fino alle 23. hore, dove saranno riconosciuti li loro segni, e nome, e si noteranno le Patrie, e qualità, e loro essercitii, e se gli notificherà li provedimenti, che intorno le loro persone, e Mogli, la Santità di Nostro Signore intende di prendere

Dichiarando, che passato il detto termine, e non comparendo, sarà anche alli medesimi, & alle loro Mogli, prohibito il mendicare così per la Città, come per li Palazzi, e Chiese, sotto pena per la prima volta della carcere, e per la seconda dello sfratto da Roma, e suo Distretto.

Ordinando, che la presente Notificatione, & Editto, affisso che sia ne' luoghi soliti, oblighi ciascheduno, come se fosse stato ad ogn'uno personalmente intimato. Dat. Romæ ex Ædibus nostris hac die 3. Decembris 1692.

G. Card. Vicarius.

Alessandro Proposto Bonaventuri Secret.

NOTIFICAZIONE.

XCV. *GASPAR Tit. S. Mariæ Transtyberim S. R. E. Presbyter Card. Carpineus Sanctiss. D. N. Papæ Vicarius Generalis, Romanaque Curiæ, ejusque Districtus Judex Ordinarius &c.*

Epilogantur provisiones captæ pro collocandis Mendicantibus Invalidis.

§. 1. PER dare una pronta, & espedita esecutione alla santa resolutione presa dalla Santità di Nostro Signore di provedere alle miserie, e necessità de' proveri Mendicanti dell'uno, e l'altro sesso, che per essere invalidi non potevano procacciarsi il vitto, che col questuare nelle Chiese, e luoghi più frequentati di Roma, havendo, oltre la destinatione del proprio Palazzo Lateranense ordinato con immensa spesa le necessarie provisioni per lo totale adempimento, e proseguimento di questa sant'opera, habbiamo Noi con diverse Notificationi, & Editti di ordine della Santità Sua publicati, convocati tutti dell'uno e l'altro sesso à ritrovarsi ne' giorni in quello stabiliti nell' Hospedale della Santissima Trinità de Convalescenti, per essere ivi rivestiti, e trasmessi poi nel luogo destinato del Palazzo Lateranense; Et habbiamo anco fatto à parte prendere nota distinta delli Poveri questuanti inhabili, che si trovano in stato Conjugale, alli quali la somma Pietà di Nostro Signore intende provedere sufficientemente nelle Case, dove hora habitano, finche si prepari anche per essi un luogho adattato al loro stato, acciocheſi tolga anche à loro il pretesto di questuare.

Affignatur novus terminus iis qui comparere nequiverunt.

§. 2. Mà perche si sente, che alcuni dell' uno, e l'altro sesso, ò per caggione d'infermità, ò per altri accidenti, siano rimasti senza essere stati descritti, e senza haver ricevuto il segno per rinchiuderſi con gli altri invalidi; Però con la presente Notificatione, che dovrà valere per ultimo, e perentorio termine, si notifica a i medemmi Questuanti invalidi dell'uno e l'altro sesso, che nel termine di tre giorni doppo la publicatione del presente Editto, cioè per il giorno di Venerdì 12. e di Sabbato 13. Decembre compariſchino nel medesimo luogo dell'Ospedale della Santissima Trinità de' Convalescenti dalle hore 21. fino alle 22. dove riconoscendosi essere veramente Questuanti, & invalidi, si riceveranno, e ricovereranno come gl'altri; Auvertendo, che passato detto tempo & altri due giorni doppo, non saranno più ricevuti, nè potranno questuare per Roma.

Prohibetur mendicatio sub pœnis transacto tempore.

§. 3. Prohibiamo dunque per ordine espresso datoci da Sua Santità, che passato il giorno de' 15. Decembre, niuna persona dell' uno, e l'altro sesso, & età, ò siano validi, ò invalidi, sotto qualsivoglia pretesto non possa questuare, e mendicare per Roma ò sia nelle strade, ò nelle Chiese, e Porte di quelle, ò ne' Palazzi, e qualunque altro luogo, nè stare per questo effetto sù le Porte delle proprie Case sotto pena per la prima trasgressione della Carceratione, e perdita di quello, che gli si troverà addosso, e per la seconda della Corda, & Esilio, in quanto alle Donne dell'Esilio, e della Frusta da incorrersi irremissibilmente. Volendo, che il presente Editto non solamente comprenda quelli, che presentemente si trovano à Roma, mà anche quelli, che vi venissero doppo, al qual' effetto, oltre la publicatione da farsi nè luoghi soliti ordiniamo, che si affigga alle Porte della Città, e che se ne mandi copia ne'luoghi di passo. E che la presente Notificatione, & Editto oblighi ciascheduno come se gli fosse stato personalmente intimato. Dato &c. Questo di 10. Decembre 1692.

G. Card. Vicario.

Alessandro Proposto Bonaventuri Segr.

NOTIFICATIONE.

XCVI. *GASPAR Tit. S. Mariæ Transtyberim S. R. E. Presbyter Card. de Carpineo Sanctiss. D. N. Papæ Vicarius Generalis, Romanæque Curiæ, ejusque Districtus Judex Ordinarius &c.*

De signo distinctivo pro veris

BEnche la somma Pietà di Nostro Signore habbia pienamente proveduto al bisogno de' Poveri

Men-

Peregrinis ut possint liberè mendicare

Mendicanti invalidi coll'erettione del nuovo Ospedale nel Palazzo Laterano, pure molti abusandosi di tal gratia non vogliono lasciare di questuare per Roma, per mero impulso d'infingardiggia, e per far questo impunemente contro li Decreti publicati ricoprono coll'habito di Pellegrini divoti la loro contumacia. Perciò la Santità Sua volendo opportunamente rimediare ad un tale ardire, e desiderando per altro ogni agiuto spirituale, e temporale à quelli veri Pellegrini, che concorrono alla visita de'Santi luoghi di questa Città, à fine non si confondino questi dalli falsi, ci hà commandato di publicare Notificatione, che à tutti li Pellegrini veri, che giungeranno in Roma, e che andaranno conforme il solito alla Santissima Trinità di Ponte Sisto, sarà dato un segno visibile, e con questo non saranno molestati, e potranno esser distinti dalli falsi, contro de'quali all'incontro ritrovati senza detto segno si procederà irremissibilmente alle pene comminate negli altri Bandi. Dato nel Pallazzo della nostra solita Residenza questo dì 21. Febraro 1693.

1693.

G. Card. Vicario

Alessandro Proposto Bonaventuri Secret.

EDITTO.

XCVII.

GIUSEPPE PARAVICINO Protonotario Apostolico dell'una, e l'altra Segnatura Referendario, e della Santità di N. Signore, e sua Reverenda Camera Apost. Tesoriere Generale.

De aleis in Statu Castri, & Roncilionis bollandis ne præjudicetur Juribus Hospitii Apostolici

Essendo stato rappresentato per parte dell'Ospizio Apostolico de'Poveri Invalidi à S. Giovanni in Latterano, al quale al presente è unito l'Ospedale di S. Sisto di Roma; e che le viene impedita l'esecuzione de'Bandi altre volte publicati, & eseguiti nello Stato di Castro, e nella Terra di Ronciglione, e suo Stato sopra il Bollo delle Carte di giuocare, e che perciò receve grandissimi pregiudizi per le Carte, che quì si fabricano, e vendono, e di là ancora si estraono, e trasportano in altri luoghi fuori di detti Stati, perilche ne pende lite nel nostro Tribunale &c. E volendo Noi ad istanza di detto Ospizio Apostolico provedere à detti pregiudizi (inerendo alla risoluzione presa dalla Congregatione particolare, e successivamente da Nostro Signore approvata) con il presente Editto d'ordine espresso della Santità Sua datoci à bocca, & per l'autorità del nostro Officio di Tesoriere Generale, rivocando primieramente ogn'altr'Ordine dato in contrario con Lettere di qualsisia Tesoriere nostro Predecessore, & in specie quelle del Signor Cardinal Gastaldi sotto li 4. Luglio 1671. Ordiniamo, e comandiamo, che in auvenire chiunque vorrà fabricar Carte in detti luoghi, e loro Stati, sia tenuto, & obligato osservare intieramente quanto ne'Bandi Generali fatti, e sottoscritti dagl'Emmi Signori Cardinali Camerlenghi, & in specie in quelli publicati li 16. Luglio 1674. e 22. Giugno 1676. viene ordinato, sotto le medesime pene in quelli contenute, & espresse, & altre à nostro arbitrio, alle quali si procederà con ogni rigore contro li trasgressori.

Ma perche con tal provisione è solo mente nostra di evitare li pregiudizi, che derivano al detto Ospizio Apostolico dall'inosservanza di detti Bandi, e però intendiamo di sottoporre li detti Stati al pagamento di d. Bollo, quando non siano compresi, nè estinguer la lite sopra la pretesa loro libertà, però fin tanto, che ciò sia giudicato, ordiniamo, e vogliamo, che il detto Ospizio Apostolico per mezzo de suoi Ministri sia obligato, e tenuto ne'luoghi, dove si fabricano le dette Carte da giuocare, darle, e venderle per uso proprio di detti Stati, e loro Abitatori in tutta quella quantità, che sarà necessaria, e li verrà domandata, e richiesta al prezzo medesimo, che ivi sin'hora sono state vendute senza l'emolumento del Bollo, quale specialmente gli proibiamo di eseguire, e di non alterare il prezzo sudetto sotto qualsivoglia colore, e pretesto, e con tal condizione, e non altrimente per sua cautela, li permittiamo di contrasegnare le medesime Carte, che farà dispensare nelli detti Stati con Bollo contradistinto, affinche trovandosi estratte fuori di detti Stati si possa procedere contro li Trasgressori à tenore, e nel modo, e forma, che si dispone ne'Bandi enunciati; Volendo, e decretando, che il presente Editto affisso, e publicato che sarà ne'detti luoghi, e loro Stati secondo il solito, astringa ciascheduno all'osservanza, come se fosse stato personalmente intimato. Dato in Roma questo dì 31. Luglio 1693.

1693.

G. Paravicino Tes. Gen.

Ferdinando Nuzzi Comm. Gen.

Francesco Antamoro Segr. della Rev. Cam. Apost.

EDITTO.

XCVIII.

GASPAR Tit. S. Mariæ Transtyberim S. R. E. Presbyter Cardinalis de Carpineo Sanctissimi D. N. Papæ Vicarius Generalis, ejusque Districtus Judex Ordinarius &c.

Ecclesiarum Superiores, & Sacristæ sub pœna curare debent ne ullus mendicet in Ecclesiis, Porticibus, & gradibus.

Per ordine espresso della Santità di Nostro Signore si è più volte publicato Editto, acciò che li Poveri non possino questuare per Roma, e molto meno per le Chiese, già che la Santità Sua haveva con somma bontà ben proveduto alle indigenze d'ogn'uno, e se bene negl'ordini suddetti sono state comminate le pene non solamente contro li Poveri questuanti, ma ancora contro li Superiori, e Sagrestani delle Chiese, che non li discacceranno; pure presentemente si vedono trascurare questi sentimenti di Sua Santità; Però per espresso commandamento della medesima si ordina, e novamente si vuole, confermando prima tutti gl'altri Bandi, che tutti li Superiori, e Sagrestani delle Chiese Secolari di Roma, Patriarcali, Basiliche, Collegiate, Oratorii, & altre, veruna eccettuata, debbano essere diligentissimi in far discacciare, e discacciare respettivamente dalle di loro Chiese, Scale, e Portici tutti li questuanti, sotto pena di venticinque scudi, che per chiascheduna volta, che contraveranno, si faranno da loro irremissibilmente pagare, per la metà all'Ospedale de'Poveri di S. Giovanni, per l'altra metà all'Effecutore, e Relatore, advertendo che per incorrere nella sudetta pena bastarà la denuntia della Contraventione, provata per due Testimonii. In oltre si fà intendere à tutti li Superiori, benche privilegiate, che se nelle di loro Chiese, Portici, e Scale non si osservarà quanto sopra; si procederà ancora contro di essi ad altre pene più gravi ad arbitrio della Santità Sua. Commandando, che il presente Editto debbasi tenere affisso in tutte le Sagrestie delle Chiese di Roma sotto le pene sudette, & altre à nostro arbitrio, e che affisso ne'luoghi soliti oblighi ciascheduno alla puntuale osservanza di esso, come se personalmente gli fosse stato intimato. Datum Romæ ex Ædibus nostris hac die 6. Januarii 1694.

1694.

G. Card. Vicarius.

Alexander Præpositus Bonaventura Secret.

XCIX.

EDITTO, E NOTIFICATIONE.

GASPAR Tit. S. Mariæ Transtyberim S. R. E. Presbyter Cardinalis de Carpineo, Sanctiss. D. N. Papæ Vicarius Generalis, Romanæque Curiæ, ejusque Districtus Judex Ordinarius &c.

De ulteriori receptione Invalidorum in Hospitio, & provisione laboris pro Mulieribus.

ESsendosi con altri Bandi già publicati notificato à tutti, che per sollievo, e sostentamento de' Poveri Mendicanti invalidi, i quali con la propria industria, ò sia per difetto di forze, ò dell'età non possono guadagnarsi il vitto, haveva la Santità di N. Sig. eretto un'Ospizio nel Palazzo Pontificio di S. Giovanni in Laterano, dove sarebbero stati tutti ricevuti, e trattati con carità Christiana, e se bene in detto Ospizio sono state sin'ora ricevute molte centinara di persone, & altro buon numero ne sia stato accresciuto nell'Ospizio di S. Sisto, & in oltre per sollievo de' Poveri Artisti, e Padri di famiglie siano stati ammessi nell'Ospizio di S. Michele à Ripa una quantità notabile de' fanciullli, e ragazzi, ove s'istruiscono nel timore di Dio, & in diverse Arti, e lavorieri, e che per sostentamento di così gran numero de Poveri s'impieghino dall' infinita pietà della Santità di Nostro Signore Papa INNOCENZO XII. somme considerabilissime di denaro per non veder languire per le Strade, e per le Chiese i veri Poveri invalidi, & bisognosi.

Tuttavia, perche non ostanti tanti buoni ordini, e tanto denaro, che d'ordine della Santità Sua si spende in quest'opera, molti sotto finto pretesto di povertà, benche validi di forze, e di corpo, non desistono d'andar cercando l'Elemosina per le Chiese, per le Case, e per le Strade, per potere in questa forma menare una vita desidiosa, & infingarda contro la Santa mente di Sua Beatitudine, che quanto desidera abbracciare, soccorrere e sostenere i veri Poveri, altretanto abhorrisce gl'otiosi, infingardi, e vagabondi, stante l'esperienza, che si hà dalla vita, che menano, ripiena per lo più d'ogni vitio senza istruttione de' Divini Misterii, e senza frequenza de' Sagramenti.

Per tanto d'ordine di Sua Beatitudine datoci à bocca, inerendo à gl'altri Editti sopra questa materia già publicati, per togliere ogni pretesto alle publiche, e private questuationi de' Poveri si notifica à tutti, che quelli, che, ò per difetto di forze, ò di età sono veramente invalidi, e non atti à procacciarsi il vitto con la propria industria, dopò che saranno stati riconosciuti, & approvati dalli Sig. Deputati di detto Ospizio di S. Giovanni si seguitaranno ivi à ricevere, esclusi solo quelli, che dopò la publicazione de' primi Editti saranno venuti in Roma à posta per esser ricevuti in detto luogo.

E quanto à quelli, che sono conjugati, ò infetti di mali contagiosi, si seguitarà parimente à darli l'Elemosina in pane, e denaro alle loro Case, con fede, e bollettino, de' medesimi Sig. Deputati, come s'è costumato fin'ora.

Li Convalescenti poi dopò che saranno usciti dall'Ospedale della Santissima Trinità, ò da quello di Santa Galla, quando tuttavia continuino in stato debole, e da non potor lavorare, si seguitarà à riceverli à S. Giovanni, & à sostenerli sino à tanto, che saranno ben consolidati.

Et alle Donne, che diranno di non trovar à lavorare, se li somministrarà il lavoro con una giusta mercede per toglierli il pretesto d'andar questuando.

E perche stante li sudetti buoni ordini, con li quali resta proveduto ad ogni sorte di persone, non deve esser lecito ad alcuno d'andar questuando per haver à menare una vita scioperata, & infingarda, perciò si notifica à tutti, che contro quelli, che contraverranno si procederà con ogni rigore, & irremissibilmente alle pene contenute negl'altri Bandi di già publicati, dichiarandosi di nuovo à maggior cautela, che in detti Bandi, & ordinationi non sono compresi i Pellegrini, e Romipeti, che vengono à visitare i Luoghi Santi di questa Città. Datum Romæ ex Ædibus nostris hac die 22. Januarii 1694.

1694.

G. Card. Vicarius.

Alexander Bonaventuri Præpositus Secret.

Editto circa l'imposizione delle pensioni sopra le Parochiali.

BANDINO del Tit. di S. Pancratio Prete Cardinal Panciatichi, della Santità di Nostro Signore Prodatario.

C.

De Pensionibus non reservandis super Parochialibus neque ordinaria, neque Apostolica authoritate.

VOlendo la Santità di Nostro Signore con la sua paterna Carità, e zelo eccitare li Parochi alla maggiore vigilanza dell'anime alla di loro Cura commesse, e facilitargli il modo di souvenire alle necessità delle medesime con più abondanti Elemosine. Quindi è, che per ordine espresso datoci à bocca dalla Santità Sua comandiamo, & ordiniamo, che per l'avvenire non s'habbino da aggravare le Parochiali etiam di Juspadronato Laicale di pensioni, e che ciò deva osservarsi ancora da gli Ordinarii nelle Provviste, che essi saranno per farne. In oltre, che non si ammettino rassegne, ò permute di Parochiali con riserva di Pensioni à favore di chi si sia, e sotto qualsivoglia titolo etiam di prestatione d'alimenti, e che molto meno si reservino pensioni sopra le medesime Parochiali sine causa, Beneficio pleno, di consenso de' Possessori per qualsivoglia causa, e titolo. Dalla Dataria questo di 11. Novembre 1692.

B. Card. Prodatario.

Notificatione circa la Visita Apostolica.

CI.

Expositio Venerabilis, & Indulgentia in pluribus Ecclesiis pro Visitatione Apostolica.

GASPAR Tit. S. Mariæ Transtyberim S. R. E. Presbyter Card. de Carpineo, Sanctiss. D. N. Papæ Vicarius Generalis, Romanæque Curiæ, ejusque Districtus Judex Ordinarius &c.

HAvendo la Santità di Nostro Signore con Bolla publicata in questo medemo giorno intimara la Santa Visita Apostolica da incominciarsi della Santità Sua medema in S. Gio. Laterano, e da proseguirsi susseguentemente nel tempo, e giorni da prescriversi in tutte le altre Chiese Patriarcali, Basiliche, Collegiate, Monasterii de Regolari dell'uno, e l'altro sesso, Monte di Pietà, Confraternità Laicali, in tutte le altre Chiese di Roma, Perciò volendo, che s'implori il Divino agiuto per dar principio ad un'opera così pia, e necessaria, secondo il suo Pastorale zelo, commanda, che nell'infrascritte Basiliche, Collegiate, e Chiese, Venerdì prossimo, che sarà il 16. del corrente, si esponga il Santissimo Sagramento in modo di Quarant'hore fino alla Domenica prossima seguente di Settuagesima, nel qual giorno di Domenica concede Indulgenza Plenaria, e remissione de' peccati à tutti li Fedeli dell'uno, e l'altro sesso, che Confessati, e Communicati faranno particolare Oratione, perche Sua Divina Maestà si degni d'assistere la Santità Sua, & à quelli, che dalla medema saranno deputati in proseguimento di questa Santa Visitatione per utile del Gregge à lui commesso. Si esorta però ciascheduno concortere con modo particola-

1693.

ticolare alli sentimenti così Pii della Santità Sua. Datum Romæ ex Ædibus nostris hac die 11. Januarii 1693.

S. Gio: Laterano.
S. Pietro in Vaticano.
S. Maria Maggiore.
S. Maria in Trastevere.
S. Lorenzo in Damaso.
S. Maria in Vialata.
S. Maria in Vallicella.
Giesù.
Aracæli.
S. Lorenzo in Lucina.
S. Agostino.
S. Andrea della Valle.
S. Maria Traspontina.

G. Card. Vicario.

Alessandro Proposto Bonaventuri Secret.

Decretum Congregationis specialiter deputatæ super Reformatione Indultorum eximentium à servitio nonnullos Canonicos, & Beneficiatos Urbis.

Moderatio Indultorum percipiendi fructus in absentia.

§. 1. SAnctiss. D. N. INNOCENTIUS Papa XII. ad cujus notitiam pervenit, servitium Basilicarum, & Collegiatarum Ecclesiarum Urbis valde diminui propter Indulta concedi solita nonnullis illarum Canonicis, & Beneficiatis quocunque nomine nuncupatis, vel ratione munerum, quibus funguntur, vel causa studii, cum exemptione ab hujusmodi servitio, & cum privilegio lucrandi fructus, & distributiones etiam quotidianas, tametsi iisdem Ecclesiis non inserviant, deputavit particularem Congregationem Eminentissimorum DD. Cardinalium Carpinei, Marescotti, de Nortfolch, Colloredi, & Panciatici, nec non Illustrissimorum DD. Sperelli, Altoviti, Pallavicini, & Sacripantis & ejusdem Congregationis Secretarius sit, ad effectum examinandi eadem Indulta, & proponendi illas moderationes, reformationes, revocationes, & considerationes, quæ desuper opportunæ visæ fuissent.

Intacta relinquuntur Indulta quoad Nuncios Apostolicos actuales Sanctiss. simi familiares, Subdatarium, & Cameræ Commissarium.

§. 2. Quæ sanè Congregatio in Palatio prædicti Eminentiss. Carpinei, ter coacta, nimirùm sub diebus 13., & 20. Aprilis proximè præteriti, & 7. currentis mensis Maji censuit, si eidem Sanctissimo D. N. placuerit, hujusmodi Indulta quoad Nuncios Apostolicos, necnon Intimos, & eidem Sanctissimo actu inservientes familiares, ac Subdatarium, & Cameræ Apostolicæ Commissarium non esse immutanda.

Revocanda, jam concessa & non concedenda in posterum Gubernatoribus &c.

§. 3. Quoad Gubernatores, & Vice-Legatos Provinciarum, Civitatum, & locorum Status Ecclesiastici, qui durante absentia nunquam possunt Ecclesiis interesse, necnon Procuratorem Generalem Montium, ac familiares S. R. E. Cardinalium (firmo tamen quoad eorumdem Cardinalium Caudatarios remanente decreto moderatorio Sac. Congregationis Eminentissimorum Cardinalium Sac. Concilii Tridentini Interpretum die 19. Augusti 1690. edito) esse revocanda, & expedire, quòd imposterùm non concedantur.

Indultum inservientis Secretariæ restringendū ad dies, & horas actualis impedimenti.

§. 4. Indultum inservienti Secretariæ Congregationibus negotiorum Ditionis temporalis ejusdem S. R. E. Præpositorum concessum esse reformandum, & imposterùm restringendum ad illos dies, & horas dumtaxat, quibus ratione hujusmodi servitii actualiter præstandi impeditus fuerit, ejus conscientiâ desuper strictissimè oneratâ.

Causa studii restringatur ad solus fructus, & usque ad vigesimum quintum ætatis.

§. 5. Indulta causa Studii pro lucrandis fructibus dumtaxat, nec aliter pro lucrandis distributionibus quotidianis, esse concedenda, quam pro Ecclesiis, quarum reditus consistunt, vel in solis distributionibus quotidianis, vel in iisdem distributionibus unà cum aliquibus fructibus tenuis præbendæ, dempta tamen tertia parte, quæ interessentibus accrescat; nec pariter concedenda ultra triennium, neque majoribus viginti que annis, quinimò hujusmodi ætate viginti quinque annorum expleta, eadem Indulta, licèt idem triennium expletum non fuerit, expirare.

Non obstante Indulto absentes punctandos, sed allegato impedimento pro illis horis delenda.

§. 6. Omnes denique habentes Indulta pro singulis diebus, & horis, quibus ratione servitii in eorum muneribus, seu Officiis actualiter præstandi impediti fuerint, adhuc esse punctandos, toties quoties Ecclesiæ, seu Choro non interfuerint, sed in qualibet hebdomada hujusmodi puncta posse & debere deleri, seu tolli pro illis tantùm diebus, & horis, quibus Indultarii allegaverint particularia impedimenta ratione eorumdem munerum, eorum conscientiâ desuper strictissimè oneratâ, & circa hujusmodi impedimentorum relevantiam judicio proprii Vicarii cujuslibet Ecclesiæ: In Ecclesiis verò, ubi non adest hujusmodi Vicarius, judicio dignioris Canonici esse deferendum.

Factâ per me infrascriptum hac die 8. Maji 1693. relatione prædictarum resolutionum Sanctissimo Domino Nostro, Sanctitas Sua illas approbavit, & à die prima Junii proximè venturi mandavit inviolabiliter observari, Indultis tam à se, quàm à Romanis Pontificibus Prædecessoribus suis quomodolibet concessis, & aliis contrariis quibuscunque non obstantibus, quibus pro observatione præmissorum amplissimè derogavit.

Joseph Sacripantes Secret.

Publicatio 1693.

Die 23. Maji 1693. *supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Sancti Joannis Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ, in Acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Franciscum Antonium Simoncellum, Sanctissimi D. Nostri Papæ Cursorem.*

Hippolytus Petrettus Curs. Mag.

CIII.

Decreta Congregationis à Sanctissimo Domino Nostro specialiter deputatæ super moderatione Indultorum suscipiendi Ordines Extra tempora à Jure statuta.

I. Norma concedendi Inculta extra tempora.

SAnctissimus Dominus Noster INNOCENTIUS Papa XII. pro pastorali suo in commissum sibi Gregem dominicum zelo, ac tuendæ Disciplinæ Ecclesiasticæ studio prospicere volens, ne Indulta suscipiendi extra tempora à Jure statuta Ordines nimis facilè concedantur, Congregationi particulari EE. DD. Cardinalium Carpinei, Casanatis, Marescotti, Colloredi, Panciatici, & Albani, necnon Illustrissimorum DD. Sperelli, Ciampini, Sacripantis, meique Secretarii infrascripti specialiter deputatæ expendendas commisit Causas, ex quibus præfata Indulta tribui solent, ut Sanctitati Suæ referri posset, quæ ratio deinceps ineunda, modusque adhibendus videretur in concessione similium Indultorum. Quæ quidem Congregatio in ædibus præfati Eminentissimi Carpinei die 10. Novembris, atque iterum 7. Decembris Anni currentis habita, re maturè discussa, censuit Indulta hujusmodi, si Sanctissimo placuerit, concedi posse ex Causis infrascriptis, videlicet.

Causæ, ex quibus Indultum concedetur.

§. 1. Ut quis Beneficio, vi cujus arctatur ad Presbyteralem Ordinem suscipiendum, vel alteri etiam propetuo Beneficio, quod obtinet, vel Cappellaniæ ad vitam sibi concessæ per seipsum inservire possit. Ob penuriam Sacerdotum in illis Partibus, vel in Monasterio pro Regularibus. Ob solatium Patris, vel Matris, dummodo quinquaginta ætatis annos excedant, & Orator saltem per triennium

in Clericali habitu honestè, & laudabiliter vixerit. Item concedi posse censuit eadem Indulta Referendariis utriusque Signaturæ, Familiaribus Summi Pontificis, Canonicis Cathedralis, vel etiam Collegiatæ Ecclesiæ, eorumque Coadjutoribus, Magistris, seu etiam Baccalaureis in Sacris Theologia; Doctoribus utriusque, vel saltem Canonicis Juris, seu Licentiatis, dummodo singulos præfatos Gradus in publica, & approbata Universitate obtinuerint; Iis etiam, qui saltem per triennium sedulam Theologiæ studiis operam navaverint, ac tandem vigesimum sextum ætatis annum excedentibus, per triennium in Clericali habitu honestè, & laudabiliter vixerint.

Ex quibus non conceditur.

§. 3. E contra censuit non expedire, ut eadem Indulta concedantur ex eo, quòd quis Diaconus, Subdiaconus, Litterarum Apostolicarum Scriptor sit, seu Magister in Artibus, Nobilis, aut Præsens in Curia, vel quod Philosophiæ cursum absolverit, aut alicui Ecclesiæ adscriptus fuerit, ad cujus servitii titulum ex Apostolico Indulto Clerici ordinari possunt, aut Onus Missarum, non tamen ex Beneficio Ecclesiastico proveniens, habere se doceat.

Quibus? denegatur

§. 4. Insuper censuit Indulta hujusmodi denegande esse iis, qui aliqua Dispensatione indigent impedimenti ex eorum delicto provenientis, & Sede Episcopali vacante infrà annum à die vacationis minimè danda iis, qui Beneficii Ecclesiastici recepti, seu recipiendi occasione arctati non fuerint.

Pro quibus festis.

§. 5. Item nunquam concedenda pro Festivis diebus continuis, sed semper pro interpolatis aliquo temporis spatio arbitrio Episcopi definiendo.

De quibus certiorandi Episcopi. Nuncii Apostolici, & alii.

§. 6. Denique censuit Episcopos omnes, ac etiam Apostolicos Nuncios, & Legatos Litteris in forma Brevis circularibus admonendos, decreviſse Sanctitatem suam Indulta prædicta non ita passim, sed ex certis tantum, legitimisque causis concedere, nec Episcopos ad eorum exequutionem astringere, sed illam semper ipsorum arbitrio, oneratâ eorumdem conscientiâ, relinquere. Item per eadem Indulta licentiam non tribui promovendi quempiam ad Patrimonii titulum, nisi ad normam Concilii Trident. Sess. 21. cap. 2. Eos verò omnes, qui ab Apostolica Sede facultates obtinent conferendi Ordines extra Tempora, vel aliis respectivè tribuendi licentiam, ut conferant, maximè cavere debere, ne præscriptos sibi in iisdem facultatibus limites cujusvis consuetudinis, aut exempli prætextu transgrediantur.

Hæc autem omnia, & singula suprascripta Decreta, audita ex me integra eorum relatione, SS. D. N. laudavit, & approbavit, ac tàm in Dataria, & Secretaria Brevium, quàm à cæteris omnibus Ministris, & Officialibus Curiæ, ad quos pertinet, perpetuò, & inviolabiliter servari mandavit, sublata omnibus quacumque facultate prædicta Indulta aliter, quàm ad formam eorumdem Decretorum in posterùm expediendi. Hac die 14. Decem. 1693.

1693.

Carolus Augustinus Fabronus Secr.

DECRETUM.

De non anticipanda Vigilia S. Matthiæ ratione carnis privii.

De Vigilia S. Matthiæ

QUæsitum fuit, à Sacrorum Rituum Congregatione declarari; An Vigilia S. Matthiæ Apostoli, occurrens hoc anno in Feria tertia post Dominicam Quinquagesimæ, possit ratione carnis privii anticipari cum jejunio. Et eadem Sac. Congregatio respondit: Negativè, & jejunium prædicta Feria tertia omninò servandum. Die 23. Januarii 1694.

1694.

A. Cardinalis Cybo.

Loco † Sigilli.

B. Inghiramus Sac. Rit. Congr. Secr.

DECRETUM.

Feria 6. Die 28. Januarii 1694.

CV.

IN Congregatione Generali S. Romanæ, & Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram Sanctissimo Domino Nostro Domino INNOCENTIO Divinâ Providentiâ Papa Duodecimo, ac Eminentissimis, & Reverendissimis Dominis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus in tota Republica Christiana contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus à S. Sede Apostolica specialiter deputatis.

De intelligentia juxta sensum obvium & non alium Formularii in condemnandis propositionibus Jansenii.

SAnctissimus D. N. INNOCENTIUS Duodecimus prædictus, auditis votis eorumdem DD. Cardinalium, ad præcavendas omnes dissidiorum causas, quæ Christianam pacem dilacerant tam verbis, quàm scriptis super interpretatione, seu declaratione Formularii Alexandri Septimi in condemnationem quinque propositionum ex Libro Cornelii Jansenii, cui titulus est = *Augustinus* = excerptarum, & damnatarum, quoscumque alios sensus Formularii prædicti, præter eum, quem in sensu obvio ipsius verba exhibent, afferri, usurpari, aut de his disputari interdixit, & prohibuit, ac super ejusdem Formularii interpretatione, sicut & prædictarum propositionum, in alios sensus, præter eum, quem ipsa verba per se exhibent, omnibus, & singulis cujusvis Religionis, Ordinis, Congregationis, Instituti & Societatis etiam de necessitate exprimendæ, Regularibus, & aliis quibuscumque tam Ecclesiasticis, quàm Secularibus personis cujuscumque status, conditionis, gradus, ordinis, & dignitatis tam Ecclesiasticæ, quàm Secularis perpetuum silentium imposuit: Omnes verò libros, tractatus, theses, compositiones, scripta, ex professo, vel incidenter sub quovis prætextu, & occasione in lucem editos, vel edita super hujusmodi materia prohibuit, & pro prohibitis haberi voluit, & mandavit, iisdemque personis suprà enumeratis districtè injungit, ne in posterùm audeant imprimere, vel imprimi facere, seu quoquo modo in lucem edere libros, tractatus, theses, compositiones, & scripta de suprædicta materia tractantes, seu tractantia: Et ut hujusmodi Decretum inviolabiliter super omnibus in eo contentis observetur, præcepit, & declaravit, Contravenientes pœnas privationis Dignitatum, & Officiorum suorum, vocis activæ, & passivæ, facultatis concionandi, publicè legendi, docendi, & interpretandi ipso facto, absque alia declaratione, incurrere, & aliis etiam pœnis Sanctitatis Suæ, & Successorum suorum Romanorum Pontificum arbitrio subjacere; Librosque omnes, tractatus, theses, compositiones, & scripta, quos, seu quæ contra dicti Decreti tenorem edi contingeret absque alia declaratione tamquàm expressè prohibitos, vel prohibita haberi: Et Impressores præter amissionem Librorum, pecuniarum, aliisque corporalibus pœnis teneri, præcepit, & mandavit.

Joseph Bartolus S. Romanæ, & Universalis Inquisitionis Notarius.

Loco † Sigilli.

Die 4. Februarii 1694. suprædictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad Palatium S. Officii, & ad valvas Curiæ, aciei Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Franciscum Perinum Sanctissimi D. Nostri Papæ, & Sanctissimæ Inquisitionis Cursorem.

Editto sopra il Culto, e Veneratione, con che devesi accompagnare il Santissimo Viatico à gl'Infermi.

GASPARO del Titolo di S. Maria in Trastévere, e della S. R. C. Prete Card. Carpegna: della Santità di N. Sig. Vicario Generale, e della Romana Curia, e suo Distretto Giudice Ordinario. &c.

De Cultu & Veneratione in associatione Sanctissimi Viatici.

HAvendo Noi per ispecial Commandamento di Nostro Signore Papa INNOCENZO XII. stabilite alcune Regole particolari, da pratticarsi nell'uscire del Santissimo Viatico per gl'Infermi, indrizzate à muovere i Fedeli à prestare cogl'atti interni del cuore il più divoto ossequio al Venerabilissimo Sagramento dell'Altare: le hà la Santità Sua approvate, e commandatane l'osservanza. In esecutione dunque degli Ordini di Sua Beatitudine, le habbiamo fatte stampare in un Libretto à parte, affinche servano, non meno d'Istruzzione, e norma a' Parochi, che a' Fratelli delle Compagnie, a' Deputati delle Parocchie, ed ad ogni altro, à cui toccherà d'osservarle. Esortiamo però tutti, così Ecclesiastici, come Laici, che in esecuzione di questo Commandamento di Nostro Signore, vogliano osservare le cose prescritte, quanto più puntualmente sia possibile, e con pronta volontà, ed affetto divoto verso il Divino Sagramento concorrere colla presenza, colle limosine, e con tutta l'applicazione à promovere un'Opera di tanta Gloria di Dio Benedetto, e di tanto merito per ciascuno; Tanto più, che la Paterna Benignità della Santità Sua hà voluto, per l'aumento d'azzione sì profittevole, aprire i tesori Ecclesiastici delle quali, insieme colle altre di già concedute da' suoi Predecessori, se ne portano in fine delle dette Regole per intiero le Bolle col nuovo Breve di Nostro Signore, & in piè di questo Editto i Sommarii. Speriamo nella Divina Bontà, che sia per muovere colla sua Santissima Grazia i Cuori di tutt'i Fedeli, à procurare efficacemente, e con santa emulazione, gli avanzamenti del Culto del Sagro Viatico; Affinche l'ottimo esempio di quest'Alma Città, habbia ancora à servire di stimolo all'altre, per crescere sempre più nell'Amore, e nella Venerazione di così Adorando Mistero. Commandiamo dunque, che il presente Editto si affigga ne' luoghi soliti: e che s'habbia da tener' esposto in tutte le Chiese Parocchiali, negli Oratorii delle lor Compagnie, e nelle Cappelle degli Spedali. Dato nel nostro Palazzo, li 2. Febraro 1695.

G. Card. Vicario

Alessandro Abb. Bonaventara Segr.

Sommario dell' Indulgenze, che guadagnano li Fedeli dell' uno, e l'altro sesso nell' Accompagnamento del Santissimo Viatico.

Indulgentiæ consequendæ ab associantibus.

CHi accompagna il *SS.* Viatico à gl'Infermi con lume acceso, guadagna Anni sette d'Indulgenza, ad altrettante Quarantene.

Chi accompagna senza lume, Anni cinque, ed altrettante Quarantene,

Chi legitimamente impedito, manda la Torcia, ò Candela per altri, ò la consegna in Parocchia, perche sia da altri portata, Anni tre ed altrettante Quarantene.

Chi similmente impedito, reciterà un Pater Noster, & un'Ave Maria, giorni cento d'Indulgenza.

La medesima è conceduta alle Donne, che senza uscire di Casa, dicono similmente un Pater Noster, & un'Ave Maria, pregando il Signore per la Persona Inferma, che si communica.

Li Fratelli però, e le Sorelle, che sono ascritti nelle Compagnie del Santissimo Sagramento, guadagnano maggiori Indulgenze, per la Bolla di Papa Paolo V. Però si esortano tutti, Huomini, e Donne à farsi scrivere nella Compagnia del Santissimo Sagramento, ò in Santa Maria Sopra Minerva, ò nella propria Parocchia.

Decreta Sacræ Congregationis à Sanctissimo Domino Nostro INNOCENTIO PP. XII. Super disciplina Regulari specialiter deputata.

Ejusdem SS. D. N. authoritate edita.

Intentio consulendi instaurationi Disciplinæ Regularis.

SAnctissimus in Christo Pater, & D. N. INNOCENTIUS Divinâ Providentiâ Papa XII. pro Paterna charitate, qua Religiosos Ordines multis, magnisque in Ecclesiam Dei meritis refulgentes, & peculiaris ergà Sedem Apostolicam devotionis nomine commendatos complectitur, volens eorum conservationi, & propagationi consulere, simulque ex injuncto sibi cœlitùs Pastoralis Officii debito providere, ut Regularis in iis Disciplina ad Religiosorum salutem, & totius Christiani Populi ædificationem, utilitatemque, sarta tecta custodiatur, ac vigeat, & ficubi collapsa est, adjuvante Domino reparetur, constituit, & declaravit, se licentiam recipiendi Novitios in singulis approbatis Ordinibus benignè concessurum, ut volentibus è periculosis seculi fluctibus ad Religionis portum confugere facilis, tutusque aditus aperiatur; dummodò tamen ea, quæ pro Regulari vita rectè institutenda tàm à Sacrosancta Tridentina Synodo, quàm à Prædecessoribus suis Romanis Pontificibus, præcipuè verò fel. recor. Clemente VIII. in Decretis Generalibus pro Regularium reformatione, necnon Innocentio X. & Alexandro VII. pro Novitiorum receptione, & Professorum educatione salubriter constituta sunt, quibus omnibus firmiter inhæret Sanctitas Sua, eaque, quatenus opus fit, confirmat, & renovat (salvis tamen in hac parte singulorum Ordinum statutis, seu aliis Ordinationibus ab Apostolica Sede in forma specifica post eadem Decreta forsitan approbatis, aut editis) exactè, & inviolatè serventur.

In unaquaque Provincia destinandus Conventus in quo, servetur vita Communis in eoque recipiantur Novitii.

§. 2. Quocircà Sac. Congregat. ab eodem Sanctissimo Domino Nostro super DISCIPLINA REGULARI specialiter deputata, quæ plura hactenùs pro recta nonnullorum Monasteriorum gubernatione Decreta edidit, aliaque in dies editura est, ut omnibus præfata ejusdem Sanctissimi Domini Nostri mens pateat, ac plenius, & celeriùs innotescat, de mandato Sanctitatis suæ præsentis Decreti tenore denuntiat omnium, & singulorum Ordinum Regularium (iis dumtaxat exceptis, qui in præfatis Clementis VIII. Decretis excepti reperiuntur) Superioribus tam Generalibus, quàm Provincialibus, quocumque nomine nuncupentur, cæterisque, ad quos spectat, ut in unaquaque Provincia per Italiam, & insulas adjacentes quamprimum deputent aliquos Conventus, quos magis aptos censuerint, vel unum saltem, ibique authoritate Apostolica statuant omnimodam observantiam Regulæ, Constitutionum uniuscujusque Ordinis, & Decretorum Apostolicorum, præcipuè verò exactæ Vitæ Communis ad formam eorum Decretorum ab omnibus Religiosis, qui in Conventibus, ubi recipiendi Novitii, & Professi educandi sunt, morabuntur, omninò servandæ; Postquàm verò Regularem Observantiam, & signanter quoad exactam Vitam Communem cum effectu stabilitam fuisse, tàm ex eorumdem Superiorum Generalium, seu Provincialium relatione, quàm Præpositi, & Fratrum in præfatis Conventibus degentium jurejurando firmato Testimonio, necnon per Secretas Informationes, atque etiam, ubi opus fuerit, per Apostolicos Visitatores ad hoc specialiter deputandos, eidem Sac. Congr. sufficienter constiterit, tunc Sanctitas sua antedictam licentiam, quam hactenus distulit, Novitios ibi recipiendi, benignè concedet, & locum ad Professos pietate, & litteris instituendos usquè ad Sacerdotium, vel aliàs juxtà Constitutiones, & laudabilis cujusque Ordinis consuetudines, in iisdem Conventibus, non autem in aliis, nisi fuerint ejusdem observantiæ, destinabit.

In dictis Conventibus quales Religiosi collocandi.

§. 3. Quæ quidem omnia, quò faciliùs, efficaciùs, & durabiliùs, ad praxim deduci valeant, eadem Sac. Congreg. Sanctitatis Suæ authoritate committit, & in virtute S. Obedientiæ præcipit præfatis Superioribus, ad quos pertinet, ut in supradictis Conventibus non collocent, nisi Religiosos graves, devotos, exemplares, regularis observantiæ, & puritatis regulæ studiosos, orationi præsertim, ac mortificationi, sine quibus non potest Religiosa vita consistere, addictos, quique consentiant exactè servare Vitam Communem, atque indè amoveant eos omnes, qui tàm Sanctæ ordinationi contradicere, seu verbis, aut factis quoquomodo sese opponere audeant.

Quales constituendi Superiores.

§. 4. Ut autem tàm laudabilis vitæ institutum, & Regulari Professioni maximè proprium Religiosi alacriùs arripiant, omnisque excusatio infirmioribus præcludatur, eadem Sacra Congregatio similiter præcipit Superioribus antedictis, ut memoratis Conventibus (imploratâ etiam, ubi opus fuerit, Apostolica authoritate) præfici omninò curent Viros non solum disciplinæ zelo, sed etiam charitate, & morum suavitate præditos, compatientes, Fraternitatis amatores, misericordes, quorum regimini libenter alii se submittant.

Religiosis nihil desit.

§. 5. Studeant verò præcipuè ut, ea omnia, quæ tàm ad victum, & vestitum, quàm ad reliquas vitæ necessitates pertinent, singulis Religiosis promptè subministrentur, ac præsertim ægritudinis tempore nihil alicui desit, quod ad sanitatem recuperandam pertineat:

Is numerus constituatur, cui sufficiant reditus, & obventiones.

§. 6. Ac propterea Religiosos in iisdem Conventibus morari non patiantur ultra eum numerum, qui ex illorum reditibus, & consuetis communibus, vel etiam singulorum eleemosynis, aliisve quibuscumque obventionibus pariter in commune conferendis valeat commodè sustentari. Eos verò, qui semel præfatæ observantiæ, & exactæ Vitæ communi libenter, ut verè Religiosos viros decet, sese subjecerint, & in ea laudabiliter perseverent, nullatenus à memoratis Conventibus nolentes transferant; nisi fortè ad alia Monasteria, ubi similis observantia vigeat, iisque pariter de omnibus ad vitam necessariis possint commodè provideri.

Amplectentes vitam Communem non transferantur inviti ad alium Conventum.

Tenuitati Conventus pro vita Communi deputandi quomodo providendum.

§. 7. Quod si redituum, & eleemosynarum tenuitas hujusmodi exactæ Vitæ Communis observantiæ alicubi videatur obsistere, liceat eisdem Superioribus, vel per annuam contributionem aliorum Conventuum huic necessitati prospicere, vel ab Apostolica Sede per suppressionem alicujus Conventus minus utilis perpetuam, vel ad tempus, vel alia demum ratione, quæ opportunior visa fuerit, remedium postulare.

Superioribus exequentibus favor, negligentibus pœnæ denunciantur.

§. 8. Sciant verò Superiores prædicti, eos, qui præfata omnia sedulò, ut par est, adimplere curaverint, specialem à Sanctitate Sua, & Sede Apostolica imituros gratiam, & protectionem, atque, in iis præcipuè, quæ ad antedictam observantiam stabiliendam pertinent, favorem omnem, & auxilium experturos, qui verò è contra negligentes, aut (quod absit) contumaces reperti fuerint, gravibus pœnis pro culpæ modo, & etiam privationis Officiorum, ac perpetuæ inhabilitatis ad ea, aut alia in posterum obtinenda puniendos fore; Præfatæ autem observantiæ nihilominus stabilendæ per alios Superiores, vel per Commissarios Apostolicos, ubi opus fuerit, etiam extrà Religiorum assumendos, à Sancta Sede efficaciter providendum, omnemque interim, ubi eadem observantia non vigebit, recipiendi Novitios licentiam deneganda.

In futuris fundationibus statuenda vita Communis.

§. 9. Porrò ne Regularis Disciplina, dùm in Conventibus jam erectis statuitur, relaxetur in erigendis, & quod una ex parte construitur, simul ex altera destruatur, Sacra Congregatio, Sanctitate Sua similiter approbante, statuit, atque decernit, nulla in posterum Monasteria, Collegia, Domos, Conventus, aut alia Religiosorum Virorum loca fundari, erigi, aut quovis modo instituti debere, nisi sub expressa obligatione exactæ Vitæ Communis ab omnibus Religiosis ibi commorantibus perpetuò, & inviolatè servandæ, ac propterea nullas deinceps admittendas hujusmodi fundationes, nisi, præter alia ad id requisita, priùs legitimè constiterit, adesse annuos reditus, vel certam eleemosynarum spem, quibus duodecim saltèm Religiosi in exacta Vita Communi commodè valeant sustentari.

Constitutionibus Derogationes.

§. 10. Non obstantibus circa præmissa omnia, & singula, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quorumcumque Ordinum Statutis, consuetudinibus, privilegiis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Hortatio universalis ad Regulares pro observantia.

§. 11. Ad extremum eadem Sacra Congregatio Regulares omnes, cujuscumque Ordinis, & Instituti sint, Sanctitatis Suæ verbis, seriò admonet, & in Domino obtestatur, ut omni mora postposita, sicuri filios Obedientiæ decet, ad Regulæ, quam amplexi sunt, præscriptum vitam instituant, & componant, Decretisque Apostolicis pro æterna illorum salute editis sincerè, ac fideliter pareant, nec ab eorum observantia inanibus interpretationibus, & fallaciis, aut relaxationum prætextibus, ad excusationes in peccatis, abduci se sinant, sed Professionis suæ memores, qua se totos Dei obsequio manciparunt, susceptum Christianæ perfectionis iter, arduum quidem, sed Divinæ charitatis dulcedine aspersum, abjectis terrenarum rerum curis, alacriter prosequantur; Nimis enim turpe esset, eos ad secularia desideria, quibus semel aspirante Domino renunciarunt, animum revocare, & obligatam Deo, qui non irridetur, primam fidem irritam facere. Meminerint, se ad peculiarem Salvatoris Nostri sequelam vocatos, qui, cùm dives esset, propter nos egenus factus est, veterumque illorum Fidelium glorioſos imitatores, ac veluti hæredes esse, quorum erat cor unum, & anima una, nec quisquam eorum, quæ possidebat aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia, dividebatur autem singulis, prout cuique opus erat; ideoque in Regularis vitæ, ac præcipuè Sanctæ Paupertatis, quæ est parens quædam generatioque virtutum, proposito perseverent, omnem solicitudinem suam projicientes in eum, cujus oculi in pauperes respiciunt, qui non derelinquit sperantes in se, sed dives in misericordia centuplum, & vitam æternam propter nomen suum relinquentibus omnia repromisit.

Dat. Romæ die 18. Julii 1695.

Publicatio 1695.

G. Cardinalis Carpineus.

Loco † Sigilli.

Carolus Augustinus Fabronus S. Congr. Secret.

CUM hoc tempore indicti Universalis Jubilei Sanctiss. D. Noster INNOCENTIUS Papa XII. Suorum Prædecessorum exemplo fel. rec. Urbani Papæ VIII. & Clementis X. inhærendo, pietatis suæ viscera etiam ergà Regulares suæ professionis desertores aperire, illosque ad Christi Domini Ovile reducere, ac eorum quemlibet suæ cuique Religioni restituere paterno zelo concupiscat, Nobisque suæ dignationis charitatem vocis oraculo manifestam facere commiserit; Nos, qui ejusdem Sanctissimi D. Nostri Papæ Pœnitentiariæ curam gerimus, Sanctitatis Suæ benignissimæ voluntati obtemperando, tenore præsentium indicimus, ut Regulares Apostatæ, & Fugitivi cujuscumque Ordinis, & Religionis, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Congregationis, Societatis, & Instituti, qui citrà Montes intra quatuor menses, ultrà verò Montes intra octo menses à præsentium publicatione inchoandos, sua sponte ad suam quique Religionem redierint, pœnarum, & pœnitentiarum omnium tam inflictarum, quam infligendarum propter Apostasiam, remissionem, atque impunitatē assequantur; Ita tamen, ut debeant à Superioribus, quibus se præsentaverint, humiliter absolutionem petere, culpamque suam coram eisdem fateri, emendationemque polliceri: Ipsi verò Superiores, ut benignè illos recipere, absolvere, ac pœnas, & pœnitentias ipsis remittere, paternaque illos charitate complecti, ut veri obedientiæ filii ergà mandata, & Litteras Apostolicas teneantur. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quarumcunque Religionum, seu Ordinum Mendicantium, vel non Mendicantium, Congregationis, Societatis, & Instituti privilegiis, cæterisque contrariis quibuscunque. Ut autem præsentes Literæ omnibus faciliùs innotescant, hortamur in Domino Venerabiles in Christo Patres, Apostolicæ Sedis Nuncios, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, aliosque Ecclesiarum Antistites, & locorum Ordinarios, ut illas quanto citiùs publicari, & exequutioni demandari faciant. Dat. Romæ in Sacra Pœnitentiaria Anno à Nativitate Domini Nostri Jesu Christi 1691. die verò prima Decembris Pontificatus Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Innocentii Divinâ Providentiâ Papæ XII. Anno ejus Primo

L. Card. Colloredus Major Pœnitentiarius.

Hieronymus Certus S. P. Secr.

Die, mense, & anno quibus supra, supradictum Edictum affixum, & publicatum fuit in Acie Campi Floræ, & aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Sebastianum Vasellum Apostolicum Cursorem.

Franciscus Perinus Magister Curs.

CXII.

Decretum de Apostatis, & Fugitivis auctoritate SANCTISSIMI D. NOSTRI INNOCENTII PP. XII editum de prima Martii 1693.

Apostatæ invitantur redire ad Ordinem sub condonatione omnium delictorū, & reintegratione ad gradus pristinos.

CONgregatio particularis à Sanctiss. Domino Nostro deputata Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Carpinei, Casanate, Marischotti, de Norfolcia, de Lauræa, de Aguirre, & Colloredi censuit auctoritate sibi specialiter à Sanctissimo Domino Nostro attributa infrascriptum Decretum gratiosum pro hac vice tantùm absque spe ulterioris indulti promulgari, ac respectivè indulgeri Apostatis, & Fugitivis hac quæ sequitur formâ.

Quotquot de Regularibus Apostatis, & Fugitivis quorumcunque Ordinum, vel Congregationum, Monasteriorum, Conventuum, Collegiorum, Domorum, vel locorum Regularium ubique existentium, tàm Mendicantium, quàm non Mendicantium, à propria Religione apostataverint, etiamsi à Fide Catholica delapsi sese infidelitatis, vel utcumque hæreticæ communionis contagione maculârint, si citrà Montes intrà sex menses, ultrà Montes infrà annum, extrà Europam ad tres annos à die publicationis præsentium in Urbe inchoandos, resipuerint, & ad propriam Religionem redire, vel ad aliam etiam laxiorem transire, in qua tamen vigeat Claustralis, & Regularis observantia, & respectivè ad Fidem Catholicam, seù ad illius communionem reverti, Deo dante, voluerint, seque præsentaverint alicui, sivè Nuncio Apostolico, sivè Episcopo, sivè Inquisitori, sivè, si ad illos facilis non sit accessus, Vicario Apostolico, aut Præfecto Missionum illius Regionis, in qua degunt, quem ipsi elegerint, veniamque coram eo humiliter petierint, & si à Fide delapsi fuerint, omnes errores ab Ecclesia Catholica damnatos detestati fuerint, & abjuraverint in forma solita, ab eodem ut supra, per ipsos electo à quibusvis sententiis, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, salvo tamen Jure Partium, & Fisci, quibus quomodolibet innodati extiterint, Apostolica auctoritate, quam Sanctissimus Dominus Noster prædictis, & singulis de speciali gratia ad hunc effectum impertitur, absolvi, & in communionem Catholicam recipi, & super irregularitate quoad exercitium Ordinum per eos ratione Apostasiæ, & lapsus à Catholica Fide in hæresim, vel ex violatione censurarum dumtaxat contracta, dispensari possint, & valeant, suspenso tamen prædicto exercitio Ordinum, dum extrà Claustra permanserint, & Religionem ingressi non fuerint, ac præmissâ pœnitentia salutari excessibus congruâ, condonationem, & remissionem, impunitatemque omnium delictorum, salvo semper Jure tertii, tàm antè, quam post Apostasiam commissorum, consequantur,

literasque testimoniales gratis concedendas obtentæ absolutionis, dispensationis, condonationis, remissionis, ac impunitatis habere procurent. Iis verò, qui ad aliam Religionem transire voluerint, competens terminus quatuor mensium à die obtentæ absolutionis inchoandus ad inveniendos benevolos Receptores concedatur ab eo, à quo reconciliati fuerint; quo termino durante, sub obedientia, directione, & respectivè Jurisdictione illius Ordinarii, sivè alterius ex prædictis Superioribus, cui se præsentaverint, ne vagi discurrant, remanere debeant, eòque elapso, nec alio benevolo Receptore invento, statim ad propriam Religionem redire teneantur, aliàs habeantur pro Apostatis recidivis, & subjectis eisdem pœnis contra Apostatas per Sac. Canones, Constitutiones Apostolicas inflictis. Irregulares autem ex aliis delictis præter expressa, iisdem Irregularitatibus remaneant obnoxii, nisi posteà ab Apostolica Sede ob correctos, & emendatos maximè mores, secundùm Ordinariorum, & proprii cujusque Ordinis Superiorum attesta tiones, fuerint dispensati. Agnoscant autem Apostatæ, & Fugitivi ita reconciliati, juxtà monita Sanctorum Patrum, quàm diuturnam, acerbamque pœnitentiam, secundùm Sac. Canones, agere oporteret pro tot, tantisque sceleribus, studeantque ingenti contritione, fletu, & planctu, aliisque animi, corporisque macerationibus, se ad veniam, largiente Domino, disponere, ut absolutionem à censuris, dispensationem respectivè ab Irregularitatibus, & absolutionem peccatorum Sacramentalem dignè, & salubriter consequi valeant. Deindè verò haud statim, sed interposita convenienti mora, ac prævia novæ vitæ conversatione, veterum peccatorum reliquias per actus veræ pœnitentiæ eluere satagant, priusquam Eucharistiæ Sacramentum sumant, vel ad Ecclesiasticos Ordines administrandos ii, qui super Irregularitate dispensati fuerint, accedant. Sic autem reconciliatos, si ad propriam Religionem revertantur, illorum Superiores benignè recipiant, ac paternè, & charitativè amplectantur, & tractent, ac nisi alia crimina, præter Apostasiam à Religione, vel à Fide Catholica in hæresim, & violationem censurarum, ut præfertur, patraverint, juxtà eorum pœnitentiæ fructus, & merita, etiam ad honores, gradus, locum, & voces restituant, eisdem à nemine objurgata anteactæ vitæ memoria, circa quos, ut S. Gregorius monet, sit amor sed non emolliens, sit rigor, sed non exasperans, sit zelus, sed non immoderatè sæviens, sit pietas, sed non plusquam expediat, parcens. Quoad illos verò, qui ad aliam Religionem etiam laxiorem transire voluerint, eadem Sacra Congregatio hortatur in Domino Ordinum Superiores habentes facultatem recipiendi ad habitum, & professionem, ut eos recipiant, & post peractum probationis annum, ad professionem admittant, ad quem effectum Sanctissimi Domini Nostri Papæ auctoritate Superioribus cunctis necessarias omnes facultates impertitur, derogando omnibus Constitutionibus tàm Apostolicis, quàm proprii cujusque Ordinis, ac si de eis hic expressa mentio facta esset. Datum Romæ die 24. Julii 1694.

G. Card. Mariscottus Pro-Præfectus.

Loco ✠ Sigilli.

R. Pallavicinus Sac. Congr Concilii Secr.

Die 30. Julii 1694. supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Curiæ in Acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Sebastianum Vasellum SS. D. N. Papæ Cursorem.

Pro Domino Magistro Cursorum
Gregorius Staggius Apost. Curs.

Decretum de Ejectis, & Ejiciendis, auctoritate Sanctissimi D. N. INNOCENTII PP. XII. editum die prima Martii 1693.

CXIII.

Mitigatur forma aliàs præscripta sub Urb. VIII. pro ejiciendis Regularibus Incoraigibilibus.

Instantibus Procuratoribus Generalibus Religiosorum Ordinum pro moderatione Decretorum de Apostatis, & Ejectis editorum à Sacra Congregatione Concilii, & à san. mem. Urbano Papa VIII. anno 1624. confirmatorum, ut facilior modus Incorrigibiles ejiciendi præscribatur, Sacra Congregatio a Sanctissimo Domino Nostro INNOCENTIO PAPA XII. super præmissis particulariter deputata Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Carpinei, Casanate, Mariscotti, de Norfolcia, de Laurea, de Aguirre, & Colloredi, perpensis eorumdem Procuratorum Generalium votis, ne consortio morbidarum pecudum cæteræ corrumpantur, & remedia hucusque ad sanitatem oblata malè affectis officiant magis, quam prosint, maturo examine, zelo Regularis disciplinæ conservandæ, censuit, statuit, & auctoritate ejusdem Sanctissimi Domini Nostri sibi specialiter attributa, hæc imposterum servanda decrevit.

I. Quòd firmis, ac in suo robore semper manentibus prædictis Decretis de Apostatis, etiam secundùm eam partem ubi agitur de Ejectis, & Ejiciendis, tamquam Sacris Canonibus, & communiori SS. Patrum menti conformibus quoad Ejectos eadem serventur, quæ in alio simili Decreto hac præsenti die emanato de Apostatis, & Fugitivis statuta sunt, & indulta; Quòdque ad præscriptam legem san. mem. Gregorii IX. in C. *final de Regul.* annuatim Fugitivi requirantur, & respective cogantur ad Claustra reverti.

II. Quod annus integer, qui in prædictis Decretis anni 1624. præscribitur in pœnitentia, & jejunio ad ejiciendos Incorrigibiles, ad sex tantùm menses continuos in posterum coarctetur, & restringatur.

III. Quod facultas Generalibus Ordinum de consilio, & assensu sex ex gravioribus Religiosis in singulis Capitulis, Congregationibus Generalibus ad Causas Ejiciendorum eligendis, attributa; extendatur etiam ad quoscumque Provinciales, qui electis pariter in Congregationibus Provincialibus sex gravibus ex propria Provincia Religiosis à Generali confirmandis, de illorum consilio, & assensu Causas hujusmodi cognoscant, & ad effectum ejiciendi Incorrigibiles suæ Provinciæ, & Ejectionem pronunciandi, accedente approbatione Generalis, definiant, salvâ semper Sanctæ Sedis, & S. Congregationis Concilii in casu recursus, & appellationis auctoritate.

IV. Quòd in posterùm Processus conficiantur juxta Regulas, Constitutiones, Ordinationes, & Stylum cujusque Ordinis, & Religionis, donec aliter fuerit à Sacra Congregatione provisum.

V. At quia nimia sine delectu facilitas recipiendi quoscunque Religionis ingressum petentes, & à Religione forsan alienos, duram satis tractu temporis necessitatem parit eosdem è Claustris ejiciendi, ne hujusmodi semina, quæ à principio ad fructum faciendum cadunt in terram bonam, paulatim contaminata inordinatis moribus usque ad incorrigibilitatem succrescant in paleas, eadem Sacra Congregatio, annuente Sanctissimo Domino Nostro sub interminatione Divini Judicii, nec non privationis vocis activæ, & passivæ, ac Dignitatum, & Officiorum obtentorum, cum inhabilitate ad eadem imposterum obtinenda, quibuscumque prædictorum Ordinum Superioribus districtè præcipit, & mandat, omnia, & singula Decreta san. mem. Clementis VIII. registrata post Decretum san. mem. Urbani VIII. de Apostatis, & Ejectis incipiens *Regularis San-*

ctissimus, & Nullus, unâ cum aliis subsequentibus Decretis, provisionibus, ordinationibus, & respectivè moderationibus, bis in anno legi, eadem ad unguem servari, pœnas in eisdem contentas innovari, & Capitibus Ordinum intimari, ne hujusmodi Decretorum transgressores, qui in lege gloriantur, per prævaricationem legis Deum inhonorent; & ne militiæ Christi adscripti tam de facili fiant desertores, ac profugi.

Datum Romæ die 24. Julii 1694.

G. Card. Marisscottus Pro-Præfectus.

Loco ✠ Sigilli.

R. Pallavicinus Sac. Congr. Conc. Secr.

Die 30. Julii 1695. Supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Curiæ, in acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per me Sebastianum Vasellum SS. D. N. PP. Cursorem,

Pro D. Mag. Curs. Gregorius Staggius Apost. Curs.

CXIV. Novus, & peremptorius terminus Apostatis, Fugitivis, & Ejectis à Sanctissimo Domino Nostro INNOCENTIO PAPA XII. concessus.

Apostatis prorogatur terminus ad redeundum.

SAnctissimus Dominus Noster Innocentius Papa XII. Apostolica commiseratione motus, Apostatis, sivè à Fide, sive à Religione, & Fugitivis, vel Ejectis, qui post decretum editum die 31. Julii anni 1694. adhuc profugi, & contumaces perseveraverint, vel idem Decretum quoquo modo ignoraverint, vel benevolos receptores non dum invenerint, novum hoc Decreto ad alios sex menses à die publicationis ejusdem decurrendos absque spe ulterioris prorogationis, & novi termini, concessit terminum, intrà quem miserante Domino salubriter sibi consulere possint. Datum Romæ die 6. Augusti 1695.

Die 14. Augusti 1695. Supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Curiæ, & in Acie Campi Floræ, ac ad valvas Magnæ Curiæ in Monte Citatorio, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Thomam Orlandum ejusdem Sanctiss. D. N. Papæ Cursorem.

CXV. Novus, & peremptorius terminus Apostatis, & Fugitivis à Sanctissimo Domino Nostro INNOCENTIO XII. concessus.

Alia Prorogatio.

SAnctissimus Dominus Noster Innocentius Papa XII. Apostolica commiseratione motus, Apostatis, sive à Fide, sive à Religione, & Fugitivis dumtaxat, qui ante Decretum editum die 31. Julii Anni 1694. apostataverint, ac post dictum Decretum, & prorogationem sex mensium concessam die 14. Augusti 1695. adhuc profugi, & contumaces perseveraverint, vel idem Decretum, ac prorogationem quoquo modo ignoraverint, aut benevolos Receptores nondum invenerint, novum hoc Decreto ad alios sex menses à publicatione ejusdem decurrendos, absque spe ulterioris prorogationis, & novi termini, concessit terminum, intra quem, miserante Domino, salubriter sibi consulere possint. Datum Romæ hac die 15. Decemb. 1696.

J. Card. Sacripantes Sac. Congreg. Concil. Præf.

F. Nuptius Sac. Congr. Concil. Secr.

Die 14. Decembris 1696.

Supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad Valvas Magnæ Curiæ Innocentianæ; in Acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Thomam Orlandum Apost. Cursorem.

NOTIFICATIONE.

CXVI. Tribunalia continuant etiam proficiscente Pontifice Neptunum.

PER parte dell'Illustriss., & Reverendiss. Monsign. Carlo de Marini Protonotario Apostolico dell'una, e l'altra Signatura Referendario, e della Reverenda Camera Apostolica Generale Auditore, Si notifica essere mente precisa di Nostro Signore communicatagli à bocca, che per occasione della presente andata, che la Santità Sua è per fare à Nettuno, non si sospenda in alcuno de Tribunali l'Amministrazione della Giustizia, mà si faccino da per tutto le solite funzioni, e tutto quello che si farebbe, se Sua Beatitudine fosse presente. Dalla Curia Innocentiana, questo di 20. Aprile 1697.

Carlo de Marini A. C.

DECRETUM GENERALE.

CXVII. Reliquiarum titulo celebrari nequeunt Missa, & Officium si non sint de Sanctis descriptis in Martyrologio.

CUM Sac. Rituum Congregationi innotuerit quamplures abusus irrepsisse circa recitationem Officii sub prætextu Decreti ab eadem Congregatione evulgati de Anno 1630. & in Breviario Romano impressi, in quo permittitur posse in Ecclesia recitari Officia, & Missas celebrari de illis Sanctis, quorum Corpora, aut Reliquiæ insignes in ea asservantur: Eminentissimi Patres eidem Sac. Congreg. Præpositi iisdem abusibus evellendis præcipuè intenti, inhærendo Decretis aliàs in similibus editis, declararunt prædicta Officia Sanctorum ratione Corporis, seù insignis Reliquiæ recitanda, intelligi debere de Sanctis dumtaxat in Martyrologio Romano descriptis, & dummodò constet de identitate Corporis, seù Reliquiæ insignis illiusmet Sancti, qui reperitur in Martyrologio Romano descriptus: De cæteris autem Sanctis in prædicto Martyrologio non descriptis, aut quibus à Sancta Sede non fuerit specialiter concessum, Officia recitari, & Missas celebrari, vetuerunt, non obstante, quod ipsorum Corpora, vel insignes Reliquiæ in Ecclesiis asserventur: Quibus tamen ab Ordinariis locorum approbatis debitam Fidelium venerationem (prout hactenùs servatum est) exhibendam esse censuerunt, sed absque Officio, & Missa, sub pœnis de non satisfaciendo præcepto recitandi Officium, aliisque in Constitutione B. Pii V. contentis. Die 11. Augusti 1691.

Et facta de prædictis Sanctissimo per me Secretarium relatione, Sanctitas Sua hujusmodi Decretum approbavit, ac, ut debitæ exequutioni demandetur, locorum Ordinariis injungendum esse præcepit. Die 19. Octobris ejusdem Anni 1691.

A. Episc. Ostien. Card. Cybo.

Loco † Sigilli.

J. Vallemanus Sac. Rit. Congreg. Secret.

DECRETUM.

CXIX. De Festivitate Annunciationis occurrente in majori Hebdomada.

ETsi secundùm regulas Breviarii Romani cùm plura Festa æqualia in ritu transferenda sunt, unum ante aliud transferri debeat eo ordine, quo erant celebranda propriis diebus; attamen quia Anno 1690. ab hac Sacr. Rituum

Congre-

Congregatione, approbante, & mandante fel. rec. Alexandro Papa VIII. ſpecialis prærogativa conceſſa fuit translatione Feſti Annunciationis B. Mariæ Virginis Matris Dei, incidentis in Feriam ſextam Paraſceve, vel Sabbatum Sanctum; idcircò eadem Sac. Rituum Congregatio iſtiuſmodi novis Decretis inhærens, ob ſpecialem reverentiam Dominicæ Incarnationis, ſpeciali hoc privilegio decorandum cenſuit idem Feſtum Annunciationis: nimirùm, ut quotieſcumque poſthac contigerit Feſtum prædictum, etiam quoad ſolum Officium poſt Octavas Paſchæ transferri, in eodem cæteris ſemper feſtis æqualis ritus præponatur, licet temporis ordine illis ſit Kalendario poſterius: Et ita ſervari mandavit die 14. Junii 1692.

A. Epiſc. Oſtien. Card. Cybo.

Loco ✠ Sigilli.

J. Vallemanus Sac. Rit. Congreg. Secret.

CXIX. De Feſtivitate S. Joſephi occurrente in feria quinta majoris Hebdomadæ.

DECRETUM GENERALE.

CUM Anno proximè venturo occurrat Feſtum S. Joſephi in feria 5. majoris hebdomadæ, exortum fuit dubium attenta univerſali conſuetudine Eccleſiæ celebrandi eo die unam tantùm Miſſam, an unà cum Officio ipſius S. Joſephi transferri debeat anno prædicto etiam obligatio audiendi Miſſam, ac vacandi ab operibus ſervilibus; Dubioque hujuſmodi in Sacror. Rituum Congregatione propoſito, eadem Congregatio ad relationem Eminentiſſ. & Reverendiſſ. D. Card. A bani re maturè diſcuſſa cenſuit, Officium transferendum eſſe ad aliam diem juxtà Rubricas Breviarii Romani, & decreta ipſius Congregationis; cæterum præceptum audiendi Miſſam, & vacandi ab operibus prædictis non eſſe transferendum, ſed ſervandum eſſe in prædicta feria 5. Majoris hebdomadæ; adeòque per Ordinarios locorum accuratè providendum, ut eo die aliquæ quidem Miſſæ privatæ ante celebrationem ſolitæ Miſſæ Conventualis celebrandæ pro præcepti adimplemento non deſint, ſed tamen propterea antiquus mos Communionis Cleri in Miſſa ſolemni ejus diei, quo Eccleſia Sanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti inſtitutionem, & memoriam recolit, ſumma religione hactenus retentus, nullatenùs omittatur, & ità declaravit, ac decretum hujuſmodi publicari, & imprimi mandavit. Die 13. Septembris 1692.

A. Epiſc. Oſtien. Card. Cybo.

Loco † Sigilli.

J. Vallemanus Sac. Rit. Congreg. Secret.

CXX. Confirmatio Decretorum Congregationis S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, ſuper Celebratione Miſſarum, etiam cum declarationibus, & innovatione Decretorum ab eadem Congregatione, Auctoritate felic record. Urbani Papæ VIII. deſuper aliàs factorum.

INNOCENTIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Decreta Congregationis S.R.E. Cardinalium.

NUper à Congregatione Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum prodierunt Decreta tenoris infraſcripti, videlicet.

Aliàs ſuper celebratione Miſſarum, ac prohibitione illas moderandi, ſeu reducendi abſque Sedis Apoſtolicæ licentia, necnon ſuper earundem oneribus perpetuis ſuſcipiendis, & Religioſorum numero ultra reditus, & conſuetas eleemoſynas locorum Regularium non habendo, emanarunt ab hac Sac. Congregatione S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, auctoritate per fel.rec. Urbanum Papam VIII. illi ſpecialiter attributa, quamplura Decreta tenoris ſequentis.

Cùm ſæpe contingat in quibuſdam Eccleſiis tàm magnum Miſſarum celebrandarum numerum, ex variis Defunctorum relictis, aut piorum eleemoſynis impoſitum eſſe, ut illis pro ſingulis diebus præſcriptis nequeat ſatisfieri, & tamen nova onera Miſſarum in dies ſuſcipiantur; indeque fiat, ut depereant piæ Teſtantium voluntates, obſtricta Benefactoribus fides violetur, Defunctorum animæ ſuffragiis priventur, Eccleſiis debitus ſubtrahatur cultus, ac Chriſtifideles gravi ſcandalo affecti, plerumque à ſimilibus charitatis operibus retrahantur: Cùmque his malis maximum inter cæterum fomentum præbeat, aut quòd ii, qui Miſſas ſupra vires celebrandas ſuſcipiunt, ſperent illas brevi ad pauciorem numerum à Superioribus reductum iri; aut quòd Eccleſiis ſotre pecuniarum abſumpta, plerumque nuda remaneant onera Miſſarum, abſque ullo emolumento, aut quòd eleemoſyna pro illis celebrandis ſit adeò tenuis, ut non facilè inveniantur, qui velint huic ſe muneri ſubjicere, & reditus Eccleſiæ, aut Monaſterii adeò exigui, ut Sacerdos pro neceſſaria ſua ſuſtentatione novis ſe oneribus obſtringere compellatur. Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum animadvertens, facturam ſe rem Deo gratiſſimam, charitatique, ac Juſtitiæ maximè conſentaneam, ſi pro viribus ſatagat, hunc teterrimum abuſum è Chriſtiana Republica convellere, atque eradicare, Sanctiſſimi D. N. Urbani Divinâ providentiâ Papæ VIII. auctoritate ſibi ſpecialiter attributa, infraſcripta Decreta edidit.

Ac primò diſtrictè prohibet, atque interdicit, ne Epiſcopi in Diœceſana Synodo, aut Generales in Capitulis generalibus, vel aliàs quoquomodo reducant onera ulla Miſſarum celebrandarum, aut poſt idem Concilium impoſita, aut in limine fundationis, ſed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis ad Apoſtolicam Sedem recurratur, quæ, re diligenter perſpecta, id ſtatuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur; alioquin reductiones, moderationes, & commutationes hujuſmodi, ſi quas contra hujus prohibitionis formam fieri contigerit, omninò nullas, atque inanes decernit.

Deindè ubi pro pluribus Miſſis ejuſdem qualitatis celebrandis, ſtipendia, quantumcumque incongrua, & exigua, ſive ab una, ſive à pluribus perſonis collata fuerunt, aut conferentur in futurum Sacerdotibus, Eccleſiis, Capitulis, Collegiis, Hoſpitalibus, Societatibus, Monaſteriis, Conventibus, Congregationibus, Domibus, ac Locis Piis quibuſcumque, tam Secularibus, quam Regularibus; Sacra Congregatio ſub obteſtatione Divini Judicii mandat, ac præcipit, ut abſolutè tot Miſſæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemoſynæ præſcriptæ fuerint, itaut alioquin ii, ad quos pertinet, ſuæ obligationi non ſatisfaciant, quinimò graviter peccent, & ad reſtitutionem teneantur.

Id verò, ut deinceps obſervetur exactiùs, Sac. Congregatio eadem auctoritate revocat Privilegia, & Indulta omnia quibuſvis perſonis, Eccleſiis, ac Locis Piis, tam Secularibus, quàm Regularibus, cujuſcumque Ordinis, Congregationis, & Inſtituti, quamcumque ob cauſam conceſſa, quibus indulgetur, ut certarum Miſſarum, vel Anniverſariorum celebratione, aut aliquibus Collectis, ſeù Orationibus plurium Miſſarum oneribus in futurum ſuſcipiendis ſatisfiat.

Ac similiter omne damnabile lucrum ab Ecclesia removere volens, prohibet Sacerdoti, qui Missam susscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eamdem Missam alteri, parte ejusdem eleemosynæ sibi retenta, celebrandam committat.

Præterea, ne in Ecclesiis, in quibus onera Missarum in perpetuum imposita sunt, Sacerdotes in eis, ut par est, adimplendis eò tepidiores, ac segniores reddantur, quòd onera hujusmodi cum nulla, aut parva sint utilitate conjuncta; statuit, atque decernit, ut pecuniæ, ac bona mobilia Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, Hospitalibus, Societatibus, Congregationibus, Monasteriis, Conventibus, ac Locis omnibus, tam Secularibus, quàm Regularibus, atque illorum personis in futurum simpliciter acquirenda cum onere perpetuo Missarum celebrandarum ab iis, ad quos pertinet, sub pœna Interdicti ab ingressu Ecclesiæ ipso facto incurrenda, à die realis acquisitionis, statim deponi debeant penes Ædem sacram, vel personam fide, & facultatibus idoneam, ad effectum illa, seù illorum pretium quàm primùm investiendi in bonis immobilibus fructiferis cum expressa, & individua mentione oneris, quod illis annexum reperitur.

Ac si eadem bona immobilia auctoritate Apostolica deinceps alienari contigerit, eorumdem pretium, sub eadem pœna, ut supra, deponi, atque in aliis bonis stabilibus itidem fructiferis cum ejusdem oneris repetitione, atque annexione converti debeat.

Ad hæc Sac. Congregatio quibusvis Capitulis, Collegiis, Societatibus, & Congregationibus, necnon omnibus, & singulis Ecclesiarum, ac piorum Locorum, tàm Secularium, quàm Regularium Superioribus, vel aliis, ad quos pertinet, districtè prohibet, ne imposterum onera perpetua suscipiant Missarum celebrandarum, Seculares quidem sine Episcopi, vel ejus Generalis Vicarii, Regulares verò sine Generalis, vel Provincialis consensu, & licentia in scriptis, & gratis concedendâ; alioquin Secularis, qui hujus prohibitionis transgressor extiterit, ab ingressu Ecclesiæ interdictus sit eo ipso: Regularis vero pœnam privationis omnium Officiorum, quæ tunc obtinebit, ac perpetuæ inhabilitatis ad alia de cætero obtinenda, vocisque activæ, ac passivæ, absque alia declaratione incurrat.

Eleemosynas verò manuales, & quotidianas pro Missis celebrandis ita demum iidem accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera suscipere valeant; alioquin omninò abstineant ab hujusmodi eleemosynis, etiam sponte oblatis in futurum recipiendis, & capsulas auferant ab Ecclesiis cum inscriptione illa: *Eleemosyna pro Missis*, vel alia simili sub iisdem pœnis ipso facto incurrendis, ne Fideles hac ratione frustrentur.

Episcopus verò, seù ejus Vicarius, aut Generalis, vel Provincialis, ubi de licentia pro perpetuis oneribus fuerint requisiti, in singulis casibus diligenter inquirant, de singulis. Missarum celebrandarum obligationibus cuique Ecclesiæ, Monasterio, aut Loco pio incumbentibus; nec antea assensum hujusmodi, aut licentiam præbeant, quàm eis legitimè constiterit, illius Sacerdotes tam novo oneri suscipiendo, quàm antiquis jam susceptis satisfacere posse, præcipuamque rationem habeant, ut reditus, qui Ecclesiis, & Locis piis reliquuntur, omninò respondeant oneribus adjunctis secundùm morem cujusque Civitatis, vel Provinciæ, intelligantque, si in re tanti momenti desides, aut negligentes fuerint, in novissimo die se hujus prætermissi muneris rationem esse reddituros.

Postremò Illustrissimi Patres non sine gravi animi dolore intelligentes, mala ferè omnia, quæ Regularem disciplinam evertunt, ac præcipuè nimiam hanc facilitatem fovent, in oneribus Missarum supra vires suscipiendis, veluti ex infecta radice, pullulare ex majori Regularium numero, quàm ferant reditus, & eleemosynæ cujusque Monasterii; inhærentes Summorum Pontificum, ac Sacri Tridentini Concilii Decretis, hac de re editis, Sanctissimi Domini Nostri auctoritate præcipiunt, ac mandant omnibus, & singulis Generalibus, Provincialibus, Commissariis, Ministris, Præsidentibus, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Guardianis, Vicariis, & quibuscumque aliis Superioribus Monasteriorum, Conventuum, ac Domorum Regularium, bona immobilia possidentium, vel non possidentium, cujuscumque Ordinis, Congregationis, & Jnstituti existentium intra fines Italiæ, & Insularum adjacentium, ut singuli, ad quos pertinet, in qualibet Provincia, adhibitis duobus, aut tribus Regularibus sui Ordinis, vel Congregationis probatioribus, & rerum usu peritioribus, bona immobilia, census, reditus, & proventus omnes, consuetas item eleemosynas, & obventiones tam communes Monasteriorum, Conventuum, & Domorum ejusdem Provinciæ, quàm etiam singularibus personis Religiosis assignatas, seù permissas in communem usum deinceps conferendas, decem annorum immediatè præcedentium habita ratione diligenter, & maturè recognoscant, iis omnibus detractis, quæ reparationes, præstationes, grandines, sterilitates, aliave cujuslibet generis onera consueverunt absorbere.

Eaque omnia scripto fideliter exarata, idem Superior, cujus interest, in proximo Capitulo, seù Congregatione generali, vel Provinciali coram tribus Judicibus ab ipsomet Capitulo, seù Congregatione deligendis proponat, qui computatis hujusmodi reditibus, eleemosynis, & obventionibus universis, & oneribus, ut supra detractis, sedulò examinent, quot Religiosi homines connumeratis etiam laicis, aliisque necessariis servientibus in unoquoque Monasterio, Conventu, & Domo regulari juxtà religionis, & proprii instituti morem, victum, & vestitum, & medicinalia in communi habentes, competenter valeant sustentari. Tum eorumdem bonorum, redituum, eleemosynarum, & onerum præcisam notam ipsimet Capitulo, seù Congregationi exhibeant, ut in illo diligenter omnibus discussis, cujusque Familiæ Monasterii, Conventus, ac Domus Regularis in singula quaque Provincia certus earum tantùm personarum numerus, Patrum capitularium voto præfigatur, quæ reditibus, eleemosynis, & obventionibus, ut superiùs, sufficienter ali possint.

Ne verò Superiores, qui id præstare debent, seriùs, aut remissiùs, quàm par est, suo muneri satisfaciant: mandat Sacra Congregatio, ut infra annum, post proximum Capitulum generale, vel provinciale computandum, omnia hoc de genere capitulariter gesta, in authenticam formam redacta, ad Sacram ipsam Congregationem Concilii singuli mittant.

Numerumque familiæ, singulorumque Conventuum, Monasteriorum, & Domorum hujusmodi Regularium, Capituli, seù Congregationis generalis, vel provincialis sententia, & auctoritate præfinitum, iidem Superiores tam Generales, & Provinciales omnes, quàm Locales perpetuò servare omninò teneantur, nec possint illum quoquomodo augere, etiam prætextu augmenti redituum absque Sacræ ipsius Congregationis licentia; Superiores autem hujusmodi, qui prædicta omnia in præfixo termino non præstiterint, vel numerum, ut supra præscriptum, quovis modo augere præsumpserint, privationis omnium Officiorum, quæ tunc temporis obtinebant, vocisque activæ, ac passivæ, & ad omnia suæ Religionis Officia, & gradus inhabilitatis perpetuam pœnam eo ipso incurrere, atque aliis etiam gravioribus à Sede Apostolica infligendis pœnis Sacra Congregatio subjacere voluit, & declaravit.

Dein-

Deinceps verò Monasterium, Conventus, Domus, Congregatio, vel Societas Religiosorum, seu Regularium nullibi recipiatur, nisi præter alia ad id requisita, in singulis hujusmodi locis duodecim saltem Fratres, aut Monachi, seù Religiosi degere, & ex reditibus, & consuetis eleemosynis, detractis omnibus, ut supra detrahendis, competenter sustentari valeant ad præscriptum Decreti felicis recordationis Gregorii XV. hac de re editi; Alioquin Monasteria, & loca hujusmodi posthac recipienda, in quibus duodecim Religiosi, ut supra sustentari, atque inhabitare non poterunt, & actu non inhabitaverint Ordinarii loci visitationi, correctioni, atque omnimodæ Jurisdictioni subjecta esse intelligantur.

Porrò, ne ullo unquam tempore hæc in oblivionem, seù desuetudinem abeant, Superiores locales cujusque Monasterii, Conventus, ac Domus Regularis curare, atque efficere teneantur, sub pœna privationis Officii, vocisque activæ, & passivæ ipso facto incurrenda, ut in perpetuum, sexto quoque mense, id est feria secunda post primam Dominicam Adventus, & feria sexta post Octavam Corporis Christi, præsentes ordinationes in publica Mensa perlegantur.

Omnibus tam Ecclesiasticis personis cujuscumque sint Ordinis, conditionis, & gradus, quàm Laicis quocumque honore, & potestate præditis, præsentia Decreta declarandi, vel interpretandi facultate penitùs interdicta.

Non obstantibus, quoad suprascripta omnia, & singula in præsentibus Decretis contenta, Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis in favorem quarumcumque personarum, atque Ordinum tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Militiarum etiam Sancti Joannis Hierosolymitani, Congregationum, Societatum, ac cujuslibet alterius instituti, etiam necessariò, & in individuo exprimendi, Ecclesiarum, Monasteriorum, Conventuum, Collegiorum, Capitulorum, Hospitalium, Confraternitatum, & aliorum quorumcumque tam Secularium, quàm Regularium Locorum, necnon illorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apostolicis, etiam Mari magno, seù Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus Decretis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, seù extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis specialis, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, mentio, seù quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda esset, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitùs omisso, & formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, præsentibus pro expressis habens, quibus quoad ea, quæ præsentibus adversantur, illis aliàs in suo robore permansuris, Sacra Congregatio Sanctitatis Suæ auctoritate specialiter, & expresè derogat, cæterisque contrariis quibuscumque.

Et ne præmissorum ignorantia à quoquam prætendi possit, voluit eadem Sacra Congregatio, ut præsentes ordinationes in Valvis Basilicarum S. Joannis Lateranensis, & Principis Apostolorum de Urbe, ac in Acie Campi Floræ, ut moris est, affixæ omnes, ad quos pertinet, ita arctent, & afficiant, ac si unicuique personaliter intimatæ fuissent.

Utque earumdem præsentium transsumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsùs fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ die 11 Junii 1695.

Cosmus Card. de Torres.

Prosper Fagnanus S. Congreg. Secr.

Excitatis autem super præmissorum decretorum intelligentia, seù interpretatione infrascriptis dubiis, prodierunt à memorata Congregatione simili auctoritate illi à præfato Urbano Papa Octavo specialiter attributâ responsiones, seù declarationes inferiùs apponendæ.

Super primo Sacræ Congregationis decreto, de celebratione Missarum, quo prohibetur, ne Episcopi in Diœcesana Synodo, aut Generales in Capitulis Generalibus, vel aliàs quoquomodo, reducant onera ulla Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis.

Quæritur, quid si legatum sit ita tenue, ut non sit, qui velit onus illi injunctum subire, & si recurrendum sit ad Sedem Apostolicam pro moderatione oneris totum, aut ferè totum insumendum sit pro expensis ad id necessariis?

Et quid, si permittatur Episcopo in fundatione, ut possit hujusmodi onera moderari?

Secundò, super secundo ejusdem Congregationis decreto, quo cavetur, ut celebrentur tot Missæ, quot ad rationem tributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint.

Quæritur, an verba illa (præscriptæ fuerint) intelligenda sint de præscriptione facta ab Offerente, vel ab Ordinario?

Tertiò, an cum Ordinarius præscripserit eleemosynam congruam juxtà qualitatem loci, personarum, ac temporum, Sacerdotes accipientes stipendium minus congruo, teneantur Missas illis ab Offerente præscriptas celebrare?

Quartò, an Sacerdotes, qui tenentur Missas celebrare ratione Beneficii, seù Capellæ, legati, aut salarii, possint etiam manualem eleemosynam, pro Missis votivis, aut Defunctorum recipere, & unico Missæ Sacrificio utrique oneri satisfacere?

Quintò, posito, quòd Testator relinquat, ut celebrentur pro ejus Anima centum Missæ, absque ulla præscriptione eleemosynæ.

Quæritur, an liberum sit hæredibus, eleemosynam sibi benè visam præscribere, an verò eadem eleemosyna præscribenda sit ab Ordinario.

Sextò, super tertio Congregationis decreto, in quo eadem Congregatio revocat privilegia, quibus indulgetur, ut certarum Missarum, vel Anniversariorum celebratione, aut aliquibus collectis, seu Orationibus, plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat.

Quæritur, an verba (in futurum suscipiendis) intelligenda sint de oneribus suscipiendis post Privilegium?

Septimò, super quarto ejusdem Congregationis Decreto, quo prohibetur Sacerdoti, qui suscepit Missam celebrandam cum certa eleemosyna, ne eamdem Missam alteri, parte ejusdem eleemosynæ sibi retenta, celebrandam committat.

Quæritur, an permittendum sit administratoribus Ecclesiarum, ut retineant aliquam eleemosynarum portionem, pro expensis manutentionis Ecclesiæ, Altarium, Inservientium, paramentorum, luminum, Vini, Hostiæ, & similium?

Octavò, an hoc decretum habeat locum in beneficiis, quæ conferuntur in titulum, idest, an Rector beneficii, qui potest per alium celebrare, teneatur Sacerdoti celebranti dare stipendium, ad rationem redituum Beneficii;

Nonò,

Nonò, an Sacerdotes, quibus aliquando offertur eleemosyna, major solita, pro celebratione Missæ, debeant dare eamdem integram eleemosynam iis, quibus Missas celebrandas committunt; An vero satis sit, ut dent celebrantibus eleemosynam consuetam?

Decimò, super quinto ejusdem Congregationis decreto, quo inter cætera statuitur in hæc verba, (eleemosynas verò manuales, & quotidianas pro Missis celebrandis) ita demum iidem accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera obire valeant; Alioquin omninò abstineant ab hujusmodi eleemosynis, etiam spontè oblatis in futurum recipiendis, & capsulas auferant &c.

Quæritur, an hoc decretum prohibeat absolutè, quo minùs accipiant novas eleemosynas ii, qui acceptis non satis fecerunt, & quid, si congruo tempore possint omnibus satisfacere?

Undecimò, quid, si offerens eleemosynas, audito impedimento, consentiat, ut Sacerdos Missam celebret, cum primùm poterit?

Duodecimò; an pœna interdicti, & aliæ appositæ in eodem decreto afficiant tam eos, qui accipiunt eleemosynas contra formam ibi præscriptam, quàm eos, qui non auferunt capsulas ab Ecclesiis, ut ibidem præcipitur?

Decimotertiò, an in hoc Decreto comprehendantur illæ Capsulæ, quæ apponi solent in Ecclesiis, in die commemorationis omnium Sanctorum, & vulgò dicuntur (*Casse de Morti*?

Decimoquartò, an Administratores Ecclesiæ, diebus magnæ devotionis, & concursus, possint eleemosynas pro Missis celebrandis accipere, si iisdem Missis, non nisi post longum tempus satisfacere valeant, ne aliàs cultus Ecclesiæ, & devotio, ac concursus Fidelium, ut ajunt, minuantur?

Decimoquintò, quia prohibitio dicti decreti videtur aliquibus directa solis Capitulis, Collegiis, Societatibus, Congregationibus, nec non omnibus, & singulis Ecclesiarum, & piorum locorum, tàm Secularium, quàm Regularium Superioribus, de quibus fit expressa mentio, non autem privatis Sacerdotibus, qui tamen comprehendi videntur sub clausula generali (*& aliis ad quos pertinet*) supplicatur pro opportuna declaratione?

Decimosextò, super septimo ejusdem Sacræ Congregationis decreto, quo cavetur, ut in singulis Monasteriis Religiosorum præfigatur numerus, qui ex consuetis reditibus, aut eleemosynis commodè possit sustentari.

Quæritur, an ubi hæc præfixio facta jam fuit in vim similis decreti Sanctæ memoriæ Pauli V. absque tamen computatione redituum, cujusque Religiosi, sit denuò facienda, nec ne?

Decimoseptimò, An Novitii, ad habitum regularem admissi, possint admitti ad professionem in Monasteriis, in quibus habita, ut suprà, præfixione numeri, commodè ali non possunt?

Decimooctavò, super ultimo, quo cavetur, ut nullibi recipiantur Conventus Regularium, nisi præter alia ad id requisita, duodecim saltem fratres in eis degere, & competenter sustentari valeant, ita ut alioquin subsint jurisdictioni ordinariæ.

Quæritur, an hoc decretum, quod videtur editum in ordine ad celebrationem Missarum, comprehendat eas Religiones, quæ non consueverunt onera Missarum recipere, ut sunt Religiones Capucinorum, ac Societatis Jesu?

Ultimò, An idem decretum, ubi disponit, ut nullibi recipiantur Monasteria, nisi &c. habeat locum in Italia dumtaxat; ad quam est restrictum decretum proximè antecedens, an verò etiam extra Italiam?

Declarationes, seù Responsiones ad supradicta Dubia.

SAcra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, auctoritate sibi à Sanctissimo Domino Nostro attributa, ad singula Dubia superiùs proposita, ad hunc modum respondit.

Ad primum, etsi legatum sit adeò tenue, nihilominùs pro reductione oneris, ut suprà impositi, ab iis, ad quos pertinet, Sedem Apostolicam esse adeundam, quæ absque ulla impensa id statuet, quod magis in Domino è re esse judicaverit: Verumtamen; Si in ipsa Beneficii erectione expressè cautum fuerit, ut liceat Episcopo injunctum onus reducere, ac moderari, legem hanc fundationis, quàm decreta hac de re edita non sustulerunt, esse validam, & observandam.

Ad secundum, esse intelligenda de præscriptione facta ab eo, qui eleemosynam tribuit, non autem ab Ordinario: Quòd si tribuens eleemosynam numerum Missarum celebrandarum non præscripserit, tunc tot Missas celebrari debere, quot præscripserit Ordinarius secundùm morem Civitatis, vel Provinciæ.

Ad tertium, teneri.

Ad quartum, Sacerdotes, quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione Beneficii, seu Cappellæ, Legati, aut Salarii, si eleemosynas pro aliis etiam Missis celebrandis susceperint, non posse eadem Missa utrique obligationi satisfacere.

Ad Quintum, censuit, ubi nullam certam eleemosynam Testator reliquit, esse ab Episcopo præscribendam eleemosynam congruam, quæ respondeat oneribus Missarum celebrandarum secundùm morem Civitatis, vel Provinciæ.

Ad Sextum, ita esse intelligenda.

Ad Septimum, respondit, permittendum non esse, ut Ecclesiæ, ac loca pia, seù illorum Administratores ex eleemosynis Missarum celebrandarum ullam, utcumque minimam portionem retineant ratione expensarum, quas subeunt in Missarum celebratione, nisi cum Ecclesiæ, & Loca pia alios non habent reditus, quos in usum earumdem expensarum erogare licitè possint, & tunc quam portionem retinebunt, nullatenùs debere excedere valorem expensarum, quæ pro ipsomet tantum Missæ Sacrificio necessario sunt subeundæ, & nihilominus eo etiam casu curandum esse, ut ex pecuniis, quæ supersunt, expensis, ut supra deductis, absolutè tot Missæ celebrentur, quot præscriptæ fuerint ab Offerentibus eleemosynas.

Ad Octavum non habere locum. Sed satis esse, ut Rector Beneficii, qui potest Missam per alium celebrare, tribuat Sacerdoti celebranti eleemosynam congruam, secundùm morem Civitatis, vel Provinciæ, nisi in fundatione ipsius Beneficii aliud cautum fuerit.

Ad Nonum, debere absolutè integram eleemosynam tribuere Sacerdoti celebranti, nec ullam illius partem sibi retinere posse.

Ad Decimum, respondit non prohibere absolutè; Ac propterea, etsi oneribus jam susceptis non satisfecerint, posse tamen nova etiam onera suscipere Missarum celebrandarum, dummodò infra modicum tempus possint omnibus satisfacere.

Ad Undecimum, quamvis Onera susceptа infrà modicum tempus adimpleri nequeant; si tamen tribuens eleemosynam pro aliarum Missarum celebratione id sciat, & consentiat, ut illæ tunc demum celebrentur, cum susceptis oneribus satisfactum fuerit, decretum non prohibere, quò minùs eo casu eleemosyna accipiatur pro iisdem missis juxtà Benefactoris consensum celebrandis.

Ad Duodecimum, has pœnas non habere locum nisi in susceпturis onera perpetua Missarum celebrandarum sine licentia Episcopi, vel ejus Generalis Vicarii, aut Generalis, vel Provincialis.

Ad Decimum tertium, comprehendi.

Ad Decimum quartum, Non posse, nisi de consensu eorum, qui eleemoynas tribuunt, ut suprà in responsione ad Undecim.

Ad Decimum quintum, comprehendi etiam privatos Sacerdotes.

Ad Decimum sextum, numeri præfixionem esse iterum faciendam servata forma ultimi decreti hac de re editi.

Ad Decimum septimum, esse admittendos ad professionem, si aliàs habiles existant, ac deinde in aliquo alio Monasterio ejusdem Religionis esse collocandos, ubi commodè ali possint.

Ad Decimum octavum, censuit comprehendere.

Ad Ultimum, habere locum extra Italiam.

COSMUS Card. de Torres.

Prosper Fagnanus S. Cong. Secretarius.

CUm autem super præmissis diversi irrepserint abusus, illorumque occasione, quàm plures querelæ, & recursus ad Apostolicam Sedem pervenerint; Cupiens eadem Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum hujusmodi detestabiles abusus è Christiana Republica pro viribus evellere, ac opportunè providere, ut sublatis fraudibus, ac emendatâ negligentiâ, piæ Disponentium, seu Benefactorum voluntati fides illibata servetur, Defunctorum animabus integra, & prompta præstentur suffragia, itidemque Deo major gloria, & Ecclesiis præstantior cultus reddatur, prævia auctoritate per SS. D. N. Innocentium Divinâ Providentiâ Papam XII. ei specialiter attributa infrascripta decreta, prius in particulari nonnullorum ex præfatis Cardinalibus per Sanctitatem Suam deputata, & posteà in generali hujusmodi Cardinalium Congregatione maturè, & accuratè discussa, recognita, & examinata edidit.

In primis, præinserta decreta cum præmissis illorum declarationibus plenissimè, & amplissimè approbat, & innovat, omniaque, & singula ibidem contenta, & expressa iterum omni meliori modo decernit, statuit, ac ab omnibus, & singulis etiam speciali, & individuali nota, seù expressione dignis penitùs observari, & omnimodæ executioni demandari decernit, sancit, & præcipit.

Insuper, ut in re tanti momenti consultiùs, ac majori, ut par est, circumspectione procedatur; Si qui forsan fuerint, vel sint, qui suis pravis, & erroneis intentionibus, seu opinionibus blandiri volentes Missarum celebrationem omittunt sub malitiosa, vel irrationabili spe earumdem conditionem, vel reductionem à Sede Apostolica, vel compositionem à Reverenda Fabrica Sancti Petri de Urbe obtinendi; Congregatio præfata tum eosdem, tum quoscumque alios, qui posthac in adeò detestabiles abusus ausi fuerint offendere, certiores fieri, & monitos esse voluit, præfatas condonationes, & reductiones ab eadem Sede, non nisi ex rationabili causa, seu æqua commiseratione, compositiones verò à dicta Fabrica utente suis facultatibus, & privilegiis, non nisi ex causa pariter rationabili, & cum clausulis opportunis, & præsertim cum illa: *dummodo malitiosè non omiserint animo habendi compositionem, aliàs gratia nullo modo suffragetur*, admitti consuevisse, & solere; quapropter, ut locus omnis imposterum hisce prætextibus præcludatur, memorata Congregatio tales intentiones, opiniones, seu spes, ac eleemosynarum, sive in toto, sive in parte versiones in alium, quàm præfatarum Missarum usum, seù satisfactionem, & quascumque alias directas, vel indirectas, immediatas, vel mediatas contraventiones, seu circumventiones declarat prorsùs irrationabiles, injustas, & illicitas, illasque omninò reprobat, damnat, & interdicit.

Cumque hujusmodi absurda, ex eo plerumque proveniant, quòd onera Missarum supra vires suscipiantur; caveant omnes, & singuli Rectores, Superiores, & Ministri quarumcumque tùm Secularium, tùm Regularium Ecclesiarum, seù illarum Capitula, ne onera, seù Missas tum perpetuas, tùm temporales, tùm etiam manuales, quarum satisfactioni impares fuerint, quoquomodo suscipiant, utque id ipsum quoad fieri poterit, pateat, teneantur iidem conficere, semperque in loco magis patenti, & obvio retinere Tabellam onerum perpetuorum, & temporalium litteris perspicuis, & intelligibilibus descriptorum, quorum implemento, si moraliter, & intra præscriptum, seu breve tempus satisfacere non posse, seù illa dumtaxat, & non ulteriora adimplere posse crediderint, seò credere debuerint, alias Missas, sive perpetuas, sive temporales, sive manuales per se, vel per interpositas personas quoquomodo recipere, seù acceptare omninò desistant, seù abstineant, & ulteriùs tali casu in eadem Tabella similiter exprimant, sese propterea aliis Missis acceptandis, & celebrandis impares esse.

Iidemque teneantur pariter in Sacrario duos libros retinere, ac in eorum altero singula onera perpetua, & temporalia; in altero autem Missas manuales, & tam illorum, quàm istarum adimplementum, & eleemosynas distinctè & diligenter annotare, & annotandas seù annotanda curare, singulisque annis de supradictis adimplementis, eleemosynis, & oneribus pariter exactam rationem suis Superioribus reddere, ac omnes, & singulas rationes hujusmodi in præfatis respectivè libris simili distinctione, & diligentia, tam præfati, à quibus rationes debent reddi, quàm Superiores quibus reddendæ erunt, describere seu annotare, sive describendas, vel annotandas respectivè curare.

Quibus semper salvis, debeant ulteriùs Regulares prædicti, omnes, & quascumque eleemosynas tùm manualium, tùm perpetuarum, & temporalium Missarum reponere in capsa particulari sub duabus clavibus, quarum una penes Superiorem localem, altera verò penes alium à Capitulo Conventuali deputandum retineatur, ac de iisdem eleemosynis, & celebratione Missarum coram Patribus discretis, seù Consiliariis, vel alio simili modo nuncupatis singulis mensibus districtam rationem exigere, & respectivè reddere.

Quòd si prædicti, ad quos cura Tabellæ, Capsæ, & librorum præfatorum respectivè pertinet, seù pertinere debet, suam operam præmissis, ut præfertur, minimè navaverit, & Superiores, tùm Secularium, tùm Regularium Ecclesiarum rationem prædictam non exegerint, seù non invigilaverint, quòd præfati, qui in curam Tabellarum, & librorum incumbunt, suo muneri, ut præfertur, satisfaciant, in singulis respectivè casibus Seculares pœnam suspensionis incurrant; Regulares verò voce activa, & passiva, ac gradibus, & officiis, quæ obtinent ipso facto, & absque alia declaratione privati sint, & intelligantur, nec non ad hujusmodi gradus, & officia obtinenda similiter inhabilitentur, & inhabilitati sint, & intelligantur.

Porrò, ne ullo unquam tempore omnia, & singula Decreta prædicta in oblivionem, seù desuetudinem abeant, Rectores, Superiores, seù Capitula Ecclesiarum Secularium illa retineant publicè exposita in eorum Sacrario; Superiores verò Locales cujuscumque Monasterii, Conventus, ac Domus Regularis curare, & efficere teneantur sub pœna privationis officiorum, quæ obtinent, vocisque activæ, & passivæ ipso facto incurrenda, ut in perpetuum sexto quoque mense, ideſt feria secunda post primam Dominicam Adventus, & feria sexta post Octavam Corporis Christi omnes, & singulæ præmissæ tùm insertæ, seu confirmatæ, tum in præsens factæ Ordinationes una cum dictis declarationibus in publica Mensa perlegantur.

Memine-

Meminerint igitur, & satagant Ordinarii, ut à personis, & in Ecclesiis quoquomodo etiam in vim Decretorum Concilii Tridentini sibi subjectis, Missæ eâ, qua par est, fide, & diligentia celebrentur, & cuncta, & singula Decreta hujusmodi omnimodæ executioni demandentur, nedum ad justitiam recurrentibus, seu instantibus reddentes, sed ex officio tùm in Visitationibus, tùm in aliis actibus, & modis, quos expedire, & convenire toties, quoties iudicaverint inquirentes, ne aliquid committatur, pervertatur, differatur, vel omittatur, quod his omnibus, & singulis Decretis adversetur.

Caveant etiam respectivè omnes Regulares tùm Subditi, tum Superiores quicumque nedum locales, sed etiam Provinciales, & Generales, ne Missarum celebratio, & omnium Decretorum præmissorum executio, cum pernicie propriarum animarum, cum præjudicio illarum, quibus Missæ sunt applicandæ, & cum magno Christifidelium scandalo quoquomodo omittantur, differantur, negligantur, seu pervertantur, alioquin ultra propriæ conscientiæ onerationem, pœnam privationis vocis activæ, & passivæ, ac graduum & officiorum, quæ obtinent, necnon inhabilitationis ad hujusmodi gradus, & officia obtinenda prorsus incurrant.

Curent propterea præfati Superiores Regulares in omnes, & singulos Contravenientes debitis pœnis diligenter, & promptè etiam per inquisitionem animadvertere, & insuper teneantur omnes, & singuli Superiores locales in Provincialibus Capitulis, seu Congregationibus exhibere attestationem, seu fidem ab omnibus Sacerdotibus Conventus, Monasterii, seu cujuscumque Domus regularis subscriptam, & juratam, quòd omnibus, & singulis tum manualibus Missarum oneribus, seu obligationibus ad limites, & tenorem præsentium Decretorum tempore eorum regiminis fuerit omninò & integraliter satisfactum, vel deficiente aliqua modica satisfactione, possit etiam hujusmodi residuali implemento Missarum distinctè referendarum intra breve tempus moraliter satisfieri, ea adjecta, & omninò adimplenda conditione, quòd antè præfatæ attestationis exhibitionem quicumque Superiores locales prædicti vocem activam, seu passivam in memoratis Capitulis, seu Congregationibus omninò habere non valeant.

Præterea Provinciales, Vicarii, & Visitatores Provinciarum, seu Congregationum debebunt, in fine eorum regiminis Superioribus Generalibus in forma probante ostendere, quòd executioni præsentium Decretorum sedulò invigilaverint, & ad eorum tenorem in omnibus, & singulis Conventibus, seu Monasteriis, vel Domibus Regularibus Provinciæ, seu Congregationis de omnibus, & singulis oneribus, & obligationibus, ac insimul satisfactionibus Missarum exactam, & diligentem rationem exegerint, ac contra delinquentes ad declarationem, & executionem respectivè pœnarum in Decretis contentarum processerint, & de adimplemento circa ea, quæ in præmissis ad ipsos spectant, legitimè docuerint, alias ad vocem activam, & passivam in Capitulis Generalibus nullatenus admittuntur.

Cæterùm, quia etiam ad quamplures Archi-confraternitates, Confraternitates, Societates, Congregationes, Hospitalia, Altaria, Cappellas, Oratoria, & Ecclesias, ac alia loca, & opera pia quomodolibet nuncupata, quæ cuicumque curæ, seu regimini, aut administrationi, vel directioni Laicorum cujuslibet gradus, status, & conditionis, & præeminentiæ, etiam speciali, & individuali nota dignorum, dumtaxat, vel quorumcumque Ecclesiasticorum, & Laicorum hujusmodi mixtim commendata, annexa, seu quomodocumque commissa, vel attributa sunt, onus, seu cura celebrationis Missarum, sive manualium, sive ad tempus, vel in perpetuum pertinet; Hinc salvis semper iis, quæ in præinsertis decretis continentur, omnes, & quicumque hujusmodi Archiconfraternitatum, Societatum, Congregationum, Hospitalium, Altarium, Cappellarum, Oratoriorum, & Ecclesiarum, ac aliorum locorum, & operum piorum Rectores, seu Administratores, vel Directores, & alii hujusmodi Officiales, nec non ii, ad quos Cura Tabellæ, & librorum in præmissis spectat, Tabellam, libros, & hæc decreta respectivè juxta modos superiùs expressos, similiter retinere, nec non de oneribus, ac celebrationibus, & eleemosynis dictarum Missarum singulis annis rationem exigere, & respectivè iis, ad quos pertinet, reddere sub pœnis arbitrio, & in subsidium excommunicationis, teneantur.

Postremò omnibus, & quibuscumque tam Ecclesiasticis personis cujuscumque Ordinis, Status, gradus, Regulæ, Congregationis, Societatis, conditionis, & dignitatis existant, quàm Laicis quocumque honore, ac potestate prædictis omnia, & singula præmissa decreta interpretandi, nec non Ecclesiasticis prædictis pœnas in hujusmodi decretis relaxandi, sub quoquomodo circa præmissa dispensandi, omnis, & quæcumque facultas sit penitus interdicta.

Non obstantibus quoad suprascripta omnia, & singula in hujusmodi decretis contenta, constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis in favorem quarumcunque personarum, atque Ordinum tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Militiarum etiam S. Joannis Hierosolymitani, Congregationum, Societatum, ac cujuslibet alterius Instituti etiam necessariò, & individuo exprimendi, Ecclesiarum, Monasteriorum, Conventuum, Collegiorum, Capitulorum, Hospitalium, Confraternitatum, & aliorum quorumcunque tam Secularium, quàm Regularium locorum, nec non illorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia, roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis etiam Mari magno, seu Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, nec non irritantibus decretis, etiam Motu proprio, & ex certa scientia ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet etiam per viam communicationis, seu extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis specialis, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda esset, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, præsentibus pro expressis habens, quibus quoad ea, quæ præsentibus adversantur, illis aliàs in suo robore permansuris, Sac. Congregatio Sanctitatis suæ auctoritate specialiter, & expresse derogat, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ die 23. Novembris 1697.

Joseph Card. Sacripantes Præfectus.

Ferdinandus Nuptius S. Congr. Secret.

§. 2. Quocirca, cum dilectus filius noster Joseph Tituli Sanctæ Mariæ Transpontinæ S. R. E. Presbyter Cardinalis Sacripantes, memoratæ Congregationis Præfectus, præfata decreta Nobis retulerit, Nos considerantes eadem omnia, & singula decreta, ea qua decet maturitate digesta, & examinata, ac in vim Apostolicæ auctoritatis, eidem Congregationi specialiter, ut præfertur, attributæ peracta, perutilia fore censentes, illaque propterea perpetuò, & inviolabiliter observari, nec non Constitutionis nostræ munimine

Confirmat prout in rubr.

munimine roborare volentes. Motu proprio, non ad cujuſquam Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia, & matura deliberatione, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine præinſerta decreta, omniaque, & ſingula in eis contenta tenore præſentium auctoritate Apoſtolica confirmamus, & approbamus, illiſque inviolabilis, & irrefragabilis Apoſtolicæ firmitatis robur, & efficaciam adjicimus, quinimò motu, ſcientia, deliberatione, ac poteſtatis plenitudine ſimilibus, omnia, & ſingula in ſupradictis decretis contenta, de novo ſtatuimus, decernimus, & ordiniamus, ac ab omnibus, & quibuſcumque, etiam ſpeciali, & individua nota dignis omninò exactè, & perpetuò ſervari volumus, ſancimus, & mandamus.

Decretum roborans & irritans

§. 3. Decernentes præſentes literas cum omnibus & ſingulis inibi contentis ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere debere, & ab omnibus, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque, & quomodocunque ſpectabit in omnibus, & per omnia pleniſſimè, & inviolabiliter obſervari, ſicque, & non aliter, per quoſcumque Judices ordinaros, & delegatos, quavis auctoritate, præeminentia, aut poteſtate functuros, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac ejuſdem S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Sedis Apoſtolicæ Nuncios, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate judicari, & definiri debere; Ac irritum, & inane ſi ſecùs ſuper his à quoquam, quavis authoritate, ſcienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariis

§. 4. Non obſtantibus omnibus, & ſingulis, quæ præfata Congregatio, auctoritate per ejuſdem recordationis Urbanum Papam VIII., & reſpectivè per Nos illi ſpecialiter atributa, decrevit non obſtare, quæ pariter, & iterum Nos tenore præſentium non obſtare decernimus, & mandamus, quibus omnibus quoad ea, quæ præſentibus adverſantur, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, etiam harum ſerie pleniſſimè, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Publicationis mandatum

§. 5. Volumus autem, ut præſentes Literæ invalvis Eccleſiæ Lateranenſis, ac Baſilicæ Principis Apoſtolorum, necnon Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæque generalis in Monte Citorio, ac in acie Campi Floræ de Urbe, ut moris eſt publicentur, & affigantur, ſicque publicatæ, & affixæ, omnes, & ſingulos, quos illæ concernunt perinde arctent, & afficiant, ac ſi unicuique eorum perſonaliter intimatæ fuiſſent.

Tranſſumptorum fides.

§. 6. Pariterque, ut earumdem præſentium tranſſumptis impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorsùs fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Sanctio pœnalis.

§. 1. Nulli ergò omninò hominum liceat, paginam hanc Noſtrarum Confirmationis, Approbationis, Statuti, Decretorum, Ordinationis, Voluntatis, Sanctionis, Mandatorum, & Derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo ſeptimo, Decimo Kal. Januarii, Pontificatus Noſtri Anno Septimo.

J. F. Card. Albanus.

B. Cardinalis Prodat.

Viſa de Curia J. Ciampinus.

J. Catallus.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

Publicatio

Anno à Nativitate Domini Noſtri JESU Chriſti milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo octavo Indictione ſexta, die verò tertia Januarii, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri Domini INNOCENTII Divinâ Providentiâ Papæ Duodecimi, Anno ſeptimo; Supradicta Conſtitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Eccleſiæ S. Joannis Lateranenſis, Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Curiæ Innocentianæ, Cancellariæ Apoſtolicæ, in acie Campi Floræ, & in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis, per me Joannem Baptiſtam de Capellis ejuſdem Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ Curſorem.

Franciſcus Antonius Simoncellus Mag. Curſ.

Confirmatio, ſeu nova Erectio Congregationis ſuper Diſciplina Regulari, cum ſuppreſſione alterius Congregationis ſuper ſtatu Regularium. CXXI.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium

DEbitum Paſtoralis Officii, quo Eccleſiæ Catholicæ per Univerſum Orbem diffuſæ regimini divina diſpoſitione præſidemus, Nos urget, atque impellit, ut paternam Chriſtifidelium, qui è fluctibus Seculi in portum Vitæ Religioſæ confugerunt, curam gerentes, ad ea, per quæ regularis illorum obſervantia, atque diſciplina opportunis rationibus ſarta tecta cuſtodiri, & ſicubi collapſa eſt, adjuvante Domino, reparari valeat, favorabiliter intendamus, conceſſæque Nobis à Domino poteſtatis partes ſtudioſa Charitate deſuper interponamus, ſicut ad Omnipotentis Dei gloriam, Religionis incrementum, ac ſpiritualem Populi Chriſtiani ædificationem ſalubriter expedire in Domino arbitramur.

Conſtitutionis cauſæ.

§. 1. Cùm itaque Nos aliàs ſanctum, & ſalutare, Eccleſiæque Dei maximè fructuoſum regularis diſciplinæ inſtaurandæ opus aggreſſi, Congregationem nonnullorum Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium, ac Dilectorum Filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum ſuper eadem diſciplina Regulari ſpecialiter deputaverimus; ipſaque Congregatio ſic deputata plura hactenùs, & quidem valdè utilia, atque opportuna hac in re decreta ediderit; Verùm, ſicut non ſine gravi animi Noſtri moleſtia accepimus, tametſi decretorum hujuſmodi obſervantia in pleriſque Religioſorum Virorum Monaſteriis, ſeu Conventibus proſperè, ac feliciter introducta fuerit, atque exindè inibi uberior in dies electi ſanctorum operum frumenti meſſis benedicente Domino exurgat, non eoſdem tamen alibi cœleſte idem ſemen afferat fructus: neque enim ceſſavit, nec adhuc ceſſat humani generis hoſtis in agro Domini ſuperſeminare zizania, quæ Patris-familias ſementem ſuffocant. Hinc eſt, quod Nos prophetici illius moniti memores, clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam: ut conſtans, enixaque voluntas Noſtra inceptum opus hujuſmodi peculiari ſtudio, ſummaque animi contentione proſequendi magis, ac magis omnibus innoteſcat, omniſque tranſgreſſoribus vano, falſoque ſilentii Noſtri prætextu ſe ſe excuſandi occaſio penitùs præcidatur.

Confirmatio prout in rubr.

§. 2. Motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione Noſtris, deque Apoſtolicæ Poteſtatis plenitudine, prædictam Congregationem Cardinalium, & Prælatorum ſuper diſciplina Regulari à Nobis, ut præfertur deputatorum, ac in futurum tàm à Nobis, quàm à Succeſſoribus Noſtris Rom. Pontificibus deputandorum, tenore præſentium perpetuò approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis, & irrefragabilis Apoſtolici muniminis vim, robur, & præſidium adjungimus; Et nihilominùs eamdem Congregationem Cardinalium, & Prælatorum ſuper diſcipli-

na

na Regulari de novo, quatenùs opus sit, etiam perpetuò erigimus, & instituimus.

Congregationis confirmatæ facultates.

§. 3. Ipsius autem Congregationis à Nobis sic confirmatæ, seu de novo erectæ facultates sint, & esse debeant; intrà fines Italiæ, & Insularum adjacentium designandi, ac deputandi pro Novitiatibus, & Professoriis Conventus, Monasteria, Collegia, ac Domos quorumcunque Monachorum, & Regularium Virorum cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, & Instituti tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, etiam necessariò exprimendi; necnon Novitiatus, & Professoria hujusmodi mutandi, transferendi, suspendendi, & supprimendi, prout utilitas, necessitas postulaverit, ac exegerit; Dandi licentias Superioribus Regularibus, ad quos pertinet, recipiendi in Novitiatibus sic deputatis Novitios ad habitum & professionem; Decreta tàm fel. rec. Clementis Papæ VIII. Prædecessoris Nostri super reformatione Regularium, ac præsertim ea, quæ Institutionem, & educationem Novitiorum concernunt, tùm ab ipsa Congregatione super disciplina Regulari die 18. Julii 1695. Jussu Nostro edita exequendi; Quascunque indè emergentes controversias decidendi; Potissimùm vero exactæ Vitæ Communis observantiam promovendi; atque ad hunc effectum dumtaxat novas quorumcunque Conventuum, Monasteriorum, Collegiorum, & Domorum hujusmodi fundationes diligenter examinandi, ne ulla scilicet in posterum Religiosorum Virorum loca fundari, aut quovis modo institui contingat, nisi in quibus eadem Vita Communis, juxtà ultimo dictorum Decretorum præscriptum, perpetuò, & exactè servari valeat: Omnia demùm, & singula faciendi, ordinandi, decernendi, statuendi, & exequendi, quæ ad eamdem Disciplinam regularem efficaciter stabiliendam, sivè restituendam quomodolibet pertinere possunt, & in præmissis omnibus etiam pœnis, & censuris Ecclesiasticis procedendi.

Peculiare ejusdem munus.

§. 4. Cæterum, quia sicut nonnullorum Rom. Pontificum Prædecessorum etiam Nostrorum vestigiis inhærentes, Regularibus Italiæ, Insularumque adjacentium, utpotè Nobis propioribus, ac veluti antè oculos hujus Sanctæ Sedis constitutis, quosque proindè cæteris Religiosæ Vitæ exemplo prælucere maximè decet, præcipuam quandam Apostolici muneris Nostri solicitudinem impendendam esse duximus, ita reliquos omnes Religiosos Viros toto Orbe diffusos, Nostræque speciali curæ subjectos minimè negligendos putamus: tam enim iis, qui longè, quàm illis, qui propè sunt, debitores Nos esse cognoscimus; eorumdem tenore præsentium præcipimus, & mandamus, ut præcipuum, ac peculiare dictæ Congregationis munus, & cura sit Nobis, ac pro tempore existenti Romano Pontifici ea jugiter suggerere, & proponere, quæ pro eorumdem Regularium ubicunque existentium cujuscumque Ordinis, Congregationis, Societatis, aut Instituti sint fovenda, seu reparanda disciplina, felicibusque illorum in Via Mandatorum Domini progressibus, & laudabilibus studiis juvandis necessaria, & opportuna fore in Domino judicaverit.

Alterius Congregationis suppressio ejusque facultatum translatio.

§. 5. Quoniam verò de præsenti etiam alia Congregatio nonnullorum Venerabilium itidem Fratrum Nostrorum ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, ac dilectorum pariter filiorum Curiæ prædictæ Prælatorum super statu Regularium nuncupata dudùm à rec. mem. Innocentio X. instituta, ac Clemente IX. Romanis Pontificibus Prædecessoribus pariter Nostris respectivè confirmata reperitur, eique plures ex prædictis facultatibus dictæ Congregationi super Disciplina Regulari per Nos, sicut præmittitur, concessis, attributæ fuerunt, ne aucto ejusmodi Congregationum numero rectum agendi ordinem confundi, atque indè Regulares Viros nimis distrahi, adeòque ipsos ex iis, quæ pro salubri, prosperaque illorum directione providè, ac sapienter instituta fuerunt, perniciem potiùs, & incommodum, quod absit, experiri contingat, dictam Congregationem super statum Regularium, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus harum serie similiter perpetuò extinguimus, supprimimus, & abolemus; Omnes verò, & singulas facultates ipsi Congregationi super statu Regularium quomodocunque, & quandocumque concessas, iis dumtaxat exceptis, quas memoratæ Congregationi super Disciplina Regulari, sicut præmittitur, impertiti fuimus, in Congregationem Venerabilium etiam Fratrum Nostrorum dictæ S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositam perpetuò itidem transferimus, & transportamus.

Decretum super obstativis.

§. 6. Decernentes easdem præsentes Litteras, & in eis contenta, quæcumque etiam ex eo, quòd in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis existant, etiam Cardinalatus honore fulgentes, & aliàs specificâ, & individuâ mentione digni illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque causæ, propter quas præsentes emanârint, sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ fuerint, aut ex alia quacumque, etiam quantumvis juridica, pia, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in Corpore Juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, aut interesse habentium consensûs, aliovè quolibet etiam, quantumvis magno, ac formali, & substantiali, individuamque expressionem requirente defectu, notari, impugnari, infringi, modificari, retractari, in controversiam revocari, seu ad terminos juris reduci, aut adversùs illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudvè quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrato, aut etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus concesso, vel emanato quempiam in judicio, vel extrà illud uti, seu se juvare posse; sed ipsas præsentes Litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia pleniissimè, & perpetuò suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter, & inconcusse observari.

Clausula sublata & Decretum irritans.

§. 7. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. præfatæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & alios quoslibet quacumque præeminentiâ, & potestate fungentes, & functuros, sublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, quidquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariis.

§. 8. Non obstantibus præmissis, ac nostrâ, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de jure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, nec non quorumvis Ordinum, Congregationum, Societatum, & Institutorum, aliisvè quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoquè, Indultis, & Literis Apostolicis eisdem Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, & Institutis, illorumque Superioribus, & personis, ac aliis quibusvis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque

efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibus, ac aliis decretis in genere, vel in specie, vel aliàs quomodolibet in contrarium concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seù quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transsumptorum fides.

§. 9. Volumus autem, ut earumdem præsentium Litterarum transsumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem ubique fides in judicio, & extrà adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ; Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 4. Augusti 1698. Pontificatus Nostri Anno VIII.

D. 4. Aug. 1698. P. A. 8.

J. F. Card. Albanus.

Publicatio

Anno à Nativitate Domini Nostri JEsu Christi millesimo sexcentesimo nonagesimo octavo, Indictione sexta, die verò nona Augusti, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri, Domini INNOCENTII Divinâ Providentiâ Papæ XII. Anno octavo; Supradictæ Litteræ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Ecclesiæ S. Jo. Lateranensis, Principis Apostolorum, Curiæ Innocentianæ, Cancellariæ Apostolicæ, & in Acie Campi Floræ, & in aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per me Sebastianum Vasellum ejusdem SS. Domini Nostri Papæ Cursorem.

Joseph Staggius Mag. Curs.

CXXII. Constitutio super forma regiminis Sanctæ Domus, & Civitatis Lauretanæ.

INNOCENTIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium

SAcrosancta Redemptionis humanæ Mysteria, quibus & Christianæ religionis primordium, & universæ per Orbem Ecclesiæ dignitas, & ipsa Romani Pontificis Christi Vicarii Apostolica cellitudo consurgit, quemadmodum ad intimum doloris sensum ex Sanctorum locorum, in quibus ea Dominus noster operari dignatus est, sub infidelium tyrannide gementium consideratione Nos provocant; jamdiu enim est, quòd venerunt Gentes in hæreditatem Domini, polluerunt templum sanctum ejus, & posuerunt Civitatem sanctam Jerusalem in opprobrium, & direptionem: ita ad sacra ejusdem Redemptionis Nostræ monumenta, quæ Divina largiente gratia, sub Christianorum potestate, ac potissimum sub temporali Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ditione reperiuntur, eò studiosiùs custodienda, atque impensiùs veneranda Pontificiam Nostram solicitudinem excitant, & impellunt. Sanè cùm Sacrum illud Cubiculum, seu Sanctam Domum Lauretanam nuncupatam, ubi primùm glorioſissima Dei Genitrix, ac semper Virgo Maria, quasi aurora consurgens præclara Nativitate sua gaudium annunciavit universo Mundo, ac ubi Unigenitum Dei Filium Sancti Spiritus obumbratione concepit, insigni miraculo, ac Angelorum ministerio ad Piceni Nostri Provinciam transportatum universus Christianus Orbis veluti primum tabernaculum Dei cum hominibus jam à pluribus seculis veneretur in terris, & Omnipotens de Cœlis Deus assiduâ miraculorum frequentiâ illustrare non cesset; Nos erga in tam Sacrosanctam Domum mentis Nostræ aciem simul, & cordis affectum convertentes in eam libentissimè curam incumbimus, ut, remotis iis, quæ dissidia & offensiones parere quoque modo possent, felici prosperoque præfatæ Sanctæ Domus, & Lauretanæ Nostræ, quæ velut in atriis ejusdem Domus Domini posita est, Civitatis regimini, Romanorum etiam Pontificum Prædecessorum Nostrorum aliàs desuper editis Constitutionibus, ubi opus fuerit, reformatis, & immutatis, Apostolicâ providentiâ consulamus.

Privilegia Domui Lauretanæ à Prædecessoribus concessa.

§. 1. Aliàs siquidem plures Romani Pontifices Prædecessores Nostri ob eximium religionis zelum, atque in Deiparam Virginem devotionis affectum quamplurimis eamdem Sanctam Domum privilegiis, indultis, gratiis, & prærogativis condecorarunt, & signanter fel. rec. Clemens Papa VII. Prædecessor Noster inter cætera Castrum Lauretanum, ejusque habitatores cum omnibus juribus, & pertinentiis suis curæ, gubernio, administrationi, & regimini cum mero, & mixto imperio, & gladii potestate, Commissarii, seu Protectoris dictæ Sanctæ Domus submisit, & demandavit; ac novissimè rec. me. Paulus Papa V. etiam Prædecessor Noster volens diversis litibus, & contentionibus, quæ inter Episcopum Lauretanum, & Protectorem præfatæ Domus exortæ fuerant, & oriri possent in posterum, obviare; utque eadem Sancta Domus Lauretana, ejusque Officiales, & Ministri quicunque, nec non Bona, res, & jura ad eam pertinentia meliùs, & faciliùs gubernarentur, eidem Sanctæ Domui, seu pavimentum tam ejusdem Sancti Cubiculi, seu Sanctæ Cappellæ, quàm circumcirca usque ad columnas, & scalas inclusivè contentum, in Territorium proprium, distinctumque, & separatum nullius Diœcesis, in quo de cætero solus ejusdem Sanctæ Domus Protector pro tempore existens, ejusque Gubernator privativè quoad Episcopum Lauretanum, etiamsi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis existeret, jurisdictionem omnimodam, & quasi Episcopalem habere & exercere posset, perpetuò constituit & assignavit; ipsamque Domum, seu Cappellam magnam, & parvam nuncupatam, ac pavimentum, & Territorium prædictum, ejusque Gubernatorem, Officiales, Ministros, & quoscunque alios tàm Laicos, quàm Clericos, & Regulares eidem Sanctæ Domui, seu Cappellæ, ejusque Bonis quomodolibet inservientes, nec non eorumdem Officialium, Ministrorum, aliorumque inservientium familias, servitores, & famulos, & quoscunque cujusvis generis, conditionis, & præeminentiæ Peregrinos ad eamdem Sanctam Cappellam, seu Ecclesiam Lauretanam confluentes, nec non ejusdem Sanctæ Domus palatia, ædificia, possessiones, & prædia quæcunque, & reliqua Bona tam stabilia, quam mobilia, & se moventia ubicunque existentia, supellectilia etiam pretiosa, pecunias, eleemosynas, donationes, & quæcunque relicta ab omni, & quacunque Episcopi Lauretani superioritate, & jurisdictione, dominio, ac potestate perpetuò, plenissimè, penitus, & omninò exemit & liberavit, ac sub Beati Petri, & Sedis Apostolicæ protectione speciali suscepit; omnimodamque jurisdictionem Ecclesiasticam, & spiritualem, & quasi Episcopalem in præfatam Sanctam Domum, ejusque Territorium, Ministros, Officiales, aliosque inservientes, ac Peregrinos, resque, Bona, ac jura prædicta eidem pro tempore Protectori subjecit, & adjudicavit, variis eidem Protectori tam circa Vicarii Curati

deputa-

deputationem, quàm circa dimissorialium Litterarum concessionem, aliaque quamplurima, privilegiis, & facultatibus attributis, prout in præfatorum Clementis in forma Brevis sub die decima tertia Januarii millesimo quingentesimo vigesimo quarto, Pontificatus sui anno primo, & Pauli Prædecessorum sub plumbo anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo vigesimo pridie Idus Julii, Pontificatus sui anno decimo sexto respectivè expeditis Literis uberiùs continetur.

Immutatur forma regiminis.

§. 2. Nos verò providè considerantes, ex hujusmodi forma regiminis non eam, quæ sperabatur, utilitatem provenisse; quin potius experientiâ, & quamplurium ad Apostolatum Nostrum perlatis querelis, atque recursibus certiores effecti, imminuta nimis Episcopi potestate, disciplinam Ecclesiasticam paulatim dissolvi, necnon Cleri, populique mores, aucta exemptorum multitudine, relaxari, non sine frequentibus Prælatorum, ac Subditorum perturbationibus, itaut quod aliàs in præfatæ Sanctæ Cappellæ decus, & commodum ab iisdem Clemente, & Paulo Prædecessoribus salubriter constitutum fuerat, jam temporum varietate, ac fortasse hominum malitia in ejusdem noscatur vergere detrimentum, habitâ super his cum nonnullis Venerabilibus Fratribus Nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, & Dilectis Filiis Romanæ Curiæ Prælatis deliberatione matura, præfatas Prædecessorum Literas, earum tenores etiam veriores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, motu proprio & ex certa scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuò valitura Constitutione ad formam & terminos infra exprimendos moderamur, reducimus, restringimus, & immutamus.

Territorii confirmatio, ab Ordinariorum jurisdictione exemptio & sub immediatam Sedis Apostolicæ protectionem susceptio.

§. 3. Ac primò quidem cupientes præfatæ Sanctæ Cappellæ, seù Domui, ubi Verbum caro factum est, præeminentiam omnem, decus, & honorificentiam conservari, nec ulla ex parte imminui, quin potiùs uberioribus gratiis, & privilegiis amplificari; diligimus enim decorem domus Dei, & quam maximam possumus gloriam Nomini ejus afferre satagimus in Aula sancta ejus; eidem Sanctæ Domui Territorium proprium, ac separatum, atque ab omni Ordinarii jurisdictione exemptum, & quasi Episcopale in præfatis Pauli Papæ V. Prædecessoris Nostri Literis assignatum tenore præsentium confirmamus, & approbamus, idemque Territorium unà cum omnibus præfatæ Sanctæ Domus Ministris, & Officialibus, aliisque personis ei quomodòlibet inservientibus, vel ad eam ex qualibet Mundi parte devotionis gratiâ confluentibus, ejusque Bonis quibuscunque ubilibet existentibus, ad formam præfatarum Pauli Prædecessoris Literarum, ab omni, & quacunque Ordinarii jurisdictione; iterum ac plenissimè, & penitùs eximentes, præfato Protectoris, quod per obitum bon. mem. Palutii, dum vixit, Episcopi Portuensis, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis de Alteriis nuncupati, de præsenti vacat, Officio, dignitate, titulo, ac denominatione perpetuò suppressis, ac prorsùs de medio sublatis, sub Beati Petri, nostraque, & Sedis Apostolicæ speciali, & immediata protectione suscipimus.

Protectoris aliàs in eam jurisdictio noviter erectæ Congregationi Lauretanæ confertur.

§. 4. Omnem verò, & quamcunque jurisdictionem tam Ecclesiasticam, & spiritualem, ac quasi Episcopalem, quæ in eamdem Sanctam Domum, ejusque Territorium, Officiales, Ministros, Peregrinos, ac Bona prædicta, quàm Secularem, sive laicalem in Communitatem, nomines, & Civitatem Nostram Lauretanam, ejusque Comitatum, atque districtum, ut supra, Protectori pro tempore Sanctæ Domus ejusdem, sive ex præfatis Clementis, ac Pauli, sive aliorum quorumcunque Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum Constitutionibus, indultis, privilegiis, aut aliàs quomodòlibet competebat, quandoquidem ei Romani Pontifices per seipsos, Apostolicæ servitutis curis, & omnium Ecclesiarum solicitudine prægravati, vacare non possunt, exerceri in posterum statuimus, & mandamus per Congregationem nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, necnon Dilectorum Filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum, Lauretanam nuncupandam, quam ad hunc effectum tenore præsentium erigimus, instituimus, & specialiter deputamus.

Facultas condendi statuta & ordinationes.

§. 5. Eidemque Congregationi, ut semel & pluries, & quoties sibi videbitur & placebit, quæcunque statuta, & ordinationes pro felici prædictæ Sanctæ Domus, ejusque Bonorum, ac personarum eidem inservientium regimine, sacris tamen Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis non adversantia, & signanter quoad numerum Ministrorum, & Officialium ejusdem Sanctæ Domus privilegiis, & exemptionibus gaudentium, quem per eamdem Congregationem omnino reformari, & ad solos necessarios restringi volumus, ab omnibus, ad quos pertinet inviolabiliter observanda condere, edere, & publicare, illaque mutare, alterare, corrigere, & emendare, prout in Domino salubriter expedire cognoverit, concedimus, & indulgemus.

Dicta Congregatio in Spiritualibus Episcopi Lauretani, in temporalibus Prælati Curiæ Romanæ opera uti debet.

§. 6. Quò verò præfatarum Sanctæ Domus, & Civitatis regimen, meliùs, distinctiùs, omnique, quantùm fieri potest, litium & contentionum remoto periculo administretur, omniaque honestè, & secundùm ordinem fiant, volumus, & mandamus, ut Congregatio præfata, in Spiritualibus quidem, quæ scilicet ad Ecclesiæ cultum, Chori servitium, Divinorum celebrationem, Animarum curam, Sacramentorum administrationem, morum correctionem, aliaque hujusmodi pertinent, Episcopi Lauretani pro tempore existentis, tamquam Sedis Apostolicæ Delegati; in iis verò, quæ quorumcunque Bonorum ejusdem Sanctæ Cappellæ temporalem administrationem, necnon dictæ Civitatis Lauretanæ, ejusque Comitatus, atque districtus tam in Causis civilibus, quàm criminalibus, seù mixtis gubernium seculare concernunt, Romanæ Curiæ Prælati, in Gubernatorem à nobis, & pro tempore existente Romano Pontifice deputandi, opera, & ministerio uti debeat. Ac propterea tam domorum, ædificiorumque omnium fabricam, & manutentionem, quàm supellectilium cujuscunque generis, paramentorum, gemmarum, aliorumque jocalium, quæ sub thesauri nomine nuncupantur, necnon eleemosynarum, & largitionum quarumlibet custodiam, atque etiam Montis Pietatis, nosocomii, hospitii, & triclinii pro pauperibus peregrinis superintendentiam Gubernatoris præfati curæ committenda esse; ministros verò supradictis locis, rebusque inservientes, si Clerici fuerint, in concernentibus dumtaxat eorum ministerium Gubernatori præfato, in reliquis autem Episcopo Lauretano tamquam Sedis Apostolicæ Delegato, Organistam demùm, Cantoresque quoscunque ejusdem Sanctæ Domus, quoad correctionem morum, Ecclesiæque servitium Episcopo, in cæteris Gubernatori subesse debere decernimus, & declaramus.

Ecclesiæ à prædicta domo dependentes suarum respectivè Diœcesiũ Ordinariis subjiciuntur.

§. 7. Quoniam verò nonnullæ Ecclesiæ, seù Beneficia, etiam curata, præfatæ Sanctæ Domui, seù cappellæ unita, annexa, vel ab ea dependentia non in Lauretana solùm, sed in quampluribus etiam aliis Diœcesibus reperiuntur; ut earumdem Ecclesiarum, Beneficiorumque bono regimini, rectæque administrationi consultum sit, easdem Ecclesias, earumque Rectores, aliosque Ministros quoscumque Episcoporum, aliorumque Ordinariorum, in quorum respectivè Diœcesibus sita sunt, tamquam Sedis Apostolicæ Delegatorum jurisdictioni, visitationi, & correctioni, sub Congregationis tamen, ut supra, à nobis erectæ, regimine & omnimoda dependentia, subesse volumus, & mandamus; idemque prorsùs quoad omnes, & singulos Colonos, sive Officiales ejusdem Sanctæ

Domus extrà Diœcesim Lauretanam ubilibet existentes, ad debitum tamen numerum, ut supra reducendos, servari statuimus.

Reservatio Beneficiorum ad Collationem Protectoris aliàs pertinentium.

§. 8. Beneficia autem prædicta, & alia quæcunque cum cura, & sine cura, Secularia, & quorumvis Ordinum Regularia, qualitercunque qualificata, & ubicunque existentia, quæ ad collationem, provisionem, præsentationem, electionem, & quamvis aliam dispositionem præfatæ Sanctæ Domus pro tempore Protectoris quomodolibet pertinebant, ordinationi, dispositioni, & provisioni Nostræ, & Sedis Apostolicæ perpetuò reservamus.

Controversiæ circa præmissa à Congregatione præfata decidendæ

§. 9. Si quid verò circa præsentis Nostræ Constitutionis observantiam, interpretationem, sive declarationem ullo unquam tempore controverti, aut dubitari contigerit, id omne præfatæ Congregationis, à Nobis ut supra institutæ, judicio, cui propterea omnem desuper facultatem necessariam, & opportunam concedimus, & impartimur, declarandum, decidendum, definiendumque esse, necnon quacunque appellatione, recursu, nullitatis dictione remotis, ab omnibus servandum omninò districtè præcipimus, & mandamus.

Decretum super obstativis, cum clausula sublata.

§. 10. Decernentes præsentes Literas, etiam ex eo, quòd Episcopus, Capitulum & Clerus, aut Communitas, & homines præfatæ Civitatis Nostræ Lauretanæ, ac alii quicunque in præmissis quomodolibet interesse habentes, seu habere prætendentes, eisdem non consenserint, aut vocati, seù auditi non fuerint, aliaque quavis de causa, quantumvis legitima, & juridica, de ullo subreptionis, vel obreptionis, seù nullitatis vitio, aut intentionis Nostræ, vel aliq quocunque defectu notari, impugnari, vel in controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci nullatenus posse; sed semper, & perpetuò validas, firmas, & efficaces existere, & ab iis, ad quos spectat, & in futurum spectabit, inviolabiliter observari: sicque per quoscunque Judices Ordinarios, & Delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, sublatâ, eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique judicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane, quicquid secus super omnibus, & singulis præmissis, vel circa ea à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariis.

§. 11. Non obstantibus quoad ea, quæ præsentibus adversantur, præmissis Clementis, & Pauli Prædecessorum hujusmodi, & aliis quibuscunque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, etiam in Synodalibus, & Provincialibus, & universalibus Conciliis editis, innovatis, & confirmatis, Nostraque de jure quæsito non tollendo, aliisque Cancellariæ Apostolicæ regulis, ac dictarum Sanctæ Domus, & Ecclesiæ, & Civitatis Lauretanæ, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis Sanctæ Domui præfatæ, illiusque Protectori pro tempore existenti concessis, & quibusvis aliis sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis? etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis Decretis in genere, vel in specie, necnon etiam cæteris omnibus, & singulis, quæ in præinsertis Literis ipsi Prædecessores voluerunt minimè obstare. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, & individua, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut alia aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, ad effectum præsentium, illis aliàs in suo robore permansuris, harum serie derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Sanctio pœnalis.

§. 12. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam Nostræ moderationis, confirmationis, exemptionis, suppressionis, erectionis, concessionis, declarationis, reservationis, decreti, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

D. 7. Aug. 1698. P. A. 8.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo nonagesimo octavo Nonis Augusti, Pontificatus Nostri Anno Octavo.

J. F. CARD. ALBANUS.

B. Card. Prodatarius.

Visa de Curia C. A. Fabronus.

P. Porta.

Loco ✠ plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

Anno à Nativitate Domini Nostri JESU Christi millesimo sexcentesimo nonagesimo octavo, Indictione sexta, die verò nona Augusti, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri Domini INNOCENTII Divinâ Providentiâ Papæ XII. Anno octavo; Supradicta Constitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Ecclesiæ S. Joannis Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum, Curiæ Innocentianæ, Cancellariæ Apostolicæ, & in Acie Campi Floræ, & in aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per me Sebastianum Vasellum ejusdem S. Domini Nostri Papæ Cursorem.

Joseph Staggius Mag. Curs.

Constitutio super suppressione venalitatis Officii S. R. E. Cameriariatus, & quamplurium ejus redituum applicatione Cameræ Apostolicæ, & publicæ Aromatariæ pro Pauperibus Urbis. CXXIII.

INNOCENTIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei; Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

AD Romani Pontificis, quem constituit Dominus super familiam suam, ministerium pertinet, ut post multas, & graves Pastoralis officii curas, ad temporalium quoque Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Bonorum custodiam vigilet, & Cameræ Apostolicæ, per quam quotidianis pro conservatione Ecclesiasticæ ditionis oneribus, & communibus etiam Christianæ Reipublicæ necessitatibus subvenitur, profectui, & commodis, tamquam fidelis dispensator, & prudens, habitâ etiam de pauperibus, quorum Ecclesiæ res patrimonium sunt, provida ratione prospiciat: sicque resecatis, absque dignitatis imminutione, quæ in Romanæ Curiæ majoribus etiam Officiis superflua videri possunt, fiat unius abundantia multorum inopiæ supplementum.

Constitutionis causæ.

§. 1. Cum itaque vetus, ac præclarum Nostri, & S. R. E. Cameriariatus Officium, quod per obitum nuper bon. mem. Palutii, dum vixit, Episcopi Portuensis S. R. E. Cardinalis de Alteriis nuncupati vacavit, & vacat in præsens, Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum concessione

Dein-

multiplici, ac præsertim fel. rec. Gregorii XV. anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo vigesimo primo Pridie Nonas Maji Pontificatus sui anno primo desuper expeditis Litteris, ultra quamplura privilegia, & facultates, atque prærogativas pinguibus reditibus, & emolumentis hactenus abundare consueverit; quæ quidem ex eo maximè decursu temporis excrevisse noscuntur, quòd olim Camerariatus hujusmodi inter Romanæ Curiæ Officia venalia recensebatur, cujus propterea ingenti pretio congruebat redituum affluentiam respondere: Nos, qui, ne in posterum Causarum Curiæ Cameræ Nostræ Apostolicæ Auditoratus, ac Thesauriariatus generalium, nec non Clericatuum, & Præsidentatus Officia recepto pretio concederentur, aliàs edita Constitutione nostra sancivimus; eòque magis à prædicto Camerariatus Officio, quod personis amplissima Cardinalatus dignitate fulgentibus tribui solet, omnem venalitatis, ac pretii mentionem arceri consultius arbitramur, eidem Cameræ nostræ, quæ jam à longo tempore liberalibus, ac gratiosis eorumdem Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum condonationibus intervenientibus pretii commodum non recepit, & multis aliàs oneribus prægravatur, indemnitati consulere congruum duximus, simulque Sapientis illud: Honora Dominum de tua substantia: monitum adimplendo, in aliquod pium opus huic Almæ Urbi nostræ maximè necessarium, præfatorum portionem fructuum erogare.

Supprimit prout in rubr.

§. 2. Quapropter habito super his nonnullorum dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum probitate, doctrina, rerumque usu præstantium consilio, atque etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ac nostra perpetuò valitura Constitutione prædicti Camerariatus Officii venalitatem omnem penitùs, & omninò supprimimus, extinguimus, & abolemus, illudque deinceps absque ulla prorsus pretii interventione, virtutis, ac meritorum duntaxat intuitu conferri decernimus, & mandamus.

Dismembrat fructus.

§. 3. Omnes autem præfati Camerariatus Officii fructus, reditus, proventus, regalia, salaria, jocalia, responsiones, obventiones, aliaque cujusvis generis emolumenta tam ordinaria, quàm extraordinaria quocunque nomine nuncupata, & undecunque provenientia, ad Camerarium pro tempore existentem, tam Sede Apostolica plena, quàm vacante quomodolibet pertinentia, & ab eo percipi solita, ab eodem Camerariatus Officio, salva duntaxat infrascripta reservatione, harum serie penitus, & omninò dismembramus, ac separamus, & pro dismembratis, ac separatis haberi volumus, & mandamus.

Præservantur privilegia legitimè competentia.

§. 4. Porrò, ut memorati Officii amplitudo ea, qua decet, authoritate, & honorificentia conservetur, simulque expensarum ipsi incumbentium necessitati de alicujus subventionis auxilio provideatur, privilegia, facultates, prærogativas, præeminentias, antelationes, exemptiones, immunitates, jurisdictiones, gratias, & indulta omnia, quæ Camerario prædicto pro tempore existenti, tam ex præfatorum Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum concessione, quàm ex legitima, & approbata consuetudine, aut aliàs quomodolibet competebant, & quibus Palutius Episcopus Cardinalis, & Camerarius præfatus usus, potitus, & gravisus fuit, seù uti, potiri, & gaudere debuit, excepta tamen facultate conferendi, seu providendi Officia in præfatis Gregorii Prædecessoris Litteris enumerata, super quibus omnibus, & singulis, eaque in futurum conferendi formâ specialiter providere intendimus, salvisque aliis infra dicendis, eidem Camerario pro tempore existenti in omnibus, & per omnia, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus earumdem tenore præsentium præservamus, confirmamus, & innovamus, eique omnia, eique omnia, & quæcunque emolumenta ex sigillo ejusdem Officii provenientia, & hactenus percipi solita cum suis honoribus, & oneribus plenariè reservamus, & quatenus opus sit, de novo concedimus, & attribuimus.

Applicatio complurium Camerariatus fructuum ad publicam pro pauperibus aromatariam.

§. 5. Quoniam verò quemadmodum ab ipso suscepti à nobis Apostolatus initio pauperum, qui Domini Nostri Jesu Christi personam sustinent, necessitatibus sublevandis, invalidorum Hospitium Apostolicum erigendo, & juxta Prophetæ consilium, egenos, vagosque in domum nostram inducendo, nec non puerorum, ac puellarum institutioni simul, & indigentiæ prospiciendo, Pastoralis nostræ sollicitudinis ministerium impendimus; ita cæteras, gravesque dictæ Urbis necessitates, urgente nos jugiter Pastoralis officii debito, obliviscinon possumus: propterea miseriam inopum, & gemitum pauperum, præsertim infirmitate corporis laborantium, qui ad nosocomia, quibus eadem Urbs, benedicente Domino abundat, transportari commodè nequeunt, quantùm cum Deo possumus sublevare volentes, attento quòd Palutius Episcopus Cardinalis, & Camerarius prædictus, qui etiam Archiconfraternitatis SS. Duodecim Apostolorum de Urbe Protector existebat, inter cæteras pietatis, & Christianæ charitatis officia publicam Aromatariam, seù medicamentorum Officinam pro pauperibus à similis mem. Francisco, dum vixit, Episcopo Hostiensi, ejusdem S. R. E. Card. Barberino nuncupato, d. Archiconfraternitatis itidem Protectore, proprio ære primum erectam, instructamque, ac per plures annos usque ad obitum de necessariis provisam, suis pariter sumptibus providebat, & substentabat; ut tàm pii operis firmitati perpetuæ dotis constitutione consultum sit, ex præfatis emolumentis, atque proventibus, ut præfertur, à Camerariatus Officio dismembratis, omnia, & singula, quæ tam ex massa Collegii Notariorum Cameræ Nostræ Apostolicæ, quam ex Collectorii, in Regnis Hispaniæ, Lusitaniæ, & Neapolis, ac universa Italia vigesima nuncupata, quæque ad rationem duorum pro centenario super spoliis, fructibus, & emolumentis omnibus dictarum, & aliarum Collectoriarum ubicunque institutarum, & instituendarum, ac etiam occasione Decimarum impositarum, & imponendarum quarumcunque, sive subsidiorum earum loco supposito-rum, & supponendorum, Cameratio præfato pro tempore obveniebant, & ab eo percipi consueverant, in eo tamen statu, quo de præsenti sunt, atque erunt in futurum, ita ut ob quamcunque eorum diminutionem quantumvis maximam, atque etiam totalem, & integram deficientiam ad aliquod supplementum Camera prædicta nullo unquam tempore teneatur, eidem Aromatariæ, seù Officinæ, sub præfatæ Archiconfraternitatis, ejusque Prioris, ac Deputatorum pro tempore existentium administratione, earumdem tenore præsentium perpetuò donamus, concedimus, & assignamus.

Restitutio reliquorū Cameræ Apostolicæ.

§. 6. Reliquos autem omnes Camerariatus Officii præfati fructus, reditus, ac proventus, ut supra dismembratos, Cameræ supradictæ, debitis tamen iisdem annexis, atque antea Camerario prædicto ratione fructuum, redituum, & proventuum hujusmodi incumbentibus per eam congruè supportatis, motu, scientia, deliberatione, ac potestatis plenitudine similibus, harum serie perpetuò itidem restituimus, renuimus, applicamus, & incorporamus.

Annexio quorundā redituum signanter, qui Tribunali & Magistratui viarum aliàs fuerant incorporati.

§. 7. Ac signanter omnia, & singula emolumenta, seu præstationes præd. Camerario pro tempore existenti, ex rebus venalibus, seu stationum pro venditoribus locatione, aut aliàs in foro Agonali, solitis detractis oneribus, quomodolibet competentia, & ab eo percipi hactenus consueta, quæ aliàs per nos dudum edita Constitutione Tribunali, & Magistratui Viarum sub cura pro tempore existentis illarum Præsidis restituta, unita, & in-

corporata

corporata fuerant; cum experientiâ compertum sit, ex gratiis, & concessionibus in eadem Constitutione contentis, & successivè diligentiori præfati Tribunalis regimine satis ejusdem necessitatibus esse consultum, prævia eorumdem emolumentorum ab eodem Tribunali, ac Magistratu, & quatenus opus sit, nova etiam à præfato Camerariatus Officio dismembratione, necnon antedictæ Constitutionis Nostræ hac in parte duntaxat derogatione, cæteris omnibus in eadem Constitutione dispositis, & præsertim jurisdictione Tribunalis ejusdem, necnon facultate locandi, de consensu tamen Commissarii generalis memoratæ Cameræ pro tempore existentis, in suo robore permansuris, eidem Cameræ Nostræ perpetuò pariter unimus, annectimus, & incorporamus.

Decretum super obstativis.

§. 8. Decernentes easdem præsentes Literas, & in eis contenta quæcunque, etiam ex eo quòd præfati Præses, ac Magistri Viarum, seu alii ejusdem Tribunalis, ac Magistratus Officiales, & alii quicunque in præmissis quomodolibet interesse habentes, seu habere prætendentes, eisdem præmissis non consenserint, aut vocati, seu audiri non fuerint; tametsi suorum Indultorum, seu privilegiorum vigore consentire, vocari, seu auditi semel vel pluries quoquomodo debuissent, aut ex alia quacunque quantumvis juridica, & privilegiata causa de ullo subreptionis, vel obreptionis, seù nullitatis vitio, aut intentionis Nostræ, vel interesse habentium consensûs, alioque quocunque, etiam quantumvis magno, formali, & substantiali defectu, notari, impugnari, redargui, retractari, in jus vel controversiam revocari, ad terminos juris reduci, seu adversùs illa aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcunque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari nullatenus posse: sed semper, & perpetuò valida, firma, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere debere, & ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque & quomodocunque spectabit, inviolabiliter observari: sicque & non aliter per quoscunque Judices Ordinarios, & Delegatos, quavis autoritate, præeminentia, aut potestate fungentes, & functuros, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Camerarium, & alios Cardinales, etiam de Latere Legatos, dictæque Cameræ Præsidentes Clericos, & alios Officiales, & Ministros quoscunque, sublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane, si secus super his à quoquam scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariis.

§. 9. Non obstantibus quoad ea, quæ præsentibus adversantur, prædictis Gregorii Prædecessoris, & Nostris super confirmatione, & concessione facultatum Magistratus Viarum Literis, & quatenus opus sit, de Jure quæsito non tollendo, aliisque Nostris, & Cancellariæ Apostolicæ regulis, necnon fel. rec. Symmachi, Pauli II. Pauli IV. necnon aliorum quorumcunque Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum de rebus Ecclesiæ, & Cameræ præfatæ non alienandis, & malè alienatis recuperandis, illisque non obligandis, ac rec. mem. Pii Papæ IV. similiter Prædecessoris de gratiis qualecunque Cameræ Apostolicæ interesse concernentibus in dicta Camera intrà certum tempus præsentandis, ac registrandis; itaut præsentes Literas ibidem præsentari, aut registrari nunquam necesse sit, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dictæ Cameræ, aliisve quibuslibet, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis statutis, regulis, & consuetudinibus, ac Decretis, etiam Cameralibus, & Consistorialibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis eisdem Camerario, Cameræ, Tribunali, Magistratui, & Officialibus præfatis sub quibuscunque tenoribus, & formis, cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & efficacissimis & insolitis clausulis, & Decretis in genere, vel in specie, etiam motu, & potestatis plenitudine similibus, aut aliàs quomodolibet per Nos, & Romanos Pontifices Prædecessores Nostros in contrarium eorumdem præmissorum concessis, ac etiam pluries confirmatis, innovatis, & approbatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut alia exquisita formâ ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis traditâ observatâ exprimerentur, & inserentur, iisdem præsentibus pro plenè ac sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum harum serie specialiter, & expressè, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Sanctio pœnalis.

§. 10. Nulli ergo omninò hominum liceat paginam hanc Nostrarum suppressionis, dismembrationis, præservationis, confirmationis, reservationis, concessionis, applicationis, incorporationis, intentionis, decreti, mandati, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Sexcentesimo Nonagesimo Octavo, Quarto Idus Augusti Pontificatus Nostri Anno Octavo. D. 10. Aug 1698. P. A. 8.

J. F. CARD. ALBANUS.

B. Card. Prodatarius.

Visa de Curia C. A. Fabronus.

P. Porta.

Loco ✠ plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

Anno à Nativitate Domini Nostri JESU Christi millesimo sexcentesimo nonagesimo octavo, Indictione prima, die verò vigesima quarta Augusti, Pontificatûs autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri Domini INNOCENTII Divinâ Providentiâ Papæ XII. Anno octavo; Supradictæ Literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Ecclesiæ S. Joannis Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ, in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per me Antonium Cannamellinum ejusdem S. Domini Nostri Papæ Cursorem.

Joannes Baptista Capelli Magister Cursor.

FINIS.

INDEX

RERUM ET MATERIARUM,

Quæ in hoc Septimo Volumine, *sive* Continuationis Parte Prima continentur.

A

Abbas.

Abbates Monasteriorum Urbis Ratisbonæ & Dominii Bavariæ Ducis Ordinis S. Benedicti in unam Congregationem uniendorum, *Innocentius* XI. *const.* 17. §. 1. *p.* 58. 59.

Abbates Monasteriorum quorundam confirmandi jus præservatur Ordinariis locorum in exemptione novæ ejusmodi Congregationis ab eorum jurisdictione, *ibid.* §. 4. *p.* 59.

Abdicatio.

Abdicatio officii facienda à Provinciali &c. Discalceatorum, *vide Capitula Provincialia.*

Absens, Absentia.

Absentium vota in electionibus non supplenda, *vide Protectores Ordinum Regularium.*

in Absentia Beneficiorum fructus percipere possunt familiares Papæ, & Cappellani, *vid. Familiares, vid. Cappellani.*

in Absentia Vicariorum Priorum in Provincia Quitensi Ordinis Eremitarum S. Augustini Provincialis de Vicariis non provideat, *vid. Pater Provincialis, vid. Vicarii.*

Absentia citatorum super inobservantia litterarum & Decretorum Apostolicorum de privilegiis concessis Provinciis S. Antonii Brasilienſis & immaculatæ Conceptionis fluminis Januarii justitiam procedentem non impediet, *Innocent.* XI. *monit.* §. 19. *pag.* 57.

in Absentia Sanctissimi de justitiæ cursu providetur, *Innoc.* XII. *not* 86. *p.* 266.

Absolutio.

Absolutionis forma, seu modus impertiendi Indulgentias Confratribus Sanctissimi Rosarii in Articulo mortis, *Innocent.* XI. *const.* 8. §. 1. *p.* 28.

Absolutio homicidarum, *vid. Homicidæ.*

Absolutionem generalem impertiendi facultas, *vide Fratres Ordinis B. M. V. de Mercede Redemptionis Captivorum.*

Abstinentia.

Abstinentia B. Joannis de Deo, *vid. B. Joannes de Deo.*

Acta.

in Actis Capituli Provincialis Provinciæ Quitensis Ordinis Eremitarum S. Augustini exprimendus numerus vocalium & suffragiorum pro electione P. Provincialis cum reelectionum motivis, *Innoc.* XI. *const.* 7. *n.* 5. *pag.* 16.

Acta Capituli generalis Ordinis Fratrum Prædicatorum à Protectore subscribenda, *Innocent.* XI. *const.* 9. §. 2. *pag.* 30.

Acta processuum contra Christianos novos Inquisitores Portugalliæ Nuncio Apostolico ad ejus beneplacitum communicare tenentur, *Innoc.* XI. *const.* 11. §. 5. *pag.* 40.

Actus.

Actus publicus, quem actum fidei vocant, non exspectandus pro expeditione Inquisitorum carceratorum in Portugalliæ & Algarbiorum Regnis *Innoc.* XI. *const.* 11. §. 16. & 18. *p.* 42.

Adjutor.

Adjutores Visitationis Apostolicæ, *vid. Visitatio Apostolica.*

Administratio.

Administrationem redituum Provinciæ Quitensis Ordinis Eremitarum S. Augustini Pater Provincialis sibi non arroget, *vid. Pater Provincialis.*

Administratio bonorum prohibetur Minoribus S. Francisci, *vid. Fratres Ordinis Minorum S. Francisci de observantia.*

Administrator.

Administratoris novi in locum remoti subrogatio in Provincia Quitensi Ordinis Eremitarum S. Augustini non ad Patrem Provincialem, sed ad Superiorem localem spectat, *vid. Pater Provincialis, vid. Superior localis.*

Administratores Hospitalis Sixtini, *vid. Hospitium.*

Adolescens.

Adolescentes in litteris & moribus à Clericis Secularibus in commune viventibus instruendi, *Innoc.* XI. *const.* 10. *num.* 24. *pag.* 33.

Adoptio.

Adoptionum Causæ quoad sportulas, *vid. Sportulæ.*

Advocatus.

Advocati & Procuratoris Officium in causis civilibus & Ecclesiasticis exercere possunt Familiares Papæ & Cappellani, *vid. Familiares, vid. Cappellani.*

Advocatos & Jurisperitos etiam Seculares consulere possunt Patres Definitorii Provinciæ Quitensis Ordinis Eremitarum S. Augustini, *Innoc.* XI. *const.* 7. §. 1. *num.* 10. *pag.* 17.

cum Advocatis & Jurisperitis consultum habere, reis in judicio à Patre Provinciali ejusdem Provinciæ concedendum, *ibidem num.* 14. *pag.* 20.

contra Advocatos Christianorum novorum Inquisitores Portugalliæ procedere possunt, *Innoc.* XI. *const.* 11. §. 5. *p.* 39. 40.

Advocatus S. Officii in Portugalliæ & Algarbiorum Regnis Reos sine assistentia possit alloqui, eiqui Copia processus suppressis testium nominibus & personis tradatur, *ibidem* §. 17. *pag.* 42.

Advocatus alius Reo S. Officii petenti concedatur, eique tradatur copia processus ut supra, *ibidem.*

Advocato Rei non licet Reos alloqui sine Deputati assistentia, *ibidem.*

Advocati, Procuratores, Negotiorum gestores in Curia Romana, quoad taxam originalium informationum, salarium expensasque factas in causis patrocinatis *Innoc.* XI. *const.* 23. §. 2. *p.* 70. & 71.

Ædes.

Ædes Magnatum in Urbe Roma malefici & obærati contra justitiæ Executores in eas confugientes Franchitias appellant, *Innoc.* XI. *const.* 19. §. 2. *pag.* 61.

Ædes quoque Nepotum & Consanguineorum Romani Pontificis malefactores & obæratos contra justitiæ Executores securos reddere non possunt, *ibidem.*

Ædes Canonicales, *vid. Mulieres.*

Affectus.

Affectus tum corporales tum spirituales quare & quomodo debeant refrænare Clerici seculares in commune viventes, *Innocent.* XI. *const.* 10. *num.* 6. *p.* 32.

Affictuarius.

Affictuarii bonorum solvant nomine Dominorum ad computum suæ locationis tres Decimas Clero Italico impositas, *vide Decimæ.*

Affictuarii quoad Decimarum receptarum quietantias, *vid. ib.*

Affida.

Affidæ privilegia, *vid. Fida.*

Affiliatio, Affiliatus.

Affiliatio Religiosorum alterius Provinciæ in Provincia Quitensi Ordinis Eremitarum S. Augustini non sine licentia Generalis

neralis & Consensu utriusque Definitorii fieri potest, *Innoc.* XI. *const.* 7. §. 1. *n.* 18. *pag.* 19.
Affiliatus nonnisi triennio à Die suæ affiliationis transacto ad Officium publicum eligi possit, *ibidem.*
Affiliatus Provinciæ Quitensi, Definitorio authenticè commonstret, se Artium & Theologiæ cursus in sua respectivè Provincia absolvisse, aliàs pro Officio publico obtinendo eos in Provincia Quitensi facere teneatur, *ibidem num.* 26. *pag.* 21.
Affiliati eundem in Provincia Quitensi locum & præcedentiam retineant, quem in suis respectivè Provinciis tenuerunt, *ibid. num.* 29. *pag.* 22.

Affinis, Affinitas.

Affines Romani Pontificis. Remunerationes Pontificiæ ad eorum favorem ex obventionibus Cameræ non excedant eorum merita, *Innoc.* XII *const.* 19. §. 1. *pag.* 168.
Affinium paupertas eo modo quo extraneorum sublevanda, *ibidem* §. 2. *p. ibidem.*
Officia & munera secularia ipsis conferri solita supprimuntur & quare? *ibidem* §. 3.
Affinibus Ecclesiasticis non concedendi reditus ultra merita & Dignitatis gradum, *ibidem* §. 4.
Affinibus Cardinalibus ad duodecim usque millia annua provideatur, *ibidem* §. 5.
Excessus in prædictis, si patrati fuerint, à Pontificibus Successoribus rescindantur, *ibid.* §. 6.
Præmissorum observantia à novis Cardinalibus & à Pontifice noviter electo juranda, *ibid.* §. 8. *pag.* 169.
Et hæc Constitutio aliis in Conclavi jurari solitis adnectenda, *ibidem* §. 9.
Affinitatis impedimenta circa matrimonium, *vide Pœnitentiarius major.*

Agens.

Agens Provinciarum Galliæ Ordinis Minorum S. Francisci, *vid. Fratres Ordinis Minorum S. Francisci tam observantiæ quam Recollectorum.*

Aggregatio.

Aggregatio. Decreta duo S. R. E. Cardinalium super Aggregatione ad Provinciam Romanam à quibusdam Pedemontanæ Provinciæ Monachis postulata confirmantur, *Alex.* VIII. *const.* 8. §. 5. *p.* 102.

Agonis forum.

Agonis forum seu platea, *vide Magistratus viarum.*

Agricultura.

Agriculturæ Consules, *vide Judices particulares.*

Alabardarii.

Alabardariorum Gubernii privilegia, *vide Patentati.*

Aleæ.

Aleæ Bollandæ in Statu Castri & Roncilionis, *vide Hospitium Apostolicum.*

Alimenta.

Alimentorum causæ quoad sportulas, *vide Sportulæ.*

Alternativa.

Alternativa pro Episcopis residentibus, *vide Regulæ Cancellariæ.*

Alumnus.

Alumni Communitatis Clericalis articulos fidei, Sacramentorum vires & Ceremoniarum Significationes diligenter addiscant, *Innocent.* XI. *const.* 10. *num.* 1. *pag.* 35.
Quibusnam mediis possint & debeant tentationes repellere *ib. num.* 2.
Quomodo debeant sibi comparare agnitionem sui ipsius, amorem & timorem Dei, *ibid. num.* 3.
Quomodo practicum virtutum Theologicarum & Cardinalium studium instituere debeant, *ibidem num.* 4.
Promptam habeant obediendi voluntatem, *ibidem num.* 5.
Innocentiam & castitatem servent, *ibidem num.* 6.
Sensus tam internos quam externos diligenter custodiant, *ib. num.* 7.
Oculos cohibeant à fœminarum adspectu, *ibidem num.* 8.
Blasphemias & turpiloquia vitent, *ibidem num.* 9.
Pecuniam propriam clandestinè non possideant, sed Superiori ad communem custodiam tradant, *ibid. num.* 10.
Singulis diebus lectioni & meditationi spirituali vacent, *ibid. num.* 11.
Missæ quotidie interfint, Officium immaculatæ Conceptionis absolvant, & spiritualem Communionem instituant, *ib. n.* 12.
In majoribus classibus constituti qua ratione parvum B. M. Virginis Officium debeant absolvere, *ibidem num.* 13.
In templo modesti sint & attenti, *ibidem num.* 14.
Philosophiæ & Theologiæ Studiosi singulis Septimanis & majorum festivitatum Diebus peccata sua confiteantur, existentes in Scholis humanioribus singulis quatuordecim diebus, idque Confessariis deputatis à Superiore, *ibidem num.* 15.
Post Communionem peractam gratiis Deo agendis aliquod temporis insumant, *ibidem num.* 16.
Cum Superioribus, Patre spirituali & Confessario de Statu interioris sui hominis non rarò conferant, *ibidem num.* 17.
Alumni Communitatis Clericalis recollectionem Spiritus quotannis & in susceptione Confessionem generalem totius vitæ faciant. *ibidem num.* 18.
Majores junioribus probitatis exemplo præluceant, *ib. num.* 19.
Delicta fugiant & in casu delicti patienter pœnitentias sustineant. *ibidem num.* 20.
Senectutem, Præceptores, & quemlibet pro status ratione venerentur, *ibidem num.* 21.
In externis reverentiæ Ceremoniis Hypocrysin fugiant, *ibid. num.* 22.
Inferiores honore superiores præveniant, *ibid. num.* 23. *pag.* 36.
Coram Superioribus non ultrò, sed interrogati pauca, modestè & graviter, coram æqualibus honesta, utilia & necessaria loquantur, *ibidem num.* 24.
Scandala maturâ ad Superiores delatione prævertant, *ibidem num.* 25.
Æquo animo ferant Superiorum correctiones, eosque temerè non judicent, *ibidem num.* 26.
Contra necessariorum dispositionem non murmurent, sed in vero defectu ad Superiores recurrant, *ibidem num.* 27.
A mendacio abstineant & veritati studeant, *ibidem num.* 28.
Abstineant ab adulatione, pietate fictitia & falsitate, *ibid. n.* 29.
A privata caveant vindicta, *ibid. num.* 30. & 31. *pag.* 37.
Simplicitatem & Sinceritatem in omnibus servent, *ibid. num.* 31.
In narrando verborum & circumstantiarum ambitus abscindant, *ibidem num.* 32.
Vanam sui suorumque fugiant jactantiam, *ibid. num.* 33.
Sint affabiles & à Superioribus & majoribus minores affatum exspectent, *ibidem num.* 34.
Cum gravitate suavitatem, cum magnanimitate modestiam jungant, *ibidem num.* 35.
In incessu, vestibus, gestibus & compositione corporis quid observare debeant, *ibid. num.* 36.
Quos mores debeant in mensa servare, *ibidem num.* 37.
Post mensam aliquod tempus honestæ recreationi impendant, *ibidem num.* 38.
Recreationis tempore alia non tractent. *ibid. num.* 39.
Jocos & Sales inter Eutrapeliæ limites contineant, *ib. num.* 40.
In dicendis & audiendis facetiis risum moderentur, *ib. num.* 41.
In recreatione ineptas vitent irritationes, *ibidem num.* 42. *p.* 39.
Quomodo in audiendis aliis se gerere debeant, *ibid. num.* 43.
Caveant à sinistris de proximo judiciis, *ibid. num.* 44.
Absentium non sugillent defectus, *ibidem num.* 45.
Alterius dicta & facta temere non revelent, *ibid. num.* 46.
Audita ab aliis non facile propalent, *ibid. num.* 47.
Obtrectationes aliorum non effutiant, *ibidem num.* 48.
Inanes vitent contentiones, *ibidem num.* 49.
Post injuriosam læsionem in gratiam redeant, *ibid. num.* 50.
Alterius iracundiæ cedant, *ibidem num.* 52.
Abstineant à furto, *ibidem num.* 53.
In omnibus munditiam servent, *ibidem num.* 54.
Modestiam servent in nutriendis crinibus, *ibidem num.* 55.
Alumni Communitatis Clericalis seorsim singuli dormiant, & quomodo Corpus in somno componendum, *ibidem num.* 56.
Scientiarum cumulum virtutum Studio adjungant, *ib. num.* 57.
In Scholis & domi sint attenti, *ibidem num.* 58.
Alios Studiorum tempore non inquietent, *ibid. num.* 59.
Quomodo in Concertationibus Scholasticis se gerere debeant, *ibidem num.* 60.
à Prandio Cantui chorali & Musicæ addiscendæ incumbant, *ibidem num.* 61.
Delicta eorum privata privatim, publica publicè castigentur, *ibidem num.* 62.
Alumni tantum Provinciæ Limensis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de observantia ad Ministratus Provincialis ejusdem Provinciæ Officium eligi possunt, *Innocent.* XI. *monit.* §. 2. *pag.* 51.
Alumni Provinciæ Limensis quinam sint? *ibidem* §. 4. *pag.* 52.

Anchoragium.

Anchoragii Taxa in Portu Civitatis vetulæ, *vide Portus.*

Animus.

Animus.
Animi propensiones Clerici seculares pro antevertendis tentationibus probe perspectas habeant, *Innoc.* XI. *const.* 10. *num.* 3. *pag.* 31.
Annunciatio.
Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis Festum, *vid. Festum.*
Antianitas.
Antianitatem Equitibus Conclavistis concedit, *Innocent.* XII. *const.* 18. *§.* 5. *pag.* 162. & 163.
Antistes.
Antistitis conscientia oneratur super idoneitate Familiartarium Papæ ad Ordines sacros promovendorum, *Innocent.* XI. *constit.* 5. *§.* 6. *pag.* 9. & 10. *Alexand.* VIII. *const.* 6. *§.* 6. *p.* 96. *Innocentius* XII. *const.* 11. *§.* 6. *pag.* 146.
Antistes Ecclesiæ tres decimas Cleri Italici reditibus impositas debito modo non solvens à Divinis suspenditur, *Innoc.* XI. *const.* 14. *§.* 8. *pag.* 48.
Apostata.
Apostatas Religiosos Provinciæ Quitensis Ordinis Eremitarum S. Augustini P. Provincialis & Definitores recipere possint, *vide Pater Provincialis, vide Definitores.*
Apostatas à fide quando absolvere possit Pœnitentiarius major, *vide Pœnitentiarius major.*
Apostatas Regulares sub pœnarum & pœnitentiarum condonatione & reintegratione ad gradus pristinos invitat redire ad Ordines *Innocent.* XII. *Ed.* 111. *& Decr.* 112. *p.* 283.
Apostatis terminus ad redeundum prorogatur, *ibidem Decr.* 114. *&* 115. *pag.* 285.
Appaltus.
Appaltus super juribus viarum, *vide Magistratus viarum.*
Appellans, Appellatio.
Appellantes à Romano Pontifice ad universale Concilium, *vid. Excommunicatio.*
Appellatio à gravamine Prioris localis ad P. Provincialem Provinciæ Quitensis Ordinis Eremitarum S. Augustini à Definitoribus solum in Capitulo privato dijudicanda. *v. Definitores.*
Appellatio licita est à Definitorio Capituli Provincialis seu Congregationis intermediæ ad Definitorium Capituli privati, *v. Definitorium.*
Appellationes legitimæ quoad utrumque effectum, *vid. Pater Provincialis.*
Appellatio à Correctione regulari extrajudiciali, *vid. Fratres Ordinis Eremitarum S. Augustini.*
Appellatio etiam legitima quoad Executionem Decretorum semel à Provincia Quitensi receptorum, *vid. Decreta.*
Appellationum Judices constituuntur tres Patres extra Definitorium in Provincia S. Antonii in Brasilia & S. Conceptionis fluminis Januarii, Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci, *Innoc.* XI. *monit.* *§.* 8. *pag.* 54 & 55.
Appellationes quomodo in foro Capitolino tractandæ, *Innoc.* XI. *const.* 23. §. 2. *pag.* 68 & 69.
Appellationes in causis contestatis coram Judicibus particularibus, *vide Judices particulares.*
Appellatio in causis Magistratus viarum, *vide Magistratus viarum.*
Appellationes negantur à Decreto solvendi taxam Magistratui viarum, *vide Magistratus viarum.*
Appellationum Commissiones, *vide Commissiones.*
Appellationum Capitaneus quoad sportulas, *vide Sportulæ.*
Appellatio suspensiva à moderatione inhibitionum fidæ. *v. Fida.*
Archiconfraternitas.
Archiconfraternitatis Annunciationis de Urbe Officiales quoad Subsidia dotalia puellis Hospitii pauperum invalidorum præstanda, *vid. Puellæ.*
Archiepiscopus.
Archiepiscopi Regni Neapolitani, quoad exemptionem à Spolio, *vide Prælati.*
Archihospitale.
Archihospitale S. Spiritus, quoad contributionem annuam Hospitio Pauperum Invalidorum in Urbe solvendam, *vid. Hospitium.*
Archihospitale S. Spiritus in Saxia de Urbe Indulgentia pro morientibus in eo, *vide Indulgentia.*
Archiviatio, Archivium.
Archiviationis defectus, *vid. Taxa, vid. Causæ.*
Archivii Urbani instrumenta, *vid. Taxa.*
Arma.
Arma ad Christianorum hostes deferentes, *vid. Excommunicatio.*
Arma breviora non gestanda; Pii IV. & Pii V. super ea re dispositiones confirmat & innovat *Alexand.* VIII. *const.* 10. *§.* 4. *pag.* 105.
Eorumque usum de novo prohibet, *ibidem §.* 5.
Arma breviora intra triginta dierum spatium ad Superiores deferenda, *ibidem §.* 6.
Armorum breviorum prohibitio etiam Ecclesiasticas quasvis personas concernit, *ibid. §.* 7.
Aromataria.
Aromataria pauperum, *vide Officium Camerariatus.*
Arrogatio.
Arrogationum causæ quoad sportulas, *vide Sportulæ.*
Artes.
Artium & Theologiæ Lectores in Provincia Quitensi Ordinis Eremitarum S. Augustini, *vid. Lectores.*
Artium & Theologiæ cursus pro Magisterio obtinendo, *vid. Magisterium.*
Artium Consulatus, *vide Judices particulares.*
Articulus.
Articulos fidei Catholicæ Communitatis Clericalis alumni diligenter addiscant, *Innoc.* XI. *const.* 10. *num.* 1. *pag.* 35.
Assessor.
Assessor Tribunalis Magistratus viarum, *v. Magistratus viarum.*
Assettamentum.
Assettamenti partes circa appellationes, *Innoc.* XI. *const.* 23. *§.* 2. *pag.* 69.
Assettamentum nullo modo se ingerat in prima instantia, *ibid.*
Assistens
Assistentes Capituli Provincialis Congregationis Discalceatorum S. Augustini, *vid. Capitula Provincialia.*
Associatio.
Associatio Sanctissimi Viatici, *vide Viaticum.*
Astrologia.
Astrologia judiciaria; inquirentes per eam in vitam aut mortem Romani Pontificis aut Reipublicæ Christianæ Statum non possunt absolvi à Pœnitentiario majori, *Innoc.* XII. *const.* 20. *§.* 14. *pag.* 172.
Attentatio.
Attentio Communitatis Clericalis alumnis tam Domi quam in Scholis commendatur, *Innoc.* XI. *const.* 10. *num.* 58. *p.* 37.
Audientia.
Audientia publica præstanda notificatur, *Innoc.* XII. *not.* 67. *pag.* 252. 253.
Audientiæ A. C. *vide Curia Innocentiana.*
Auditor.
Auditoris generalis Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Officii venalitas, *vide Officia Cameralia.*
Auditor Signaturæ Justitiæ expediat appellationum commissiones in causis non excedentibus scuta 50. *Innoc.* XII. *Decr.* 72. *§.* 1. *pag.* 256.
Auditor idem expediat reintegrationes inhibitionum & alia, *ibidem §.* 2. *vid. etiam Curia Innocentiana.*
Auxiliatores.
Auxiliatorum Arcis S. Angeli privilegia, *vid. Patentati.*

B

Baccalaureatus, Baccalaureus.
Baccalaureatus gradum suscipit B. Joannes à S. Facundo, *vid. B. Joannes à S. Facundo.*
Baccalaureatus gradus quomodo debeat obtineri à Lectoribus Ordinis B. M. V. de Monte Carmelo, *vid. Fratres Ordinis B. M. V. de Monte Carmelo.*
Baccalaurei de Morali & de Pulpito ejusdem Ordinis, *v. ibid.*
Baccalaureorum loci prærogativa Fratrum Prædicatorum, *vid. Graduati.*
Ballotulæ.
per Ballotulas secretas fiat suffragatio secreta Patrum Definitorii Provinciæ Quitensis Ordinis Eremitarum S. Augustini *Innoc.* XI. *const.* 7. *num.* 10. *p.* 17.
Et Patrum consilii, *ibidem num.* 22. *pag.* 20.
Banniti.
Bannitis non concedantur Salvi conductus, vulgo *non gravetur, vide Exiliati.*
Bannitorum ad Religionis ingressum habilitatio, *v. Pœnitentiarius major.*
Basilica.
Basilicæ S. Petri de Urbe Fabrica, *vide Fabrica.*
Beatificatio.
Beatificatio S. Joannis de Deo ab Urbano Papa VIII. *Innoc.* XII. *const.* 2. *§.* 12. *p.* 118.

Benedictio.

Benedictionem Papalem Adrianus Papa VI. Fratribus Minoribus S. Francisci sponte ad Indos pro eorum conversione euntibus impertitur, *Innoc.* XII. *monit. §.* 11. *pag.* 55.

Benedictionem Apostolicam impertiendi facultas, *vid. Visitatores*

Benedictionem generalem largiendi facultas, *vide Fratres Ordinis B. M. V. de Mercede Redemptionis Captivorum.*

Beneficium.

Beneficiorum non curatorum fructus in absentia percipere possunt Familiares & Cappellani Pontificis, *vid Familiares, vid. Cappellani.*

in Beneficiis obtinendis Sacerdotes Communitatis Clericalis proprium non sequantur arbitrium. *Innoc.* XI. *const.* 10. *num.* 32. *p.* 33.

Beneficia secularia quomodolibet qualificata Communitatis Clericalis Sacerdotes obtinere & retinere possunt, *ibid. §.* 4. *pag.* 40. *& const.* 18. *§.* 1. *pag.* 59. 60.

Beneficiis quibuscumque Cleri Italici & adjacentium Insularum tres integræ Decimæ imponuntur, *Innoc.* XI. *const.* 14. *§.* 1. *p.* 47.

Beneficia quæ certam annui valoris summam non excedunt ab iisdem Decimis eximuntur, *ibid. §.* 3. *pag.* 47.

Beneficiis ipso facto privantur personæ easdem decimas non ritè solventes, *ibidem §.* 8.

Beneficia plura obtinentes pro quietantia universali earumdem Decimarum ultra unum Carolenum non solvant, *ibidem §.* 18. *p.* 49. 50.

Beneficiorum reservationes, *vide Regulæ.*

Beneficium non per obitum viventis impetrandum, *vid. Regulæ.*

Beneficiorum valor in impetrationibus exprimendus, *v. Regulæ.*

Beneficiorum qualitates exprimendæ, *vid. Regulæ.*

Beneficia per contractum matrimonii vacantia, *vid. Regulæ.*

Beneficiorum per concursum obtentorum tituli, *vid. Pœnitentiarius major.*

Beneficiorum causæ quoad sportulas, *vid. Sportulæ.*

Beneficia plura retinendi facultas, *vid. Familiares, v. Cappellani.*

Beneficii Ecclesiastici mox conferendi prætextus quoad primam tonsuram alienorum Subditorum, *vid. Exteri.*

Beneficium in aliena Diœcesi obtentum ad effectum subjectionis pro Ordinibus suscipiendis sufficere debeat ad congruam detractis oneribus *Innoc.* XII. *const.* 54. *§.* 8. *&* 13. *p.* 234.

Beneficii sufficientia exprimatur in Testinonialibus Ordinationis, *ibid.*

Beneficiorum reditus post vocationem non applicandi Mensæ Episcopali, Capitulari, aut Canonicis, *vid. Mensa Episcopalis, vide Canonici.*

de Beneficiis Ecclesiasticis provideri sibi petentes quidnam debeant exprimere, *Innoc.* XII. *const.* 66. *pag.* 252.

Beneficii rector per alium celebrans, *vid. Missæ.*

Beneficia pertinentia ad Collationem Protectoris Domus Lauretanæ, *vide Lauretana Domus.*

Bibliotheca.

Bibliotheca concessa Collegio B. Ferdinandi Catholici in Indiis Occidentalibus, *Alexand.* VIII. *const.* 11. *§.* 3. *p.* 108. 109.

Blasphemia.

Blasphemias & turpiloquia vitent Alumni Communitatis Clericalis, *vide Alumni.*

Bonum.

Bona à Spoliis exempta, *vide Cappellani, Conclavistæ, Familiares, Dapiferi, Prælati.*

Bona patrimonialia Clericorum secularium in commune viventium liberæ eorum dispositioni relinquuntur, *Innoc.* XI. *const.* 10. *§.* 2. *num.* 23. *pag.* 33.

Bonum Communitatis Clericalis in dispensandis Clericorum secularium bonis patrimonialibus non prætereundum, *ibid.*

Bona Christianorum novorum in Portugalliæ & Algarbiorum Regnis numquam ante sententiam confiscanda, *Innoc.* XI. *const.* 11. *§.* 15. *p.* 42.

BonaRei ibidem nonnisi ex causa alimentorum distrahantur, *ibid*

Bonorum eorundem Inventarium cum interventu personæ conjunctæ conficiatur, *ibidem.*

Bona eadem personæ conjunctæ in forma depositi pro subministrandis Reo ejusque familiæ alimentis & Creditoribus legitimis satisfaciendis consignentur, *ibidem.*

Bona in confectione Inventarii ad alios spectare inventa illico restituantur, *ibidem.*

Bona emphyteutica & fideicommissaria post sententiam restituantur quibus de jure, *ibidem.*

Bona Instituti Communitatis Clericalis ejusdem Superior generalis in manibus Ordinariorum ad necessariam Clericorum secularium in casu dimissionis substentationem obligare & hypothecare debeat, *Innocent.* XI. *const.* 18. §. 3. *pag.* 60.

Bonorum stabilium subhastatio, *vide Subhastatio.*

Bona pauperum ab iis non indicata, *vide Hospitium Apostolicum.*

Bonorum quorumlibet, cujusque etiam sint, administratio prohibetur Minoribus S. Francisci, *vide Fratres Ordinis Minorum S. Francisci de observantia.*

Bona acquirenda perpetuo Missarum onere, *vide Missæ.*

Brachium Seculare.

Brachio seculari muniuntur Ministri justitiæ in Urbe contra maleficos in Franchitias ita dictas sese recipientes, *Innoc.* XI. *const.* 19. *§.* 1. *pag.* 60 *&* 61.

Breve.

Breve Sixti V. de anno 1586. multis privilegiis ornans Custodiam Brasilienſem Ordinis Minorum S. Francisci, *Innoc.* XI. *monit. §.* 1. *pag.* 50. 51.

Breve Clementis VIII. de 4. Martii 1600. Hieronymi Cardinalis Literas quasdam Patentes confirmans, *ib. §.* 2. *p.* 51. 52.

Breve Urbani VIII. Statutum aliquod Capituli generalis Ordinis Minorum S. Francisci confirmatum antea immutans & præmissum Clementis VIII. Breve confirmans, *ibidem §.* 3. *pag.* 52.

Breve Urbani VIII. terminos quosdam præmissæ Clementis VIII. Constitutionis ambiguos explicans, *ibid. §.* 4. *p.* 52.

Breve Alexandri VII. Custodiam Brasiliæ à Provincia S. Antonii separans & in particularem Provinciam erigens, *ibidem §.* 5. *pag.* 53.

Brevia & Bullæ prædictæ super concessione privilegiorum Provinciis S. Antonii Brasilienſis & immaculatæ Conceptionis Fluminis Januarii exactè observandæ, & intra sex dies Executioni mandandæ, *ibidem §.* 17. *p.* 56.

Breviarium.

Breviarium Romanum absolvant Clerici seculares in commune viventes, ubi chorus non est, *Innoc.* XI. *const.* 10. *n.* 14. *p.* 32.

Breviarium permitti potest carceratis in S. Officio in Regno Lusitaniæ, *Innoc.* XI. *const.* 11. *§.* 18. *pag.* 42. *&* 43.

Bulla.

Bulla Julii Papæ II. de die 29. Martii 1507. *Innoc.* XI. *monit. §.* 9. *p.* 55.

Bulla Leonis X. de d. 25. Aprilis 1521. *ibid.* §. 10.

Bulla Adriani VI. de d. 10. Maji 1522. *ibidem §.* 11.

Bulla Pii V. de d. 23. Martii 1567. *ibid. §.* 12. *p.* 55.

Bulla Gregorii XIII. de d. 15. Julii 1580. *ibid. §.* 13.

Bulla Sixti Papæ V. de d. 15. Novembris 1587. *ibid. §.* 14.

Bullæ & Brevia prædicta super privilegiis Provinciis S. Antonii Brasilienſis & immaculatæ Conceptionis fluminis Januarii concessis, exactè observanda & intra sex dies executioni mandanda, *ibidem §.* 17.

Bulla Cœnæ Dominicæ excommunicat invasores Urbis Romæ & jurisdictionis Pontificiæ usurpatores, *Innoc.* XI. *constit.* 19. *§.* 5. *pag.* 62.

Vide etiam Excommunicatio.

Burgensis Ecclesia.

Burgensis Ecclesiæ Canonicatus, *vide B. Joannes à S. Facundo.*

C

B. Cajetanus.

B. CAjetanus; Historica relatio, vitæ, mortis, miraculorum Beatificationis & Canonizationis ejusdem, *Innocent.* XII. *const.* 4. *pag.* 125. *& seq.*

B. Cajetanus in Civitate Vicentiæ ex parentibus genere præclaris natus & B. Virgini oblatus est, *ibidem §.* 2.

B. Cajetanus Juris utriusque Laureâ insignitus Beatæ Mariæ Magdalenæ ædem in Rampazi pago, & Vicentiæ novum Nosocomium erexit, *ibidem §.* 3.

B. Cajetanus munus publicum Romæ abdicat & in patriam redit, *ibidem §.* 4.

B. Cajetanus Clerum regularem ad Ecclesiæ primitivæ formam reducit, *ibidem §.* 5. *pag.* 135.

B. Cajetanus in Urbis direptione Carceri inclusus post liberationem Venetias contendit, *ibid. §.* 6.

B. Cajetanus Cleri Regularis in Civitate Neapolitana Præpositus nominatur, *ibidem §.* 7.

B. Cajetani virtutes enumerantur à *§.* 8. *usque ad* 16.

B. Cajetanus quosnam præcipue ex Sanctis Patribus æstimaverit. *ibidem §.* 11.

B. Cajetanus Cœnobia plura erexit Neapoli, *ibidem §.* 14. *p.* 126.

B. Cajetani obitûs causa præcipua fuit interruptum Concilium Tridentinum, *ibidem §.* 17.
Fama Sanctitatis & miraculorum post ejus mortem, *ibid. §.* 18.
Quorum quædam sub Clemente X. à Cardinalium Congregatione discussa, approbata & Canonizatio decreta, *ibid.* §. 20.
Quæ à Clemente X. confirmata & die ad id designata solemniter peracta, *ibidem* §. 21. 22. & 23. *pag.* 127. 128.
Indulgentia pro visitantibus ejus sepulchrum in ejus die festo, *ibidem §.* 24.
Clementis X. super hac re decreta confirmat *Innocent.* XII. *const. ead. §.* 25.

Camera.

Camera Apostolica concordantibus cum ea pro solutione trium Decimarum Clero Italico impositarum, si ante quinquennium eorum solutio cessaverit, pecunias pro rata restituat *Innocent.* XI. *const.* 14. §. 17. *p.* 49.
Cameræ Apostolicæ Officialibus inhibetur ad favorem Dapiferorum, *vid. Dapiferi.*
Camera Apostolica quoad fructus Officiorum Cameralium, *vid. Officia Cameralia.*
Cameræ Apostolicæ jura super fructibus pendentibus non exactis. *vid. Prælati Regni Neapolitani.*
Cameræ Clerici quoad gubernium Comitatûs & Terræ Tulphæ, *vid. Tulpha.*
Camera Apostolica quoad fructus quosdam Officii Camerariatus, *vid. Officium.*

Cameralis.

Cameralia Officia, *vid. Officia.*

Camerariatus.

Camerariatûs S.R.E. Officium, *vid. Officium.*

Camerarius.

Camerarius quoad causas Magistratus viarum, *vid. Magistratus viarum.*
Camerarius quoad Deputationem Judicis criminalis, *vid. Jurisdictio Criminalis.*

Cancellaria.

Cancellariæ Regulæ producendæ, *vid. Regulæ.*
Cancellariam regentis potestas, *vide Regulæ.*

Canonicatus.

Canonicatu Ecclesiæ Burgensis donatur B. Joannes à S. Facundo, *vide B. Joannes à S. Facundo.*

Canonici.

Canonicis non applicandi reditus post Beneficiorum vacationem, ex privilegio, statuto aut Consuetudine etiam immemorabili, *Innoc.* XII. *const.* 63. §. 4. *p.* 245. 246.

Canonizatio.

Canonizatio B. Joannis de Deo, *vide B. Joannes de Deo.*
Canonizatio B. Joannis à S. Facundo, *vid. B. Joannes à S. Facundo.*
Canonizatio B Cajetani, *vide B. Cajetanus.*

Cantus.

Cantui chorali & Musicæ addiscendæ incumbant Alumni communitatis Clericalis, *vide Alumni.*
Cantum in festivitatibus moderandum præscribit *Innocent.* XII. *Decr.* 88. *pag.* 266. 267.

Capilli.

Capillorum indecora longitudo à Communitatis Clericalis Alumnis proscribenda, *Innoc.* XI. *const.* 10. *num.* 55. *pag.* 37.

Capitaneus.

Capitaneus appellationum quoad Sportulas, *vid. Sportulæ.*

Capitolium.

Capitolium, *vid. Tribunal.*
Capitolium quoad causas appellabiles, *vid. Causæ.*

Capitulatio.

Capitulationes in Electionibus ad Beneficia vacantia ineuntes Dignitatibus privantur, *Innoc.* XII. *const.* 63. §. 7. *pag.* 247.
Capitulationes ante electionem seu postulationem omninò prohibentur, & factæ irritantur, *ibidem §.* 8. & 9.
Capitulationes factæ post electionem ante S. Sedis approbationem non obligant, *ibidem §.* 10.
Vide etiam Juramentum, vide Mensa Episcopalis.

Capitulum.

Capitulum Provinciale Provinciæ Quitensis Ordinis Eremitarum S. Augustini etiam pendente lite super ejus validitate aut nullitate celebrandum, *Innocentius* XI. *const.* 4. §. 6. *p.* 17.
Etiam superveniente sententia annullatoria, *ibidem* §. 7.
Quæ nihilominus tamen rite publicanda, *ibidem §.* 8.
Capituli Provincialis Provinciæ Quitensis Ordinis Eremitarum S. Augustini Definitorium non ultra quindecim dies extendendum, *Innoc.* XI. *const.* 7. *num.* 6. *pag.* 16.
Capitulum privatum Provinciæ Quitensis pro expediendis negociis extra Capitulum Provinciale ex quatuor Definitoribus Actualibus & Patre Provinciali necessariò consistere debet, *ibidem. num.* 7.
Capitulum privatum nullum Priorem intra duos menses ante Capitulum Provinciale vel ante Congregationem intermediam Officio privare possit, *ibidem num.* 12. *p.* 17. 18.
in Capitulo privato à Definitoribus judicanda appellatio à gravamine Prioris localis ad P. Provincialem, *ibidem num.* 13. *p.* 18
Capituli privati Definitorium sententiam ferat pro privando Patre, quem in visitatione P. Provincialis privandum judicaverit, *ibidem num.* 14.
ad Capituli celebrationem accedant etiam Patres exiliati, eoque finito statim recedant, *ibidem num.* 15.
ad Capitulum Provinciale per Superiorum convocatoriam convocari censentur omnes in eo jus eligendi habentes, *ib. n.* 16.
Capitulum privatum de injustitia notoria Definitorii Capituli Provincialis vel Congregationis intermediæ definitivè judicare possit, *ibidem num.* 20. *pag.* 19.
Capitulum generale Ordinis Fratrum Prædicatorum acceptat ordinationes à Sanctitate sua ad Cardinalem Palutium transmissas, *Innoc.* XI. *const.* 9. §. 1. *p.* 29.
Capituli generalis Deputati Ordinationum earundem moderationem expetunt, *ibidem.*
Capitulum generale ejusdem Ordinis quolibet triennio celebrandum, & in fine cujuslibet tempus futuri statuendum, *ibidem §.* 2. *p.* 29. & 30.
Capitulum generale ejusdem Ordinis super obligatione visitandi sine Apostolica Autoritate dispensare non valet *ibidem.*
Capitula tres Decimas Cleri Italici reditibus impositas non rite solventia Ecclesiastico interdicto supponuntur, *Innocent.* XI. *const.* 14. §. 8. *pag.* 48.
ad Capitulum generale Ministris Provincialibus Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci ex ejusdem Capituli Statutis venire non licet, *Innocent.* XI. *mon. §.* 3. *pag.*
ad Capitulum generale ejusdem Ordinis Ministri Provinciales pro suffragio ferendo Commissarios mittere possint, *ibidem.*
Capitulum generale ejusdem Ordinis præstat consensum suum ad separationem Custodiæ Brasilienſis à Provincia S. Antonii in Regno Protugalliæ, *ibid. §.* 4. *p.* 51. & 52.
Capitulum generale ejusdem Ordinis Toleti celebratum inhibet mittere Procuratores Provinciarum ad Romanam aliasque Curias sine Ministri aut Commissarii generalis licentia, *ibidem §.* 6. *pag.* 54.
Capitulo celebrando in Provincia S. Antonii in Brasilia & S. Conceptionis fluminis Januarii certum tempus præfigitur, *ibidem* §. 8. *p.* 54. & 55.
de Capitulo ad Capitulum durabit Officium Judicum appellationum, *ibidem.*
Capitula Provincialia celebrandi facultas conceditur Provinciæ Germaniæ Fratrum Congregationis Discalceatorum, *Innoc.* XII. *const.* 17. *pag.* 156. 157.
Capitula ejusmodi quando, ubi & à quibusnam personis celebranda, *ibidem num.* 1. & 2. *p.* 157.
Capituli ejusdem Præparatoria per Missam de Spiritu Sancto, & quisnam sit Præsidens, *ibidem num.* 3.
Præsidentis locus, Officium circa suffragia, & electio in aliud Officium, *ibidem num.* 4.
Electio & locus duorum assistentium seu Judicum causarum, *ibid. num.* 5.
Discreti referant de Fratribus defunctis & de Benefactoribus secularibus *ibidem num.* 6.
Discretorum electio, *ibidem.*
Quando aliquis ex Greminalibus possit voce privari *ibid. n.* 7.
ad Capitulum Provinciale vel ejusdem Præsidentem non ducendi casus qui per Definitorium vel Provincialem possunt expediri, *ibidem num.* 8.
Definitores Provinciales & Secretarius Capituli Provincialis quando & quomodo eligendi, *ibidem num.* 9. & 11.
Abdicatio Officii facienda à Provinciali, & Definitoribus Provincialibus, *ibid, num.* 10.
Literæ Definitoribus duobus ex recenter electis tradendæ *ibid. num.* 12.
Ordo sedendi in Definitorio Provinciali diebus sequentibus congregando, *ibid. num.* 13.
Congregandum bis singulis diebus, *ibid. num.* 14.
Literæ à Discretis Definitorio traditæ quomodo discutiendæ, *ibid. num.* 15.
Accedant post Discretos Priores & Vicarii Conventuum, *ibidem. num.* 16.

Et reliqui Patres Gremiales, *ibidem num.* 17. *p.* 158.
Provinciæ ſtatus ex præfatorum relationibus cognoſcendus & diſcutiendus, *ibidem num.* 18.
Obſervanda in proponendo, & diſcutiendo, *ibid. num.* 19.
Deciſio fiat per fabas albas & nigras, & quando ſit differenda in ſequentem ſeſſionem, *ibid. num.* 20.
Quâ ratione deferenda ſit res ad generale Capitulum, *ibidem num.* 21.
Ad Definitorium Capituli Provincialis ſpectat condere ſtatuta, eorumque ſtatutorum obligatio, *ibidem num.* 22.
Ubinam eadem ſtatuta ſint inſcribenda, & à quibus ſubſcribenda, *ibidem num.* 23.
Libri actorum & propoſitionum, *ibid. num.* 24.
In Provincialem quis, quando, & quomodo eligendus? *ibid. num.* 25. *&* 26.
Electio Vicariorum & Priorum quomodo inſtituenda? *ibidem num.* 27.
Conventus Novitiatus reliquis in Ordine anteponendus, *ibid. num.* 28.
Electio Subpriorum Lectorum & Magiſtrorum Studentium, *ibidem num.* 29.
Familiæ quomodo & ex quibus componendæ, *ibid. num.* 30.
Electio duorum Diſcretorum, qui ad Capitulum generale eant, *ibidem num.* 31.
Capitulum Provinciale quomodo & quando terminandũ? *ib n.* 32
Capitula Regni Neapolitani quoad Spolia Prælatorum, *vid. Prælati.*
Capitulum generale Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſervantia & Reformatorum eligat Procuratorem & Commiſſarium generales ejuſdem Ordinis, *vide Commiſſarius generalis, vide Procurator generalis.*
Capitulum Provinciale Fratrum ſanorum & excommunicatorum Provinciæ Aragoniæ Ordinis Diſcalceatorum S. Auguſtini, *vid. Fratres Diſcalceati S. Auguſtini.*
Capitula generalia Ordinis Minorum S. Franciſci proteſtantur contra diſpenſationem in præceptis Regulæ, *vide Fratres Ordinis Minorum S. Franciſci de obſervantia.*
Capitula quoad fructus Beneficiorum & Eccleſiarum vacantium, *vid. Menſa Epiſcopalis, vid. Juramentum.*

Cappa Magna.

Cappa magna pro votantibus in Signatura juſtitiæ, *vide Votantes.*

Cappellani.

Cappellanis Communibus Cappellæ Pontificiæ privilegia concedit *Innocent.* XII. *conſt.* 45. *pag.* 221. 222. *& ſeq.*
Cappellanos creat Notarios Apoſtolicos, Nobiles, Comites Palatinos, Urbiſque & aliarum Civitatum Cives, *ibidem §.* 1.
Cappellani non poſſunt frui exemptionibus à Concilio Tridentino ſublatis aliiſque quibuſdam, *ibidem.*
Cappellanos durante ſervitio eximit à Decimis, taxis & impoſitionibus, excepta ſubventione contra Infideles, *§.* 2. *pag.* 222.
Cappellanis indulget retinere plura Beneficia, & non reſidere in non Curatis, *ibidem §.* 3.
Cappellani etiamſi Presbyteri poſſunt incumbere publice Juri Civili, legere & advocare in cauſis Eccleſiaſticis & civilibus, *ibid. §.* 4.
Cappellani poſſunt eligere ſibi Confeſſarium pro abſolutione à Cenſuris & reſervatis & commutatione votorum, *ibid. §.* 5.
Cappellani poſſunt transferre penſiones aut fructus etiam alias translatos ad ſummam uſque centum ducatorum, *ibid. §.* 6. *pag.* 223.
Cappellani poſſunt diſponere & teſtari de bonis & fructibus Eccleſiaſticis, *ibidem §.* 7.
Cappellani eximuntur à Spolio, ſi inteſtati decedant, pro ſumma in qua teſtari poſſunt, *ibidem §.* 8.
Cappellanorum Diſpoſitiones per ſcripturam etiam informem valeant, *ibidem. §.* 9.

Cappucini.

Cappucinorum in Confeſſarios Deputatio, *vide Pœnitentiarius Major.*

Capſa.

Capſa pro Eleemoſynis Miſſarum, *vide Miſſæ.*

Captivus.

Captivorum opera Pietatis Confeſſarius tempore Jubilæi commutare aut in aliud tempus prorogare poteſt, *Innoc.* XI. *conſt.* 12. *§.* 2. *pag.* 44. *& conſt.* 13. *§.* 2. *p.* 46. *Alexand.* VIII. *conſt.* 4. *§.* 2. *p.* 91. 92. *Innoc.* XII. *conſt.* 10. *§.* 2. *p.* 143. 144. *& conſtit.* 46. §. 3. *p.* 226. *& conſtitut.* 65. *§.* 3. *pag.* 251. *&* 270.

Carceratio.

Carceratio Inquiſitorum in Portugalliæ & Algarbiorum Regnis non fiat niſi præcedentibus legitimis indiciis & prout de jure, *Innoc.* XI. *conſt.* 11. *§.* 16. *pag.* 42.

Carceres.

Carceres Sancti Officii in Luſitaniæ Regno minus rigidi & non tam obſcuri reddantur, *Innoc.* XI. *conſt.* 11. *§.* 18. *p.* 43.

Cardinalis.

Cardinalium, Cameræ Clericorum & Commenſalium Papæ Immunitates revocantur ad terminos Conſtitutionis Pii IV. *Innocent.* XI. *conſt.* 2. *§.* 8. *p.* 3. *&* 4. *Alex.* VIII. *conſt.* 5. *§.* 9. *pag.* 94. *& Innoc.* XII. *conſt.* 9. *§.* 9. *p.* 141.
